Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Laonici Chalcondylae Atheniensis, de origine et rebus gestis Turcorum libri decem

https://hdl.handle.net/1874/456765

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

W. fo.
149

115.
C.



W. fo.
144

Litterae Graecae

Folio n°. 144.

Armar. 227. 0

N. 109. C.

W. fol. 144

LAONICI CHALcondylæ Athenienſis, de origine et rebvs gestis tvrcorum Libri Decem, nuper è Græco in Latinum conuerſi:

CONRADO CLAVSERO TIgurino interprete.

ADIECIMVS

THEODORI GAZAE, & aliorum quoq; doctorum uirorum, eiuſdem argumenti, de rebus Turcorum aduerſus Chriſtianos, & Chriſtianorum contra illos hactenus ad noſtra uſq; tempora geſtis, diuerſa Opuſcula, quorum Catalogum proxima poſt Præfationem pagella reperies.



Conrad. Hüb. à Bürtzel.

Cum Cæſ. Maieſt. gratia & priuilegio ad decennium.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.





DANIELI ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO VIIVIRO ELECTORI, IOANnes Herold Hochſtattenſis S.



NTER tot blandimenta, à naturæ parente tam liberaliter mortalibus cõceſſa, DANIEL Princeps, celatam aut ſopitam hominum uirtutem, quod illuſtret aut excitet, nemo eſt, qui literis bonis aliud æquè efficax oſtẽdere facilè poſsit. Huic etenim uoluptati dignitas quædam coniuncta eſt, ac iucundiſsimarum rerum uarietas tam ſuauis, ut dulcedine ſua, tenerior non ſolum, uerumetiam corroborata, atq; caſibus humanis exercita ætas, omni in loco, omni momẽto capiatur. quapropter diuinis quibuſdam bonis exornati meritò dicuntur illi, qui robore animi deſtituti, aut fortunæ libidine oppreſsi, cum facere fortiter nequirent, loqui tamẽ & ſcribere de rebus honeſtè & doctè non deſierunt: iter quoddam dirigentes, quo labore corporis & animi ſplendida contẽtione gradirentur, qui de ſalute Reip. ſolliciti, etiam laudis & famæ ſtudia ſequi cuperent. Videmus enim tum Hermannos illos, Thietreychos, & Carolos Germaniæ noſtræ haud defuiſſe, cum Velledæ, Caſsiodori & Alcuini florerent, qui aut patrijs ſcriptis, aut exterarum literarum lenocinijs, fortitudinis & diſciplinę exempla, priſtinam illam ſeueritatem, Principibus uiris, indole uirtutis præditis, fortunæ ornamẽtis prędaris, gloriæq; auidis, inculcabãt. Videmus etiam hoc ſeculo turbulentiſsimo, quo obſoleuerunt chartæ illæ, quæ ueterum Germanorum illuſtria facta continebant, etſi non deſint, qui plurima conſtantiæ, fidei & uirtutis genera, dum Camillos, Cæſares, Alexandros, Romanos & Græcos illos lectitãt, uerbis magnificè prædicent: perpaucos tamen reperiri, qui Pipinos & Thaſsilones noſtros ſibi imitãdos proponãt. cũ tamẽ Remp. Germanã omnibus rebus iam noſtris, quàm ſanctiſsimorum illorum Principũ temporibus magis florẽtem, inſidijs perpetuisq; Turcarũ armis uexari uideant: ac hoſtem non de gloria dimicare nobiſcũ, nõ ſolum fortunas noſtras illũ appetere, aras, focos haurire, ſed ſanguinẽ, imò cruorẽ noſtrũ auidiſsimo animo ſitire. O teterrima cõtentionis cęcitas. tu ſacrorum &

religionis ſocietatẽ,tu ſanguinis uincula, tu in gremio patriæ, in ſinu Reip.ſæuientis periculi atrocitatem deſpicere,cõtemnere, ac uenenoſa titillatione, mellitiſsimos ac arcanos naturæ affectus diſiungere audes? nihil igitur Germanus animus præferox tẽtabit? nihil pietas? nihil deniq; literę ipſæ amplius perſuadebunt? Monimenta uerò ſcriptorum non perſuadebũt ſolùm,uerùmetiam in diem reſeruatam indignationem, coniunctiſsimis uotis & uiribus, hoſtis quoq; preſenti interne cione,Germanicus furor tandem effundet. Hæc cum elegãti ſuo examinaret iudicio,uir de literis optimè meritus,Ioannes Oporinus ille meus,Laonici Calchocondilis de rebus Turcicis hiſtoriam,hactenus non ſine Reip. magno incõmodo ſuppreſſam,typis ſuis euulgare inſtituit:ſæpiſsimè me exhortans, quandoquidẽ in ſcribendis effloreſcentis Germaniæ commẽtarijs occupatior, quàm ut continentibus ſcriptis, perpetuam Turcicarũ rerum deſcriptionẽ iam adijcere poſſem, excuſſa illa mea literaria ſupellectile, aliorum huius argumẽti Commentarios proferrẽ, qui commodè his libris adiungi poſſent. quibus cum aptius hoc rerũ ſtatu nihil iam edi poſſe intelligerem: amico deeſſe nolui. uolui autem, quantum negotijs meis & ſtudijs grauioribus interuertere licuit, tantùm Reip. Germaniæ impendere. Videbã namq; Laonici libros, religioſo teſtimonio ueritatis exornatos, lectorem iucũda quadam uariarum rerum delectatione explere, præceptis & exemplis inſtruere, ac ordine elegãti animũ non mediocriter retinere. & quo afficiebar ſummopere, id erat,quod ceu ſecretę cuiuſdam fabulæ deſcriptione, euentus illos, qui tempeſtates cõſiliorum & actiones Græcorum tam turbulentas magno concurſu calamitatum inſecuti ſunt, depictos uidebã. perſuadebam enim mihipte, imperſcrutabili diuinitatis ſentẽtia factũ fuiſſe,ut homo Græcus ſcriberet,quæ inſequentibus totis nonaginta quatuor annis (deſijt enim ſcribere anno à nato Chriſto redemptore, M. CCCC. LXII.)Germanicorum motuum expreſſam imaginẽ effingerẽt,ac pręcepti uice docerẽt, non niſi turpiſsimũ nobis eſſe poſſe,contentiones, perfidiam, proditiones, & ijs ſimilia non euitare, quibus Græciam orbis oculum extinctam eo autore legimus, qui principe Athenien

ſium

sium procreatus, rebus plurimis interfuit: demum etiam à tyranno crudelissimo medium dissectus, constantia & pietate admirabili mortẽ obierit. Breuitatis autem caussa relinquo, quod enumerari difficulter potest, elaboratum scilicet quorundam authorum, qui hunc insequuntur, orationis genus, copiam sententiarum, uerborũ delectum: nam in hãc solum summam edũtur, ne quid, quod à fine Laonici cum Turca gestum sit, lectorẽ fugiat: ac appareat Reip. Christianæ studioso, quantum res truculẽtiss. hostis, infidelitate amicorũ, in tẽpus aptatis simulationibus, in periculis quoq; fuga proximorum, ignauia deniq;, ne dicã pusillanimitate nostrorum, creuerint: quàm facilè uera pietate, ordinum coniunctione, ac prisca uirtute iterum extirpari possent. Tui uerò nominis inscriptione, DANIEL Princeps, quòd librum hunc exornare & cõmendare uoluerim, caussæ sunt permultæ: quarũ uel minima uideri posset, te tam honesto inter Germanos loco natum esse, nisi ab ineunte ætate animi pietate, sanctissimis moribus, flagranti literarum bonarum studio, domi tuæ claritatem intulisse potius, quàm ex ea nobilitatem recepisse, ab omnibus bonis iudicarere. Qua autem integritate, quo syncero rerũ iudicio, qua animi moderatione adultus iam, hominũ omnium uoluntates & uota tibi cõciliaueris, uel eo maximè inclaruit, quòd cũ in Boioduro urbe, de Rep. (quæ funestissimo undiq; bello ardebat) subleuando ageretur, tuis consilijs, ac certis firmissimisq; rationibus quorundam pertinaciã tunc uictã fuisse, atq; Germaniæ cum non leui commodò, pacis, qua nunc fruitur, initium dedisse te, à rerum non omnino ignaris, magna tua cum laude, sæpius personare audiui: ne dicam interim, ex PHILIPPI Spirẽsis, THIETREYCHI Vormacienſis, Episcoporum, & in tãta raritate bonorum, optimorũ, doctissimorumq; uirorum clarissimis testimonijs, quantum animi tui dotes amare, & admirari coactus sim. At quid? non uenerarer ego uirum illum, quem suffragia ponderatissima rebus sacris præfecerint, atq; in eum pontificẽ elegerint, quo maiorẽ Germania habere nequit? cui inter eos, quorũ septem tantum in toto orbe uiri esse possunt, & locũ & dignitatem, magna Reip. lætitia, maiore bonorũ commodo, ac maxima

huius ſeculi ſpe uirtus propria, peperit. Conſentaneum nãq; eſt, eum qui priuatus adhuc tanta animi magnitudine, tam pijs rationibus honeſtisq; actionibus Reip. afflictiſsimę nõ defuit, eundẽ in publica dignitate florentẽ, ad gloriã & ſplendorem Germanię omnia reuocaturũ. Quapropter DANIEL Princeps, eam iam perſonã, quam tibi tempus & Reſp. impoſuit, natura dedit, uolũtate & animo prompto ſuſcipe, eamq; ad conſeruandam Remp. accõmodato. namq; illa non fortibus uiris deſtituta eſt, nec opũ cumulis nõ turget, in his cauſſa eſt nulla, defectus nullus: in ſacris aũt æmulatio, in prophanis ſuſpicio, ambitio in utriſq; obſtat, quo minus hoſtis atrociſsimi conatus reprimantur. de quib. rebus quoties tibi cogitatio incidit, (puto aũt hac de re te nunquã nõ cogitare) toties elaborandũ tibi eſſe cogitabis, ut ſapiẽtię tuę manu, & perſuaſionum cliẽtelis, ex latebris & receſsib. exulceratorũ animorũ, in uidię inimicitiarũq; latrocinia diſijcias, opinionibusq; friuolis & ſtultis diſsipata iamdiu principũ tuiq; ſimiliũ uirorũ maximorũ ſtudia & uota iterũ coniungas: adeò ut tandẽ aures illorum quę rixoſis tantũ delationib. radũtur, claſsicũ illud in hoſtem cõmunem hauriant. hoc tantũ tuũ beneficiũ, omniũ ſeculorum memoria uigebit, ac Remp. tuis cõſilijs ſtabilitã eſſe, etiã inter eos qui naſcentur, nominis tui cũ laude, teſtimoniũ ampliſsimũ durabit perpetuò. Nunc uerò uenio ad ſummã inſtituti mei, & dedicãdi huius operis potiſs. rationẽ. quam cum ornatiſs. uiri, & mihi amiciſs. Daniel Mauch, & Ioãnes Baderius, pietate morũ & doctrinę ornamẽtis, multò quàm cõditionum ſplẽdore clariores, maximè probarent, eã fuiſſe DANIEL Princeps, tibi perſuadeas uelim. Cum in centum ijs & triginta libris effloreſcentis Germaniæ à me inſtitutis, certa, explorata, oculorũ aut ſcriniorum fide ſuffulta tantum, poſteris tradere cupiã, te uerò Germanæ glorię literarumq; amantiſs. audierim, atq; eum, qui ad exornandã illã meã hiſtoriã, multa & præclara mihi ſuppeditare poſsit: beneficiũ maximum à te recipere uolui. quod ſi reiecto pudore, impudentius à te poſtulare uideor: flagrantiſsimo illud meo, ac erga patriã iuſtiſsimo, idemq; debito amori dabis ſcio. quũ etiam, DANIEL Princeps, debere tibi me, meaq; omnia deſiderẽ. Vale. Baſileæ, 17. Cal. April. Anno Chriſti 1556.

EORUM, QUAE TOTO HOC OPERE
continentur, omnium Catalogus.

Laonici Chalcõndylæ Athenienſis, de origine & rebus geſtis Turcorum Libri decem. Pag. 1

Theodori Gazæ, de origine Turcorum Epiſtola 1. 181

Baptiſtæ Egnatij, de origine Turcarum Lib. 1. 183

Nicolai Euboici Saguntini epiſcopi, de origine & rebus geſtis Turcarum Lib. 1. 186

Ioannis Rami, de rebus à Turcis geſtis, & eorundem origine, Lib. II. 191

Andreæ à Lacuna Secobienſis, de origine regum Turcarum Lib. 1. 217

Vuolfgangi Drechsleri, de Turcorum & Sarracenorum origine & rebus geſtis Lib. 1. 220

Petri Pecondini Pratenſis, de uita Tamerlanis Lib. 1. 235

P. Callimachi Experientis, de clade Varnenſi Lib. II. 249

Leonardi Chienſis Mitylenæi epiſcopi, de capta Conſtantinopoli Lib. 1. 313

Iſidori Cardinalis Rutheni, de capta Conſtantinopoli. 327

Incerti autoris, de capta Chalcide, ſiue Nigroponto. 330

M. Ant. Cocij Sabellici, de clade Sontiaca Lib. 1. 332

Coriolani Cepionis, de rebus Petri Mocœnici Imperatoris Veneti contra Turcas geſtis, Lib. III. 341

Guilhelmi Canoerſin, de oppugnatis à Turca Cõſtantinopoli, Nigropõto, Rhodo, ex cõmentarijs Breidenbachij, Lib. 1. 369

Eiuſdem de captione Hydruntinæ urbis. 381

Marini Barletij, de Scodrenſi urbe à Turca expugnata Libri III. 382

Henrici Peniæ de geſtis Sophi contra Turcas Epiſtola. 441

Iacobi Fontani Brugenſis, de bello Rhodio Lib. III. 444

Melchioris Soitteri à Vinda, de bello Pannonico Lib. II. 502

Aloiſij Armerij de Gouleta & Tuneto expugnatis Lib. 532

Ioannis Etrobij de Tuniceæ urbis & Gouletæ expugnatione Lib. 1. 547

Ioannis Criſpi Aegei maris Ducis, de Naxo inſula à Turcis occupata, Epiſtola. 590

Nicolai Villagagnoni de expeditione ad Argierã Lib. 1. 595

Ioannis Martini Stellæ, de Turcarum in regno Hungariæ, anno M. D. XLIII. & XLIIII. geſtis, Epiſtola. 604

Eiuſdẽ de Alba in Hũgaria à Turcis expugnata, Epiſtola. 614

Item de Altenburgi munitione. 621

Item de munitione urbis Viennæ. 624

Ioannis Chriſtophori Calueti Stellæ, de expugnato Aphrodiſio Commentarius. 628

FINIS.

LAONICI CHALCONDYLAE ATHENIENSIS HISTORIARVM DE ORIGINE AC REBVS Gestis Turcorum, Liber primus:

CONRADO CLAVSERO
Tigurino interprete.

A



LAONICVS Athenienſis, quæ uiſu, quæq; auditu percepit, cum adhuc in uiuis foret, literarum monumentis mandare ſtatuit, partim quidem ut naturæ gratiam debitam referret, partim uerò quòd putaret nihil non illorum memorabile uiſum iri poſteris. Complectitur enim hoc opus (ut mea fert opinio) res geſtas fama nequaquam minores illis, quæ unquam in uniuerſo iſto terrarum orbe contigiſſe memorantur. Duo autem continet: Græcorũ regni interitum, & quæ mala in ipſum redundarunt: nec non Turcos, qui breui in tantas creuerunt opes, ut opibus & potentia mortales omnes, qui unquam fuere, longo interuallo infra ſe relinquant. Qui, quamuis nunc rerũ potiantur, & præſentis uitæ felicitatem conturbent, & in diuerſum abripiant: tamen cenſeo fore (ut & meum calculum adijciam) tempus, quo res ipſorum in cõtrarium uergant. De utriſq; tamen, Græcis pariter & Turcis, hiſtoriam contexere, non arbitror iniucundum fore. Hiſtoriam autem iſtam conſcribentes, faciemus mentionem et aliorum quæ in orbe acciderunt: nec tamen meo tempore, ut quibus interfuerim oculatus teſtis. Cætera uerò, non ſequutus ueriſimiles coniecturas, nec ut acceperim ab his qui magis ſapere uidebantur, tradam: uerùm, ut hiſtoriæ ſeries tutò feratur, ea adducam, quæ quàm proximè ad ueritatem acceſſerint. Nec nobis uitio uertatur, quòd Græca lingua operi iſti adhibetur. Siquidem ea hodie per totum quaſi orbem eſt diſperſa, & nationibus omnibus ferè immixta conſpicitur: cuius gloria cum ſit excellens, excellentior tamen accedet, quando regno alicui haud contemnendo præfuerit rex Græcus, & qui ex eo naſcentur, reges: aut quando Græcorum filij in unum collecti, patrio more reſpublicas ſibi quàm iucundiſſimè adminiſtrauerint, reliquis uerò quàm potentiſſimè imperauerint. Græci quidem præclaris facinoribus editis, quo pacto ingentem ſibi pepererint gloriam, & quemadmodum inter cætera etiam in Europam, Libyamq; uenerint, Gangen Oceanumque adierint, cum ad iſta loca proceſſerint alij plurimi, quos inter Hercules, & ante hunc Bacchus Semeles filius, præterea Lacedæmonij & Athenienſes, poſtea Macedonũ rex, eiusq; ſucceſſores, &c. quo ordine ſingula hæc geſta ſunt, plurimi annalibus condiderunt. Græci autem præcipuè hunc laborem ſibi delegerunt, quia præ cæteris tempore longiore durarunt, fortunamq; uirtute uacuam, nunquam tamen moderatam, plurimis generationibus obtinuerũt. His præterea per totum orbem proſpero rerum ſucceſſu utentibus, comperio Aſſyrios, gentem antiquiſſimam, memoriam ſui facientes longiſſimam, Aſiæ imperium occupaſſe. Dein Medos ad Aſiæ imperium ſubuectos, duce Barbare Sardanapalum Aſſyriorum regem regno deturbantes, ſed Aſiæ monarchiam tandem amiſerunt, uicti à Cyro Perſarum rege. At hinc Perſarum reges adeò in immenſum aucti ſunt, ut etiam in Europam traiecerint. Deinde haud multis ſeculis pòſt Alexãder Macedonum rex, erepta Perſis Aſiæ monarchia, Indis deuictis, Europæ Aſiæq; parte haud pœnitenda debellata, ſuis reliquit imperium. Exinde Romani, cum eſſent nacti imperium in orbe longè la-

B

te'que maximum, tenentes fortunam uirtuti æquilibrem, commiserunt Ro- A
mam Pontifici maximo. Ipsi uerò ductu Cæsaris transierunt in Thraciam: &
in ea regione, ubi Asiæ proxima est, Byzantium urbem Græcam, Thraciæ
metropolim constituentes, cum Persis, à quibus grauissimè adfligebantur,
plurima prælia fecerunt. Græci autẽ ex eo tẽpore Romanis cõmixti, cum his
aliquanto plures numero essent, linguam suam patriosq; mores ad finem usq;
que constanter retinuerunt. nec tamen patrium nomen ipsis remansit, uerùm
mutatum est. Nam Byzantij reges nõ amplius istud nomen gestauerunt, sed
magna cũ ueneratione se ipsos Romanos Imperatores, & Cæsares, nec Græ-
corum reges, nũ cupauerunt. Romanos quidem accepimus, & ipsorum Pon
tificem maximum cum longo tempore concertassent cum Græcis, in Christia
næ religionis quibusdam articulis, tandem à Græcis defecisse. Romanum
autem Cæsarẽ nunc è Gallis, nunc è Germanis eligentes, legatos, nullã pror-
sus occasionem omittentes, miserunt ad Grẽcos, ut conuenientes in unũ, con
ciliumq; concelebrantes, concordiã, quantũ ad Christianam religionem atti-
net, inter sese conglutinarent. At Græci noluerũt, cum plurimis annis aduer-
sus Romanos contentiones mouissent, patrium religionis suæ cultum pertur
bari. Hac dissidij causa permoti Occidentaliũ plurimi, adiunctis etiã Vene
tis, Pontifice maximo sic instigante, decreuerunt classe maximè magna profi
cisci aduersus Græcos. Appellantes igitur Byzantium urbem, eam ui cẽpe-
runt. Rex autem Byzantius cum Grẽcorum optimatibus fugam iniens, con
tulit se in Asiam. Quò cum uenissent, elegere Niceam urbem Græcã, eamq;
regni sedem declararunt. Cum anni interessissent pauci, Byzantium recu-
perarunt, cum quàm maximè occultè in eam se recepissent. Reuersi igitur By
zantium, relicta Asia, regni gubernacula diu tenuerunt. Tandem Grẽcorum
rex Ioannes intelligens Grẽcorũ res in summo periculo, quasi inter malleum B
& incudem, uersari, adsumptis Byzantij episcopis, nec non Græcorũ doctis,
conscendit nauem, & in Italiam profectus est: existimans, si conueniissent
cum Romanis in negocio religionis, se hos auxiliares habiturum ad bellum
iam haud dubiè à Turcis imminens. Cum autem ad colloquiũ ueniisset cum
Põtifice super religionis cõtrouersia, disputatio cũ magna altercatione utrin
que exorta est. Postremò eò res deducta est, ut Græci pariter & Romani in re
ligionis negocio consentirent, discordiaq; omnis quàm longissimè submo-
ueretur. Rex igitur Græcorũ auxilij à Romanis aliquantulũ nactus, domum
rediit. Græci reuersi Byzantium, acta edocent eos qui domi manserant: qui
quidem noluerunt stare his quæ acta erant in Italiæ synodis: putãtes, sibi neu
tiquam fas esse, consensum præstare Romanis nefaria asserentibus. Hinc per-
petuò discordiam fouisse Græcos in negocio religionis aduersus Romanos
constat. Hæc quidem hactenus, quantum præsenti historiæ conducere uide-
tur, de Græcorum regno, & continua horum dissensione aduersus Romanos,
dixisse sufficiat. Itaque tum ipsorum regnum, cùm nomen non rectè appella-
tum est. Ego igitur cum attigissem hæc tẽpora, animaduerti Græcos, horũq;
regnum primò sub Thracibus extitisse: postea reliquo regno à barbaris exu-
tos, paruũ quoddã regnũ gubernasse, uidelicet Byzantinũ: Byzantijq; mari
timam regionẽ inferiorem, Heracleam urbẽ usque: & iuxta Euxinum Pontũ
maritimã regionẽ superiorẽ, usq; ad urbem Mesembriã: præterea Pelopon-
nesum omnem, extra tres aut quatuor Venetorũ urbes: ad hæc Lemnum &
Imbrum, insulasq; ibi in mari Aegęo sitas. Vt autem singula hæc cõtigerint,
ut Græcorum res paulatim interierint à Turcis acciſæ, ut Turcorum res usq;
incrementum sumpserint, ut ijdem ad maximam peruenerint felicitatem usq;
ad præsens tempus, singula hæc explicabimus quàm exactissimè & uerissi-
mè audiuimus.

Turcos

A TVrcos ego neſcio quod nam antiquitus nomen tenuiſſe dicam, ne à uero aberrare uidear. Quidam putant eos à Scythis originem trahere, nõ malam ſequuti coniecturam, uidelicet quòd moribus haud multum inter ſe differant, linguaq; utantur etiamnum nec multum diſsimili. Aiunt enim, Scythas ſeptenis uicibus à Tanai progreſſos, Aſiam ſuperiorem deuaſtaſſe, Parthis ea tempeſtate rerum ſumma potientibus: nec non Perſarum, Medorum, Aſsyriorumq; regiones tenentibus. Hinc peragrata quoq; inferiore Aſia, Phrygiam, Lydiam, & Cappadociam ſuo imperio adieciſſe. Etiam nunc uidere eſt, ut fertur, plurimos iſtius generis homines ubiq; per Aſiã diſperſas, moribus & uictus ratione referentes Scythas Nomades, nullibi in Aſia certas & fixas habentes ſedes. Illi & alia coniectura ducuntur, qua confirmare nituntur, Turcos Scytharum eſſe progeniem, quòd inferioris Aſię regionem gentes Turcorum barbarę incolant Lydiam, Cariam, Phrygiam, et Cappadociam, qui lingua & reliquo quotidianæ uitæ uſu nihil diſcriminis habere cognoſcuntur à Scythis agentibus in ea regione, quæ inter Tanaim & Sarmatiam excurrit. Sunt, qui exiſtimant Turcos è Parthorum progenie deſcendere. Hos enim, cum perſequutionẽ hoſtilem à Scythis uagis, qui Nomades dicuntur à permutandis pabulis, paterentur, in inferioris Aſiæ regionem contendiſſe conſtat. Cumq; & ipſi uagi incertis ſedibus mapalia ſua plauſtris circumferentes, eò loci uerſarentẽ, per eas urbes eſſe diſſeminatos tandem, apparet. Exinde iſtud hominum genus cõtigit Turcos, quaſi Nomades, uocitari. Alij ex Turca, Perſarũ urbe magna & opulenta, hoc hominũ genus progreſſum eſſe, tradunt: & hinc profectos, Aſię inferioris regionem tandem in ſuam ditionẽ redegiſſe totã, perhibent. Sunt quibus magis placet, Turcos ex Cœleſyria & Arabia, nec ex Scythia, in iſtam regionem, habentes ſecum legislatorem Homarem, delatos eſſe, Aſiæq; imperium tandem obtinuiſſe, uiuentes inſtar Nomadum. An aũt cõmemoratę ſententię ſingulæ ueritatẽ cõplectantur, aut cui earũ quis accedere tutò auſit, nequeo quàm tutiſſimè & ueriſſimè pronunciare. Mihi tamen probabilius uidetur, aſſenſum præſtare illis, qui Turcorum originem in Scythas referunt: cum manifeſtũ ſit, Scythis, qui adhuc hodie in Europa Orientem uerſus ætatem agunt, optimè cõuenire cum Turcis in foro, emporijs, et commercijs. Victus et reliquus uitę uſus etiamnũ utriſq; par eſt: quia Scythæ uniuerſæ imperitauerũt Aſię. Idem etiã inſinuat nomen Turcorum. ſignificat enim hominem, qui agreſtiorem uictus rationem ſequitur inſtar Nomadum, & maximam uitæ partem in eo conſumit. Genus hoc Turcorum cum eſſet magnũ, & in immenſum auctum, compertum habeo in partes ſiue tribus quaſdam eſſe diuiſum: inter quas fuiſſe tribũ Oguziorum, hominum genus nec malum, nec imbelle. Ex his natus eſt † Duzalpes, uir ę- *Alij legunt, Iudizalpes.*
qui iuſtitiq; ſtudioſiſſimus, Oguziorum dux. Hunc accipio ob fortitudinem ſuam plurimum eſſe laudatum: tantæq; fuiſſe iuſticiæ (Oguzijs namq; ius dicebat) ut litigantes ipſum eligerent arbitrũ in re qualibet: ſententiamq;, quam ferebat, utraq; pars læta accipiebat. Hanc uiri æquitatẽ deprehendentes Oguzij, impetrarunt, precibus fatigantes regionis iſtius regem, ut eum accipe-
rent ſibi iudicem. quod ubi contigit, ſemetipſos tradiderint Duzalpi, ut ſecũ ageret, ſecundum quod exiſtimaret res Oguziorum optimè habituras. Deinde cum filius huius nomine Oguzalpes, imperium Oguziorũ tribus ſibi uendicaſſet, ad tyrannidem adſpirauit: armaq; infeſta Græcis inferendo, brui in Aſia ad maximã claritatẽ acceſſit. Præterea † Orthogules Oguzalpis *Alij legunt, Orthogrules.*
filius, cum manu eſſet prõptiſſimus, armis multos populos laceſſens, gloriã magnã ubiq; adeptus eſt. Claſſem quoq; parauit: qua fretus, hoſtili animo nauigauit ad inſulas in Aegæo e regione Aſiæ Europæq; ſitas. Etiam Europã populatus eſt, hinc nauibus in flumen Tæarũ iuxta Aenum deductis, ad mul-

tam fluminis partem processit. Ferunt hunc & in alijs locis irrupisse in Euro- A
pam. Tandem ingressus Peloponnesum, Euboeā, & Atticā, fecit cladem ma
ximam, regionib. deuastatis: reuersusq; domū, præda, mancipijsq; oneratus,
maximas hinc sibi conflauit opes. Aiunt, Orthogulem hunc in Asia moran
tem, prędas ex finitimis gentibus egisse: rebusq; pulchrè succedentibus, exer
citum cōscripsisse. Exercitu igitur satis ualido munitus, finitimos Græcos
domuit: reliquos deprædatus est: & cum alij metu perculsi imperium accipe
rent, breui suis maximarum opum auctor fuit. Deinde cum quotidie Noma
des plurimi ad ipsum confluerent, & in belli societatem aduersus finitimos
admitterentur, tandem mirum in modum imperij sui pomeria promouerunt.
Propter res fortiter gestas etiam Aladinæ charus acceptusq; erat. Sunt qui li
terarum monumentis scriptum reliquere, Oguziorum tribum auspicijs du
ctuq; Orthogulis loca iuxta Taurum munita occupasse: & hinc armis instru
ctos procurrentes, finitimā regionem subiugasse: Græcos eius regionis acco
las deuicisse, suoq; imperio maxima adiecisse incremēta. Quæ autem horum
ab initio fuerit conditio, ad hæc, uera ne sint an falsa, quæ de ipsis modò expo
suimus, non facilè affirmare ausim: quamuis plurimi scriptores ea commemo
rarint. Proinde cum ea hactenus ab origine repetierim, nunc amplius de his
uerba facere supersedeo. Quantum uerò attinet ad Otomanidas, ex familia
Oguziorum ortos, ut ad clarissimum hoc imperium euaserint, nunc explana
re instituo. Vicus est iuxta Mysiam, quem Sogutam incolę uocant, ubi est &
fluuius eiusdem nominis. Vicus ille rerum omniū adfluētia pollet, remotus
à mari Euxino ducētis quinquaginta stadijs. potest idem locus Itęq; uicus no
minari. In hanc regionem cū Oguzij penetrassent, ibi aliquanto tempore ha
bitarunt. Otomanus autem, Orthogulis filius, initiò nō admodum secundis
agebat fortunæ flatibus. Proinde cum esset animo liberali & forti præditus, B
animos eorum qui in uico agebant, opibus sibi conciliat, breuiq; sibi deuo
tissimos habuit. Hinc cum odijs certarēt cōtinuis aduersus Græcos, omnium
assensu Imperator declaratus est. Bello itaque adortus Græcos, qui in ea re
gione habitabant, non prius prælio excessit, quàm cum omnes aut cęcidissent,
aut fugasset. Hinc prosperè succedentibus rebus, uictorias plurimas Græcis
extorsit. Cum autem fama nominis sui regiones plurimas impleuisset, etiam
apud Aladinam maxima gloria uiguit, creatus ab ipso dux, cum undiq; præ
claris editis facinorib. res fortiter gessisset. Defuncto rege Aladina, discordia
inter regni optimates exorta est. Orthogules adhibitus in colloquium, cum
multum temporis deliberando esset absumptum, tandem icto fœdere promi
sit, se ipsis et socium auxiliarem fore, quocunq; in militiā proficiscantur: hac
tamen conditione, ut quascunque regiones, coniūctis copijs, suo imperio ad
iunxerint, eas inter sese partiri uelint. Cum igitur, ut fœdere tenebatur, com
muni cōsensu uiribusq; communibus bella aggrederentur, tanta ipsius inter
omnes uirtus emicuit, ut breui plurimas opes acquireret, regnumq; sibi para
ret haud aspernandum. Hi autem cum forent duces numero septem, initio re
gionem, quam tum armis subiecerant, inter sese diuiserūt: postea partitionem
sorti committentes, Caramano obtigisse mediterraneam Phrygiæ Ciliciam
usque, & Philadelphiam. Sarchani sors addixit maritimam Ionię regionem,
quà Smyrnā usq; patet. Lydia usq; ad Mysiam obuenit Calami, & filio suo
Carasi. Bythyniam autem cum his regionibus quæ Olympū respiciunt, na
ctus est Otomanus cū Tecie. Paphlagoniā cum his regionibus, quæ uergūt
ad Euxinū pontum, acceperunt Amurę filij, sic sorte partitionem regente. Cer
mianum dicunt non fuisse de numero septem illorum ducum, uerùm imperas
se Conio Cariæ urbi, in qua regia erat: tandem suo deturbatum regno, abijsse
in Ioniam: sectatusq; ibi uitam priuatam, quietem amplexus est. An septem

illi

A illi duces adiunctis copijs, aut singuli per se, regiones istas subiecerint, præterea ut alius in alterius succesſerit opes & regnũ, non referre arbitror curiosius describere. Illud autem certum est, reges Otomanidarũ Soguthã uicum multum honorasse, cum eò frequenter accederent, reddentes uici incolis solennia munera: Accepi præterea, Otomanum Orthogulis filium primum generis huius ex isto uico oriundũ extitisse: qui inde profectus, urbes Asiæ cæpit: & Prusam, Mysię urbẽ opibus florentẽ, fame expugnatã, regni sedẽ constituit. Postremò operibus multis fortiter & splendidè peractis, relinquens liberos & regnum illustre, naturæ debitum exoluit Prusę. Hic primus istius generis optimè, quæ ad regni salutem attinent, disposuit. Et ut regnum sibi faceret cẽp maximè firmum, & opportunum, satellites allegit, quos † regis Ianuas nuncupauit. Et cum iam omnibus propter istam potentiam formidini esset, subditos facilè in imperio continuit, cum omnes ad nutum, quando uocarentur, præstò essent, & impigrè ea quæ Ianuæ regis imperarent, obirent. Commemorant, Orthogulem istũ uirum per omnia extitisse generosissimum: & cum ꝓpter res suas præclarè administratas augustior homine, & quasi diuinus reputaretẽ, posteris reliquit insigne cognomentũ, ut Otomanidę siue Otomanidæ uocentur. Hoc regnãte Turcarũ octo millia traiecerũt in Europã per Helleſpontũ: captoq; Græcorũ prędio Chersoneso impoſito, perrexerũt in Thraciam, & ad Istrum: incursionibusq; plurimis factis, regionẽ istam uastarũt, & maximã hinc portarũt prędã, mãcipia, quæ erant plurima, iure belli capta, transmiserũt in Asiam. Græcorum Tryballorumq; res agebant ferebanturq;. Ea tempestate Scythæ parua manu à Sarmatia prodeuntes, festinabãt ad Istrũ. quo transmisso, Turcos, quos eò loci deprehenderant, atroci prælio inito fuderunt: & propemodum omnes, demptis paucis, necauerunt. Qui aũt interB gri ex eo prælio abierant, fuga in Chersonesum delati, & hinc in Asiam transuecti, tandem ab Europa abstinuerunt. Eodem tempore Græcorum res ancipiti fruebantur fortuna, cum intestinis discordijs agitarentur propter Byzantij regnum, reges ambo, auus & nepos Andronici, ex familia Palęologorum orti. Cum autem seditionibus iactarentẽ, quidam hunc, pars illum sequebantur, ex quo effectum est, ut planissimè res ipsorum interierint. Priori enim Andronico natus est filius, cui nomen inditum Michael: qui fato functus est, antequam ad regnũ promoueri posset. Post huius mortem Andronicus filius, cum auus senio cõfectus foret, ad regiæ dignitatis culmen conscendere gestiens, inimicitias ex aperto cũ auo suscepit. Cum aũt esset impudentior & præfractior, quàm ut meliora cõsulenti parêret, Græcos in grauissima discrimina adduxit. Accersit enim Tryballos, Gręcorumq; optimates in regni curã adhibitos sibi concilians, effecit ut nemo amplius Græcorum, Europæ accessu Turcos prohiberet. Tunc tẽporis capta est Prusa, quã fame domitã in ditionem redegit Otomanus. In potestatẽ uenerunt & alia Asiæ oppida, unde maxima Turcis per uniuersam Asiam accessit potentia: transgressiq; in Europã, Thraciam grauissimè adflixerũt. † Chatites autem, qui à Græcis in præsidiũ, quod Chersonesum tutabatur, erat cõpulsus, uocauit Turcos ex Asia: & Grę cos accedentes fortiter sustinuit: nec non ad multam Thraciæ regionem progressus, prędas agebat. Adductis uerò duce Tryballorum, & ijs qui modò ab Italia aduenerant, præsidium Chersonesi terra mariq; oppugnari cœptũ est. At Turci cum uiribus nequaquam pugnarẽt paribus, nocte intempesta profugerunt in Asiã inscijs hostibus. Veruntamen Græci parum benignè tracta runt transfugas Turcorum duces, & Azatinam, quo sibi maiore beneuolentia deuincirent eos quos ab Italia & Taracone asciuerant, ut suppetias ferrent contra Turcorum regem Orchanem, qui exercitum Philadelphię admouerat. Præterea ad occupandum Calliopolis præsidium in Chersoneso, Ta-

Regis Ianuæ dicuntur custodes corporis.

Alij legunt, Chalides.

raconenſes & Itali, additis Azatina, & cęteris Turcorũ transfugis, urbem aggredi nitebantur. Vt autem incœptum eorum patefactũ eſt oppidanis, (nam à quodam Græcis, qui in ea urbe erant, ſignificatum eſt) per Thraciam, ab urbe digreſſi, ibant. Profecti præter Rhodopen, uenerunt Caſſandriam, antiquitùs Pydnam dictam. Turci, qui comitabantur Azatinam, uenerunt ad Tryballorum regem. At hi, qui confugerãt in Aſiam, bellum redintegrare uolentes, & itinere pedeſtri in Cherſoneſum reuerſi, cogitabant quoquo modo poſſent, redire in Aſiam. Etiam quibuſdam in locis fœdera cum Græcis conglutinarunt. Cum autem Græci iis inſidias tenderent, uolentes eos capere, fuga euaſerunt in præſidium Cherſoneſi, & denuò Græcis plurima inferebant damna. Itali & Heſperij luſtrata Macedonia & Theſſalia, cũ ingreſſi eſſent fines Bœotiæ, eam regionem occuparunt. Thebas quoque diripuerunt. cuius direptionis cauſſa extitit ducis imprudentia, qui cum timidos & imbelles crederet hos, quaſi omnes in ſuam poteſtatem redacturus, ferox eos adoriebatur. At Itali & Heſperij, locum illum fodientes, & aquam multam in foſſas admittentes, effecerũt ut locus ille equeſtri pugnæ minus eſſet opportunus. Dux igitur magno equitatu in illos irrumpens, quaſi primo impetu hoſtes deuicturus, in maximum periculũ cum ſuis præcipitatus eſt, cum equi ſolo cohęrerẽt inſtabili. Taraconenſes ingerentes tragulas & ſagittas, torquẽtesq; miſſilia, plurimos Bœotorũ eo loci neci dederunt: hinc aduerſus urbem profecti, captam deprædati ſunt. qui tandem redeuntes in Italiam, domos remearunt. Græci cum rege ſuo Andronico, cum parum dextrè Turcos transfugas, nec non eos qui ab Italia ferendi auxilij gratia aduenerant, fouiſſent, præter opinionem, etiam hos ſibi inimicos ex amicis & auxiliaribus fecere. Græcorum autem nobiles cum profuſioribus largitionibus in ſe conuerterent reguli, regni reditus uniuerſos exhauſerunt, nullo interim exercitu comparato, nec peregrinis militibus cõductis, cum etiam negligerẽt hoſtes ſuis finibus arcere. Nũc undè digreſſus ſum, reuertor. Otomanus, Orthogulis filius, ſubacta Græcorũ Aſiam incolentium regione penè uniuerſa, irruit in Niceã & Philadelphiam, quam haud tamen ſuæ ditioni admouit. Turcos quoque qui Homurã ſequebantur, inimicitijs permotus, bello petijt. Regnans autem Pruſæ, quæ regni ſedes erat, expirauit, relictis liberis, & regione ampliſſima. Defuncto Otomano, filius eius natu minimus, præoccupatis animis eorum qui in arctiſſimam patris admittebant amicitiam, eos ſibi familiares & quàm maximè opportunos tenuit. Ex quibus quamprimum accepit Otomanũ iam (ut ferunt) in ſenectutis limine conſtitutum, obijſſe mortem, fratres illicò fugiens, proripuit ſe ad Olympum Myſiæ montem. Cum iter faceret, incidit in multa equorum armenta, quæ partitur in uiros, qui ad ſe in montẽ concurrerant. Deſcendentes autem de monte in loca ſubiecta, poteſtatem ipſis rapiendi dedit quæcunque nacti fuiſſent. Etiam urbem, cum adhuc uerſaretur in Olympo, expugnatam diripuit. Fratribus autem ſuis inteſtino bello ardentibus, & utrumq; maxima parte hominum frequentante, cum accepiſſet eos longo interuallo à ſe diuiſos caſtra poſuiſſe, cum ſuis de monte diſcedẽs, ſingulos ſeorſim aggrediẽ. Interemptiſq; uictiſq; ambobus fratribus ſuis, ipſus ad regiam dignitatem emerſit. Ego autem experimentis cognoui, Turcos non in hunc modum ſentire de fratribus iſtis, uerùm iſta eueniſſe ferunt ſub Oguziorũ ducibus. Orchanes ubi regni adminiſtrationem ſuſcepit, uniuerſam Lydiã imperio ſuo addidit, Græciſq; in Aſia morãtibus bellum indixit. Plurimaq; Græcorum oppida in ditionẽ accepit eo tẽpore quo Byzantij reges & Tryballi in Thracia, & Myſij maximo flagrabant inter ſeſe bello. Poſthęc in Cappadociã bellum tranſtulit: ſubactiſq; oppidulis quibuſdã, exercitus ad Nicæam Bithyniæ urbẽ mouit, eãq; oppugnare cepit. Vt nunciatũ eſt Græcorũ regi, Nicæã obſideri,

A obsideri,& oppidanos,nisi propere auxilium mittat,ad barbarũ defecturos, conscribit exercitum,& regni curæ se immiscens, uidebatur nõ neglecturus Nicæam, uerùm fortiter defensurus,non tam barbari odio stimulatus, quàm solicitus ne tantam urbem amitteret. Hic igitur,quemadmodum & alij multi fecerunt, regiam dignitatem aspernatus est, quamuis Nicæam de manu hostium sese uindicaturum adfirmaret:uerùm Græcos aduersus auum incitans, rerum nouarum auidus, Michaelem Mysiorũ ducem in belli societatem recipiens, cum ipso affinitatem iunxit, in matrimonium ei collocans suam sororem,cum iam antè duxisset sororem Tryballorum regis. Hinc ira percitus Tryballus, arma arripit,habens secum Michaelis patruelem Alexandrũ. Victo igitur Michaele,ne sineret cõtumeliã sibi à Michaele factã abire inultam, Alexandrũ Michaelis patruelẽ regno præficit. Cum aũt & in Græcos eius cõtumeliæ culpam transferret,etiam hos bello uexauit:oppidulisq; aliquot captis,exercitũ domum abduxit. Tandem fœdera pepigerunt,quibus tenebat, ut inter se & amici & hospites in posterum sint. Post hæc ad regem Græcorũ fama perlatũ est satis constanti, Orchanẽ incursionem fecisse in Bithyniæ regionem:captisq; mancipijs plurimis,obsidione Niceã cinxisse,murũq; eius hostili animo quatere. Rex Græcorũ cõparato exercitu in Asiam trãsuectus, obsidione circumuẽtis auxiliares porrigere nitebat manus. Quod ut primũ rumore ad Orchanem perlatũ est, instructo agmine Græcis obuiã procedit. Cum aũt uenisset Philocrinã, offendit regem Græcorũ ibi castris fixis morantem. Nec mora, prælium committit:in quo rex accepto in pedem uulnere,reliquiq; Græci non pauci uulneribus cõfecti, statuerunt intrare Philocrinam, ut uulnerati lassiq; paululũ reficerent. Nec tamen citra pugnã eò uenire quiuerunt. Barbari enim eos circumuentos à tergo adorti, acerrimè instantes ma-
B gna clade affecerunt:reliquos in urbem fugatos, obsidione premebant. Vrbs illa cum foret maritima, & obsidione non posset in potestatem hostium redigi, Orchanes ab ea discedens, copias suas Nicæam reduxit. quam cum obsidione aliquandiu adflixisset,tandem pactionib.in deditionẽ accipit. In hunc modum Orchanes Nicæa potius est. Bellum deinde in Philadelphiã uertit, quam acerrimè ab auxiliaribus defensam sui iuris facere nequiuit. Sub idem tempus cum iratus esset quibusdã in Asia degentibus satrapis, quosdam eorum sibi associans,reliquos debellauit. Tẽpore deinde multo interiecto,Cantacuzeni Græcorũ regis filiã uxorẽ ducit. Quæ affinitas ubi intercessit, pax inter Græcos & Turcos facta est:belloq; Phrygię satrapas,cum discordia interuenisset, persequebat. Andronicus Græcorũ rex cum moreretur, reliquit filium natũ annos duodecim: tutorem ei assignauit Cãtacuzenũ,uirum opulentum,magnaq; potentia subnixum, ut puerum tutaretur, & curaret ad eam usq; ætatem,quę regno gubernando habilis foret. Huius in fidem puerum regnumq; tradidit, iureiurando eq; eum obstinxit, ut sine dolo in administratione regni,educationeq; pueri uersaretur,quo ipsum nihil iniuriarum à se expertum tandem regno Græcorũ præficeret. Vt aũt rex excessit è uiuis,non multo pòst urgentib. & opitulantibus Græcis, tutor ad regni curam allectus est, puerum tamen nulla iniuria affecit. Verum cum eum affinẽ sibi fecisset,ut imbellem contemptui habuit,spem omnem in Græcis,quantum ad regnum retinendum attinebat, ponendo. At Cantacuzenus cum pupillum regno priuasset,Orchanemq; data in uxorem filia affinem asciuisset,eum & amicissimũ & familiarissimũ in posterum expertus est. Orchanes cum regnasset annos* mortem obijt, relictis filijs Sulaimane & Amurata. Sulaimanes, inito regno, arma contra Græcos cæpit. Captis igitur mancipijs quàm plurimis ex ea Græcorum regione, quam in Asia possidebant, etiam in Europam traiecit, hortantibus & instigantibus ijs Turcis, qui antè cum Chatite

Numerus annorum omissus est.

in Europam transierant. Hi edocebant profectionem, qua commodissimè in A
Europā ueniretur. Præterea narrabant, Europæ regionem esse amœnissimā, captuq; facilē. Transmisso itaq; exercitu haud magno, Chersonesum populati sunt: deuictis q; oppidulis quibusdā, præsidioq; Chersonesi Madytoq; domitis, irruerunt in Thraciam, progressi usq; ad flumen Tearum, mancipijs plurimis in Asiam traiectis, quæ belli iure obuenerant. Turci, qui in Asia remanserant, cum hęc audiuissent, illico in Europam contenderunt ad Sulaimanem, & maxima breui hominum multitudo in Chersonesum ad ipsum confluebat undiq; ex Asia: & eò loci agriculturæ operam dabant, agris suis in Asia parcentes. Deinde rex Græcorum legatis missis, cum Sulaimane Orchanis filio pacem fecit, amicosq; & hospites in futurum se mutuò fore testati sunt: & coniunctis copijs bellum in Tryballos transtulerunt. Quidam perhibent, adhuc superstite Orchane, Sulaimanē filium transiisse in Europā, accersitum aduersus Tryballos ab Græcorum rege. Tryballi autem eo, quem trademus, modo ad Europæ imperium deuenerunt. Stephanus Tryballorum rex profectus ab ea regione, quæ uersus Ionium patet, igne incendijsq; plurimis Epidamni regionem deuastans, etiam Epidamnum subegit: & hinc in Macedoniam exercitus duxit, Scopiorumq; urbem regni sedem declarauit. Fuerunt autem isti, quantum cōijcere licet ex profectione eorum, qua delati sunt ad Europæ imperium, genus Illyriorū, qui progressi ab occidentali uersus Ionium regione, uenerunt ad Scopiorum urbem, lingua etiamnum nō dissimili utentes. Istud Illyricorū genus, cum longè lateq; teneret mare Ionium, etiam Venetos attigit. Reliqui ab ijs segregati, per Europam dispersi sunt, etiam hodie non multum lingua moribusq; & uictus ratione abhorrentes. Constat itaq;, eorum sententiā haud ueritate niti, qui pronunciāt Illyrios esse eos quos Albanos nominamus. Ne quidē principiū eius sermonis admitto, qui astruere B
conatur, Albanos esse Illyrici generis. Quòd autem & Albani ab Epidamno prodeuntes, in Europæ regionē maritimā, quæ Orientem respicit, uenerint, Aetolia, Acarnania, nec non magna Macedonum regionis parte subacta, ibi habitarint, etiam ipse noui, multis cōiecturis eò deductus, multisq; super ea re auditis. An uerò ab Iapygia iter facientes (ut quidam censent) in Epidamnū transierint, & hinc in eam regionem, quam tandem subiecere, peruenerint, siue cum essent finitimi Illyricis Epidamnum colentibus, accedentes paulatim regionem Epidamni, quà in Orientem patet, occupauerint, nescio qua ratione quàm ueriſsimè assequar. At nos explanabimus ut utraque hæc hominū genera, Tryballi & Albani egressi ab ea regione quæ spectat Ioniū, transierint per regionem Europæ, quæ in Orientem uergit, ibi' que habitauerint, nec modicas regiones suo imperio adiecerint, uersus Occidentem iter instituentes: cum etiam propemodum ad Euxinū mare accesserint, Istrum & Thessaliam adierint. Quę omnia in hunc modum euenerunt. Rex horum digrediens ab urbe Scopiorū, munitus uiris rei militaris peritissimis, & ualidissimo exercitu, loca Castorię finitima in ditionē redegit. Motis deinde castris in Macedoniam, præter Thermam omnia subiugans, bellum ad Sauum usq; promouit: & in Istria res pręclarè gerens, uniuersa ea potiebatur regione. Dispositis dein per Europā uiris, ubi necesse erat, fidissimis, in magnam adoleuit potentiam. Etiam Græcos bello aggressus est, ut ipsorum regnū destrueret. Emisso itaq; equitatu in loca Byzantio ppinqua, cum ea grauiter afflixisset, abibat. Græci ab hoc sibi extrema timebāt, cum regnū per incuriā periret, Andronicusq; senior rex dissolutiori uictui se mācipasset, Græci nullū cōtra illū pugnandi inibāt consiliū: uerùm omnis salutis spes in mœnib. defensandis sita erat. Iter dehinc intēdens in Aetoliā, Ioānitarū urbē suo imperio adiūxit. Macedoniā, quà finitima est Axio flumini, cōmisit Zarco, uiro apud ipsū digni-

A dignitate primario. Eam regionis partem quæ à Pherris tendit usq; ad Axiũ flumen, Pogdano tribuit, uiro bono, & rei militaris peritissimo. Regionem quæ à Pherris excurrit ad Istrum, † Chrati & Vngleſi fratribus cõcessit, quorum alter regius pocillator, alter regiorũ equorum curator erat. Regionem Istro adiacentem nactus est, contribuente rege, Bulcus Eleazarus, Pranci filius. Trica et Castoria obuenere Nicolao Zupano. Aetolia decreta est Priulupi. Ochridem & regionẽ Prilisbæã dictã, Pladicę uiro haud ignobili regendam dedit. Commemoratos modò uiros accepimus Europæ regionib. prę fectos esse à rege Stepano: qui ubi exhalauit animã, singuli suas regiones, quas à uiuo gubernandas acceperant, retinuere: fœderibusq; inter sese ictis, à se mutuo bello abstinuerunt. Græcis uerò, ut cuiq; opportunum erat, admodum bellicis armis molesti erant. Michaelem Mysiorũ ducem, qui imperauit locis Istro subiectis, & regni sui sedem Trinabum constituit, Stepano antiquiorem extitisse audiui: præterea Bulgaros, quos Mysios uocamus, ibi sedes tenuisse accepi: Seruios autem & Tryballos à se discretos, tãdem ad istud nomen emersisse. Vtraq; ista genera hominũ cum diuersa sint, non ad unum referenda sunt. Vt autem singuli isti populi regno suo à barbaris sunt exacti, ipsiq; prorsus interciderint, in sequentibus exponẽ. Sulaimanes cum Chersonesi urbes, præter Calliopolim, subegisset omnes, profectus est cum exercitu aduersus Thraciam, ut & hanc suam faceret. Cum autem pacem fecisset cum Græcis, expeditionem suscepit contra † Chratem & Vngleſem Trybal lorum duces, qui Græcis admodũ intolerandi erãt, feroces, & bellicosi. Qui ubi resciuerunt Sulaimanem processisse in Europã, regionem ipsorũ in Græcia sitam uastare, prædasq; nemini parcentem confertim agere, copias & ipsi suas aduersus Turcos duxerunt: consertisq; manibus, uictores prælio abie
B runt, plurimis prima coitione interfectis. Deinde certiores redditi, Turcorũ res usq; augeri, sibiq; tandẽ intolerabiles fore, cũ plurimi Turci usq; ex Asia ad Sulaimanẽ concurrant, Europęasq; urbes obsidione urgeant, his excitis, uterq; in mediterranea Thraciæ pergit, & copias parat. Vngleſes à Pherris, ubi regia erat, in Turcos progreditur, Chrates autem, prędicti frater, copijs plurimis contractis, ad fratrem per mediterranea Thraciæ commeat, communi consilio iunctisq; uiribus bellum Turcis illaturi. Sub idem tempus Sulaimanes oppidulum oppugnabat ad Tæarum fluuium situm, distans à † Calliopoli stadijs circiter septuaginta, plurimis tentorijs, quæ eò aduexerat, per circuitum fixis, in quibus Scythæ Turciq;, quotquot pastoralem uitam sequuntur, quàm suauissimè degũt: assidensq; urbi, intentus oppugnationi insistebat. Studio expugnandæ urbis adstrictus, accipit hostium aduentum. Deligit igitur ex suis octingentos uiros, nocturnisq; itineribus prima aurora ad hostium castra peruenit. Eos deprehendit nec solitas uigilias obeuntes, laxatisq; custodijs affusos Tęaro fluuio prębenti aquam potu quidem † pessimã, eandem uerò & saluberrimam. Aestatis tempus erat, quo nec arma, nec equos perinde curabant, putantes se planissimè ab hostium incursionibus securos & tutos. Hos nec opinantes, & in Cermiani regione in luxuriam effusos, altaq; quiete sopitos, Sulaimanes stipatus octingentis militib. delectis adorit, cædemq; maximam, impigrè obuios mactãdo, hostiũ fecit. Multi in flumen fuga prępropera delati, dubij quo nam se uerterẽt, ibi inter cunctandi moras occubuerunt. In hoc prælio desideratus est Vngleſes: etiam Chrates occisus est. Vtautem hic interierit, ignoratur. Hunc eius propinqui qui eum sanguine contingebãt, aliquandiu post pręlium istud uixisse credidere. Sulaimanes uictoria illa insigni & illustri clarus, facilè tandem etiam oppidulum, quod obsederat, suo imperio adijcit. Exercitus quoque Orestiadi, quam Hadrianopolim appellant, admouit. Circumsedit & Peridmetũ infestis exercitibus: aggressusq;

Alij, Chrali

Alij, Chralem.

Alij legunt, Hadrianopoli.

Alij legunt, optimam.

susq; murum, cœptis non succedebat. Cum autem ibi hæreret intentus obsi A
dioni urbis Sulaimanes, ferunt adolescentem quendam clàm solitum egredi
urbe per rimam quandam muri, ad demetendum frumentum. Deinde fru-
mento onustus, per eundem locum in urbem remeabat. Cumq; hoc frequen-
ter faceret, tandem uisus est à milite quodam Turco, ibi stipendia faciente.
Turcus autem animaduertens, qua muri parte intrare adolescens solitus erat,
à tergo eum sequutus est, tentaturus si per eam rimam in urbem sibi patêret
aditus. Vrbem itaq; ingressus est. quo facto, rediit in castra ad Sulaimanem, a-
ctaq; edocet. Sulaimanes igitur eductis in aciem copijs, ad urbem accessit. in
quam cum irrepsisset, duce Turco, qui rimã inuenerat muri, illicò eius domi-
nium nactus est. Postea promotis castris † Philopolim obsidet: quæ tandem
Alij legunt, Philippopolim.
pactionibus in eius fidem traditur. Ferunt, hũc regem habuisse uirum rei mi
litaris perquàm gnarum, quo nullus fuerit superior incursionibus faciendis,
bellisq; gerundis. Pręterea aiunt, ad tantam potentiam eum hac ex causa ue-
nisse, quòd summa celeritate in rebus gerendis uteretur. Sulaimanes morbo im
plicatus est. hinc festinabat in Asiam. morbo tandem ingrauescente, moritur.
Moriẽs præcepit suis, ut corpus sepelirẽt in Chersonesi Isthmo, ubi antea cõ
tigerat filium suum fato fungi: & magnificè sepulturæ tradi ordinauit: & red-
ditus sacerdotibus, qui eò loci erant, ut celebrarent nocturnos ludos ad sepul
chrum, seq; filij sepulturæ iungi uoluit. Cum iam animam efflasset, Orchanis
filius Amurata, Sulaimanis frater, re cognita, peregrinos & reliquos Ianuarũ
milites assumens, in Europam traiecit: exercitusq; omnes qui ibi erant, acce-
pit. Hinc contendẽs Hadrianopolim, eam sibi regni sedem designauit. Re-
bus ita compositis, incursionem in Macedoniæ mediterraneã regionem fe-
cit: breuiq; captis mancipijs plurimis, & alia præda, milites suos admodum
opulentos reddidit. Turcos, qui eum lucrandi animo comitabantur, manci- B
pijs & iumentis Græcorum & Mysiorum, quæ belli iure obuenerant, libe-
ralissimè donat. Ferunt Sulaimanem, postquàm nunciatum erat Tryballorũ
& Mysiorum copias aduersum se pergere, colloquutũ cum Græcis, si nume
rarent sibi sexaginta millia drachmarũ, uelle se restituere Græcis quæcunq;
in Thracia ipsorũ cępisset oppida: & relicta Europa, discessurũ in Asiã. Hũc
cum Græci audissent suas in Thracia obsidere urbes, promptissimis quidem
animis prędictam conditionem accepissent: at cum maximus terræ motus ac-
cidisset, oppidorumq; muri procidissent, Turci accedentes armati, urbes plu-
rimas, etiam Græcorum, in ditionem suam redegere: nec amplius tales obtu
lere conditiones Græcis, uerùm Europam obtinuerunt. Post hæc bellum
auertit in Mysios et Tryballos. Tryballos autem gentem esse totius urbis an
tiquissimam & maximã, compertum habeo. Appulerunt in hanc regionem,
siue (uariant enim auctores) diuisi ab Illyrijs: siue, ut quorundã sententia est,
ab ea regione quę ultra Istrũ in extrema Europa est, & à Croacia Prussijsq; Se
ptentrionale mare accolentibus: nec non à Sarmatia, quam hodie Russiam uo
cant, ppter suæ regionis frigus inuictũ profecti, Istrumq; transgressi, in regio
nem Ionio affusam penetrarunt. ubi quoq; habitarunt, cum armis eam regio-
nem, quæ Venetos spectat, subegissent. Si autem quis contrariã sequatur sen-
tentiam, quasi è regione uersus Ionium uergente digressi, Istroq; superato, in
illam accesserint, unde eos antea prodijsse diximus, regionem, haud quidem
contendero, nec tamen eam tutò arripere audeo. Attamen scio, quamuis popu
li isti nominibus sint discreti, non tamen moribus quicquam inter se differe-
runt: idem linguæ usus ijsdem etiam hodie est. Dispersi hinc inde, domicilia
per totam habuere Europam, incolentibus quibusdam de illo grege Pelo-
ponnesi regionem Laconicam, quà patet ad montem Taygetum, & ad Tæ-
narum, ubi etiam habitauit à Dacia ad Pindum usque montem, in Thessa-

liam

A liam se proiscientem alius quidam populus, utrisque nomen fuit Brachi. Nec tamen scio, utrum in Epiros commigrasse asseuerem. Haud me fugit, Tryballos, Mysios, † Illyrios, Polonos, & Sarmatas, eadem interse lingua uti. Si igitur hinc coniecturam facere licet, existimo omnes istos, unum hominũ esse genus, nec diuersum. Vt aũt tandẽ in diuersos abierint mores, & in alias concesserint regiones, à nullo accepi, ut certũ quid de ijs præsenti historiæ inserere ausim. Vltra citraq; Istrũ colunt, longè lateq; regnantes. Itaq;, mea quidem sententia, magis uerisimile uidetur, hoc hominum genus uarijs fortunæ procellis iactatũ, Ionij regionem insedisse: traiectoq; Istro, ibi sedes fixisse: ibidemq; potius habitasse, quàm inde discedentes, adierint ad eum orbis terrarum tractũ, qui propemodũ inhabitabilis sit hominibus. Illi itaq;, siue necessitate, siue uoluntate tracti, ad sui defensionem seorsim à reliquis segregati habitare instituerunt, ut uidere est magis coniectanti, quàm ueritatem rei pronuncianti. At hac sitam esse superiorem & inferiorem Mysiam, non eam regionem rectè dici, quæ supra Istrum, uerùm quæ ultra Istrum colitur: nec etiam inferior Mysia nuncupatur regio quæ Istro subiecta est. Ad istam regionem Istri, quæ ad Italiam usq; se porrigit, Bulgaros, quos inferioris Mysiæ incolas perhibent, & Græcam linguã callere aiunt, scio peruenisse à Bydena urbe usq; ad Euxinũ põtum, Trinabũ urbem regni sui sedem decernentes. Hos quidem Alexãder, quem Seruiæ Tryballorũq; dux Chrates regno præfecit, imperio rexit, donec moreretẽ, superstite filio Susmano, qui in paternum succesit regnũ. Hunc bello aggressus est Amurates, Orchanis soboles. Postquam aũt castra in Tryballos mouit, eos prælio uicit. Pherrasq; urbem opulentam in potestatẽ redegit, & loca Rhodopen spectantia in ditionem accepit: maximaq; uirtutis militaris patrabat opera. Saini uiro optimo cum cõ
B misisset Pherras urbem, aduersus Susmanũ Mysiæ regem arma cæpit. Tandem cum Mysijs manus conseruit, quorum interfecit paucos, cum fuga cuasissent inuiolati ad loca Istro proxima. Susmanus inde legatis missis ad Amuratem, qui pacem oraret, fœdere icto in societatẽ acceptus est, ut deinceps hospes & amicus Amurati foret. Hinc & affinis Amurati factus est, data in uxorem filia sua forma excellente, ex Braide, quam uxorem uulneratus duxerat, prognatam: alteram connubio iunxerat Græcorũ regi. qui cum regno expulisset Cantacuzenum, ipse Græcorum gubernauit pueros. Cantacuzenus cum Græcorum regno præfuisset, habens filios duos, Emanuelem natu minorem misit in Peloponnesum, ut esset dux Mizithręi natu uerò maiorem, Græcorum regem esse iubet. Ioannes autem Andronici filius, cum iam eam attigisset ętatem, quæ rebus gerendis idonea erat, conspiratione facta cum Græcis, rogauit ut regno præficeretur. Eodem autem tempore rex in Macedonia agebat, luxuriosiore uictu & intemperantiore dissolutus. Græci indignantes propter uictus rationem dissolutiorem, & conuicia regi facientes, ut quisq; habebat quod crimini uerteret, Ioannem Andronici filium in Macedoniam abductum communi assensu applausuq; regem designant. Inito regno Cantacuzenũ in Nazarẽorũ ordinem transtulit, quem mutato nomine Matthẽũ appellauit. Huius senior filius, quem pater Græcis regem destinarat, in Rhodum nauigat, petiturus à sacerdote summo, qui insulam regebat, auxiliũ, quo adiutus recuperaret amissum regnum. Multis autem nequicq; pertentatis, quibus in suas partes sacerdotem pelliceret, ut spem auxilij affulgere uidit nullam, ad fratrem suum iuniorem Emanuelem in Pelopõnesum Spartę ducem iter flexit: apud quem uitę cõsuetudinẽ & necessaria habuit. Ioannes cum Amurate in Europam transgresso societatẽ contraxit, filioq; suo Andronico Mysiorũ regis filiam uxorem dat: ex qua duos sustulit filios. Andronicus quidem natu maximus, Demetrius uerò & Emanuel natu minores erant. Theodorus aũt

Alij addunt, Croactos.

sequebatur

sequebatur Amuratem, quocunq; bellum auertisset. Reliqui, quos modò di- A
ximus, uectigales & stipendiarij erant Amuratis, ipsumq; comitari cogeban
tur, cõtra quoscunq; expeditionem suscepisset. His ita compositis, exercitum
contra Dragasem Zarci ducem mouit, regionemq; iuxta flumen Axium do
muit, sibiq; tributariam belliq; sociam effecit. Ducem quoq; in potestatem
accepit, quem sub se stipendia facere iussit, equitum imperata manu non mo-
dica. His præclarè gestis, etiam Pogdanũ eò loci regnãtem debellauit: quem
sub se merere cum exercitu, quem habuerat, uoluit. Amurates autem per o-
mnia imitatus æquitatem Cyri Cambysis filij, maxima modestia & liberta-
te tractabat duces Tryballorum, & Mysiorum, Græcorumq;, qui in suam po
testatem concesserant. Cum moratus esset longo tempore in Europa bello ad-
strictus, nunciatur suos in Asia præfectos coniuratione facta Asianos solici-
tare ad defectionem, plurimãq; regionem iam ab Amurate auertisse: conscri-
ptisq; exercitibus, Asię statũ quàm maximè conturbare, oppida quædam ca-
pientes, quædam uerò oppugnantes non cessare. Quam primũ hæc certò ac-
cepit, transitũ in Asiam parat: suosq; ita instruit, ut hostes quàm potentissimè
contundere & profligare posset. Cum hos deprehendisset in Mysia castra col
locasse, copijs in aciem eductis, tale excogitauit, ut qui esset summa rei milita
ris scientia præditus, stratagema. Dicitur enim, cum æstatis esset tempus fer
uidissimum, Etesias uentos ab occidente spirare. Ibi autem suorum ordines
ita disposuit, ut uentum à tergo haberent præliantes. Hinc princeps prælium
ineibat, ubi hostiũ acies erat cõfertissima, irruens, & quàm fortissimè pugnãs.
Cum aũt prælio utrinq; æquo Marte ferueret, ipse in editiorem tumulum con
scendens, uoce q̃ potuit maxima suos in hũc modum allocutus est: O cõmi
litones mei, filij dilectissimi, nõ subit animos quanta pericula in Europa mul
torũ annorũ durissima militia perpessi sitis? Quid ceditis? an nescitis omnia B
in uestra fore potestate, illis superatis? Agite igitur, prõptis animis me sequa-
mini. Quod si cunctati fueritis, hostes nos uincent. Hæc loquutus, admisit
equum in hostem, & in confertissimos hostiũ cuneos se coniecit, acerrimè prę
liãs: cõfestimq; ut prædixerat, uentus exortus est, & in hostiũ faciem se fudit.
Hinc cum mutua hortatione aduersum hostes ꝓcederent, maximoq; impetu
eos adorirent̃, primũ eos in fugã cõiecerunt, et insequentes plurimos trucida
runt. Ferũ, maximã exercitus sui partẽ ibi interciditisse. Hostes aũt fuga sibi cõ
sulentes, singuli ad sua disperssi sunt. Hinc cum legatos misissent ad Amuratẽ,
petitum pacem, haud passi sunt repulsam. Hac tamen cõditione pax data est,
ut se, quo cũq; exercitus mouisset, impigrè sequerent̃. Vt aũt pax cũ Turcis in
Asia facta est, etiã res in Europa interturbatæ sunt. Sauzes natu maximus fi-
liorũ Amuratis in Europa relictus est, ut eam defenderet; & si qua seditio co
orta esset, aut periculi q̃d ingrueret, curaret ut Europę res in tuto collocarent̃.
Hic seditionẽ excitauit, cõcilians Greçorũ nobiliũ in Europa animos. Cum
uenisset colloquendi gratia ad Græcorũ regis filium seniorẽ Andronicũ, cui
Byzantiũ regniq; curã mandarat pater, cũ proficisceret̃ cũ Amurate in Asiã
aduersus duces isthic seditiosos, tandem eò deducti sunt, ut uterq; à patre de-
ficeret suo, paternumq; regnũ teneret, eundẽq; & hostẽ & amicum ducerent,
quem alter iussisset: præterea si quid ingruat, alter alteri auxilio esse ne cun-
ctaret̃. Hęc cũ ipsis uisa essent, q̃ maiorib. animis obseruarent̃, maioreq; fide
colerent̃, iurisiurandi religio utrinq; interposita est. quib. expeditis, q̃ com
modissimè ex aperto pręparabant̃ obsistere Amurati, si in Europã transireco
naret̃. Vbi de istis certior factus est Amurates, aduocato Ioanne rege Byzã
tij, huiuscemodi exorsus est orationẽ: Rex Greçorũ, mihi nuper à fide dignis-
simis in Europa nũciatũ est, Sauzẽ filiũ meũ à filio tuo coactũ instituere, ad ex
tremã me deuoluere miseriã. qua ratione igitur fieri posset, ut incõscijs uobis

ad tantam

A ad tantam deuenerint dementiam, ut non solum meus filius tàm impia aggrediatur, uerùm tuus accedat auxiliator & adiutor. Absq; tuo consilio hæc parari, quo pacto cogitare possum? Verùm si pœnas exegeris de filio tuo, quas ego dictauero, certò scibo te inscio & inuito ista contigisse. Sin autem alia tibi quàm mihi placuerit puniendi filij sententia, scito harum turbarum culpam omnem me in te translaturum. Cui Græcorum rex respondet: Nequaquam, ô rex, hanc culpam uerè in me reijcies. Nam si nunc mihi daretur filius ille meus, quem ais adeò impia in te patrare, sanè cogniturus esses liquidò, quàm ardentissimis studijs te tuumq; regnum complecterer. Sin autem mihi animaduertendi in filium negocium iniunxeris, ne me adeò dementem fore existimes, ut quicquam gratia repressus, de pœnæ seueritate remittam: præsertim cum is puniendus sit, qui tibiq; mihiq; inimicissimus & infestissimus est. Rex dicendi cum finem fecisset, placuit ut uterq; parens suum filium simili pœna, cum crimen utriusq; simile foret, feriret. Pœna autem erat constituta, uidelicet ut utriusq; oculi eruerẽtur. Hęc ubi sunt decreta, copijs quàm potuit maximis succinctus, festinauit in Europam. Quibus transuectis in Europam, summo studio cõtendit aduersus filium in eum locum, ubi eum cum Græcorum regis filio castra communiuisse acceperat. Qui quidem coacto in Europa exercitu, castra metati sunt in Byzantij quodam loco, Apicridium dicto: quò sanè congregatos esse constabat Græcos, & optimos quosque ex Europa. Ibidem iuxta torrentem quẽdam, quo quasi uallo muniebatur, castra locauit Sauzes Amuratis filius, patris aduentum expectaturus. Amurates cum exploratum haberet, filium suum, additis Græcis, in prædicto loco castra posuisse, composito agmine accedit, præliaturus cum hoste. Cum autem prælium prohiberet torrẽs, etiam ipse torrenti castra imposuit. Fama est, GręB corum quosdam congressos cum Amuratis militibus, eos fudisse. Deinde cum cognouisset locum istum ad prælium committendum minus esse opportunum, noctu profectus, è re regione castrorum hostilium, ad oram torrentis quàm proximè ad hostium castra accedit. Hinc cum facilè exaudiri posset, sublata uoce singulos nominatim inclamauit, quorũ egregia facta locis temporibusq; notata, oratione secunda extollebat. Deinde cum singulos satis collaudasset, equo transijt torrentem, & talem orationem habuisse fertur: Viri heroes, quò fugitis, relicto me, patre uestro? Quare præceptoris uestri disciplinam abijcientes, ad filium meum conuertimini desertorem? Qui ubi primùm captus in meas uenerit manus, tergo suo pœnas pendet. Nam flagellis cædetur, si modò id per uos mihi licuerit: nec quicquam mali aliud adolescentis perpetietur corpus. Sin autem spreta hac sententia mecum uolueritis decernere ferro, pro certo habetote, uos ad summã abituros miseriã, nec meam bonitatem unquam experturos. Agite ergo, ad nos transite, nihil mali suspicantes. Nec ob nostræ uirtutis reuerentiam, nec etiã propter filij flagellationem, ad me confluere erubueritis. Iuro per eum, cuius ope ad istud insigne imperiũ conscendi, me nihil mali cuiquam uestrũm illaturum. Fama est, Sauzis milites his auditis nonnihil confusos uoce regis, quæ erat clarissima, sibi quę timuisse malè, uirtutem eius & fortunam optimè callentes. Attamen persuasi auctoritate dicentis, cum inter se multum essent collocuti, nocte ea quæ insequebatur, castra deserũt: & quò cuiq; opportunum uidebatur, eò dirigebat gressum. Plurimi cum Amuratis castra intrassent, deprecati sunt culpam, factum excusantes, se non sponte, uerùm necessitate circundatos, castra Sauzis esse sequutos. Sauzes ubi intellexit milites suos è castris aufugisse, nec non illos, quos sibi fidissimos & deditissimos iudicabat, abijsse, concessit Demotychum. Sequuti sunt eum Græcorum filij: quorum auxilio subnixus, res quàm animosissimè gerebat. Amurates comperto filij discessu, è uesti-

gio insequutus est, urbemq; obsidione circũ dedit. Illi qui erant cum Sauze, A
fame oppugnati, cum antea nullum frumentum in arcem congessissent, semet
fidei Amuratis sine pactionibus tradidere. Amurates cum urbem fame e-
nectam accepisset, etiã Sauzem filium cępit: quem oculis priuari iussit. Grę-
cos autem reliquos ex urbe uinctos, præcipites in flumen subiectum deijci
imperauit. Castris iuxta flumen fixis, spectabat optimates Grẹcorum ut prę-
cipitarentur ex urbe, nunc bini, deinde & terni. Studio deinde spectandi ad-
dictus, cum interuenisset ex improuiso lepus à canib. agitatus, fertur cachin-
num sustulisse. Posthæc parentibus eorum qui se iunxerant Sauzi seditio-
nem concitanti, præcepit ut filios necarent suis manibus. Patres duo fuere,
qui noluere tam crudele exequi iussum. Hinc et ipsi trucidati sunt simul cum
filijs. Nam dicere solebat, nequaquam istos citra consilia parentum defecisse
ad Sauzem. Nunc autem cum fortuna utantur dubia, eos nutare in utramq;
partem. His ita expeditis, nũcium mittit ad Græcorũ regem, ut filium suum
plecteret, sicuti initiò conuenerat: qui infundens oculis eius acetum feruidũ,
uisum ei ademit. Talem finem isti bello imposuit. Postea cum Emanuel, re-
gis Græcorum filius, Macedoniæ Thermam, quam Thessalonicam nomi-
nant, regens, & auxiliũ nactus, deprehensus esset Pherris urbi insidias stru-
re, res que nouas contra Amuratem moliri, misso Charatine potentissimo ui-
ro, & militari scientia nulli postponendo, cui præcepit, ut Thermam occupa-
ret: nec reuerteretur, nisi adducẽs filium Ioannis regis uinctum. His quidem
Charatines efficiẽdis præcipuè intẽtus erat. Emanuel cum præsentiret urbem
non posse sustinere Charatinis uires, cum alioqui urbis res essent comminu-
tæ, nec quicquam boni præse ferrent (nam contumeliosius illum tractabant,
quàm fieri par erat, uiro maximè infensi.) quapropter animo agitabat quàm
ocyssime mari contendere ad patrem. Pater autem misso nuncio cum edixis- B
set, ut alió quàm ad se diuerteret, quasi eum non amplius excipere auderet, A-
muratis metu, statuit ire ad Amuratem, huncq; supplicijs fatigare, ut sibi ad-
missorum impunitatem concedat. Amurates cognito filium regis ad se ueni
re, eius admodum gauisus est generosa indole. Cui cum processisset, ut antea
consueuerat, obuiam, primò eum alloquutus est. Deinde paulisper silentium
tenentem, cum eum reprehendisset, renidenti ore sic loquutum esse, accepi-
mus: O' filí regis, iurè quidem conuinceris, quòd regioni nostræ, antea ue-
stræ, insidiatus sis: & quæcunque feceris, iustè te fecisse compertum habeo.
Nunc autem cum tibi præteritorũ ueniã impertiar, caue deinceps talia aduer
sus me meũq; regnum coneris. Mihi enim, & huius rei curatori DEO satis de
clarasti, te pessimum esse factum. Itaque ubi melior nunc factus fueris, etiam
res Europę sub uobis melius sunt habiturę. At ego, inquit ille, sciẽs DEVM
omnia quàm optimè agere, ad te ueni tot criminibus irretitus, rogaturus ue-
niam eorum quæ in te regnumq; impiè commisi. His dictis, ueniam dedit
Amurates, & ad patrem suum eum remittens, iussit ut filium cum bona gra-
tia susciperet. Qui imperata faciens, filium illico admittebat Byzantiũ. Cha-
ratines occupata Therma, & defectoribus in seruitutem redactis, plurimum
gloriæ inuenit apud Amuratem, cum anteà multum, nunc plurimum apud
eum polleret. Extant enim huius Charatinis plurima memoratu digna, ut qui
Amurati optima suggesserit consilia: & pleraq; egregia opera in Asia Euro-
paq; facta huius ex industria prouenere. Extant uiri huius sermones quidam
memoratu dignissimi, quos cum rege habuisse fertur, contendens cum eo su-
per illis quę ad prudentiam reiq; militaris scientiam attinent. Nam eum in-
terrogationem instituentem, dixisse memorant: Rex Amurates, quo pacto
res bellicę administrandę sunt, ut eo, quod desideras tuis copijs effici, potia-
re? Regem aiunt respõdisse: Si singulis occasionibus, ne aufugiant, diligẽter

fuero

A fuero intentus: prẽterea, si plurimis beneficijs militum animos mihi deuinxero. Charatinem subiecisse audio: At qua ratione occasiones non omiseris, præterea scopum tuæ militiæ attigeris? Regem intulisse: Si animo diligenter ueri similia, quæ ad scopum spectant, pensitauerim: & in istis quæ ad scopum faciunt, non aberrauero. Hinc tradunt, Charatinem in maximum effusum cachinnum, dixisse: Rex Amurates, plurima sapientia te instructum esse cerno. At quo pacto ueri similia diligenter animo expendas, nisi præsens utraque experimentis cognoueris, quæ fieri, quæque non fieri oporteat: Hęc in consultatione ut respuas, illa ut maxima cura deligas. Ista ubi præcesserint, significat etiam requiri celeritatem, quæ plurimum momenti ad res præclarè gerendas habet, ut nihil magis ducem quàm celeritatem & indefessam curam in agendo & consultando sectari oporteat. Præsens esse, ne negligat, ubicunque sua præsentia opus fuerit. Talia cum inter se conferrẽt sermocinantes, pronunciarunt sententias, quantum pertinere uidetur ad res gerendas, nequaquam inutiles. Amurates quócunque mouisset exercitus, statim metus aduersarijs oboriebatur. Hinc que accuratè loca sua muniebant. Vsus est opera Charatinis uiri optimi, qui in omnibus quæcunque rex facere aggredieba-
tur, operam suam locauit indefessam, regióq; maxima necessitudine deuinctus fuit. Adiutus ab isto uiro, non modica fecit, quæ tendebant ad subiugandum sibi Europæ imperium. Tot sibi subegit gentes, tot in Europa duces stipendium pendentes: præterea Græcorum gentes, quæ cogebantur, quócunque terrarum duxisset, Amuratem militantem subsequi. Emanuele prę omnibus Græcis plurimum delectabatur. In Amuratis potestatem deuenit rex Mysiorum Drageses, Zarci filius: necnon Pogdanus, qui Rhodopen imperio tenebat. Accessere etiam in ditionem & alij Europæi duces, Trybal-
B lorum uidelicet, Græcorum, & Albanorum. His omnibus imperio suo admotis, etiam Asianis ducibus stipatus, deinceps quoslibet bello lacessere statuit. Græci quo pacto ex regno in seruitutem ceciderint, iam antè explanauimus. Prædicta nunc breuiter in memoriam reuocare iuuat. Ioannes ad regni gubernacula euectus, Cantacuzenum, antecessorem suum, Nazaræum fieri compulit. Deinde cum animaduerteret res Turcorum incredibili augeri successu, nauigauit in Italiam. Primò adijt Venetos, oraturus auxilium. Vbi cum parum auxilij esset consequutus, accepta à fœneratoribus magna pecuniæ ui, decreuit ad Galliæ abire regem. Nec omisit reliquos occidentis Principes, quos omnes quammaximè solicitabat ad auxilium ferendum. Cum uenisset ad Gallorum regem, etiam huius res bello & seditione agitari cernit, & admodum aduersa uti fortuna. Nec interim quicquam auxilij in Italia tulit. Reditum maturans, cum uenisset Venetias, non potuit usuras eius sortis exoluere, quam à fœneratoribus mutuò acceperat. Profectus inde in Galatiam, rerentus est à Venetis, non sinentibus eum pedem usquam ferre, donec satisfeciisset creditoribus. His rebus anxius, misit Byzantium ad Andronicum filium, cui regnum commiserat, rogans ut pecuniam compararet, tam ex ecclesiasticis quàm ex reliquis regni thesauris: quam deinde ad se mitteret, ut se à creditoribus redimere possit: nec se negligeret, iam longo tempore in carcere agentem. Andronicus his cognitis, parum animum intendebat, cum nimis regno gauderet, patrem que despiceret. Attamen ei nunciari iubet: Græcos nolle concedere, ut sacros thesauros diripiat: nec se aliunde tantam pecuniæ uim corradere posse. Proinde si seipsum negligere nolit, alió se uertat ad pecuniam parandam, quo se liberare nexu possit. Emanuel filius regis iunior, cum audiuisset in quantam necessitatem pater suus rex à Venetis esset adactus, collecta & exacta quàm

maxima pecuniæ ui, nauem conscendit: summaque celeritate usus, uenit A
Venetias. Pecuniam omnem, quam exegerat Thermæ, cui urbi regendæ
præfectus erat, patri obtulit. Præterea seipsum quoque patri tradidit, ut
se pro arbitrio uteretur. Hoc factum, Emanuelem patri & charissimum &
familiarissimum reddidit: at alterum filium, nempe Andronicum, incita-
tissimo exinde odio persequebatur, quod cum hinc originem sumpsisset,
pertinacius inhæsit utrisque, dum inter se dissiderent, inter cætera etiam
propter regnum. Rex Græcorum ea pecunia, quam Emanuel aduexe-
rat, creditoribus Venetis satisfecit. Reuersusque Byzantium, misit lega-
tionem ad regem Amuratem, præterea filium suum in Ianuis regis stipen-
dia facere iussit. Amurates imperauit Ioanni, ut se quàm maxima fide co-
leret: nec suam militiam, quocunque bellum uerteret, detrectaret. Io-
annes diligenter animum intendit, ne deinceps quid delinqueret, quo in-
curreret in offensam Regis. Postea filium suum Theodorum misit in Pelo-
ponnesum, defunctis Cantacuzeni filijs: qui mansit apud Emanuelem fra-
trem suum, Thermæ præfectum. Cui cum in colloquium uenisset Mace-
doniæ & Thessaliæ dux, defectionem consilijs habitis moliebantur ab rege
Amurate. Alter filius rediit Byzantium, accersitus à patre ad regnum. Ip-
se autem ingressus Peloponnesum, eius loca defendit quàm optimè. quæ o-
mnia ita muniuit, ut sibi uidebantur quàm maximè tuta futura. Hæc, quæ
modò recensuimus, euenere, priusquam Andronicus iunctus Sauzi, defice-
rent ab Amurate, amboq; contra patres suos arma caperent. Postmodum
comperit Amurates, etiam Emanuelem nouarum rerum cupidum, defectio-
nem animo agitare: quem tandem Therma oppido, suaque dignitate spolia-
uit Charatines. Deinde cum pater edixisset, ne Emanuel suam intraret re-
gionem, maturata fuga, uenit in Lesbum. Cuius aduentus cum terrorem
maximum iniecisset duci insulam gubernanti, sua regione Emanuelem ex-
cedere iussit. Qui cum incidisset in triremem soluentem Troiam, trans-
uectus est in Asiam. Ibi conductis mercede equis, profectus est Prusam, ad
regem Amuratem. Tandem Amurates bellum inferre parebat Tryballis:
ipsorumque duci Eleazaro, qui ad Pannonios se contulerat, eosque inci-
tabat, ut contra Amuratem arma arriperent. Eleazarus, ut resciuit Amu-
ratem aduersum sese cum exercitu pergere, contraxit copias quàm potuit
maximas, ut resisteret hosti adeunti quàm acerrimè. Eleazarus cum habe-
ret filias, una Susmano Odrysorum regi in matrimonium collocata, eum
sibi generum parauit. Alteram connubio iunxit Bulco Brangi, qui fuit
Pladicæ filius, regenti Castoriam, & Ochridem Macedoniæ regionem,
quam antea Nicolaus Zopani filius tenuerat. Mortuis autem ducibus Vn-
gleseque & Chrate, Pristinum & Nistram, sic dictam regionem, subigens, usque
ad flumen quod Sauum nominant, progressus est. Aduersus hunc, cum
exercitum ductaret Amurates, missis exploratoribus, cognouit eum inse-
disse cum exercitu campum cui Cosobo nomen erat. Ibidem Amuratis con
tubernio militabant filij duo, Paiazites & Iagupes. Turci ferunt, Amuratem
ibi præliantem, Eleazarũ fugam facere coegisse. quem cũ insequeretur quàm
uelocissimè, incidit in uirum Tryballum, in quem arma uertit. Hic, cum fo-
ret pedes, conuersus iaculo transfixit Amuratis præcordia: quo uulnere mor
tuus est. At Græci à Turcis, quantũ ad Amuratis mortem attinet, dissentiunt.
Aiunt enim, eum non præliantem, nec hostes fugatos persequentem, inter-
cidisse: uerùm cum adhuc staret in acie, uirum quendam generosissimum,
nomine Miloen, uoluisse certamen omnium quæ unquam fuere pulcherri-
mum, subire. Hic, si sibi Eleazarus potestatem faceret eorum quæ petijsset,

polli-

A pollicebatur se armatum profecturum ad Amuratem, ut transfugam. Amu
rates, cum illum ut transfugam ad se aduentare crederet, iussit uiro confe
stim cederẽt, quo, quid uellet, tutò eloqueretur. Cum penetrasset quàm pro
ximè ad regis Ianuas, offendit regem stantem in acie, ad prælium accinctum.
Hastam igitur accipiens, aggreditur longè pulcherrimum, quod scimus,
facinus. Amuratem regem interficit, necnon ipse ibidẽ fortiter inter hostes
prælians, occubuit. Hæc est Græcorum de obitu Amuratis sententia. At
Turci aliter sentiunt, uidelicet eum persequentem hostes, parta iam uicto
ria, à uiro Tryballo esse peremptum. Amurates mortem obijt, ut explana
uimus in Cosobo campo. Huius corpus abduxerunt Prusam, ubi sepultu
ra erat omnium regum Otomanidarum, præterquàm Sulaimanis. Intestina
autem regio more sepeliuerunt in Cosobo campo. Mortuus est, cum regno
præfuisset annis quinquagintaseptem. Vitæq; exitum habuit, interfectus à
Tryballo, non qui regem decebat, talem, qui tot annis bella gessisset, multa
que & præclara opera fecisset. Præterea qui magna bella in Europa Asiaq;
numero trigintaseptem confecisset, tali usus & uirtute fortunaq;, ut in nullo
uictus succubuisset. Ad hæc magnam potentiam, regionemq; plurimam
in utraq; continente sibi parauit, cum ad multam iam processisset ætatem.
Nunquam cupidine rerum rabie trahebatur ad prælium, nec unquam cruo
re saturari potuit. Quando ocium ab hoste erat, uenationi indulgebat. Stu
dijs & tranquillitati se nunquã dabat: uerùm cum nullus foret hostis, uena
tioni incumbebat, cuius peritia antecessores suos longè excellebat. Dili
gentiam & celeritatem in rebus gerendis non minorem senex, quàm iuue
nis, ostendebat. Promptitudine & alacritate indefessa plurimos illustres
duces & reges in rebus gerendis anteibat. Omnia sic aggrediebatur, ut ni
B hil eorum quæ necessaria forent, negligentius omitteret. Maiorem homi
num cædem fecit, quàm omnes sui antecessores. Subditos maxima rege
bat sermonum æquitate, & comitate. Ducum filijs conuersabatur quàm
moderatissimè. Expeditissimus fuit ad honorandum, & compellandum
uirum quemlibet. Maxima ui præditus fuit ad cohortandos militum ani
mos, si prælium ineundum fuerat, maxima erat eius in rebus gerendis ue
hementia, adeò ut semper, quando manus consererentur, ubiq; præstò esset.
Aspectu non toruus, uerùm mitis erat, sermoneq; blandissimus. Peccan
ti nullam delictorum concedebat impunitatem, uerùm eum meritis subij
ciebat pœnis. Sermonis erat parcissimus. Confirmasse fertur præ reliquis
generis sui regibus iusiurandum. Hinc cum plurimi contra ipsum audacis
simè insurgerent, existimabant se nihil periculi accepturos, quod tamen, co
gnita eius potentia, secus accidit. Eum qui se magnificè efferebat, & ob id
contumacius resisteret, præterea eum qui aliquid in ipsum deliquisset, ne
quaquam lætitia ebrium dimisit. Cum foret suis uel maximè metuendus,
attamen certum est eum plus fauoris, quàm reliquos duces omnes, apud
suos obtinuisse. Ne quis igitur sibi persuadeat, quod hic uir, si armis appeti
tus fuisset à Temire, pessimè istud bellum administrasset. Pugnasset etenim
fortiter. Et si non uictor, nec tamen uictus isto ex prælio excessisset. Pugnę
enim locum elegisset opportunum, in quo non facilè uinci potuisset. Temi
ris autem exercitum hostiliter accedentem, ut ferro, ubicunque occasio se
dedisset, decerneret, grauissima clade affecisset. Defuncto Amurate, Orcha
nis filio, regij satrapæ, qui Ianuis præerant, Paiazitem, Amuratis fi
lium, in imperio magno consensu
collocant.

LIBER SECVNDVS

POSTQVAM mortẽ obijt Amurates, Orchanis filius, à peremptus à uiro Tryballo, ſtatim ſatrapæ, qui regebant Ianuas regis, Paiazitem, Amuratis filium iuniorem, pronunciant regem. Hic ubi primùm in regno eſt poſitus, accerſiuit Iagupen fratrem, quaſi uocaretur à patre Amurate: ad quem, quocunque tempore uocabatur, promptiſsimè ad Ianuas accedere conſueuerat. Rerum itaque omnium quæ parabantur ignarus, in Ianuas uocatus uenire haud ſuperſedit. Venienti Paiazites manus uiolentas inijci, atque necari iubet fratrem. At interfectus eſt ſecundum eum morem, quem Turcorum reges in trucidandis fratribus obſeruare ſolent. Haud enim ferro obtruncatus, uerùm laqueo præfocatus eſt, quemadmodum tenet regum illorum conſuetudo. Rex cum in hunc modum fratrem perdidiſſet, regnum'que ſibi ſtabiliuiſſet, illicò copias in aciem eduxit: commiſſo'que prælio, Tryballos in fugam coniecit. Iſto in prælio quàm longiſsimè ab exercitu in hoſtes euectus eſt. Turci enim fugatis hoſtibus, inſequuti ſunt fortiſsimè: Tryballos'que, quos equitandi peritia antecedebant, necí dederunt. Nam equi Turcorum multo præſtantiores erant equis Tryballorum: proinde fugientes facilè indipiſcebantur. Si Græcis fides habenda eſt, dicemus ea, quæ modò tradidimus, iſto pacto contigiſſe. Turcorum autem alia ſuper his eſt ſententia. Nam perhibent, iſtam uictoriam non adſcribendam eſſe Paiaziti, uerùm Amurati, cuius ductu & prælium iſtud ſit factum, eadem'que uictoria euenerit, cum ipſe Eleazarum Tryballorum ducem in ea pugna trucidauerit. Turci in hunc modum, quantum ad iſtud prælium attinet, ſentiunt. At ego coniecturam facere nequeo, quomodo in acie, breui admodum tempore interiecto, fratrem necauerit, & deinde in prælium illicò redierit. Præterea dubito, quomodo Tryballus arripuerit haſtam, regem'que niſus ſit perdere, nullo prohibente. Verùm cuilibet ſuum ſit hac de re liberum iudicium. Poſtquam Paiazites regni gubernacula ſuſcepit, uictoriam'que illuſtrem deuictis hoſtibus eſt adeptus, nec paucis interim ſuorum amiſsis, inſuper Tryballorum ducem in acie peremit, non ſocordiæ ſe corrumpendum dedit, uerùm prædabundus uniuerſam peragrauit Tryballorum regionem. Captis'que mancipijs plurimis, regno ſuo eam formam induxit, quę ſibi optima & commodiſsima uidebatur. Græcos ſibi fœdere iunxit. Pace cum Macedoniæ ducibus inita, in Scopiorum urbem coloniam duxit, deductis eò plurimis ab Europa Aſia'que Turcis, cum uxoribus, & liberis. Hoc autem ideo facere aggreſſus eſt, ut hinc profectus, res Illyricorum agere & ferre tutò poſſet. Incurſionem fecit in Illyriorum regionem: capta'que oppidula penitus diripuit. Exercitum miſit in Albanorum regionem maritimam, uerſus Ionium & Epidammo finitimam, prædas'que ex ea egit. Græci ſequebantur armati quo'cunque exercitum ipſe mouiſſet, excepto Emanuele, Ioannis Græcorum regis filio, necnon Ioanne ſenioris Andronici filio. His enim cum feruenti aceto eorum oculos eruiſſet, domi uictum præbuit Byzantius rex. Qui, cum cognouiſſent tandem oculos melius habere, colloquentes inter ſeſe & cum uxore, adiutantibus & alijs gnauiter, aufugerunt in Galatiæ urbem, e regione Byzantij ſitam.

Hinc

A Hinc perrexerunt ad regem Paiazitem, orantes auxilium, quo muniti in
suam possent redire urbem, auitum que recuperare regnum. At cum in
conspectum regis uenissent, ferunt eum talem exorsum esse orationem: Me,
quidem, ô rex, tam graui calamitate perculsum cum meliori fortunæ Deo-
que, qui omnia uidet, commendarim, melius nunc, quàm fortunæ meæ
patiantur, habeo. Præterea Deus gratiam mihi retulit haud iniucundam.
Nam cum uisum mihi totum penè ademerit, reliquit tamen ut parum cer-
nam: pollicetur que regnum, fas que est, ut regnum quod iure ad me per-
tinet, mihi restituatur. Hoc autem regnum nostrum, si me audieris, in
posterum experiere ad omnia tibi obsequentissimum, si tua ope adiutus
id recepero. Id eueniet, si mihi dederis equites quater mille, eos que me
sequi iusseris mensibus duobus. Stant autem à partibus nostris ij qui in
urbe genere & diuitijs præstant. Horum non pauci me comitarentur, nisi
scirem eos in urbe mea negocia procurare, me que tandem adiuturos in
quacũque re ipsorum auxilio opus habuero. Promitto etiam me tibi quo-
tannis daturum tributum maximum: habebo præterea in urbe iudicem
siue præfectum Turcum. Rex his auditis, respondit: Mihi quidem, ut ac-
cepi tibi adhuc uim uisiuam superesse, sermo tuus fuit multo gratissimus.
Gratias que ago mortalium & immortalium conditori, qui istud tibi be-
neficium præstitit. Venisti autem ad uiros tibi amicos & auxiliares, qui
se tibi dabunt promptissimè quodcunque occeperis bellum. Vlciscar ta-
men regem patrem tuum, ut deinceps nunquam contra me res nouas mo-
liatur. Tu igitur his, quos petijsti, assumptis, flecte iter ad urbem, ea que
agito, quæ iudicaueris tibi uel in primis utilia fore, ut in patriam redu-
caris. Rex his dictis confestim, quos flagitauerat, equites instructos
B dedit: quibus acceptis, Andronicus se contulit Byzantium. Ioannes &
filius Emanuel, cum esset nunciatum, Andronicum cum filio suo magna
manu aduentare, ingressi sunt Aureæ sic appellatam arcem, ibi que obsi-
dionem tolerare parabant. Andronicus aduenies, urbem obsidione cir-
cundat. Postea arcem pactionibus in deditionem accepit. Ambos in-
clusit in carcere ligneo, & angusto, quem intra turrim ædificarat, regnum-
que occupauit habens patrem & fratrem in carcere. Cum autem admini-
straret regnum, filium suum Ioannem Græcis regem destinauit. Illos ue-
rò annis tribus in carcere tenuit, nec tamen obtruncare uoluit, quamuis
ad id incitaretur à Paiazite. Anno autem quarto persuaserunt carceris præ-
fecto, qui alimenta ipsis ministrabat, ut subijceret ferrum. Quo facto,
dissoluerunt carcerem, & aufugientes festinarunt ad regem Paiazitem,
promittentes se tributum maximum pensuros, daturos que milites quot-
quot imperasset. Misso nuncio Byzantium, explorabat Byzantiorum
animos, quem nam sibi regem dari, Emanuelem an Paiazitem, uellent.
Hac ratione pulchrè expiscabatur, ut Byzantij etiam erga se animati fo-
rent. At Byzantij elegerunt Emanuelem, iam fastidientes Andronici
imperium. Exorta est igitur contentio inter ambos reges super Byzantij
regno. Emanuel promittebat se tributum, quod contineret tres myria-
des aureorum, numeraturum quotannis: addebat que, se profecturum cum
illo in militiam quócunque exercitus duxisset. His conditionibus, quas
modò commemorauimus, Byzantij regnum à Paiazite accepit, uide-
licet ut in Ianuas profectus tributũ, quod imperasset, solueret: milites q; sem
per quot iussisset, uere appetente, adduceret. Andronicus, et filius eius Ioan
nes, morantes in Ianuis uictũ apud regẽ habuere. Emanuel regno præfuit.
Paiazites Amuratis filius habẽs secum Græcorũ reges, qui ad id eum usq;

incitabant, arma contra Philadelphiam urbem Græcam uibrauit. Contendentibus namque inter se Byzantij regibus, petebat rex Paiazites sibi dari Philadelphiam. Qui se id facturos promiserunt. Cum autem Emanuel misisset præconem, qui nunciaret Philadelphiæ ciuibus, ut se urbemque dederent Paiaziti, acciperentque cum iudicem, tum præfectum Turcum: responderunt, se neutiquam paratos esse, ut semetipsos proderent barbaro. Quo responso iritatus Paiazites, urbem exercitibus circumsedit, ducens secum ad id bellum Græcorum reges, qui ibidem uirtutis præmia sunt consequuti. Primi etenim conscendentes murum, urbem cepere. Et in hunc modum capta est Philadelphia, urbs Lydiæ Græca, legibus optimis quæ fuit fundata. Postea bellum intulit Paiazites Scenderi Armeniorum regi. Præterea Ertzicam Armeniorum regni sedem, & Lamacha, sic appellatum oppidulum, bello petijt. Scenderem hunc tradunt barbarorũ Asiam incolentium fuisse multo fortissimum, nec ullo mortalium extitisse rei militaris scientia corporisq; robore & audacia inferiorem. Itaque cum quondam ab Assyrijs bello lacesseretur, plerunq; præclara militaris uirtutis facinora perpetrauit, hostesque semper pauca manu fudit. Hunc Scẽderem cum filio uxor, quam odio prosequebatur, comprehendens, interemit, ipsaque ad regni gubernacula euasit. Contra Scenderem igitur Paiazites arma mouens, Ertzicam expugnauit, filiumq; Scenderis uinctum in custodiam dedit. Postea cum Tzapnidas domuisset, qui Colchidis loca usque ad Amastrum urbem tenent, bellum contra Caraiulucem Leucamnam, Samachiæ ducem, uertit: quem obuiam procedentem cum exercitu, prælio uicit, Samachiamq; urbem oppugnare cœpit. Vrbis autem istius oppugnatio cum parum succederet, abductis copijs, domum reuersus est. Hinc bellum indixit reliquis, qui in Asia erant ducib. Aedini, Sarchani, Mẽdesiæ, Tecoi, & Metini: imperioque eos expulit, expulsorumque regnum occupauit. Hi, cum forent suis sedibus pulsi, iter instituerunt Susam, ad regem Temirem. Vt autem, præter Caramanum, cognomine Alosurium, & Turgetũ Phrygiæ ducem, uenerunt in conspectũ regis, infrà dicetur. Hinamq; affinitatem iungentes cum Paiazite, pacem consequuti sunt. Reliqui, exceptis istis duobus, duces regnis suis exacti ascenderũt Samrachatam, quæ Temiris regia extitit. Sarchanem, qui tutabatur maritimam Ioniæ regionem, & Mendesiam, Calamis nepotes Tecoenq;, qui regebat Madian, affirmamus fuisse nepotes & posteros septem illorum ducum Otomani, qui coniunctis uiribus communibusque consilijs Asiæ imperium acquisiuerunt: quos Aladinæ regis ministros quoque fuisse constat. Metines autem & Aedines unde regnum nacti sunt, explorare nequeo. Aedinem attamen solum memorant à Colophone usque ad Cariam regioni se extendenti imperitasse. Turcos quidẽ genere & esse & dici, certò scio, quotquot sub Turgaturijs, sub Caramane, sub Matine, et Aedine degunt. Subacta ea Cappadociæ regione, quæ est sub Caraisuphe, nec non illa quam Homuris filij regebant, præterea in ditionem accepta maxima Phrygiæ parte, bellum promouit contra Ertzicam, Armeniorum regiam: & contra Scenderem, qui ea loca longè lateque usque ad Euphratem tenebat: addita non modica Colchidis parte, quam bello in ditionem redegerat. Hæc quidem effecit cum foret in Asia, magnaq; uirtutis in conspectũ daret opera. Postea trãsiens in Europam, exercitibus immissis in Macedoniam quæ spectat Ionunã, Albanorum accolarũ regionẽ populabatur. Captis quibusdam Albanorum oppidulis, contra Illyrios arma tulit: uastataq; Illyriorum regione, opes eorum diripuit, et in suum emolumentum conuertit. His peractis, expeditionem

A nem ſuſcipit contra Peloponneſum, rumore prius ſparſo, quaſi bello eſſet petiturus Phocidem, & Theſſaliam ſubacturus, ut ſibi ad res gerendas foret idonea. Epiſcopus autem Phocenſium inuitabat eos, oſtentans regionem uenationibus commodiſſimam, habentem prata quæ præberent infinitam gruum multitudinem: præterea campos ad equitatum natura quàm pulcherrimè inſtructos. Iſta quidem expeditio uerbis in hunc modum parabatur, reuera tamen bellum indicebatur Theſſaliæ: ducibus'que, qui ibi agebant, nomine Cernæis, & uxori Deluis, Delphorum ducis, Trudeludæ. Poſt hæc quaſi in Peloponneſum irrupturus, cum elegiſſet belli ducem Theodorum, Ioannis filium, bellum ſtrennuè gerebat. Profectus in Theſſaliam, ſui iuris fecit Domaciam, cum eam deſeruiſſet, qui in ea erat, dux Cernæus. Hinc Pharſalicorum urbem in ditionem accepit, quæ & ipſa à Cernæis regebatur. Deinde, cum longius proceſſiſſet, Zetunim urbem Thermopylarum, & Patras ſitas in planicie, quæ eſt in radicibus montis Locrenſium, in poteſtatem redegit. Præterea alia oppidula non pauca iſtius regionis, pactionibus in fidem recepit. Deluæ, Delphorum ducis uxor, habens filiam iam nubilem, uiro'que deſponſatam, ut intellexit aduerſum ſeſe cum exercitu pergere regem, cum filia, muneribus'que quàm potuit acceptis maximis, regi obuiam proceſſit. qui filiam lubens aſſumpſit, eamq; ſimul cum matre ſuis moribus ritibus'que uiuere permiſit: regioni autem, quæ in ditionem conceſſerat, ducem præfecit. Fama eſt, iſtam mulierem amauiſſe ſacerdotem quendam nomine Stratem: & ad maiorem impudentiam progreſſam, imperium ſacerdoti commiſiſſe, plurimos'que Delphorum incolas obtruncaſſe. Hinc delata eſt ab Epiſcopo Delphorum apud regem, quaſi ipſa ſola regat tantam regio-
B nem, intolerandis'que iniurijs afficiat ciues, interim adulterio à ſacerdote polluta. His excitatus rex, bellum ijs intulit. Feruntur & alia quædam de iſto ſacerdote, qui ſtupri conſuetudinem cum illa muliere habuit, uidelicet quòd etiam cum alijs deliquerit non paucis mulieribus, dum eas ad concubitum dæmoniacis quibuſdam incantationibus pelliceret. Mulieris autem maritus antea morbo implicitus expirauerat. Hic ortus erat de genere Taraconenſium regum. Qui cum ueniſſet ex Italia in Peloponneſum, obtinuit Atticam, & Bœotiam ſimul cum Peloponneſo. Nactus eſt & Phocidem, Patras'que urbem extra Thermopylas ſitam. Reges iſti, interiecto tandem tempore non paruo, principatum amiſerunt. Quidam eorum reuerſi ſunt in Italiam: nonnulli'que ibi manſerunt, donec mortui ſunt. Ex horum genere natus eſt Delues ille, Delphorum princeps, cui uxorem & filiam auferens Paiazites Amuratis filius, domum reuerſus eſt. Tandem & in Peloponneſum irruit. Verùm Spartanorum regionis dux, ut in Theſſaliam irrupit, urbes'que communiuit, qua ſibi uidebantur tutiſſimè fore, noctu fugiens, profectus eſt in Peloponneſum, fortiter propulſaturus hoſtem, ſi accedat. Proinde nō parum ei curæ fuit, exercitus Peloponneſo admouere. Interim autem nunciatū eſt Paiaziti, Pānones, duce Sigiſmūdo Romanorum Cæſare & Imperatore, & Gallos, Germanosq; nō paucos in unum collectos, bellum ipſi inferre decreuiſſe: iamq; Iſtrum tranſire parare: allectis & Dacis, hominum generenō ignobili, qui uiæ ſint duces, exercitumq; ducant in hoſtilem regionem. Sigiſmūdus ille, qui copias aduerſus Paiazitē ductauit, primò Germanorū fuit Imperator, & plerunq; moratus eſt Viennæ, imperitās ibi Germanorū regioni haud quaquā malæ. Poſt ea allectis Pannonibus, horum rex, Germanorum'que regionis dux creatus eſt. Germania incipit à mōte Pyrenæo, inde Tarteſus fluuius

fluit

fluit in Oceanum, uersus Occidentem. Et Germaniæ pars, qua itur uersus A
Coloniam & Argentinam, urbes sic dictas, superior Germania nuncupatur. Hinc pertingit ad Oceanum Gallicum, uersus dextram: at uersus sinistram, patet Pyridastiam usque, ad Britannicas insulas. Dicitur quoque Germania ea regio, quæ ab Istro procurrit, procedens à Vienna usque ad Tartesum flumen, & ad Bragam Boemorum. Longitudo à Vienna Oceanum usque, tantum spacij complectitur, quantum uir agilis itinere uigintiquinque dierum conficere potest. Latitudo est maior, etiam si quis ingrediatur iter breuissimum à Gallia Celtica uersus Dastiam regionem. Ista natio gubernatur melioribus legibus, quàm nulla earum uel regionum, uel gentium, quæ respiciunt uel Septentrionem, uel Occidentem. Discreta est in urbes præclaras, & florentes, quæ proprijs legibus & quàm proximè ad æquitatem accedentibus reguntur. Diuiditur & in principatus. subiecta'que est sacerdotibus adhærentibus Romano Pontifici. Vrbes, quàm maximè ad æquitatem constitutæ in superiore & inferiore Germania, sunt Nobergum, urbs opulenta: Argentina & Ampergum, quæ reguntur ab Episcopis: Colonia'que, à Vienna in inferiorem Germaniam recedens. Sunt & aliæ urbes non paucæ, propemodum ducentæ, quæ in paucis quibusdam à prædictis differunt. In tres principatus quis diuidere posset uniuersos totius Germaniæ ducatus, uidelicet Atzíliæ urbes, & Austriæ, & Blenæ, quæ in superiore Germania sita est. Genus hoc hominum magnum est, longè late'que per uniuersum orbem imperat, magnitudine'que secundum post Scythas Nomades habetur. Itaque si concordiæ studiosi essent, & sub uno degerent Principe, planè essent inuicti, mortalium'que fortissimi. Sunt, quantum ad corpora attinet, perquàm sani, ut qui sub Septentrionali ætatem agant plaga, & circa mediterraneum isthic mare, nullius B
rei indigentes. Nec est gens, quod sciam, quæ melioribus regatur legibus. Nec ibi sæuit pestis, quæ ex corrupto nascitur aere, maxime'que infestat Orientales, plurimósque ibi habitantes perdit. Neque alij morbi, qui æstiuo Autumnali'que tempore reliquis mortalibus graues sunt, Germaniæ incolas lædunt. Terræmotus rari memoratu digni eam regionem quatiunt. Pluuia præ cæteris regionibus æstiuo tempore in ista regione uberrima conspicitur. Victu moribus'que Romanos imitantur: nec cætera quicquam ab his differunt. Nec est ulla gens, quæ superstitiosius Romanorum religionem colat, maximè quà Occidenti propinqua est. Monomachia apud eos uel maximè celebris est. Congrediuntur autem non equis insidentes, uerùm terræ insistentes: Nec facilè inuenias gentem ad machinas reliqua'que opera bellica magis idoneam. In artibus omnibus prærogatiua maxima gaudent. Quidam credunt, tormenta bellica, & bombardarios ab ista gente initiò demonstratos, & hinc totum peruasisse orbem, ut paucæ gentes bombardis nunc careant. Reliquorum fructuum, præterquàm olei, & ficuum, regio ista feracissima perhibetur. Pannonia incipit à Vienna Germanorum oppido, & uersus Orientem, secundum Istrum procedens, attingit Dacos & Tryballos. Versus Septentrionem excurrit ad Boemos, quos Cephios nuncupant. Habet Pannonia & Principes: uerùm singuli patrias regunt regiones, subiecti tamen regi suo certis quibusdam legibus & conditionibus. Regem de suo corpore admodum rarò constituunt: uerùm plerunque accersitur ex Boemorum regia familia, aut petitur à Germanis, aut Polonis, aut ab alijs gentibus finitimis. Romanos moribus armorumq; cultu referunt: cæterùm sequuntur uictus rationem intemperantiorem, quemadmodum Germani & Galli.

Reli-

A Religionem sectantur Romanorum. Hoc hominum genus eximiæ fortitudinis est: mirumq; dictu, quanta audacia & animositate bella gerant. Creãt de sua gente quendam de numero principũ, qui reliquorũ primus in regiam ascenderit: eumq; œconomum siue procuratorem, aut administratorem, nec principem, nominant. Lingua utuntur quasi peculiari, quæ nihil commercij cum lingua Germanorum & Boemorum Pomanorumq; habere deprehenditur. Quidam tradunt, eos antiquitùs Getas extitisse: sedesq; habuisse, quas insederint, sub monte Hæmo. Tandemq; pulsos à Scythis, cõcessisse in eam regionem quam nunc tenent. Quidam putant eos quondam Dacos fuisse. Ego autem, quę nam ipsorum origo sit, dicere non possum. Præterea cum sibi dederint istud nomen, ut Pannones uocentur, sicq; appellentur ab Italis, non decorum fore ratus sum, si aliud ijs imposuero nomen. Regia eorum est Buda, urbs florentissima, Istro adiacens. Sigismũdum autem Germanorum ducem agentem Viennæ uocantes Pannones, declarauerunt regem: eique tradiderũt regnum uniuersum, & quæ ad regni curam pertinent, ut omnia sic ordinaret, quemadmodum putaret ea fore commodissima. Hic, ut primùm regium honorem inijt, legatos misit ad Romanum pontificem, iam antè sibi familiarem, & necessitudine deuinctum, rogans ut suum consensum præstaret, quo Romanorum declararetur Imperator. Imperatoriam dignitatem Romani pontifices primò contribuêre Galliarũ regibus, propter hostes ex Libya in Iberiam transuectos fortiter cæsos, & ob Iberiã à barbaricis incursionibus liberatam. Postmodum eligendi Romanum Imperatorem potestas translata est à pontifice ad Germanos. Sigismundus, cum eam dignitatem se daturum respondisset Pontifex, accersitus & uocatus est à Pontifice, ut imperatoriam dignitatem acciperet. Sigismundus Romam proficiscens, iter faciebat per Venetorum regionem. Hi, ut primùm nunciatum est Sigismundum per ipsorum regionem transitum facere, miserunt nuncium, qui moneret ut ipsorum regione excederet. Hic nuncio Venetorum parère neglexit, nisi cernat eos reipsa transitum prohibituros. Veneti igitur congregato exercitu, uim facere parabant Sigismundo, nisi confestim sua discessisset regione. Vt cognouit Venetos id moliri, copias in aciem deduxit, & cum Venetorum exercitu prælium commisit. Amisit autem in eo prælio non modicam exercitus partem: ipseque in fugam compulsus, ægrè, quo minus caperetur, fuga euasit. Cum iam planissimè desperaret se posse per Venetorum regionem adire Romam, iter flectit in superiorem Germaniam, peruenitq; ad Liguriæ principem. Hinc iter Romam instituit. quò cum uenisset, Imperator à Pontifice maximo consalutatus est. Postea rogauit Pontificem maximũ auxilium, quo adiutus, expeditionem contra barbaros susceptam cõficere posset. Flagitabat autem pecuniam, uirosq;. Pontifex legatione missa ad Gallorum regem, Burgundæq; Ducem, effecit ut sibi darentur octo millia uirorum: belli autem ducem, accepit Burgundiæ Ducis fratrem. Sigismundus quoque se ad bellum parabat, conscribẽs exercitum ex Germanis, quoscunque potuit mercede cõducens. Cum iam ad bellũ satis foret instructus, assumptisq; Pannonibus & Dacis, qui itinera monstrarent, rectaque per Istrum contra Paiazitem copias duxit. Legatos quoque misit, consulente id Pontifice maximo, ad Hispanorum Italorúmque Principes, petens ad istam expeditionem uiros, & pecuniam. Pontifex quoque milites misit, & pecuniam suppeditauit. Paiazites, quam primùm didicit Sigismundum Romanorum Imperatorem magnis copijs stipatum, aduersum se pergere, accepto Europæ Asiaque exercitu, summa celeritate obuiam profectus est hosti usq; ad Istrum: castraq; communiuit ab Istro stadijs quasi quadraginta. Galli autẽ, ut sunt audaces, plerunque uerò imprudentes, cum cuperent uictoriam suam facere,

arma

arma capiunt, barbarosq; aggrediuntur, quasi eos primo impetu domituri. A
Tandem cum prælium utrinq; maxima uirtute ferueret, Galli fugam ineunt: incitatissimoq; cursu cum agerentur ad suos, insequentibus Turcis, & Sigismundi militibus admixtis, atrox prælium coortum est. Cum acriter instaret Turci, etiam Pannones & Germani fugæ Gallorum se sociant. Festinantibus autem ijs Istrum transire, maxima pars exercitus flumine absumpta est. Facta est cædes magna Gallorum & Pannonũ pereuntium. Dux Burgundionum, qui totius belli imperator electus erat, ab hostibus captus est: capti sunt & alij Pannones, Galliq; plurimi. At Sigismundus in maximum uitæ discrimen adductus, uixq; hostis manus, quo minus caperetur, effugiens, triremem, quę in flumine erat, cõscendit, Byzantiũq; ad Græcorum regem nauigauit. Cum plurima cum isto rege disseruisset, & quæ uolebat, expediuisset, domum reuersus est. Paiazites, Amuratis filius, Gallis Pannonibus'que fusis atque fugatis, regionem eorum iam maiore securitate populabatur. Quinetiam contra hos exercitus ductabat, mancipia'que plurima capiebat. Proficiscens autem hostili animo contra Budam, Pannonum regni sedem, podagra laborauit: nec tamen admodum eo morbo afflictus est. Haud tamen assequi queo, quid ei impedimento fore potuisset, cum festinaret aduersus Budam, quo minus eam urbem suæ ditionis faceret, regionem'que uniuersam subijceret. Verùm peropportunè podagra tum laborans, reuersus est domum: etiam copias in suam regionem abduxit. Postea missis exercitibus, Pannoniam & Patnodaciam uastabat. Tempore autem aliquantulo interposito, bellum Myrxæ Daciæ duci intulit: crimini ei dans, quòd prior adiungens se Pannonibus, contra se bellũ gesserit. Dacorũ gens bello præstantissima est, nec tamen admodum bonis gubernatur legibus. Vicos plerunque incolunt, sequentes pascua. Extenditur horum regio ab Pannonum Ardelio, à Pannonũ Dacia initium sumens, usque ad Pontum Euxinum. A dextra, quà uergit ad mare, Istro fluuio alluitur: à sinistra regionem Bogdaniam appellatam habet. Distinguit ipsorum regionem mons longè se porrigens, cui Prasobo nomen incolæ dixerunt. Huic regioni adiacent quidam, de Scytharum genere non pauci, qui opibus plurimum possunt, subiecti Cazemiri regi. Istum regem comitantur Scythæ Nomades, quòcunque bellum uerterit. Virtus autem eius in omni bello præclara habita est. Iis finitimi sunt, quà se in Septentrionem pandunt, Poloni: quà uerò respicit Orientem, Sarmatæ. Dacorum lingua similis est Italorum linguæ: adeò tamen corrupta & differens, ut difficulter Itali queant intelligere, quæ istorum uerbis pronunciantur. Vnde autem lingua moribus'que Romanis usi, in istam regionem accesserint, ibi'que sedes fixerint, à nullo mortalium accepi: nec aliquem audiui, qui ista liquidò commemoraret. Dicuntur tamen homines undique confluentes, in istam regionem penetrasse: haud interim extante aliquo memorabili istius gentis exemplo, quod operæ precium sit, ut præsenti historiæ intexatur. Nihil differunt ab Italis cætera etiam uictus ratione, armorumq; & supellectilis apparatu etiamnum eodem utentes. Quamuis ea gens in duos discreta sit principatus, in Bogdianam uidelicet & Istriam regionem, haud tamen æquo inter se iure uiuunt. Consueuerunt non semper eosdem habere duces: uerùm prout ipsis uidetur commodum, principes mutant, nunc hunc, nunc illum sibi principem ordinantes. Myrxam istum, qui auito istorum ducum genere erat ortus, accitum sibi ducem constituerunt, occiso Dauo, qui antea rerum potiebatur. Myrxas hic concumbens sæpius cum pellice, filios spurios ex ea tulit non paucos in Dacia. Hinc mortuo Myrxa, nascebantur frequenter alij Dacorum duces, qui usq; ad hoc tempus in regno durarunt. Contra istum Myrxam Paiazites, crimini dans quòd prior incipiens bellum, socia arma iunxisset Sigismundo

A ſmundo Romanorum Imperatori, cum exercitu profectus eſt. Traiecto Iſtro porrò progreſſus, prędam mancipiorum multã ex iſta regione rapiebat. Myrxas collecta manu non modica ſuorum, quomodo obuiam procedere hoſti, prælijq; poteſtatem facere poſſet, nullo modo conſultabat. Vxores & liberos deponens in mõtem Praſobum, ſequebatur Paiazitis exercitum, per glandiferas iſtius regionis ſyluas: quæ cum plurimæ ibi ſint, regionem ambiunt, adeò, ut eam difficilem acceſſu hoſtibus præſtent, captuq; haud facilem. Myrxas ſequẽs Paiazitis exercitum, inſignia uirtutis opera faciebat, impigrè cum hoſtibus manus conſerens, ſicubi auulſi erant ab reliquo exercitu, aut ſicubi frumentatum, aut ad prædas pecoris agendas ſe conuertiſſent. Et in hunc modum ſequẽs hoſtilem exercitum, magna audacia fretus, ex aperto cum hoſte cõflixit. Aiunt, Myrxam tranſeunti exercitui grauiter inſtitiſſe: cumq; foret in loco admodũ difficili, hoſtilis exercitus eum adortus eſt: nec ceſſauit hoſtem fortiter mactare. Ibi Brenezes regius miniſter, cum bonum dediſſet conſilium, uidelicet ut caſtra eo loci cõmunirent, mali liberationem inuenerunt. Ex hoc tẽpore longè gratiſſimus fuit regi Brenezes, electusq; ab eo dux, tandem maximam nactus eſt potẽtiam. Paiazites, ſicuti conſuluerat Brenezes, eo loci caſtra metatus eſt, & quiete per eum diem exercitum recreauit. Poſtero autem die exercitum quàm potuit tutiſſimè tranſmiſſo Iſtro, in ſuam regionem reduxit. In hunc modum exercitus, quem contra Dacos duxerat, domum reuerſus eſt. His peractis, bellum mouit contra Byzantium, urbemq; tali de cauſſa obſidione cinxit. Græcorum reges conceſſerant in poteſtatem Paiazitis, proinde in Ianuis degebant quotannis militantes ſub Paiazite, quocunq; uim belli uertiſſet. Paiazites, cum quondam foret Pherris Macedoniæ, ibiq; moras traheret, Græcorum rex, Spartæ dux, Conſtantinus Na
B zarci filius, Stephanusq; Eleazari filius, profecti ſunt Ianuas. Ibi tum ad regem Paiazitem uenit Mamonas ab Peloponneſo, qui quondam imperio rexerat Epidamnum: accuſabatq; Græcorum regis fratrem, ut qui ſibi Epidamnũ eripuiſſet, & iniurijs plurimis ſe obruiſſet. Paiazites indignatione inflãmabatur contra Græcorũ regem. Indignationẽ hanc regis augebat inſtigãdo Ioannes, Andronici regis filius, qui pręſtò erat, et uictum apud Paiazitem habebat. Ferũt, quòd rex conatus ſit eum interficere, cum colloqueretur ſecum. Verùm cunctatus eſt. Nec tamen multo poſt illum interemit Halies Charatinis filius, qui ei admodũ familaris erat, multisq; opibus ab eo donatus. Conuenientes igitur in unum duces illi, cum ea tempeſtate in Ianuis agerent, conſilijnibant non amplius redeundi in Ianuas. Conſtãtinus Zarci filius, Dragaſisq; frater, ſcientia militari facilè omnes excellebat, nec ulli prudentia credebatur tum temporis ſecundus. Is bello adortus Albanos & Tryballos boſtes, in ditionem accepit regionem haud pœnitendam. Quo mortuo, Cõſtantinus frater regionem obtinuit, Ianuasq; frequentare coactus eſt. Hic promittit Græcorum regi filiam ſe deſponſurum, ſi rata manſerint ea quæ ſuper defectione conuenerint. Duxerat iſte Emanuel iam antè regis Colchorum filiam uiduam, quæ fuerat Zetinis Turcorũ cuiuſdam ducis uxor, forma ſupra modum uenuſta. Quam cum Byzantium à Colchide adduxiſſet, uidens eam pater forma prędità excellenti, necnon alijs excellere, quæ in muliere dicunt bona, nõ dubitauit eam auferre filio, ſibiq; cõnubio iungere. Erat autem is adeò adflictus podagra, ut ne quidem erectus ſtare potuerit. Ferũt hunc inſanientẽ amore mulierbri, plurima indecora cõmiſiſſe: delectatumq; pſalterijs, harumq; cõſuetudine delinitum, curam decẽter adminiſtrandi regni negligenter omiſiſſe. Poſtquam nuptię, ut cõuenerat, interceſſiſſent, duces ad defectionem adſpirant, cum ſinguli, quantũ poſſent, ad ſuam regionẽ dilaberentur. Rex Græ

corum fugiens Turcorum regem, quarto die à Pherris Byzantium (ut perhibent) peruenit. Theodorus huius frater uenit in Peloponesum. Reliqui quoque, impetrato à rege commeatu, ad sua redierunt. Appetente deinde æstate, Byzantij rex cum se non conferret in Ianuas, nunciaretuŕq; Paiazíti, ipsum nunquam deinceps in Ianuas affuturum, decreuit mittere Byzantiũ Haliem Charatinis filium, cui plurimum fidebat. Huic præcepit, ut iuberet Græcorum regem uenire in Ianuas: si renueret, renuenti illicò bellum indiceret. Halies autem, cum appulisset Byzantium, publicè quæ habebat mandata, regi exponit: priuatim uerò regi consuluit in colloquium admissus, ne Ianuas adiret. Emanuel respondit, se imperata promptissimè facturũ, sibi uitam non amplius suauem fore, dicere, si offendisset regem: se breui in Ianuas, iuxta præceptum regis, aduenturum. Deinde ab eunte Halie, cum iam constaret, eum nequaquam reuersurum in Ianuas, arma à uersus eum arripuit, Byzantiuḿq; oppugnauit. Cum eò cum exercitu pergeret, terram eorum singulaśq; regiones grauissima uastitate afflixit, suburbanáq; omnia diripuit. Vrbis oppugnatio cum parum succederet, reuersus est domum. singuliśq; annis mittebat exercitus, peragebat́q; longam illam obsidionem, quæ decennio durauit. Hæc obsidio plurimum damni Byzantijs inuexit. plurimi naḿq; fame necati sunt, plurimi quoq; desciuerunt ad barbarum. Syllebria in potestatem Paiazítis uenit. Huius moderator erat Ioannes Andronici filius, qui fugiens Byzantio, ne incideret in patrui iras Byzantium regentis, cum fuga neutíquam sibi consulere posset, semetipsum patruo tradidit, ut eo ad suum uteretur arbitriũ. Patruus eum misit in Italiam: ubi cum imperata exequutus esset, legatus ire iussus est ad Ianuenses, auxilium oraturus: quibus tamen occultè nuncium miserat, ut Ioannem aduenientem in uincula conijcerent, nec quóq; eum abire paterentur. Hic tandem interiecto tempore, cum diu in carcere latuisset, erupit: carceréq; liberatus, relicta Italia, cõtendit ad regem Paiazitem, ea tempestate Byzantium oppugnantem: à quo amicè susceptus est, & exercitu armato, Syllebriam pactionibus in ditionem accepit, Ioanneḿq; eidem rectorem dedit. Reuersus Byzantium, cum eam urbem ui expugnare non posset, fame eos debellandos esse statuit. Vrbem eam certè cepisset, nisi † Temires nuncius esset magna manu aduersus ipsum aduentare. Quod quidem eo tempore accidit, quando à Temire Paiazites captus, pleráq; Asiani imperij amisit. Paiazites cum nihilo minus à Byzantij oppugnatione cessaret, sciret́q; Græcorum rex suas copias in arctum coactas, nec posset inuenire huic urgenti malo remedium, Byzantium patrueli suo Andronici filio Ioanni commisit. Nam Ioanni huic grauiter iratus erat Paiazites, quasi ipse in caussa esset, quo minus Byzantium in ditionem ueniret. laborans igitur sinistra apud regem Paiazitem suspicione, ne eius iram experiretur, fuga se Byzantium recepit. Huius aduentus patruo Byzantij regi perquàm gratus extitit, qui urbem patruelis fidei commendans, nauigauit in Italiam, petiturus auxilium cõtra longam illam obsidionem, ne uidelicet urbem istam insignem pereuntem negligeret. Cum uenisset in Peloponnesum, uxorem suam deposuit apud fratrem: ipséq; conscensa naui iter in Italiam maturauit. Cum adijsset Venetos, ijśq; quæ uellet, explanasset, iter ad Liguriæ principem, Mediolani ducem instituit: à quo comiter exceptus, pecunia, equis, uiǽq; ductorib. oblatis missus est ad Galliarum regem. Cum processisset in conspectum Gallorum regis, rogauit ne Byzantium urbem, Græcorum regiam, genere Galliarum regibus iunctã, in summum discrimen deductam, despiceret. Regem autem Gallorum inuenit furiosum, & diligenti custodia ab optimatib. asseruatũ, donec morbus curetur, rex́q; sanitatẽ reciperet, longo igitur tempore ibi hæsit. Gens Gallorũ est admo-

Tamerlanem alij uocant.

A est admodum antiqua, opulẽtaq́. Proinde cum minimũ sibi tribuat, eo quòd superet reliquas Occidentis gentes, etiam Romani Imperij moderamen sibi uendicant. Horum regionis terminus orientalis, est Ligurum regio: meridionalis, Hispania: septentrionalis, Germania: uersus Occidentem, Oceano Britannicisq́ claditur insulis. Longitudo eius colligitur ab Alpibus, quę sunt extra Italiam, usque ad Oceanum & Germanos, itinere maximè decem & septem dierum, ab Italia usque ad Oceanum: ab Hispania usque in Germaniam se extendit, itinere maximè decem & nouem dierum. Lutetia, ubi regni sedes, diuitijs opibusq́, & reliqua felicitate excellit. Sunt quoque in ista regione urbes nõ paucæ regi subiectæ, quæ proprijs reguntur legibus. Ducatus & duces istius regionis sunt ditissimi & opulẽtissimi, qui regi parent, semper in aulam eius accedentes. Horum de grege est & Burgundię Dux, imperitans regioni magnæ, nec non urbibus plurimis: inter quas etiam recensetur Burgiorum urbs, & Clozierum maritimorum: nec non Gantyna, urbs magna, & florens opibus. Est autem Burgiorum urbs maritima, Oceano adiacens e regione Angliæ insulæ sic appellatæ, ad quam & naues à nostro mari, & ab urbibus in Oceanum uergentibus, ab Germania, Hispania, Anglia, Daciaq́, & à reliquis regionibus appellunt. Flandria isti regioni nomen est. Extant autem Burgundiæ Ducum egregia facinora edita aduersus Galliam, Galliæq́ regem, præterea aduersus Britannos. Postea Dux continentis Britannicæ finitimus est, prodiens ex ea terra, quæ pertinet ad regionem regis. Vltra hos conterminus est Dux *. His regionibus adnexa est Subaudia, regio amplissima, & pulcherrima, ad Liguriam usque excurrens. Quantum autem spectat ad maritimam Galliæ regionem, in hunc modum mihi ad præsentem historiam adhibita sit. At Ianua, quæ est quasi porta Galliæ, amplectitur B regionem quæ uersus Probentiam uergit, quam imperij habenis temperat Rhagerius rex, ortus ex inclyta Galliæ regum prosapia. Nitia metropolis est Probentiæ. Hinc sequuntur & aliæ urbes, inter quas commemoratur Tabiniorum urbs, quæ pontem habet maximum eorum qui in orbe sunt, quà patet aditus ad Barcenonam regionem. In hunc modum, quantum breuiter potui, descripta sit Gallia. Vetustate dicunt gentem hanc plurimum excellere, præterea sæpius magna cum gloria fudisse barbaros ex Libya profectos, præsertim eo tempore, quo Gallorum reges, & Cæsares imperijq́ Romani reges eligebantur. Carolum autem ferunt præ reliquis regibus strenuè rem gessisse aduersus Pœnos: cui auxilio uenere, Orlandus, uir eximia fortitudine, scientiaq́ militari illustris: & Rhinaldus, Oliberiusq́, necnon alij Duces Palatini nuncupati. Qui ubiq́, cùm in Gallia, tum in Hiberia fugãtes hostes, plurimas insignes nacti sunt uictorias. Eorum gloria adhuc hodie laudibus apud Italos, Gallos, Hispanosq́ celebratur. Pœni enim eà trajicientes, ubi Herculis columnæ uisuntur, incursionem fecerunt in Iberiam, quam summa celeritate occuparunt. Hinc Nabarem capientes, Portugaliæq́ regionem, quà patet usque ad Taraconem, & quæ ad hanc pertinent subigentes, deuenerunt & in Galliam. Carolus cum suis obuiam his egressus, egregia facinora patrauit. Nam Carolus, principesq́ quos supra nominauimus, expulerunt eos Celtiberorum & Gallorum regione. Qui fugientes, receperunt se in Granatem urbem munitissimam, sitam in monte, qui in Oceanum se proijcit. Ab isto portu paululum progressi, Hispaniam bello adorti sunt: multamq́ nacti regionem, ibi habitarunt. At Carolus principesq́ sui hostiliter eos persequuti sunt. Regionem aũt bello partã genere propinquis dederunt, Iberiam uidelicet, Nabarem, & Taraconem. Propinquos à barbaris obsessos obsidione liberarunt. Tandem regionem inter sese distribuentes,

Deest aliquid.

singuli partem ad se pertinentem acceperunt. Qui cum in hunc modum bel- A
lum confecissent, ab omnibus etiam hodie canuntur, ut qui fuerint uiri spe-
ctatæ uirtutis. Hormindus dux siti debellatus occubuit. Rhimæus succe-
dens in bellum cœptum, tandem id Hispanię regibus reliquit. Qui susce-
pto bello, etiamnum res Pœnorum agere & ferre putantur. Gens ista Libyca
linguam Arabicam in usu habet: moribus & religione imitantur Mechme-
tem. uestitu utuntur partim barbarico, partim Hispanico. Galli rebus præcla
rè longè latéque gestis superbientes, se nobilitate & claritate reliquas Occi-
dentis gentes longè antecedere putant. Victus horum paulo quàm Italorum
delicatior. in supellectili nullam inuenias differentiam. lingua Gallorum dif-
fert à lingua Italorum: nec tamen adeò ab ea recedit, ut eam aliam ab Italorum
lingua dixeris. Primas semper ferre uolunt, quascunq; Occidentis accesserint
gentes. Verùm aliquantulum de ista insciția remiserunt, postquàm Angli, ge
nus hominum Britanniam incolens, illam gentem debellauerunt, regio-
nemq; & ipsos suæ ditioni iunxerunt. Cum eos regno spoliassent, exerci-
tum Lutetiam adduxerunt, eamq; urbem obsidione circumdedere. Discor-
dia autem inter Gallos Anglos que exorta, huiusmodi principium habuit.
Vrbs est, Caledam nomine uocant, sita in maritima Celticæ Galliæ regione,
iuxta Oceanum. Claritate non admodum celebris habetur: uerùm locus, ubi
ædificata est, natura censetur munitissimus. Commodissimè hinc ex Gallia in
Britanniam nauigatur. Tanta quoq; portus commoditas est, ut præbeat uiam
facilem irruendi in Galliam. Rex Britannorum proditionem pacisens cum
oppidanis, istam urbem per insidias in potestatem accepit: captam suo im-
perio rexit. Gallorum regi oranti, ut sibi restituatur ea urbs, respondit: Nunc
non esse sibi in animo ut reddat urbem. Præsidio quoq; eam firmarunt, trai- B
cientes eò ab insula. At ubi copias urbi admouit, eam longo tempore obsi-
dione pressit. Postea cum oppugnatio parum procederet, exercitum redu-
xit domum. Transeuntes itaque Britanni cum suo rege, denuò Gallorum re-
gionem populabantur: & adcurrentes cum Gallorũ manu non modica, præ-
lium commisere: maximam horum partem penitus deleuerunt. In hunc mo-
dum ista clades accepta est. Angli cum ad regionis prædam essent conuersi,
quicquid rapuissent, portabant retrò, ut in sua ea deportarent. Galli, ubi de-
prendissent eos in hunc modum agere, insequi statuêre. Priusquam tamen in
conspectum hostium ueniissent, Angli Caledam in locum munitissimum sese
receperunt. Verùm deinceps cinxerunt eos suis copijs constitutos in colle
quodam. Angli in ancipiti uersantes discrimine, & quò se uerterent nescij,
dicere iubent Celtis, se prædam reddituros, armaq; tradituros, si in columes
in suam regionem redire permittantur. Galli responderunt, se non prius eos
dimissuros, quàm pœnas iniuriarum uastatæq; regionis dederint. Hinc sen-
tientes Britanni in extremo se uersari periculo, manus conferentes cum Gal-
lis, pauci cum multis, uiros fortissimos se exhibuere. Hostes fugam inire
compellunt: fugientes persequuntur: plurimosq; eò loci trucidant. Verùm
quidam docent, nequaquam fas esse Gallis fugere: proinde nec fuga sibi con-
suluisse, sed fortiter præliantes ibi occubuisse. Hinc existimant Galli se for-
titudine gloriæq; splendore anteire reliquas gentes. At Britanni cum uicto-
ria essent potiti, minore iam cum metu arma mouere contra Gallorum urbes,
quas obsederunt: paulatimq; progressi, tandem prælium fecerunt in campo
Lypæ, sic dicto. Verùm cum eo die uictoriam non essent assequuti, castris po
sitis quieuerunt. At die postero prælium redintegrantes, Gallos constipatos
& confertos, separatos quoque, & quenq; nacti erant, necidant. Hinc regio-
nem Galliæ propemodum uniuersam subijcientes Britanni, mouerunt con-

tra

A tra Lutetiam regni ſedem. Iam periculum grauiſſimum Gallis impendebat: proinde ad ſuperſtitiones, ut in huiuſcemodi fortunis fieri ſolet, conuertuntur. Erat mulier forma haud illiberali, quæ dicebat ſibi cum Deo eſſe colloquium. Hæc regebat Gallos, qui ipſam ſequebantur. Mulier autem cum foret militiæ dux, indicabat numinis indicio ſe ſcire, Britannos cum exercitu accedere. Commiſſa tandem pugna, cum uictoriam Angli non eſſent adepti, in caſtra ſe receperunt. Poſtero die freti uirtute mulieris, quæ exercitum ductabat, prælij poteſtatem faciunt. Eo in prælio hoſtes fugarunt, fugientes perſequuti ſunt. Mulier illa in eo prælio deſiderata eſt. At Galli cum recepiſſent animos, iamq; fortitudinis collegiſſent famam, fortiter contra Britannos dimicantes, urbes ſuas recuperarunt, regnumq; tutati ſunt. quamuis plurimi & maximi exercitus à Britannia in Galliam tranſirent, tamen Galli ſemper uictoriam pugnantes inuenere. Hoſtes fugere coegerunt Caledam, tandemq; penitus eos è Gallia pepulerunt. Britannia & inſulæ tres ſunt è regione Flandriæ, longè lateq; Oceanũ occupantes. Vna ſita eſt eò loci, ubi maris inundatio ſiue æſtuarium conſpicitur. Reliquæ tres ſunt, ubi aquæ in gurgitem conuerſæ reuertuntur. Rectius quis dixerit, iſtas inſulas unam eſſe: quoniam una exiſtens, & ad eandem ſeſe extendẽs, ijſdem legibus & moribus ijſdem gubernatur: & uni ſubiecta magiſtratui, quæ ſibi utilia ſunt, proſpicit. Inſulæ huius ambitus continet quinque maximè millia ſtadiorum. Eam tenet gens populoſa & fortis. Habet urbes magnas, & opibus florentes, nec non uicos quamplurimos. Rex eam gentem imperio temperat. Londras regni metropolis & ſedes habetur. Sunt in iſta regione principatus non pauci, qui obtemperant regi, non ſecus ac in Gallia fieri ſuprà memorauimus. Nec quiſquam rex facilè his principatum eripuerit: nec etiam præter ſuas conſuetudines ſta-
B tutaq; regi obſequi tenentur. Ea inſula plurimas calamitates experta eſt, gerens inimicitias cum multis principibus, cum rege quoque inimicitias ſuſcipiens, & inteſtinis ſeditionibus interdum laborans. Profert regio iſta uinum nullibi: nec etiam reliquorum fructuum admodum fertilis eſt. Frumenti autem & hordei & mellis, lanæq; plurima eſt affluentia, adeò ut his longè reliquis regionibus uberior ſit. plurimas itaque ueſtes contexunt. Lingua utuntur propemodum peculiari, qua nec Germanos, nec Gallos, nec alios finitimos populos referunt. Quotidiano uitæ uſu, moribus quoque & uictu nihil à Gallis diſcrepant. parua ipſis uxorum liberorum´que cura eſt. Itaque per uniuerſam inſulam hic mos ſeruatur, quando quis amici domum uocatus ingrediatur, ut primùm cum amici uxore concumbat, ut deinde benignè hoſpitio excipiatur. In peregrinationibus quoque mutuis utuntur uxoribus amici. Eadem conſuetudo obſeruatur in Phrantalorum regione ibi maritima, uſque ad Germaniam. Nec probroſum ducunt, uxores & filias in hunc modum imprægnari. Metropolis eius inſulæ uiris opibus´que potentia reliquas urbes antecedit: diuitijs quoque & reliqua felicitate omnes urbes Occidentem ſpectantes facilè ſuperat. Fortitudine & uirtute bellica ea gens melior finitimis, & alijs plurimis Occidentis populis cenſetur. Quantum ad armorum habitum attinet, ſcuta Italica, & gladios Græcos geſtant. Miſſilibus utuntur oblongis, adeò ut plerunque ea ſtantes in terram defigant. Flumen iſtam urbem alluit magnum & rapidum, quod in Gallicum mare effunditur ab urbe ſtadijs decem & ducentis: ibi´que reſtagnat adeò, ut facilè nauibus hinc ad urbem accedere liceat. Et ſanè aqua refluit ægrè in fluuium aſcendens propter urbis obiectum, fluens per gurgitem, qui eſt in regione maritima Geogeutiæ. Vbi autem aqua in inſula ſe receperit in gurgitem, naues in ſicco deſtitui conſtat, expectantes donec inundatio aquarum ſolita redeat. Inundatio

aquę excreſcit,ubi plurimũ,ad cubitos regios quindecim:ubi uerò minimũ, ad undecim cubitorũ menſurã augeſcit. Nocte igitur & die recedentes, poſteà remeant aquæ. Luna cum fuerit in medio cœlo horizontis noſtri,& eius qui ſubter terrã eſt,in contrariũ motum aquæ diſcedunt. Verùm ut cauſſas huius reciprocationis inueſtigemus,in hunc modũ nos inquiſitionẽ facere oportet: Lunæ ſidus à Deo ordinatũ eſt,ut aquarũ naturã adminiſtret. Hinc credimus, Lunę naturã & temperaturã,quam initio à Deo magno rege accepit, nõ abhorrere ab aquarũ natura. Nam cum ſuo motu ſe in altũ recipiat, attrahit aquas ſub ſe exiſtẽtes,donec ad maximũ ſui motus aſſenſum peruenerit. Deinde ipſa deſcẽdente, aquę refluũt,nõ amplius,q̃ diu fuerit in deſcenſu,ipſam ſequentes. Vbi aũt ad ima ſui curſus deſcẽderit,et in altum iterũ aſſurgere incœperit,aquę redeũtes inundãt. Verùm ſi acceſſerint uẽti, accidit ut aquę magis moueant. Vndecunq̃ tamen motus principiũ aquę ſuſceperũt,cõſtat eas duplici motu moueri,imitantes huius uniuerſi cœli motũ,qui partim naturalis, partim uiolentus cenſet. Itaq̃ niſi in harmoniã anni à parte ſibi cõſona motus iſte receſſerit,plurimę & uariæ motus ſpecies exoriunt. Et ſanè inprimis ſuaue ſpeculationi, iucundũq̃ uiſui et auditui ſpectaculũ fuerit,ſi in debitã menſuram quandã huius uniuerſi anima contracta fuerit,quaſi ſentiat ſuos motus, & inter ſe cõmiſceat,debitãq̃ harmoniã,quę plurimũ delectationis cõtineat, pulchrè cõſtituat. Ab hoc motu duplici etiam anima noſtra motum duplicem accipit,& dupliciter corpora mouet, partim quidẽ ut creſcant, partim uerò ut decreſcãt. nam dum huius uniuerſi motũ anima noſtra comitat, neceſſitas exigit ut motus naturalis generationẽ & augmentũ,uiolentus uerò corruptionẽ & interitũ naturaliũ corporũ gignat. Hęc quidẽ,quantũ attinet ad Oceanũ,et ad duplicem eorũ quę animã habent,motũ quocunq̃ tandem motu impellat, dixiſſe ſufficiat. at humorẽ qui in noſtro eſt mari,nõ neceſſe eſt iſto agitari motu: uerùm pro natura uentorũ, & locorum,quibus opportunus eſt,motus ciere ſolet humor. Illa cõmemorauimus hactenus, quia ſpectare uiſa ſunt præcipuè ad Oceani reliquorũq̃ mariũ plerunq̃ motũ. Nunc unde digreſſi ſumus, redeundũ eſt. Rex Grę corũ cum in Galliã ueniſſet, regem Gallorũ phreneſi laborantẽ offendit: nec potuit à quoq̃ Gallię ducum impetrare ea propter quę iter in Galliã intẽderat. Quapropter cõſulentib. id optimatibus,qui ibi erant, moras trahere ſtatuit, donec rex curaret. Cum aũt morbus in longũ protraheretur, manere diutius nõ fuit auſus: proinde tranſita Germania & Pãnonia,domum rediit. Paiazites ea tempeſtate oppugnationi urbis Byzantię intẽtus erat. Miſit quoq̃ in Pelopõneſum exercitũ,qui cõplectebat quinq̃ myriades hominũ. His præfecit Iagupem eo tempore Europę ducem. Ipſe aũt incumbebat Byzantij oppugnationi,ut & id regnũ ſibi ſubiiceret. Iagupes,& Brenezes, qui tum clareſcere incipiebat,rebus fortiter geſtis,incurſionẽ fecere in Pelopõneſum. Et quidẽ Brenezes,cum ſæpius Pelopõneſum tentaſſet,tandẽ ad populationes animũ cõuertit,deuaſtãs Pelopõneſum,& alia Coronę Methonæq̃ finitima loca. Iagupes Europę dux cum exercitu accedens, Argos urbem oppugnare aggreſſus eſt: eamq̃ eo tempore obtinuere. At Theodorus Spartę dux hanc urbem uendiderat,cum Grę ci iam deſperarẽt de Byzãtij Pelopõneſiq̃ ſalute,ipſorũq̃ res in grauiſſima pericula adductę eſſent. Tunc igitur,cum Grę corũ res in ancipiti hęrerẽt periculo, Argos urbẽ Naupliõ Græcorũ oppido finitimã uendidit haud magno precio. Spartã tamẽ,cum in collo quiũ ueniſſet Rhodi Nazareis,ijs magna pecuniæ ui uendidit. Spartani cognito ſe traditos eſſe à ſuo duce,qui eo tẽpore aberat,Rhodi Nazareis,admoniti à ſuo epiſcopo,qui id indiciũ fecerat,in comitiũ euocant. Ibi multis ultrò citroq̃ iactatis,cõiurationẽ faciũt,& unanimiter cõſpirãt,ſe nulli Nazarę orum

aditum

A aditũ ad ſe cõceſſuros: imò quiduis potius mali ſubituros, q̃ Latinorũ Naza
ræis parêre uelint. Quo res iſta maiore auctoritate gereret, epiſcopũ ducem
creant. Venientib. Nazarẽis edicũt, ut cõtinuò ſuis finib. diſcederent: ſin mi-
nus, ſe eos pro hoſtib. habituros. Hi igitur, cum conatus omnes caderẽt irriti,
abiere, quaſi profecturi ad ducẽ Theodorũ. Theodorus ubi reſciuit rem lon-
gè aliter q̃ agitaſſet animo, euenìſſe, legatos ad Spartanos miſit, tẽtaturus eo-
rum animos, ſi redeuntẽ denuò ſuſcipere uellent. Vt aũt tentantis admiſerunt
orationes, regreſſus eſt in urbem, fidẽ dans, interpoſita iuriſiurãdi religione,
ſe nihil huiuſmodi amplius in animum inducturũ. Ea tempeſtate Veneti præ
ſidio arcem firmarũt, eamq; obtinuere. Contra Argos urbẽ, ut eam oppugna
ret, ſumma ui Iagupes copias duxit: aggreſſusq; murũ ſæpius, nihil proficie-
bat. Nec multo poſt cũ urbẽ duob. in locis ſimul adortus eſſet, eam capere ſum
ma ope nitebaẽ. Oppidanis aũt, qui in ſiniſtra urbis parte reſiſtebant, panicus
terror, ſpectro uiſo, iniicitur. Putabãt em̃ ſe uidiſſe uirũ quendã indigenã di-
centem, urbẽ in dextra parte qua oppugnabaẽ, captã eſſe. Relicto itaq; loco i-
ſto, citato agmine cõtenderũt ad dextrã urbis partẽ. Hinc hoſtes ſumptis ani-
mis muros ſuperarũt, urbemq; illam gloria & uetuſtate prẽſtantẽ ui occupa-
uere, penitusq; diripuere. Inde collegerunt Turci mancipiorũ tres myriades.
Quę omnia in Aſiam deportarũt, ibiq; habitare iuſſerũt. nec tamẽ potui inue
nire, ut credã id uerum eſſe: nec prętereà cognoſcere potui, quis locus, ut eum
incolerent, ipſis in Aſia à rege Paiazite aſcriptus ſit. Iagupes direpta Argo ur
be antiquiſſima, exercitũ abduxit inde. Poſtea etiã Brenezes breui magnam
potentiã nactus eſt, cũ intraſſet infeſto agmine Peloponeſum, & maritimã Ma
cedoniã, cõtra Albanos fortiter dimicãs, nec amplius electus eſt dux regiędo
mus: uerùm Turci eum ſequebanẽ prõptiſſimè, quocunq; exercitũ duxiſſet.
B Quia ubiq; felici rerũ utebaẽ ſucceſſu, exercitusq; ditabat, quócũq; militatũ
abiiſſet. Equites em̃ Turcorũ quidã, qui ꝓprio nomine notanẽ, nec mercedẽ,
nec quoq; magiſtratus honorẽ à rege accipiũt: ſemper ſequunẽ, quócũq; quis
eos eduxerit, cõuerſi ad ptædã & ſpolia diripiẽda. Horũ ſinguli bínos equos
habent: uni inſident, alterũ abducũt ſecũ, cuius opera in prædis agendis utun
tur. Quando aũt uenerint in terrã hoſtilem, accepto ſigno à duce, cõſcendunt
equos, quos ad id expeditos circũducunt: currunt citiſſimè nihil morantes: et
diſperſi rapiũt mãcipia, et quæcunq; caſus obtulerit. Eo modo nouí illos, qui
cum Orchanis filio Amurate, & cum Paiazite ea tempeſtate in Europã tran-
ſierãt, ad prædas ſe conuertiſſe, & id uiuendi genus ſibi elegiſſe: incredibiliq;
incremento breui ſumpto, maximas acquiſiuiſſe opes, habitantes undiq; per
Europã, ab Scopiorũ urbe uſq; ad Tryballorũ Myſiorũq; regionẽ etiã per
Macedoniã diſperſos. Deinde circa Theſſaliã plurimos quoq; ætatẽ egiſſe
cõſtat. Imperante Paiazite, fama eſt nõ modicã Scytharũ manum ueniſſe Da-
miã, & hinc legatos miſiſſe ad Paiazitem, qui peterent pecuniã & regionem:
quibus freti, trãſituri eſſent Iſtrum cum Paiazite, & bella Europæ geſturi. Pa
iazites plurimũ delectatus illorum ſermone, munera magna ꝓmiſit, ſi traijce-
rent, quemadmodũ eſſent pollicíti, Iſtrum: dicẽs, ſe ipſis aſſignaturũ Europæ
agros, ut ſinguli ibi uiuentes ſuos duces ſectarenẽ. Qui in hunc modum per
Europã diſperſi, equites facti ſunt optimi, reiq; militaris peritiſſimi. Deinceps
Paiazites timens ut duces illi Scytharũ Europæ ſtatui aliquã innouationem
inducerent, omnes comprehenſos, cum in unum cõueniſſent, obtruncauit. E-
tiam hodie Scytharũ magnam copiã undiq; per Europã morantiũ uidere eſt,
quos ſedes capere in Macedonia Thermę & Axio flumini finitima Amura-
tes iuſſit. Qui quoq; plurimos Turcos in iſtam regionem induxit, ut eam in-
colerent, Campus Zagoræ nuncupatus, iubente Amurate, habitari cœptus

est. Etiam Philippopolis regio, ab Amurate colonos accepit. At Chersonesus Hellesponti iam antè ab Sulaimano fratre colonos sortita est. Thessalia & Scopiorum, nec non Tryballorum regio, quà à Philippopoli usque in Hęmum, & Sophiam ist hoc nomine uicum patet, ab Amuratis filio Paiazite colonos nacta est: qui deinde Illyriorum & Tryballorũ regionem uastabat. Hæc loca omnia admodum opportuna fuere ad domandos hostes. Posteà & alij plurimi in hanc regionem confluxerunt, cum accepissent eam admodum esse idoneam recipiendis mancipijs, & alijs quæ hosti extorsissent, seq; ibi tutissimos fore certò scientes. Paiazites in Asiam transuectus, Ertzicam urbem oppugnauit, & oppugnatam suæ ditionis fecit. Hinc progressus, Melitinem urbem Euphrati impositam omni machinarum genere arietare aggressus est: at machinis aliquantulum fortiter restitit. Cum autem oppugnationem nullo modo intermitteret Paiazites, pactionibus in fidem recepta est. Eo tempore, quo arietes Melitinæ admouebantur, nunciatum est Paiazi ti, eam in deditionẽ acceptam esse. Tunc accedentes Asianorum Turcorum duces, precibus fatigarunt regem Temirem, ut singuli ab ipso in suam reducerentur regionem. Quo magis mouerent, religionem communem, et generis propinquitatem, qua ipsum contingerent, prætendebant: addentes se, ipsum suæ regionis & patrem & patronum elegisse. His adijciebant, ut cogitaret se propterea Asiæ esse regem, ut nullo modo sineret sui generis homines, cum nullas facerent iniurias, à quoquam contumelijs & iniurijs affici. Arbitrio autem eius permittebant, pœnas daturi quascunque iussisset, si contra fœdera quid in Paiazitem commisisse deprehenderentur. Temires Paiaziti non indignabatur, quia hactenus strenuè res gessisset contra hostes Turcicæ religionis. Vniuersi enim orbis nobis noti religio potissimum in duas diuiditur partes. Partim enim Machmetanæ, partim uerò Christianæ religioni adhærent. Reliquæ autem religiones, ut inutiles, nec in regnum admittuntur, nec etiam aliquam dignitatem merentur. Paiaziti autem nihil succensebat Temires, propterea quòd fortiter pugnaret pro herois Mechmetis religione: imò censebat ab omnibus ei plurimas gratias habendas. Hæc eius ab initio erat sententia. Vbi autem à plurimis ad se uenientibus cognouit, eum neutiquam æquitatis esse studiosum, nec contentum Asiæ regno fore, uerùm cum esset uehementioris ingenij, ut facilè turbini assimilaretur, expeditionem contra Syriam, & Aegyptum, & contra Memphiticum regem, eum moliri. His persuasus, legatos ad Paiazitem misit, ut eum, si aliquo modo posset, reconciliaret ducibus. Misit per manus legatorum etiam uestem, ut moris est regum Asiæ imperium tenentium, munus Paiaziti. Legati ubi ad Paiazitem uenerunt, huiuscemodi orationem habuerunt: Nobis Temires legationis onus imposuit, mittens tibi uestem hãc, munus, dicens, se tibi gratias agere ingentes, quòd herois nostri hostes magno animo debellas, & amicos semper acriter dimicãdo ad maiorem felicitatem producis, religionisq; nostræ negocium augustius constituis. Decet te profectò hostes nostros seueriter uindicare, at amicos & socios nobis cõiunctissimos nequaquam inimicos & hostes facere: nec etiã iniurijs obruere, uerùm beneficijs eos tibi obnoxios reddere annitaris. Si enim parũ dextrè erga tuos affectus fueris, quomodo hostes cum gloria domabis? Quapropter edicit rex Temires, Asiæ imperium ducibus ademptũ restituas, cum nihil secundum ea, quę pactis conuenerant, in regnũ tuum deliquerint. Si obtemperaueris, feceris mihi rem gratissimam, nec nõ Asiã Europamq; incolentibus, qui tibi gratias agent immortales. Sin autem quid contra fœdera eos feciss e putas, regi Temiræ eius rei iudicio mandarunt, subituri pœnas iniuriarum, si quę illorũ in te extant, quascunque

A que imperauerit. Paiazitem memorant cætera non iniquo animo, quæ ab legatis afferebantur, auscultasse: uerùm grauiter offensum esse munere uestis, quam Temires miserat. Hinc iritatus, in hunc modum respondisse fertur: Renunciate regi uestro, quòd mihi Temires, nec non reliqui qui in Asia degunt, gratias agunt, dum me incunctãter, ut religionem nostram tuear, hostibus impigrè opponam, me admodum mirari. In primis autem admiratione mihi infert, dum pecuniam, & milites, reliquaq; ad ista certamina necessaria offert: nec tamen in huiuscemodi negocio à partibus nostris stare deprehenditur. Verùm in me hostilia meditatur, adimendo regionem, quam meo marte, deuictis aduersarijs, & insidiatoribus meis, in potestatem meam redegi, & possideo. Quomodo igitur mihi gratias habes atque agis, quemadmodum modo uerbis declarasti? Porrò quòd ad uestem attinet, regi uestro nunciate, ne post hac & genere opibusq; præstantiori huiusmodi munera mittere in animũ inducat. Hæc ut relata sunt ad regem Temirem Semarchandam, ira grauiter accensum ferũt uestitus cõtumelia: & statim misit preconem qui imperaret, ne quamprimùm ducibus imperium restituere dubitet: se enim sic decreuisse. Sin parêre recusarit, se ipsum pro hoste habiturum. Caussam illam disceptauit rex Temires, atque talem sententiam dedit: Turcorum duces iniurijs à Paiazite esse affectos. Proinde seipsos, dum uita fruatur, haud neglecturum uagos oberrare per Asiam, exutos regno suo. Paiazites nuncium cum huiusmodi responso dimisit: Nisi cum exercitu aduersum nos procedat, precor ut uxorem suam ter repudiatã tandem iterum assumat. Hoc quidem uergit in contumeliã Turcorum, uidelicet ter uxorem suam recipere, nisi persuadeatur. Quia legem habent Turci, qua cauetur, ut is qui uxorem dimittit, edicat se non amplius ipsam in sua admissurum. Quasi id factitare haud fas sit, postquam sibi ad tres splenes matrimonium dissedisse dixerit marítus, recusans ad idem matrimonium redire, nisi quis ter splene in medium procedente, denuò ducat ab alio adulterio pollutam. Hæc ubi nuncius accepit, iter ad regem Temirem maturauit. Aiunt, Temiris uxorem admodum in rebus maximis superstitiosã extitisse: nec permisisse Temiri, ut infesta arma inferret Paiaziti, uiro laude digno, qui magna cum gloria pro Mechmetis religione contra Christi fidem dimicarit. Verùm monuisse regem, ut uirum tantum quiescere patiatur, nec ei negocia facessat, qui non commeruerit ut aliquid mali ab eiusdem religionis consortibus accipiat. Vt nuncius Temiri mandata explanauit, uxorem suam uocauit, nunciumq; eadem, ipsa audiente, recensere iussit. Qui cum dicto paruisset, & Paiazitis mandata exposuisset, aiunt Temirem interrogasse uxorem suam, an adhuc iustum esse censeat Paiazitem iniurijs certantem missum facere, at finere tales impunè ferre? Et sanè manifestus erat, etiamsi ad priorem inclinasset uxor sententiam, bellum inferre Paiaziti. Sic enim se legibus uxori coniunctum esse dicebat, ut testaretur se illius iniurias uindicaturum, quicquid tamen patiendum foret. Vxor autem eo tempore tale responsum dedisse dicitur: Verum ô rex quòd ille uir fuerit, taliq; morbo implicitus, nõ amplius ratione rectè fruatur, notũ est tum alijs cùm mihi, quæ modò eius audiui responsum. profectò si istum uirũ iure ultus fueris, prudenter feciisse uideberis, eiq; hoc modo ostendes, qualis ipse existens, quali uiro adeò fœda nunciet. hoc quidẽ tibi perspectum esse uolo, q contra eum uirũ, qui pro nostro heroe bella gerit cõtra Græcos, & cõtra alias Epiri gentes, bellum susc ipere haudquaq; fas esse duxero. sin aũt mihi stultè illudit, nõ arbitror iustũ esse, ut eas cõtumelias inultas abire

B finamus. Proinde bellũ uiro illi indicito, nec tamen ipse pugnaturus: uerùm si eius

si eius urbem Sebastiam diruerís, satís eum ultus fueris propter urbem Me- A
litinem, Euphrati impositam: & propter duces, qui apud nos ætatem agunt.
His in istum modum peractis, arma cepit, bellũ gesturus cum Paiazite, quem
sua sponte ad bellum prouocabat. Quidã perhibent, Temirem transita Meli
tine, uenisse Sebastiã: & postquam eam urbem subegisset, legatos misisse ad
Paiazitem, petitum ut ducibus regionem restitueret. Iisdem quoque man-
dauit, ut butyrum & tentoria flagitarent. Postulabatur butyri tantum, quan-
tum duo millia camelorũ ferre possent. Præterea petebantur tentoriorum pi-
leatorum, cuiusmodi utuntur pastores, duo millia. Ad hæc uolebat, ut per o-
mnia templa, quæ essent in regione Paiazitis, rex publicè pronunciaretur. Fi
lium Paiazitis in suis lanuis morari cupiebat. His addebat, ut in regionem
suam Temiris numisma admitteret, eoq; solo uteretur. Septem istas petitiones
Sebastia capta, Paiazití obtulit. Paiazites his grauiter accẽsus, iussit Temiri
quę antea de uxore eius recensuimus, explicari. Temires itaq; arreptis armis
cõtra Paiazitẽ, animo agitabat eius regionẽ in Asia sui iuris facere, & exinde
in Europam transgredi. Nec prius redeundi erat animus, quàm limites eius
attigerit, progrediendo usq; ad Oceanum, qui est prope Herculis columnas.
Ibi enim esse traiectum maris angustissimum, acceperat, distinguentem Euro-
pam à Libya. Hinc igitur in Aphricam transmittere decreuerat, qua in ditio-
nem recepta, domum tum demum remeare statuerat. Hęc quidem Temires a-
nimo uoluebat: uerùm postulabant maiorem fortunam, quàm Temiri à Deo
concessa foret. Paiazites uerò in spem erectus erat, se facilè uicturũ Temirem,
hostili animo accedentem. Spem istam faciebat coniectura, quam ab antiquis
ducebat temporibus, quæ confirmabat, Asianos reges nunquam quiuisse de-
uincere Europam: uerùm Europæ homines in Asiam progressos, regem suis
principatibus spoliasse. Hæc animo secum uersans, ingentes concipiebat spi- B
ritus, tanquam breuissimo bello etiam Temiris regnũ disiecturus. Cum huc
usque sermonis serie sim tractus, cogitemq; primam & secundam Temiris re
gis expeditionem, nec non mala quæ istis temporibus contigere, cogitatio
subit, Turcorum res incredibile in crementũ assumere potuisse, si uersus Oc-
cidentem ire cupientes, non inhibiti fuissent à rege Temire. Nec enim si se-
ditione regnum Otomanidarum arsisset, & mutuis discordijs ipsi inter se con
certassent, in adeò graue exitium res uergere potuissent, ut contigisse con-
stat defuncto Paiazite, cum eius filij fœdè inter se contenderent, regio-
nem que inuicem uastarent: unde maximam & grauissimam Turcorum
genti calamitatem inuexere. Nunc autem cum ad augustissimam di-
gnitatem à Deo Paiazites fuerit euectus, contigit ut aliquantulum mole-
stiarum experiretur, quo magis tandem modestiæ memor esset. Pro-
pterea enim ad Asiæ res emersit rex Temires, & Semarchandæ regno po-
titus est. quæ singula ut euenerunt, me commemorante accipie-
tis. Fama est, hunc uirum ab minimis & perobscuris
principijs profectum, magnam sibi
potentiam in Asia pe-
perisse.

LIBER TERTIVS.



EMIRIS expeditio prima, aduersus Sebastiã Cappadocię ut bem opulentã, suscepta est. Nam cũ accepisset Paiazitem pa rum pacato esse animo erga duces Asiæ, Turcorũ genere na tos: nec uoluisse cum his in gratiam redire, posiq; eos omnes suis fortunis expulisset: prętera cum sępius legatis missis ni hil æqui impetrare posset, uerùm audiret istũ usq; cõtumelias sonare, haud cunctandũ ratus, bello Sebastiã adortus est. Primordia aũt regni hæc erãt, uidelicet ut bellum gerens Paiazitem domaret, reliquos uerò metu perculsos in ditionem redigeret: nec prius bello abstineret, quàm totius Asię dominiũ acquisiuisset: quæ quidem omnia accidisse cognouimus. Hic Temi res fuit filius Sangalis uiri priuatã uitam agentis, cui, ubi duxit uxorem, tale quid accidisse cõperimus. Temires cum esset adultus, iamq; per ętatem isti of ficio idoneus foret, deferentibus oppidanis, oppidanorũ equorum curam na ctus est. Tandem in colloquiũ ueniens, cum reliquis istius regionis pastori bus effecit, ut inter se coniurarent, se uelle furtis colligere opes, & deinde ad aliam cõfugere regionem. Temires cum furandi foret peritissimus, plurimos equos, & iumentorũ, ouiumq; multitudinem immensam nactus est: neq; quic quam integri aut satis sani in isto homine erat. Ferunt, eum quondam, ut peco ris stabulum intrare posset, conscendisse murũ, animaduertentemq; se esse ui sum à patrefamiliâs, desilijsse in terrã (solent enim homines in ista regione iu menta & pecora muris circundare altissimis, quę difficulter ascendi possunt) quo casu fregisse crus, & hinc claudicationẽ contraxisse. Nec desunt qui per hibent, eum fortiter pugnam cientem, uulnere in pedem accepto, claudicare B cœpisse. Prelio aũt facto cum finitimis, profecti sunt pastores, qui ab initio cõ uenerant, duce Temire, cõtra hostes, rapientes quæcunq; casus obtulisset. Cõ silium dedit, ut caperent locum latrocinijs & furtis cõmodum, in quem quasi in munimentũ tutissimũ sese receptarent. Hinc profectus, latrocinando cru deliter grassatus est in prętereũtes, nulli parcere statuẽs. Corradens aũt magnã pecuniæ uim ex istiusmodi latrocinijs, alios uiros duos in societatẽ pellexit, Chaidarem & Myrxẽ, quos Massagetas fuisse accepimus. Quibus Temires adiutus, irruit in hostes regionem deprædãtes, eosq; fugauit, hostiũ equitatũ uniuersum perimens. Fama huius ut in urbem delata est, ciues nõ modicã ma num ei tradiderunt, addentes etiã pecuniã, qua militũ animos cõciliare posset. Deinde in hũc modũ instructus, suos cõfirmans & incitans, in hostiũ regione uersatus est, mãcipia & iumẽta plurima mittens in urbẽ, quę hosti extorserat. Rex Massagetarũ explorata uiri uirtute, eũ in maximo honore habuit. Nam imperatorẽ declarauit, uniuersosq; suos exercitus ei cõmisit, qui acceptis co pijs regis, mirabili celeritate usus est in deuincendis hostibus, subitò in eos incidens, atq; temporis momento omnes perdens. Temires, ubi ad manus uentum erat, hostes terga uertere coegit: ipseq; fugientes insequutus, compu lit in Babylonem Pogdatim nuncupatam: quam obsidione cingens, domi num suum regem accersiuit. Dehinc tempore modico interiecto, rex mortuus est: eiusq; uxorem uiduam connubio sibi iunxit Temires, regnique regimen sortitus est. Cũ aũt iam pro rege se gereret, Pogdatim & Semarchandã oppu gnauit. Nec multo pòst cum oppidani in militũ stationes excurrerent, nec uin cerent, uerùm uincerentur, reuersi in urbem grauissima obsidione affligebant. Quam cum tolerare amplius non possent, pactionibus intercedentib. se Te miri dediderunt. Cum in potestatẽ uenisset Semarchanda, proditionis cõsilia iniit cum ijs qui erant in Babylone, usus ad eam rem ministro Chaidare. Myr xes uir extitit æqui studiosissimus, adhortabaturq; Temirẽ, ut iram supprime

ret, nec

ret,nec ad rem conferre pararet quæ ipsa dictaret. Non ipsi conuenire imperiũ Babylonis. Hic etiam Temirem edocuit Syssitiorum rationem. Nam uniuersum suum exercitũ secernens Temires in decumas et manipulos & cohortes, iubebat decurionẽ præbentem suis alimenta, cõtinuò, quã docunq; usus postularet, præstò esse cum suis militibus, eosq; manipulorũ duci tradere. Hos pręterea uolebat, ubi additi fuissent manipulorũ duci, suo parêre singulos ductori. Cum uenissent in Syssitia, nullus erat cui non esset locus designatus. Cibum mercari iussit in reliquum exercitũ iuxta ea quæ communi consensu decreta fuerãt. Imperauit, ut singuli duces minores frequenter, sicuti præciperẽt maiores duces, suos monerent, ne eos ocio torpescere sinerent. Hinc contigit ut nullus explorator, uel peregrinus aliquis clàm in Temiris castra penetrare, & in ijsdem morari posset. Ordinauit uirũ, cui hoc negocij imposuit, ut peregrinos, si qua re indigerent, aduenientes hospitio exciperet. Quapropter hæc diligẽs disciplina effecit, ut uniuersus iste exercitus ad nutũ & arbitriũ regis, quocũq; uellet, facilè moueretur: eoq; ducẽte excitì, uno signo cõfestim aduolarent, parati se regi utẽdos dare quacũq; in re uoluisset. Vespera appetẽte, accipientes signũ à duce suo magno, singuli maturant iter ad tentoria, & ad contubernales suos. Vbi aũt milites in tẽtoria sua se receperunt, uigiles ad hoc creati in castris oberrant, si quem inueniant extra tentoria morari. Si talis occurrerit, eum capientes, supplicio capitali subdũt. Si aũt quis explorator accesserit in castra, is, ut cui nullus sit ascriptus locus, extra tentoria cubare cogitur. proinde rerũ omniũ ignarus, dubiusq; quò se uertat, cõtinuò à uigilib. in uincula ducit. Hic modus & hęc est forma Syssitiorũ regis. Chaidares regis amicus, laborũq; socius, ei admodũ diligẽter in necessarijs ministrare nouit. Regem quoq; incitare nunq; destitit, ut bella aggrederetur plurima, ne ocio & quiete corrumperet. Aiunt Myrxiẽ, ubi ad Semarchandæ regnũ euasisset, tale quippiam fecisse. Cum Temires cum suis oberraret, latrocinijs gaudens, accidit ut familiares Myrxijs de felice rerũ Temiris successu dissererent, eoq; tandẽ uenirent, ut dicerent, eum breui etiã Semarchandę regnũ cõsequuturũ. At Myrxies respondit: Regnũ Semarchandę firmius est q; ut occupari posset à latrone, & priuato homine. Sin aũt aliquãdo cõtigerit, ut Semarchandæ regno iste potiatur, precor nõ amplius superstes maneã, sed cõfestim ut mendax obtruncer. Hæc quidẽ seriò, nõ ioco loquutus est. Nec tamen satis prosperũ sermo ille habuit euentũ. Deinde tempore interposito, cum urbis regimen Temires esset adeptus, honores maiores Myrxies q; Chaidares apud regem inuenit. Hinc cõmotus Chaidares, dixisse fertur: Tẽpus iam esse, ut sermo ille quem loquutus fuerit Myrxies, ad rem conferat. Extare enim eius sermonis testes plurimos. Vt igitur sermo ille effectũ sortiretur, Myrxiem capitali supplicio subdi iussit Temires, in memoriã redigens se nactũ esse Semarchandę regnũ, ipsumq; falsum esse animo, proinde mortis reum teneri. Dubitabat aũt quomodo uenerareturẽ manũ Myrxijs quondam regis, ea uerò tẽpestate priuati, ne trãsiret impunè eius dictũ. Orationem igitur huiusmodi cum Myrxie habuit. Haud arbitror latere eos, ô Myrxies, uosq; duo, & reliqui omnes, quib. artibus imperiũ auxerimus. Duo illa semper summa diligentia sectati sumus, dum nobis regnũ amplissimũ pararemus, nempe studiũ uehemens in rebus gerẽdis, & ut bona fide coleremus pacta, quę cum amicis hostibusq; fecissemus. Nec solũ iuramẽto, uerùm & sermone declarauimus, nos cõcordiã cũ ijs agitare, quasi nihil ubiq; terrarũ & tutius armisq; omnib. firmius in uita humana inueniri possit, q; cõcordiã amplecti, nec ab amicis dissentire, nũc hoc, nũc aliud seq; cõsiliũ, pponentes: siquidẽ sæpe cõmemorauimus, nos illo solo Dei imaginẽ repręsentare. Si aũt q; s mortaliũ nihil sani unq; dixerit, quo si qd facere aggrediat, ei bona obuenient? Meministine, meã cũ prehẽderes manũ, te dicere

A te dicere: Si Semarchandæ nancíscerer regnum, paratum te esse oppetere mor
tem? Hæc igitur cum sub multis testibus ea pronunciaris, tempus est ut con
ficias, nostramq; dextram isto pacto liberes. Myrxies, ut dicendi finem facit,
rex talem exorius est orationem: Verùm enimuero, ô rex, ad hoc imperium ut
deueneris, & tu nosti, et omnes quotquot præstò sunt. Nec etiã horruisti sum
ma uitæ adire discrímina, ut istam tibi parares felicitatẽ. Vulnera uidere est,
quæ accepi dum tibi inseruire & gratificari cupio. At enim si quid temerè di
xímus, an non id æquum est mihi aduersa fortuna utenti, & amícis, à quibus
beneficijs affectus fueris, condonare? Illud autem, ô rex, priuato homini non
admodum impedimẽto fuerit. Vbi autem alia regni affulserit forma, tum nõ
fas est, si quid pactus fueris, irritum facere & transgredi. Etiam Deus plu
rima nobis bona largitur, si in nos delinquentibus ueniam dederimus. Si i
gitur mihi peccati impunitatem concesseris, maiora à Deo tibi obuenient
tandem bona. His dictis, non persuasit Temeri, qui respondebat: Venia dan
da est erroribus eorum qui quid præter uoluntatem admiserint. Quo pacto
autem fortunã retinere potero propitiam, si hostem meum nõ necauero? Hæc
ubi loquutus est, Myrxiem peremit. Peremptum regaliter sepeliuit, longo'
que tempore luxit. Post hæc bellum sumpsit aduersus Hyrcanos, & contra
gentes quæ mare Hyrcanum accolunt: quas omnes perdomuit. Idem mare &
Caspium dicitur, uersus meridiem Saccas habens accolas, & Caddusios: tri
ginta millibus stadiorum uersus Orientem & Septentrionẽ accolas habens
Massagetas, genus hominum bellicosum. Longũ est uiginti millib. stadiorũ.
Massagetæ dicũtur profecti esse in Persiam, ibiq; multas occupasse urbes. Fe
runt etiam, Temirem ex isto hominũ genere ortum, cum Massagetis festinasse
contra Semarchandæ regnum: & debellata Assyriorum monarchia, id obti
B nuisse. Mare autem istud cum sit receptaculum multorum & magnorum flu
minum, maximum esse cognouimus: & ad plurima stadia excurrit, nullibi in
exterius mare, quemadmodum dicitur, se fundens. Attamen ego fossam au
diui ex isto mari progredi, quà in Indicum mare effunditur. Accolunt mare
istud gentes plurimæ, & bellicosæ. Etiam pisces suppeditat plurimos, & bo
nos. Largitur & ostreas, quæ margaritas habent. Supra hoc mare, Indicum
mare uisitur. Naues onerariæ plurimæ nauigant uicissim nunc hoc, nunc illud
mare. Mare istud uersus Orientem, maximè ea parte qua Asia est, uergit. In
hoc se effundunt, Araxes fluuius maximus, et Choaspes uersus Orientem flu
ens, & alij fluuij plurimi. Gentes quidem illas, quæ mari huic adiacent, à Cad
dusiis regnari, & tributa quotannis in Caddusiorum urbem inferre aiũt. Hos
bello appetere instituit Temires, ubi deuicerat Hyrcanos, horumq; regem è
mortalium numero subtraxerat. At Caddusii contrahebant copias quàm po
tuere maximas, fortiter repugnaturi accedenti Temiri. Temires, ut didicit
Caddusios in armis esse, quã primùm Chaidarem mittit oppugnatum ipsorũ
urbem, & ut eam subitò caperet. Ipse autem expectabat rei euentum, quàm
proximè Caddusiis castra sua locans. Caddusii ut intellexere hostem in ipso
rum urbem contendere, palantes nullo ornatu & ipsi in suam urbem iter in
stituere. Temires uenientes ex insidijs adoritur: acieq; instructa eos aggres
sus fudit, fusosq; insequens ad urbem usque tractus, eam, cum aliquanto tem
pore oppugnasset, tandem cæpit. His ita peractis, Arabiam bello petere sta
tuit. Arabes genus hominum opulentum, magnũ, & antiquum, nulli quan
tum ad felicitatem attinet, cedens, esse certò constat: multamq; Asiæ partem
occupat utens mari, quod Rubrũ nominamus. Est autem Arabum regio la
tissima, & ad habitandum omnium Asiæ regionum pulcherrima. Viri iustis
simi, &, quantum ad religionem pertinet, sapientissimi eam tenent. Creantes
regem, non tyrannum, sed uirum æquitatis amantissimum, & maximè æ

qualitatem respicientem eligunt. Arabici regni sedes est urbs iuxta mare A
*Nomen nõ habet exemplar Græcũ. sita, quam * uocant, magna, opibus que uigens. Finitima est ea gens Aegypto, & Persarum Assyriorum que regionem attingit. Nam à Colchide, & Pharus regione ad mare, quod porrigitur in Cœloiyriam, usque ad urbem
† Numerũ non habet exemplar Græcum. Laodiceam dictam, fuerit iter dierum † uiro expedito pedestri itinere regionem transeunti. Hinc inferioris Asiæ istam partem scimus in Chersonesi formam redigi, Arabiam que extra Asiam relinqui. Est autem Arabia plurimis arboribus, palmis que consita, & in medio duorum fluminum sita, ab utroq; undique alluitur. Fructus profert supra modum tum magnos, tum multiplices. Hinc ueteres occasionem sumentes, eam Felicem appellauere. Hanc regionem armis in festis aggressus est Temires, incolis crimini dans operam strenuè nauatam Caddusiis, cum eos bello statuisset domare. Bis conflixit cum Arabum exercitu. Cum que eos uictos dare non posset, legatos mittens, militibus tributo que, quod quotannis penderent, imperatis, pacem cum eis fecit. Ea tempestate, priusquam in fœdus coiretur, Arabum legati ad Temirem accessere, poscentes ne regionem Herois, qui & ipsi de genere legislatoris essent, uastare pergerent. Huic orationi adijciebant, ut uelint esse patres eorum, qui Herois religionem sectentur. Gens illa non profana, uerùm sacra sancta que creditur, quia edidit Mechmetem legislatorem, qui illis stipatus, ut qui eius susceptissent leges, progressus sit ad Asiæ imperium, cum Arabes ubique plerunque uirtutis ostenderent facinora. Aiunt, legislatorem Mechmetem fuisse filium Halijs, Arabiam Felicem incolentis. Initio legislationis suæ nihil ui egit, sed persuasione primùm Arabes, deinde Syros cepit. Postea in suam sententiam traduxit Haliem regionis administratorem. qui, cum ipsi foret intima familiaritate coniunctus, facilè omnes terræ suæ incolas Mechmetis leges susciperè coegit. Leges e- B nim istæ nihil aliud quàm quietem, & numinis quendam furorem, perpetuam que meditationem continebant. Nam inter cætera lex est, ut quater diurno tempore Deum adorent: nec sinant, quęcunq; tamen inciderint, ab ista lege se auocari. Veneris die omnes uno cõsensu frequentes in templa commeãt, orationibus operam dantes. Legem habent, quæ edicit, ut nullam imaginem, neque aliam picturam in templa admittant, precationem ad Deum trãsmittentes. Eligunt sacerdotes, de quorum grege unus extra templum in turris pinnaculum ad id comparatum ascendit, magna que uoce Deum adorat. Preces solennes semper maiore uoce peragere solent. Hoc modo Turci preces suas concelebrant: atque tanta utuntur diligentia in ijs perficiendis, ut interim nihil uel laboris, uel alterius rei suscipiant, quo minus ipsæ interrumpantur. Quantum ad cætera, uidelicet ad uictus rationem, & ad reliquũ uitæ modum attinet, constat eos nullis inhiberi pœnis, adeò feruntur, quo minus uoluptariam sectentur uitam, affectibus nunquam non obtemperantes. Vxores enim ducunt, pellices q; ex mancipiorum grege numero tot deligũt, quotquot quilibet alere potest: uxores autem uirgines accipiunt nemine prohibente, donec quinque sibi copulauerint. Liberos ex mulieribus captiuis natos, non spuriorum numero habent. Sin autem ex pellicibus liberos ferant, eos spurios censent, nec paternæ hereditatis participes fiunt. Mercantur uirgines, quando quis suam uult elocare filiam. Faces ipsis præferuntur, quando nuptiale festum celebrant. Maritus si parum dextrè erga uxorem fuerit affe-
† Quid si legas, uicibus? ctus, ei edicit, se à tribus † splenibus ab ipsa auellendum. Si ad istum modum uxor repudiata fuerit à uiro, turpissimum esse creditur eam, quam quis repudiauerit, recipere. Nec etiam recipere eandem nisi ab alio adulterio inquinatam, licet. Vino uti nefas ducunt Turci. Nec audet aliquis de isto genere, nisi lotus, frequentare orationes. Etiam decimas quasdam quotannis seponunt

Deo,

A Deo. Ieiunium Mechmetes imperauit iſti hominum generi, quod durat tri-
gínta diebus, aut etiam amplius. Diebus iſtis omnibus nihil uel eſculẽti, uel
poculenti admittunt. Veſpere demum, ubi iam coruſcarint aſtra, ad cibum ca
piendum congregantur. Nulli autem licet, uel in primis iſto tempore, uinum
guſtare prorſus. Mentulam totam circumcidere ſolent. Confitentur Turci
Ieſum Dei eſſe Apoſtolum. Deum etenim ex angelo Gabriele & Maria uir-
gine, quæ nullum cognouerat uirum, Ieſum genuiſſe heroa quendam, homi-
ne maiorem ſiue auguſtiorem. In nouiſſimo die, quando uniuerſale iudicium
peragetur, aiunt Ieſum mundi iudicem ſiue arbitrũ fore. Suem attingere Tur
ci haud fas arbitrantur. Reliqua animalia edunt, ſi mactata fuerint. Deum u-
niuerſi eſſe moderatorem, haud ambigunt, dicentes eum uti miniſtris menti-
bus (ut uocãt) ignitis. Exiſtimãt autem Mechmetem ueniſſe miſſum à Deo,
ut ea replerentur, in quibus defectum patiebantur priſci à Deo prodeuntes
legislatores. Circumciſionem iudicant eſſe purgationem omnium præci-
puam: proinde circumciſionis tempore nuptias contrahunt. Solet iſtud homi
num genus ſepulchra iuxta uias collocare, nec in ullo alio loco ſepelire licet.
Sepulturę autem mandant cadauera lota, & omni à parte raſa. Eſt & alia lex,
quæ iubet, parére legislatori: non obtemperantem gladio ultore ferit. Ex Ar
menijs ſolis, quamuis ab ipſis in religionis negocio diſſentiant, mancipia nõ
rapiũt. Quia Armenus quidam uaticinatus eſt, Gloriam Mechmetis per uni
uerſum orbem propogandã. Eſtq; hæc unica cauſa, uiri honori id tribuẽtes,
quòd nulla ab Armenis mancipia abducant. Hæc quidem ubi Mechmetes
legibus ſanxiſſet, plurimam orbis partem occupauit. In Aſia, Libya, & Eu-
ropæ regione non modica, quæ ſe extendit ad Scythas, & ad eos qui hodie
B ſunt, Turcos, uſq; ad Iberiam, non parua Mechmetis extitit auctoritas. Mor
tuus eſſe traditur filio ſuo Alie Arabiam regente. Hunc enim legislatorem
ubi promptis animis aſſumpſiſſent, ei obedierunt in omnibus, quocunque
tamen ipſos eduxiſſet. Etiam rerum ſuarum ſummam iſti commiſerunt, ut i-
pſis pro ſuo arbitrio uteretur. Hinc copias contraxit plurimas, quas contra
Aegyptum duxit, & reliquæ Arabiæ quædam ſubegit. Tranſiens autem
loca arenoſa Arabiæ, gentes ibi morantes ſuo imperio adiunxit. Cum re-
gnaſſet annis, * defunctus eſt, in loco quodam cui nomen eſt Mecha. Mili-
tes regionis q; incolæ magnificè exequias duxerunt, & grauiter eum luxere.
Quotannis in eius honorem ſacra faciunt Arabes. Heroa etenim quendam
eum eſſe putant, eundemq; ut uirum ſanctum à Deo ordinatum, ut ipſis le-
ges ferret, quem in dandis legibus non tyrannum, at uirum quendam æqui-
tatis uel inprimis amantem iudicarunt. Mortuo Mechmete, Homires diſci-
pulorum ſpectatiſſimus, à filio eius regni moderamen accepit: aſſumptoque
exercitu, contra Syriam profectus eſt: regionemque plurimam partim ui, par
tim perſuaſione fœderibusque in ditionem acquiſiuit. Hinc in ditionem ue-
nere Cilices, Phryges, Medi, & Iones. Ad hæc ſuo imperio admouit quaſ-
dam ſuperioris Aſiæ regiones. In religione ſua gentes Aſiæ barbaras con-
firmauit, & quoſdam diſcipulorum ſuorum in alias regiones dimiſit, cu-
piens eaſdem in ſuam religionem recipere ſua dela. Sepulchrum quoq; pre-
cioſum in honorem Mechmetis adornans, ibi manebat. Sacra quoque ma-
gna quotannis in honorem Mechmetis fieri procurauit. perſuaſit alijs pluri-
mis, ut Mechmetem adorarent. Eos quoque iuſtos fieri aſſeuerabat, qui i-
pſius ſepulchrum inuiſerent. Etiam hodie non pauci ab Aſia & Libya, Eu-
ropaque, Mechmetis ſepulchrum adeunt, putantes ſe hinc maximam colli-
gere religionem. Quidam ipſi iſtam peregrinationem ingrediuntur: quidam
argentum numerant ijs qui pro ipſis peregrinationem ſuſcipiunt. Via autem

* Numerũ non habet Græcum exemplar.

quæ ad ſepulchrum ducit, eſt aſperrima, et difficillima. Eundum enim eſt per A
arenam, non citra camelorũ alimenta portantium opem. Nec etiam aqua, qua
utãtur, ad manum prompta eſt ſufficiens omnino. In hunc igitur modum ne-
ceſſaria præparantes, camelos conſcendunt, utentes ſignis, quæ uiam commõ-
ſtrent, magnetis demonſtrationibus. Colligentes igitur ab ſeptentrionali
plaga, qua orbis parte eundum ſit, eò uiam coniectãtes pergunt. Vbi autem
acceſſerint loca in quibus aquarum fuerint ſcaturigines, aquantes inde abeũt:
tranſitaq; arena, intra quadraginta dies ad Mechmetis corpus perueniunt. Se-
pulchrum eius compertum habeo extructum eſſe ex lapidib. precioſiſsimis,
& ſublime pendère in medio templo. Interuallum autem eius loci, ubi ſepul-
Nomen loci exemplar non habet Græcum. chrum conſpicitur, uſq; ad hunc locum* ſtadia continet circiter nonaginta. In
de egreſſi, ad eum locum contendunt. Ibi ſiquidem leges et Alcoræ explican-
tur. Animæ quoque immortalitatem aſtruunt. Nec numini ignorantiam ad-
ſcribunt. Hæc quidem hactenus, quantum ad Mechmetis religionem attí-
net, annotauimus. Temires autem cum regionem populationibus afflixiſſet,
urbesq; aliquot occupaſſet, Semarchandam ſe cõtulit. Scythas acceperat pro-
fectos à Tanai, in regionem ſuam impetum feciſſe, prædasq; egiſſe non mo-
dicas: quã quidem rem grauiſſimè tulit. Hinc rectà iter inſtituit cõtra Chatai-
das, ijs peſtem minitans. Hi antiquitus Maſſagetæ extitiſſe creduntur: & traij-
cientes Araxem, regionis partem fluminí adiacentem non modicam occupa-
runt: in qua & ſedes ſuas fixerunt. Hos domare parabat Temires. Proinde
comparans exercitum, qui complectebatur octuaginta myriades hominũ,
bello eos aggrediebat. Collatis tãdem ſignis, prælio uicit Chataidas. Dehinc
arma contra Agoram, regniq; eorũ ſedem ferens, pactionibus eam in deditio-
nem accepit. Conductis quoque inde mercede plurimis & optimis militib.
victor diſcedebat. Etiã obſidibus acceptis, imperatoq; tributo annuo, domũ B
reuerſus eſt. Chataia urbs eſt Hyrcaniæ, uerſus Orientem, magna & opulen-
ta. Multitudine hominum, & diuitiarum copia, reliquaq; felicitate ſupe-
rat reliquas, præter Semarchandam, & Memphim, Aſiæ urbes. Optimis
legibus eam fundauere iam olim Maſſagetæ. Mercede itaque ſibi parauit
Temires Perſarum plurimos, ut qui eſſent gnari rerum Scytharum, quia
plerunque cum his conuerſarentur, nec amplius forent in uictus ratione de-
licatuli. His munitus, animo agitabat uim belli uertere omnem in Agoram
eorum, quam Vrdam nominant. Audiens autem eam gentem omnium,
quas orbis habet, eſſe antiquiſſimam, nec ullum, qui præceſſerant, regum
domare quiuiſſe eam, quamuis magna damna dederint Europæ Aſiæque
ſuis incurſionibus, & hinc plurimas corraſiſſent opes, eo magis ad eam ex-
peditionem accendebatur. Præterea animo uerſans, etiam Darium Hyſta-
ſpis regem electum, & arma iſti genti inferentem, nihil effeciſſe: ipſe ſibi hoc
decus eximium petere ſtatuit. Vt iſtam rem ad optatum duceret finem, o-
ptimum eſſe ratus, ut quàm proximè ad ipſos accederet, in Cheriam ur-
bem, coloniam ducere decreuit, transferens eò milites, alios que homines
plurimos, ex Semarchanda. Huc, ut regis ſententiam intellexere, conuene-
re & alij plurimi proceres regni. Cum autem ipſe in eadem urbe uerſare-
tur, optimates, Aſiæque milites optimi ad ipſum quotidie confluebant.
Hinc urbs illa breui incredibiliter aucta eſt. Etiam bonis & ſaluberrimis
legibus gubernabatur, ſuperſtite adhuc Temire. In qua autem Aſiæ par-
te urbs ea ſita ſit, an in Syriorum, an in Medorum regione, aſſequi nequeo.
Sunt quidam, qui tradunt Ninum antiquitus Cheriam extitiſſe, & in Aſſy-
riorum regione locatam eſſe, coniecturam facientes à Pagdatina Babylone.
Temires ut urbem Cheriam habitatoribus repleuit, & in ea regni ſui ſe-

dem

A dem parauit, in animum induxit bellum inferre Aegypto, Scythis, & horum Agoræ, quam Vrdam nuncupant. Conscripto igitur exercitu maximo, & assumptis Chataidis, rectà ad Tanaim contendit. Scythæ, ut accepe-
runt Temirem cum copijs accedere, ut montium angustias, quà Temires exercitum traducere cogitabat, præoccuparent, miserunt & ipsi exercitum hosti obuiam. Scythæ quidem iam olim in tribus quasdam discreti, tenebant regionem ab Istro excurrentem usque ad Caucasi accolas. Nunc autem genus quoddam illorum hominum in Asiam aduenit, & ibi ea loca quæ Orientem spectant, inhabitauit, & hinc ad reliquam Asiæ penetrauit regionem. Istud hominum genus Sachatæos uocant, Supra Persarum regionem usque ad Saccas & Caddæos domicilia habent. Quidam ex his originem ducere Temirem asserunt. Gens ista fortitudine & bellicarum rerum gloria uincit reliquas omnes Asiæ gentes. His auxiliaribus Scythis Temires, ut quidam docent, ad Asiæ imperium euasit, deuictis omnibus, præterquàm Indis. Reliqui Scythæ à prædictis nihil differunt. Regem unum habent. Regni sedem Vrdam constituere: creauerunt que regem, qui ex uetustissima descenderet prosapia. Extat & alia pars eorum non exigua per Europam usque ad Bosphorum habitans, per eam regionem dispersa: quibus & ipsis rex est, qui ex antiquissima regum gente processit. Atziceries ei nomen est. Hi itaque, ut se commiserunt regi, in hanc uenere regionem, progressi usque ad Istrum. Hinc manus quædam horum non modica Istrum transuecta, Traciam uastauit, plurimas incursiones faciendo. Relicta Sarmatia, Tanaim uersus iter ingressi sunt, & pleraque gentis huius pars in regione Istro adiacente mansit: Eorum quoque non pauci transuecti Istrum, sub rege Paiazite ætatem egerunt. Scytharum gene-
B ra singula habitant, separata ab reliquis. Pars quædam eius gentis relicta cis Istrum, sub Cazimiro Litbanorum rege degit. Eandem regionem etiam nunc tenet, strenuè operam nauantes suo regi in bellis quæ cum finitimis gerit. Genus enim istud hominum quocunque accesserit, primas in rebus bellicis tenet, fortitudinis que gloria emicat. Qui autem Bospho-
rum & Tauricam insulam, quæ dirimit Mæotim paludem & Euxinum pontum, accolunt, imperio Atziceriis reguntur.

Subegerunt Gothos & Ianuenses, urbem Capham inhabitantes, ut cogerentur tributum péndere. Etiam Sarmatiæ quædam pars huic regi tributaria est. Sarmatæ, qui incolunt regionem uersus Euxinum pontum & Oceanum, magno Scytharum regi, qui in Agora regni sedem habet, tributum pendunt, iam inde ex illo tempore quo in Sarmatiam populabundi cursitantes, partim hominum, partim que aliarum rerum prædas egerunt: eam que diu obtinuere, impositio tributo, quod singulis annis magno Scytharum regi tribuerent. Sarmatia à Scythis pastoribus usque ad Dacos & Litbanos se fundit. Sarmatæ Illyriorum linguam in usu habent plerunque. Victu moribus que & Christiana religione magis Græcos sequuntur; nec perinde ipsis cum pontifice Romano conuenit. Habent Græcum Episcopum, cui in religionis ritibus auscultant. Viuendi rationem mores que Græcorum imitantur. Supellectilis apparatu repræsentant Scythas. Sarmatæ, qui loca uersus Euxinum pontum ab Leucopolichna urbe tenent, plerunque non regibus, uerùm ducibus utuntur. Moschobion, Ciebos, Phari & Chorobion urbes à tyrannis reguntur, tributúm que soluere coguntur. Nigræ, sic appellatæ, Sarmatiæ. Ea autem Sarmatia, quæ sub Septentrione colitur, alba Sarmatia appellatur. Versus Oceanum urbs est Vcratis nomine; hanc optimates administrant, diuitias que pluri-

mas suppeditat. Opibus facilè uincit omnes tum nigræ cùm albæ Sarmatiæ urbes. Ea regio extenditur usque ad Oceanum, Euphlaste nuncupata. Huc appellunt à Dacia & Germania naues, merces Gallicas & Anglicas in eam regionem aduehentes. Ab Tanai usque ad Oceanum Britannicum fuerit iter, ubi longissimum per eam regionem, quæ habitatur secundum longitudinem, dierum trigintaquinque. Latitudo supra Tanaim amplectitur regionem maximam à Sarmatia usque ad Assyrios, quam Scythæ colunt. Est quidem, ut mihi uidetur, ea regio, quæ ultra Tanaim habitatur, longè latè que ampliſsima. Permij uersus Boream supra Sarmatas morantur. Sarmatis finitimi sunt eius linguæ commercio utentes. Permios ferunt gentem esse antiquissimam: uenationibus que uiuunt, & plurimam uitæ partem eo in studio consumunt, &

*

*Omissum est aliquid in exemplari Græco.

Sarmatia uersus Oceanum excurrens, ad regionem Prusiam dictam se extendit. Finitima est Nazareis, qui ibi sunt candido amictu gaudentes, & eorum monasterio quod in ea regione situm est. Isti homines Germani esse creduntur, quia eorum uictum mores que, necnon & linguam sectantur. Incolunt urbes pulcherrimas, & legibus optimis instructas. Est his monasterium, quemadmodum Iberis & Rhodijs, quod Nazaræi inhabitãt. Nam tria ista monasteria Iesu religionem amplecti uel inprimis per totum urbem, & contra barbaros ordinata esse, omnibus manifestum esse reor. Monasterium namque quod Iberia habet, arbitror Afris ea trajscientibus oppositum esse. Idem quoque opponitur Prussijs ad Samotas transeuntibus, necnon Scythis pastoribus, ibi in propinquo iam ab antiquo sedes habentibus. Rhodios constat ibi morari, ut resistant Aegyptijs & Palæstinis, propter Iesu sepulchrum: etiam, ut obsistant Asiæ barbaris, Rhodi ætatem agunt. Prusios attingunt Samotæ, gens robusta, uictus ratione, & lingua, nulli finitimarum similis. Deos uenerantur, Apollinem & Dianam. Victus rationem sequuntur, quam Græci uetusti tenuere: eosdem & moribus repręsentant. Supellectilis apparatu imitantur Prusios. Iis confines sunt Boemi, sequentes superstitionem Samotarum, necnon Germanorum, qui ibi colunt: Supellectilis apparatu nihil differunt à Pannonijs. Metropolim ea gens habet opulentam & populosam, quam Bragam appellant. Nec multum temporis interceſsit, ex quo ea urbs cessauit colere ignem et solem. Sola hæc gens earum, quæ intra extra que Europam sunt, quas nouimus, adhæresit Iesu, Mosis, Mechmetis que religioni. Nam omnes has religiones, quamuis nos in ignorantiæ tenebris plerunque uersemur, gentem istam tenere compertum est. Est quidem, quemadmodum audio, ultra Caspium mare & Massagetas, gens quædam Indica, dedita Apollinis cultui. Colit & alios deos gens eadem, uidelicet Iouem, & Iunonem, ut infrà fusius dicetur. Hæc quidem hactenus. Poloni contermini sunt Sarmatis, quorum & linguam in usu habent. Victus ratione moribus que nihil discrepant ab Romanis. Polonis annexi sunt Litbani, qui & ipsi usque ad Euxinum pontum Sarmatiam que pertingunt. Et quidem Pogdania nigra, quę regni sedem habet Leucopolichnam, à Dacis Istrum incolentibus, ad Litbanos & Sarmatas se proijcit. Gentem autem istam satis esse probatam, uel hinc quis conijciat, quod linguam suam retinuere. Iam olim ea gens in duas partes diuisa, partim quidem à principibus, partim uerò à ducibus regitur. Litbanis, quantum ad linguam attinet, nihil conuenit cum Sarmatis, cum Pannonijs, cum Germanis, nec etiam cum Dacis. Nam quasi peculiarem linguæ

usum

A usum tenent. Vrbs, quam regni sedem constituerunt, magna & opulenta, populosa'que est. Apparet facilè, istam gentem esse maximam omnium, quæ in hac regione uersantur. Fortitudine nulli postponenda creditur. Strenuè prælians aduersus Prusios, Germanos & Polonos, gentes finitimas, ut suos tutetur fines. Sequitur mores & uictus rationem Romanorum: supellectilis apparatu nihil à Sarmatis differunt. Cùm autem ferè undique Nigrã Pogdaniam attingant, plerunque aduersus eius regionis incolas pugnas cière solent. Sarmatarum lingua similis est Illyriorum, Ionium ad Venetos usque accolentium. Vtri autem horum uetustatis prærogatiua gaudeãt, & utri alterorum regionem teneant, an uidelicet Illyrij in istam Europæ partem recedens, Poloniam & Sarmatiam incoluerint: aut an Sarmatæ ad hæc Istri loca adeuntes, Mysiam, & Tryballorum Illyriorumq; regionem, qua uersus Ionium patet usque ad Venetos, inhabitarunt, neque quenquam audiui ueterum commemorantem, nec ipse possum ea quàm uerissimè explicare. Redeo nunc ad Scythas Nomades, quæ gens numero, fortitudine, necnon generositate, si comparationem facere libuerit, facilè omnibus per orbem gentibus superior est: nisi quòd per Asiam & Europam dispersa, & nunc in hac, nunc in alia regione à regno remota habitet, ut quæ incursionibus faciendis semper inuigilet, & in ea regione morari, quæ fortè arriserit, in animum inducat. Si ea gens concordiam inter se celebraret, unamq; regionem regem'que amplecterentur, non arbitror aliquam gentem in toto orbe adeò ferocem esse uiribus, quæ Scythis bellum indicere auderet. Nunc autem cum undique per Asiam & Europam, necnon per Thraciam usque ad Bosphorum dissipati habitent, quàm longissimè à sua regia submoti cernuntur. Qui regionem, quæ se ad Bosphorum pandit, tenet finitimis Tzarcasis, &
B Migrelijs, Sarmatis'que multa negocia facessunt prædis agendis. Abducentes igitur inde mancipia plurima, pergunt ad Bosphorum, & ad urbem Caream. Postea agentes mancipia ad Mæotim paludem, ea paruo ære uendunt Venetorum & Ianuensium mercatoribus. Hunc uitæ modum tenent. At Scythę, qui morantur in Agora, plaustris & iumẽtis uehuntur. Lacte plerunq;, etiam equina carne uictitant. Nec frumenti, nec hordei usus apud hos, quod sciam, frequentatur: uerùm utuntur panico, & ficis. *

Chlænis siue lineis uestibus uestiuntur. Quantum ad margaritas lapidesq; preciosos pertinet, felicissimi & ditissimi censentur. Sagittæ eorum, necnon gladij barbariem redolent. Scuta habent qualia gestant Daci. Pileis autem plerunq; utuntur, neque * quà attingunt Sarmatiam: necq; uestitus ipsis est ex filis contextus, uerùm ouium uellera induũt. Agora Scytharum, magnicq; eorum regis, patet itinere quindecim dierum. Itaque regione fruuntur, qua ipsis commodissimũ usum fuerit. Quidam numero pauci, dispersi ab utroq; latere, unum habẽtes ducem, Agoramq; faciunt longissimam, & regionẽ depascunt, iumentis larga præbentes pabula. Reliqui in eum ordinem redigunt̃, qui penes ipsos optimus esse creditur. Nam, regem solum, regnicq; proceres circulo circundant: munimentaq; facientes, regiam sedem regi præbent ex ligneis cõpagibus preparatam. Deinde partiẽtes Agorã hanc uniuersam in quasdã partes, singulis magistratus seu duces præficiunt: & quã do imperauerit rex, confestim omnes aduolãt imperata facturi. Ea igitur tempestate cum Temires ductaret Asiæ exercitũ, Scythęq; intelligerẽt eum aduersum se hostiliter, pficisci: rex uniuersa Agora in exercitũ allecta, imponens onera plaustris, propriis uiribus, hosti obuiã procedebat. Exercitus partem præmisit ad præoccupandas angustias montiũ qua traductus exercitum Temires erat. Hos iussu fortiter resistere hostibus, eos

*Omissũ est aliquid in exemplari Græco.

aditu prohibentes. Qui dicto audientes fuere. Temires accedens exer- A
citum, rectà uersus Tanaim mouebat, à dextra habens montem Cauca-
sum. Vbi autem irruit in Scythiam, deprehendit Scythas castrametatos
esse: Qui ut acceperunt aduentum Temiris, aciem instruunt, prælij co-
piam facturi. Ipse quoque Temires suos in aciem educebat. Tandem in
angustijs commisere prælium: non tamen uicit Scythas Temires, uerùm
propemodum æquo Marte est pugnatum. Dehinc cum receptui cecinis-
sent, die postero iterum ad prælium accingebantur. Adeò fortiter dimi-
carunt Scythæ, ut pellerent Temirem, planéque desperaret se in ipsorum
regionem intrare posse. Clades maxima ibi Temiris exercitui illata est à
Scythis. Deinde cum non posset superare angustias, exercitum abduxit,
& domum reuersus est. Aestate autem insequenti conscribens exerci-
tum quàm potuit maximum, bello petere Aegyptum statuit. Postea ini-
to consilio, transuersis itineribus peragens cursus quàm maximos, omnem
belli tempestatem in Scythas denuò uertit. Et quidem sua celeritate Scy-
thas præuenien s, Scythiam ingressus est: & dimicans cum ijs, qui ad an-
gustias tutandas properabant, eos uertere terga coegit, neque ad flagitium
militiæ ducitur. Ita habent mores. Scythæ namque maximam istam com-
moditatem habent, ut in fuga se conuertere possint, prælium que cum hoste
redintegrare, nihil interim periculi in fugam sustinentes. Deinde cum Scy-
tharum regem infesto animo peteret, longius progressus est, & ad prælium
suos instruebat. Scythæ eludentes Temiris consilium, nocturno itinere
profecti sunt à castris eius stadijs circiter centum & uiginti. Horum uesti-
gia toto die sequutus Temires, tandem eos assequutus est. Quemadmo-
dum antea, sic & nunc noctu discedunt Scythæ. Itaque insequendi studio
grauiter affligebatur Temiris exercitus. Hinc motus Temires, Scytharum B
regem ad prælium prouocat. Scythæ castra locantes eo die, qui sequebatur
ordines explicant, aciemq; contra Temirem dirigunt in turmas collecti. Te
mires & ipse suos in aciem educit: aciem mediam occupat ipse. In dextro
cornu Chaidarem cum Massagetis ponit. In sinistro cornu filium suum Sa-
ruchum curare iubet. Hinc additi sunt Persæ, Assyrij & Chatagij, quotquot
militantem Temirem sequebãtur. Cum iam utrinque satis instructi exerci-
tus concurrissent, tandem uehementi prælio commisso, Scythe nequaquam
uictoria potiti sunt. Proide quasi ui propulsaturi hostem, cooriuntur in Te-
miris exercitum. Cum autem nec sic quidem cœpta succederent, fugam in-
eunt, plurimis in eo prælio desideratis. Ceciderunt quoq; non pauci Persæ.
Postea cum prælíando nihil efficerent contra Temiris exercitum, circumdu
cere parant hostes, ut eos intra regionem cõcludant. Verùm Temires cogni
tis Scytharum insidijs, sententiam mutauit, atq; ex infesta regione copias du
cere instituit, priorq; ad Tanaim peruenit. Postea in Iberiam Asiæ delatus,
iter per Colchidẽ intẽdit, transito fluuio Phasi: qui ex caucaso monte fluens,
uadit in Euxinum pontum. Tandem cum attigisset Armeniam, maturato iti
nere Cheriam uenit. Exercitus quem armatum in Scythas mouit, grauiter af
flictus est. Anno ab hinc tertio Scythę ad arma conuolant, & ulturi temeri-
tatem Temiris, impetum dederunt in regionem quæ supra Assyrios coli-
tur. Temires reiacerbitate coactus, legatos misit qui peterẽt pacem. Promit
tebat rex Temires, si pax daretur, & in fœdus reciperetur, se affinitatem iun-
cturum cum rege Odiee, & cum uniuersa Scytharũ Agora. Fœdus ictũ est,
quo iubebantur esse amici hospitesq; inter se. Cõpositis reb. in hunc modũ
Scythicis, Cœlosyriã subigere aggressus est. Adortus est Damascũ, eamq;
urbẽ obsidione arctauit. Admouens deinde muro machinas bellicas, capti
ui fœdẽ

A ui fœdè diripuit, cum fuisset urbs maxima & felicissima opibus. Hinc abduxit octo millia camelorum. Raptis opib. plurimis ex ea urbe, præda multa & diuiti oneratus, domum remeauit. legatos quoq; dimisit ad Soldanum regem Memphis, cum huiusmodi mandatis: Regem Temirē postulare ut sibi tradat Cœlosyriam. Quod si fecerit, bellum pace se mutaturū. Vt ista legatio irrita fuit, armata manu cæpit et diripuit Damascum, urbem opib. uigentem. Tandem discessit ea de caussa quā infrà trademus. Rex Memphiticus regioni imperat amplissimæ, ab Arabibus incipiēs Cœlosyriam, Palęsinam, nec tamen uniuersam, & Aegyptum suo imperio moderatur. Ascendit autem hoc insigne decus Memphitici regni tali ex caussa. Quotusquisque de mancipiorum grege in ista regione uirtuti adhęret, à rege in militum ordinē transfertur. Hi deinde regis satellites habentur numero bis mille: & Mamalukides nominantur. Ex illorum numero quotquot peregrini sunt, ad regis opificia perficienda ordinātur. Hi paulatim etiam ad magistratus dignitatē ascendentes, meliorem tandem assequuntur fortunam: & à rege in maximo honore habiti, præficiuntur ijs qui Melicamaridæ nuncupantur. ex quorum regione illicò perueniunt ad regionem regis, & ad Memphiticum regnū, & ad imperium Aegypti Asięq;, necnon ad alios magistratus, qui sub isto rege sunt. Melicamiræ sunt principes uiri, qui à rege creati præficiuntur insignioribus oppidis. Vrbs Memphis magnitudine hominūq; multitudine totius orbis urbes facilè exuperat. Vrbis huius ambitus ampiectitur septingenta stadia. Nec noui urbem quæ melioribus gubernetur legibus. Quinquaginta myriades pulcherrimarum domorum habet. Vrbem mediam intersecat Nilus fluuius, aquam optimam & saluberrimam ministrans, ex monte Argyro scaturiens. Vniuersam Aegypti regionē pulcherrimè rigat fossis, quæ singulis
B locis fiunt, admissus. Hinc terra ea ubiq; cōmodissimè humectari potest. Regionem istam tenent Monothelitæ & Iacobitæ, gentes haud exiguæ. Religionem quidem Iesu filij Dei se tenere dicūt, at plurimū ipsi inter sese dissentiunt. Nec cōsensum præstāt in religionis negocio uel Gręcis, uel Romanis. Plurimi Armeni in regione ista etiā Monothelitę & Iacobitæ, necnō plurimi Manichæi habitant. Extenditᵉ autē Memphitici regis regio à Libya usq; ad Chalepiā urbem Asię. Plurimæ in Asia & Aphrica, Europaq; gētes uenerantur istum regem ut sacerdotem in ijs quæ ad religionem, et Mechmetis legem spectant. plurimi namq; isthic hærent, qui operam dant Mechmetis legibus discēdis. Etiā ab antiquis sacerdos habitus est, ut qui eius gētis literis Mechmetis leges acutissimè explanare posset. Sepulchrū Iesu sub potestate istius regis in Palęstina situ est, unde plurimū lucri ei accedit. Custodię huius sepulchri uiri de familia regis illustrissimi destinantur. Extēdit se Aegyptus ab Alexandriæ Tyro usq; in Itureā regionem stadijs maximè 88. Nilus aūt fluuius Aegypti exhauritur in mare uersus Boream uentū, iuxta Alexandriā Aegypti. Hinc incipit Palęstina, tendēs usq; ad Cœlosyriam. In hac regione Iesu celebratur sepulchrū situ in urbe Hierusalem, quę deuastata est, cū maritimis regionibus. Cœlosyria pandit in Arabiā usq; ad mare rubrū uersus Orientē iter facienti. Transeuntē id mare excipit arenæ uastitas, quæ superāda est petentib. sepulchrū Mechmetis. Hæc est regio Memphitici regis, cui addit et Phœnicia. Est huic regi quoq; in mari maxima potētia. Samus ei suppeditat naues et triremes. Cyprū subegit. Naues mittens cū militibus aduersus Rodū & Cyprū urbem obsidione afflixit. Actis autem prædis ex insula plurimis, aliquot diebus oppugnationi intentus fuit: quæ cum parū succederet, abducto exercitu domū reuersus est. Cyprum quidem suo imperio adiunxit, capto eius rege: et ex eo tempore Cyprus Memphitico regi tributū soluit. Etiam

tiam iam olim istam insulam huic regi paruisse, arbitror. Verùm Galli ut ac- A
cesserunt ad Iesu Dei sepulchrum, insulam eam in seruitutem redactam cępe-
re, classem parantes magnam, uiresq; haud contẽnendas. Eo modo & Veneti
Amariam urbem opulentam occupantes, diu eam tenuere ut portum ad Ae-
gyptiacas merces commodissimum. Hinc successione longa reges Gallorum
isti insulæ præfuere. Etiam Arabes huius insulæ partem tenent, necnon Pha
magustam urbem opibus florentem. Et sanè Memphitico & Aegyptiaco
regi bellum est aduersus Arabes, & Afros, propter regionis limites usque
*Omißũ aliquid est in Græco exemplari. dissidentes, & inter cætera etiam manus conserentes. Et quidem, * Chalepia
urbs eius in Asia magna, & diues opum, merces præbens Asiæ & Arabiæ.
Equos ista regio producit perquàm generosos. Etiam Aegyptus, necnon
ea regio quæ uersus Libyam excurrit, gignit equos generosos, & camelos.
Chalepiam urbem suo dominio adiecit Temires, cum arma inferret Dama-
sco: & subacta Cælosyriæ non modica regione, discessit huiusmodi causa mo
tus. Nam Chatagiæ rex, unus de numero nouem ducum, etiam Indiæ imperi
tabat. Hic Araxem traiecit, Temiris que regionem uastans, manci pijs captis
plurimis, domum redijt. Fama est, eum in armis habuisse circiter quadragin-
ta & centum myriades hominum. Temires autem regione excedens, & mu-
ro loca Chatagiorum regioni finitima firmans, quàm celerrimè hostem inse-
quutus est: nec eum uel in Persarum, uel in Candiorum regno indipisci ua-
luit. Hinc legatione missa, bellum pace mutatũ est, cum in animo agitaret, Pa
iaziti Amuratis filio arma inferre hostilia. Pax autem hac conditione cõposi-
ta est, ut tributum magnũ quotannis pẽderet pro Massagetarũ regione, quam
armis subegerat. Bellum hoc ut intercedente fœdere fuit sopitum, accidit ut
causſam ducum inferioris Asiæ susciperet. Venerant enim numero circiter
centũ, et Melitinem urbem Paiazitis obsidione circundederant. Comparato B
itaq; quàm potuit exercitu maximo, hostili animo profectus est contra Seba-
stiam, Cappadociæ urbem opibus uigentem: quæ quondam, ut apparet, regis
Turcorum sedes regia extitit. Ex hac enim antea prodeuntes Turci, subiere
regionem Asiæ non modicam usque ad Hellespontum: etiam magna manu
aduenientes, incursionem fecere in regionem quę exaduerso Byzantij sita cõ
spicitur. Temires itaque ut aduenit, urbem exercitibus circumsedit. Paiazi-
tes fortè tum aberat, quia expeditionem susceperat contra Lebadiam Bœo-
tiæ, & contra Peloponnesum, Thessaliamq;. Reliquit tamen Sebastiæ Or-
thobulem filium cum exercitu. Quæ omnia cum in eum modum dispositis-
set, ipse contra Peloponnesum copias duxit. At ut accepit, Sebastiam à Te-
mire oppugnari, mutato cõsilio reuersus est: nec potuit irrũpere in Peloponne
sum. Cum maturaret iter in Asiam, audiuit Sebastiam esse captam. Temirẽq;
mancipijs collectis plurimis, abijsse Cheriam. Vt enim Temires impetum in
murum dedit diebus aliquot, oppidani uim hostilem fortiter propulsarunt.
Cum autẽ haberet octo millia fossorũ in castris, ijs negociũ dedit, ut cuniculos
agerent subterraneos, per quos ubiq; possent emergere in urbem. Et quidem
oppidani senserant id parari. Proinde & ipsi fodiendo hostibus occurrebãt:
uerùm pellebantur. Amplius enim efficiebat Temires, ut qui fossorum
numero excelleret. Muri cum iam undique essent suffossi, hostes que sta-
rent in aggere excelso & ligneo, ignem iniecerunt, muri que sua sponte
corruerunt. Deinde per loca ruinis patentia irruentes Temiris milites in ur-
bem, eam in hunc modum occuparunt. Oppidanos, sic imperante Temire,
capta iam urbe, illicò occiderunt. Liberos & mulieres eius urbis, in unum lo
cum agẽs, immisso equitatu omnes trucidauit. Vrbis istius adeò miserabilis
clades fuit, ut nec uir, nec mulier, neque etiam puer aliquis potuerit exitium

subter-

A subterfugere. Homines in ista urbe fuerunt plurimi, adeò ut penè superarent numero duodecim myriades hominum. Præterea reperta magna leprosorum multitudine, omnes interfici curauit. Hos enim ubicunque adeptus foret, incolumes abire haud sinebat: nequaquem fas esse dicnes, ut hi superstites sint, reliquósque homines inficiant, ipsi plerunque miserrimè uiuentes. Fama exijt, excidium urbis istius miserrimum, superasse calamitates omnes, quæ in ullas unquam redundarunt urbes. Orthobulē Paiazitis filium cum uiuus in manus uenisset, aliquot diebus secum circunduxit: postea cuidam negotium dedit, ut eum interficeret. Paiazitem, ut urbis excidium miserabile, filij́que interitum accepit, calamitas luctus' que apprehendit maximus. Transiens enim in Asiam, ut uidit pastorem quendam tibia canentem, fertur dixisse, mœrorem suũ indicans quàm acerbus esset: Cane cantilenã, cuius argumẽtum sit: Neq; Sebastiã amittas, nec etiam filiũ Orthobulem. Erat enim Orthobules æqualiũ suorũ optimus, etiam belli dux haud contemnendus. Quapropter nõ ab re relictus est à patre in Asia, ut regnũ administraret eo modo, quo sibi putaret cõmodissimè habere. Expeditio Temiris contra Sebastiã hunc finem sortita est. Nec multo pòst legatio missa est ad Paiazitẽ Lælapa, quę iussit ut ducibus restitueret regionem. Daret tantũ butyri quantũ ferunt duo millia camelorum. His adderet duo millia tẽtoriorum, cuiusmodi in usu habent pastores per Asiam. Postulabatur quoque, ut per uniuersum Paiazitis regnũ Temires pronunciaretur rex. Volebat quoque, ut Paiazites in suam regionem Temiris numisma reciperet, & suum irritum faceret. Postremò imperabatur, ut unus de numero filiorum Paiazitis militaret in Ianuis Temiris. Quod si Paiazites hæc faceret, fore eum amicum & necessarium regis Temiris: sin autem has petitiones auersaretur, sciret Temirem ipsum pro hoste habe-
B turum. His auditis, ferunt Paiazitem ira commotum, illud responsum dedisse, quod suprà declarauimus, uidelicet: Ne si ueniat, quemadmodum minitatur, precor uxorem suam ter repudiatam recipiat. Quod quidem dictum magnam infamiam importat ei in quem dicitur. Cum igitur cum tali responso legatos dimisisset, Temires expeditionem suam, quam animo uersabat, non amplius differt contra Paiazitem. Sed confestim contractis copijs quàm potuit plurimis, Scytharum et Tzachaidarum, qui præstò erant, delectu habito, conscripsit exercitũ qui complectebatur octuaginta myriades hominum: & profectus est contra Paiazitem, per Phrygiã Lydiamq; iter faciens. Paiazites ut hosti obuiam procederet instructus, comparauit & ipse quàm potuit exercitũ maximũ, assumptis etiam Tryballis satellitib. suis, qui numero erant quasi decẽ mille. In his spem maximã habebat Paiazites, ut qui fortitudinis essent semper memores quócunq; uenissent. Quos cohortabatur, dicens: Alexãder Philippi Macedones * habẽs transgressus est in Asiã, crimini dans Dario Xerxis in Græcos expeditionem, pauca suorũ manu pergens in hostẽ, Dariũ deuicit, & Asiã subegit, peruenitq; usq; ad † Phain Asiæ. In spem erigor & ipse, me facilè nostro exercitu destructurum Temiris regnũ, & deinde accessurũ ad Indos usq;. Assumens itaq; Europæũ Asianũq; exercitũ, qui complectebatur quasi duodecim myriades hominum, rectà iter instituit aduersus Temirẽ, cupiens eum præuertere, & in ipsius regione castra locare iuxta Euphratẽ, animo agitans ibi dimicare cum Temire. Temires quidem, exercitũ per Phrygiam ductabat: at Paiazites citato agmine ferebatur per Cappadociam, præoccupare uolens Euphratem per Armeniam. Vt autem, cum foret in Armenia, accepit Temirẽ iam in suam accessisse regionem, iter per Phrygiam facientem, mutato consilio rectà in Phrygiam contendit: ubi obuiam progredi Temirem intellexerat. Cum autem acceleraret iter, accidit ut exercitus longo itinere grauiter uexatus, Paiaziti indignaretur, quòd ipsorum

*Numerũ non habet exemplar Græcum.

†Alij legũt Euphaun.

ipsorum opera, etiam sua audacia, cum nulla necessitas moneret, abuteretur. A
Praeterea contigit, ut exercitus affligeretur maxima frumenti & hordei inopia, propter Prusam. Hinc equitatus grauiter periclitabatur. Exercitus rem istam iniquo animo ferebat, & iam detrectabat militiam. Seueriter enim interdictum erat, ne quis manus admoliretur frumento: addēs, se acerbius uindicaturum eum, qui fraudem huic suo edicto fecisset. Fama est, cum castra metatus esset in Cappadocia, uenti turbinem uiolentissimum incubuisse exercitui, adeò ut tentoria disiecta, & in sublime tracta destrueret planissimè. quod quidem exercitus pro omine parum fausto accepit. Postea cum in Phrygiam mouens castra communiuisset, tentorium suum in tres pueros, qui ibi aderāt, sua sponte ceciderat, siue quòd terra nequiuerit sustinere retinacula, siue alia est caussa in quam casus ille reduci poterit. Quidam Graeci & Tryballi qui praestò erant, omen id esse dicebant, ne ascenderet in Phrygiam. Ferunt tamen priusquam transiret in Asiam, Aliem Charatinis filium, uirum eorū qui cum Paiazite erant prudētia primariū, consuluisse, ne exercitum contra Temirem duceret: uerùm anniteretur ut ista cōtrouersia quàm tutissimis rationib. dissolueretur & componeretur. Se legatū fore in hac re promittebat, & iuxta animi ipsius sententiam Temirem reconciliaturum. Paiazites respōdit: Nunquam tantum felicitatis conscendissem fastigium, nec etiam tot duces imperium accipere coegissem, si tuae prudentiae me commisissem. Impetu uehementi, meaq; generositate ductus, tanta opera designaui. Praeterea quidam reges fortunam & audaciam sequuti, neglecta prudentia, eximia fecere opera: cum reliqui interim, qui in omnibus praetulerunt prudentiam, turpissimè perierint. Cum in Armenia foret, animus erat uniuersis copijs in aciem eductis, summa ui certare cum hoste. Adhibitis igitur in consilium optimatibus, ut praelium faciendum esset, deliberabat. Cum essent quorum sentētiae in utramq; partem B
inclinarent, fama est Praimē Alcis filium, qui plurimum pollebat apud Paiazitem, sic loquutum esse: O rex, contra uiros adornas praelium, qui peritia rerum bellicarum feruntur esse primi ab ijs qui eorum animos et uirtutem sunt experti. Cum his ego quoque sępius in colloquium ueni, audiuiq; uirtutem eorum miris modis celebrari. Praeterea annunciatur, Temiris copias multis modis numero superare nostras. Itaq; ut modò utrorumq; intellexi sentētias, si & meum dandum est consilium, consuluero, nostro exercitui fidens, irruere in castra Temiris. Veruntamen & si praelij aleam iecerimus, praeliumq; nos uictores declarauerit, nescio si quae inde nobis sit futura utilitas. Sed si hostiū regionem fuerimus ingressi, ibiq; praelij fortunam fuerimus experti, commoda plurima feremus, pugnaturi uidelicet pro regno & potentia Temiris acquirendis. Nunc autem si summā rei certamini cōmiserimus, ea nequaquam euenient. Sin autem, absit omen, in contrarium res ceciderit, uide quae damna passurus sis, amittens potentiam tantam, regnumq; tantum? Apparet igitur, quòd tu & ille non ex æquo pugnetis. Arbitror autem nec Temirem, si modò sapit, cum uniuerso exercitu praelium initurum: uerùm copias suas distribuet in turmas magnas, & multas, & in hunc modum nos tentabit. Et si resistentes fortiter turmam unam uicerimus, alteram & recentem nobis opponet tamdiu, donec laborantes deficiamus, illis strenuè pugnantibus. Haud enim sic Temiris copiae sunt comparatę, ut, ubi ad praelium uentum fuerit, statim in fugam abeant: uerùm etiam in fuga nobis meliores sunt, & facilius in unum colliguntur dispersi, magna uirtutis edentes opera. Censeo itaq; non obuiam eundum esse Temiris exercitui: uerùm melius & utilius mihi uidetur, ut eum subsequamur, per montes quàm proximè semper instantes, eiusq; exercitum lædentes, ubicunq; occasio se dederit. Hinc apparebit à populationibus eum cohibitum iri, dum nos ei usque incubuerimus, nullibi

submo-

A submoti longius. Nec etiam satis frumenti acquirere poterit: proinde cõmeatus sufficiens deerit. Vbi autem in hostilem uenerimus regionem, sequuti Temiris exercitum, ibi demum manus conseremus cum hoste cupiẽte redire domum. Hęc cum peregissent Praimes, reliqui duces pedibus in hãc sententiam ibant. At Paiazites talem exorsus est orationem: Multitudo hostibus exercitus, quantum intelligo, uobis terrorem infert. Verùm & uos nostis, multitudinem inconditam nihil sani uel momenti habere, si uirtus ei opponatur. Scitis Xerxem Darij filium, regem Persarũ, copias quãtas in Europam transiens, secum adduxerit, & propemodũ peremptus abierit, nisi Mardinus periculum substetisset, indicasset ei mortem imminere, nisi confestim rediret Susa. Etiam haud uos fugit, ut Alexander deuicto regi Dario regnũ ademerit, ipsumq; interfecerit. Plurimos audiuisse reor, paucam Turcorum manum sæpè strenuè rem gessisse, magnaq; fortitudinis opera patrasse. Et nos frequenter in Europa præliantes, Gallos & Pannones, gentes earum, quas orbis habet, generosissimas in fugam coniecimus. Quapropter ne nos contempseris, & ne peiores contemptioresq;, quantum ad fortitudinem attinet, nos Scythis & Tzachatæis ostenderis: qui nunquã gladijs rem gerunt, sed sagittas & iacula emittentes, nunquam libenti animo ad pugnam accedunt. Vt dicendi finem fecit rex, unus de numero nouem ducum huiusmodi sermonem habuit: Quoniam igitur, ô rex, certum est, & animo tuo iam fixum, ut in hostem pergamus, agè thesauros tuos reclude, & dispartire eos per exercitum laborantem. Vtcunq; inde belli ceciderit alea, si in eum modum thesauros militibus distribueris, nobis hi lucro erunt. Si uictoriæ casum inuenerimus, immensa bonorum aderit copia. Si Persa uicerit, non pœnitebit, quemadmodum con
B sulo, cum thesauris egisse. Paiazitis tamen persuadere nequiuit. Hinc fertur dux dixisse: Ergo Temiris signum Paiazitis numisma tenet. Qua re permotus, non audet id distribuere per milites. Hæc quidem hactenus deliberabat Paiazites. Postea proficiscens, cum nihil perficeret, peruenit Vncrã Phrygiæ urbem. Ibi cum exercitu erat, et Temires bellum promouens contra Myſiam, animo agitans bello petere Prusam, regiam Paiazitis sedem. Cum autem appropinquasset Temiris exercitui, etiam ipse castra posuit, spacio inter utrorumq; castra relicto stadiorum quindecim. Fama est, Temirem, ut accepit in propinquo esse cum exercitu Paiazitem, uiri audaciam admodum esse miratũ, uidelicet q tanta celeritate ex Armenia uenisset, & iam ex aperto secum bellum gereret. Cõscenso igitur equo, profectus est, et quàm proximè potuit, ad Paiazitis castra accessit. Vt autem custodias & uigilias, necnõ situm castrorum est speculatus, cum risu fertur dixisse: Dignus profectò uir ille est, ut turbini conferatur, † non propter suam uirtutem, uerùm magis propter insignem audaciam. Attamẽ præclarè secum actum esse putabit, si poterit incolumis effugere. Genio suo parũ dextro instigatur, adeò planissimè insanit uir illos, nec rationis amplius compos est infelix. His dictis ut finem statuit, celeriter in castra sua reuersus est. Postero die cum delecta manu militum numero circiter * misit Sachruchum filium contra Paiazitem. Qui, ut accepit aduersum se properare hostem, aciem instruit in colle quodam quasi pugnæ copiam facturus. Sinistrum cornu tenebat Dux ab Oriente. Dextrum regebat Dux Europæ, in medio autem curabat Paiazites cum peregrinis & satellitibus suis. Sachruchus habẽs Tzachataidas & Persarum optimates, pergebat agmine composito contra Paiazitem: nec tamen eos circumuenire statuebat, concedens ipsis abeundi, si uellent, locum: ne scilicet circumuenti ab omni parte ex desperatione, quasi ineluſi, animos sumerent, & acrius pro salute deinde certantes uictoriam inuenirent, primò agressus est Europæ exercitum. Vt autem pugna ad multum diei est extracta, neq; quietem à pugnando

† Dictus enim est Paiazites Læ laps.

* Numeris non est in exemplari Græco.

Paiazitis milites haberent, ibi Tryballi priſtinæ ſuæ uirtutis memores, prælium ciebant magna cum fortitudine & gloria: impetumque dantes in Tzachataidas, haſtas infregerunt, magna cum uehementia prælio incumbentes. A
Paiazites ut conſpicatus eſt Europæum exercitum longius à ſe euectum cupidine pugnæ, illicò ducem Europæi exercitus reuocat, timens, ne ſi eius exercitus eſſet longius à monte ſubmotus, ipſe ab hoſtibus circumduceretur, et in periculum uitæ ueniret. Iubebat igitur eum regredi in eum locum, ubi ab initio collocatus erat. At dux primò nequaquam dicto audiens fuit, ueritus rem quæ parabatur. Deinde cum rex uiolentius ſæuiret, nec conuicijs abſtineret, paruit, aciesq; reuocata eſt. Ibi tum Tzachataides acriter inſtantes occidebant Turcos plurimos, donec terga darent. Qui cum fugerent perſequentibus hoſtibus, etiam exercitus Aſianus haud ſtetit, uerùm continuò fugam arripuit. Paiazites, uidens in quo ſtatu res ſuæ eſſent, conſcendit equam, totisque uiribus fugit. Temires, cum prius præconium dimiſiſſet per caſtra, ne quem de Paiazitis exercitu caperent, & ad mancipiorum conditionem miſeram deducerent, curauit ut ſpoliatis abire liceret. Non enim fas eſſe ducebat, ut gentiles ſuos ad mancipiorum formam redigerent. At Paiazites contrarium, antequam prælium iniretur, per caſtra uoce præconis nunciari iuſſerat, nempe ut quemcunque de Temiris militibus fuerint nacti, eum illicò obtruncarent. Sachruchus igitur ut in fugam uerterat hoſtem, iam Temiris copiæ, quæ in caſtris expectarãt, iunctæ pugnantibus impetu ferebantur, uolentes præuertere Paiazitis exercitum. Conuerſi itaque ad populationes, maximam uaſtitatem fecere in Ionia & Helleſponto. Vici occupati ſunt plurimi: oppidula in deſolationem migrarunt plurima, ubique equitibus Temiris in Paiazitis regione graſſantibus. Interim autem hæc accidere Paiaziti fugiẽti. Cum fugeret perniciſſimo curſu, fugientem inſequebantur Tzachataides affectantes eum capere. Iam multum itineris fugiendo confecerat, ut qui uelociſſima ueheretur equa. Poſtea cum fortè ueniſſet ad flumen, equa intoleranda ſiti ſtimulata, bibere cupiebat. Paiazites autem chiragra & podagra grauiſſimè laborabat. Proinde equam à potandi cupidine inhibere haud poterat. Equa igitur ut bibit, parum diſſoluta, nõnihil de curſus pernicitate remiſit, adeò ut milites Temiris Paiazite potirentur, captumque ad ſuum regem traherent. In hoc prælio captus eſt Moſes: capti ſunt reliqui penè omnes Paiazitis duces. Nec tamen quicquam periculi paſſi ſunt, niſi quòd ueſtibus ſunt ſpoliati. Etenim Moſes uidebatur reliquis præſtantior robore: proinde eum circumductum ſecum in caſtris habuit, uictum miniſtrans. Paiazitis uxor in hoſtium manus uenit Pruſæ. Nam incurſionem etiam in Pruſam fecerunt, & gynæceum inde rapuerunt. Eleazari filiam, Paiazitis uxorem, rapientes abduxerunt ad regem. Mulſumanes, Ieſus, Mechmetes, & reliqui Paiazitis filij, in hoſtium poteſtatem uenere. Qui in Europa & Aſia erant, ut poterant, ſaluabantur. Paiazitem, cum adductus eſſet in conſpectum regis, ſic Temires alloquutus eſt: O infelix, quid adeò malum tuum coegiſti genium, ut nos bello laceſſeres? An non audiuiſti, quòd meo exercitui miſerorum filij reſiſtunt? Paiazites reſpondens, inquit: Nequaquam ad tantam felicitatem ueniſſem, ni tu mihi negocia feciſſes, cætera quoque prouocatus à gentibus Heroi noſtro infeſtis. Verùm, ait Temires, ſi non adeò ſublati tibi eſſet animi, nunquam ad iſtam præcipitatus eſſes miſeriam. Sic namque ſolet numen plerunque faſtuoſos deprimere, & ad humilem fortunam deijcere. Deinde miſit Temires Paiaziti accipitres, & canes, & reliquum huiuſmodi apparatum, ut qui uenatori potius, nec imperatori in hoſtes ducenti comparandus eſſet. Aiunt Paiazitem habuiſſe ſeptem millia uirorum, qui accipitres curarent: præterea aluiſſe canes ſexies mille. Reſpondens

A itaque Temiri Paiazites, inquit: Verùm, ô Temires, qui es Scytha & latro, latrocinandi que artem usque exerces, satis scio parum tibi conuenire cum canum accipitrum que studio. Mihi uerò, qui sum natus & educatus ab Amurate, filio Orchanis, qui ambo reges extitere, congruit canum & accipitrum studium. Rex Temires hoc responso grauiter offensus, impositum mulo per castra agi iubet, propinans eum militibus deridendum. Vt autem iam omnibus satis ridiculo fuit, reductum ad se interrogauit, an etiam sui generis & ista studia sint, quemadmodum accipitrum & canum. Deinde Paiazitem in uincula coniecit. Motis postea castris, iter in Ioniam & finitimam eius regionem intendit, in animo habens ibi hybernare. Vere appetente, in Europam profectionem parabat, quemadmodum suprà docui, ut in eam trãsuectus, uniuersam in ditionem acciperet, usq; ad Herculis columnas progrediens. Inde in Libyam iter auertere, & ex Libya in suam regionem redire in animum inducebat, uniuersa ista orbis continente imperio suo iuncta. Misit legatos ad Byzantij regem, petens liberum transitum, et naues triremes que, quibus copias suas transmittere posset: Etiam istam iniuriam Temires Paiaziti fecit. Vt enim Eleazari filia, Paiazitis uxor, quam præ cæteris ardentissimo amore complectebatur, & secum in castris semper habebat, captiua abducta est ad Temirem, iussa est in conspectu mariti sui uinum infundere. Hinc Paiazites ira accensus, in hæc uerba prorupit: Neque paterno, neque materno tuo genere digna facis. Cum enim natus sis ex parentibus idiotis, & inglorijs pauperibúsque, haud tibi decorum est adeò turpiter insultare regum liberis, & uxoribus. Hoc modo etiam eos qui tibi natura sunt domini, probris oneras. Hæc dicens, ingentem risum mouebat Temiri, qui hominem pro ludibrio habebat, ut qui nihil sani nec diceret, nec saperet. Paia-
B zitis duces cum in colloquium ueniissent cum Temiris fossoribus, eos promissis accendebant, daturi immensam argenti uim, si cuniculo acto in eam castrorum partem, ubi uinctus asseruabatur Paiazites, emersissent, eúmque inde eripuissent. Fodientes itaque uersus castra & tentorium, ubi in uinculis erat Paiazites, tandem que prorepentes, uisi sunt à custodibus, & capti. Non enim intra tentorium, ubi Paiazites erat, sed extra ex cuniculo prodierunt, ubi uiri erant quibus Paiazitis custodia à Temire erat mandata. Ea igitur parte ex cuniculo fossores egressos & captos rex iussit obtruncari. Veniens autem Smyrnam, eam urbem rotis cæpit. Præterea arcem, in litore sitam, in qua erat Romanorum præsidium, suffodiens, penitus subuertit. Hanc ubi occupauit, etiam à reliquis ius belli non abstinuit: uerùm accedens oppida, quà sibi uidebatur aptissimum, aggrediebatur. Vt autem uer iam appetierat, * Rotis urbes capiebat Temires. Hæ erant circuli, & intrà scalas habebant quibus ascendebatur in muros. Et quando in fossam dirigebantur, recipiebant uiros ducentos separatim positos, donec singuli rotas intrarent. Postea ueniebant in alteram, quæ ex aduerso erat, fossæ partem, satis muniti & tecti à rotis. Quò cum ueniissent, scalas conscendebant, & eo modo capiebant urbes. Deinde reliqui, qui erant in castris, urbem uallo cingebant, aggeres que fundebant, qui facilè murum superarent: ex quibus deinde muro facilè potiebatur. Præterea fossores habuit Temires circiter decem mille, qui suffossum murum sustentabant excelsis lignis, quæ deinde accendebant: quibus crematis, muri nemine impellente procidebant: per nudata inde muro loca milites ruebant in urbem. His tribus modis Temires in oppugnatione urbium utebatur. Ver ut iam illuxit, legati ueniunt, qui referebant Indorum regem cum magna manu aduenisse, urbem que Cheriam intolerandis malis affecisse, etiam ad thesauros regios procedentem,

*Omissum est aliquid in exẽplari Græco.

tributo anni adempto, domum abijsse. Minæ quoque ferebãtur, Indorum re- A
gem nolle amplius fœderatum esse Temiri. Hæc ut Temires intellexit, terror
ingens iniectus est, ne, si redijsset legatio ad regem Indorum, ipse exerci-
tum armaret, regionem que hostiliter accedens occuparet, se interim exter-
nis occupato bellis. Simul etiam rerum humanarum condítio mentem tan-
gebat, quæ nullo in loco satis firmas tutas que res consistere patitur. Dein-
de grauiter ferens, Indorum legatos adeò impudenter sibi contumeliam fe-
cisse, citato agmine Cheriam properauit, Paiazitem et filium eius secum ue-
hens, cuius paruum respectum egit. Proinde in patriam fuga euasit regio-
nem. Paiazitem autem tradunt præ nimia ægritudine ægrotantem, fato fun-
ctum esse. Hunc uitæ exitum habuit Paiazites mirabilem tum impetuum au-
daciam ostendens, quocunque peruenisset. Annis regnauit uigintiquinque,
res præclarè in Asia Europa que gerens. Adeò autem præfractus & temera-
rius erat, ut neminem monentem sequeretur, sed sibi soli confideret, quan-
do eundum erat in hostes. Expirauit in Ionia, cum eò in hyberna mouisset
Temires. At Indorum rex, de quo nunc uerba facimus, unus est de numero
nouem regum, & Tzachataæ rex appellatur. Constat eum fuisse de grege no-
uem illorum regum, qui per Massagetas exercitum magnum contra Temi-
rem misit. Qui transito Araxe, & pleraque regionis parte, quæ subiecta est
Temiri, subacta, domum reuersus est. Suo imperio parent, Syena, India, &
Chypriſa. Huius regio patet ultra Taprobanem insulam, usque in Indicum
mare, in quod deferuntur Ganges, Indus, Anythines, Hydraspes, Hydrao-
tes, Hyphasis, fluuij regionis istius maximi. Indiæ autem regio multa sup-
peditat bona, magnam que fundit felicitatem. sed totius Indiæ imperium pe-
nes hunc regem est, qui profectus ab ea regione quæ supra Gangem est, & à
maritima Indiæ regione, necnon à Taprobane insula, uenit ad regem Acha- B
tagiæ, quæ intra Gangem & Indum est sita. Qua deinde suæ ditioni adie-
cta, urbem eius regionis regni sui sedem declarauit. Exinde unius imperio
uniuersa gubernatur India. Rex iste, & qui Chatagiam regionem incolunt,
Deos esse censent, quos colunt, Apollinem, Dianam, Iunonem que. Di-
uersa inter se utuntur lingua: haud enim omnibus eadem est. Si quidem in
plurimas discreti gentes reguntur, abundante hominum numero tum in uí-
cis, cùm in urbibus. Victimas immolant equos Apollini, boues Iunoni, Dia
næ pueros iam pubescentes. Hæc sacrificia frequentantur quotannis. Regio
ista producit, ut fama est, frumentum, cuius altitudo excedit quindecim cu-
bitos regios. eadem etiam hordeo altitudo est, similiter & panico. Arun-
dineis autem nauibus utentes, flumen traijciunt. Fert regio illa, sic enim fama
habet, arundinem tantæ magnitudinis, ut ex ea ædificentur naues, quæ ca-
piunt medimnos Græcos quadraginta. At genus istud hominum, cum no-
bis parum sit cognitum, fit ut plurima quæ de illis feruntur, nullam apud nos
fidem inueniant. Nam cum India à nobis quàm longissimè submota habite-
tur, ignoratur quibus moribus, & qua uictus ratione Indi utantur. Hoc ho-
minum genus cum robore plurimum præstaret antiquitùs, Persarum & As-
syriorum reges, qui Asiam imperio temperabant, coluisse fama tenet. Semi-
ramis & Cyrus Cambysis filius Araxem transeuntes, quõdam magnam bel
li molem eò uerterunt. Nam Semiramis, Assyriorum regina, arma contra In-
dorum regem maximo apparatu mouens, ubi flumen superauit, clade suo-
rum maxima accepta, occubuit. Præterea Cyrus filius Cambysis, Persarum
rex, traiecto fluuio cum Massagetis conflixit, in grauissimum præcipitatus
est periculum, ibi peremptus à muliere Mæra Massagetarum regina. Te-
mires, ut allatum est, quæ fecisset Regis Indorum legatio, maxima celeritate

Che-

A Cheriam se recepit. Paiazites, ut suprà dedimus, in itinere præ ægritudine naturæ debitum soluit. Moses, Paiazitis filius, dimissus à Temire, in patriam profectus est regionem. Rex Temires ut peruenit in suam regiam, quæ ad regni curam adtinebant, summa diligentia exequutus est. Deinde hostili animo sumpto, bellum cum Indorum rege ex professo gerebat. Haud multo pòst pax inter utrumque conuenit. Temiri nati sunt filij, Sachruchus, Paiangures, & Abdulatríphes. Sachruchum filium natu maximum regno præfecit. Ipse autem amori operam dans, totum'que huic rei curiosius se mancipans, mortem tandem obijt. Aiunt, Temirem libidine reliquos mortales longè superasse. Nam adolescentes in conspectu suo mulieres constuprare iubebat, sic prouocans naturam, ut & ipse deinde coire posset. Quando autem relictis amoribus ad bellum protrudebatur, bello confecto ad solitam redíbat libídinem, nullo modo quietiorem uitam sectatus. Etiam naturæ suæ uim facere non erubuit, luxuriosiorem sequutus uictus rationem, quò magis rei uenereæ indulgere posset. Temire defuncto, Sachruchus uircætera æquitatis studiosus, & plerunque cum finitimis fœdera iungens, tranquillitatis'que amator regni gubernacula tenuit. Haud tamen multo pòst, excedente è uiuis Sachrucho, Paiangures, Temiris filius natu minimus, regno potitus est. Vnde ei non admodum bene cum fratribus conuenit, uerùm inimicitiæ inter ipsos exarserunt. Vlies enim Caddusiorum regionem & Hyrcaniam retinẽs, inimicitias suscipiens aduersus fratrem Abdulatríphem, cum eo bellum gerebat. Paiangures aduenìens, regionem ei adimebat, & ipsum captum in carcerem misit. Mortuo deinde Paiangure, ad regni moderamen euasit Tzokies. Cum hoc affinitatem iungens Mpaimpures, unus de numero nouem regum, & conuersus regnum occupauit. Oppressis enim &
B occupatis Semarchandæ rebus, contractis etiam Indorum auxilijs, bello petijt Tzokiem Paiangurís filium. Tzokies adducens Scythas, Assyriorum'que regioni imperans, contra fratrem Paiangurem bellum mouit. In hoc bello uictor extitit, & Semarchandam in ditionem accepit. Nec multo pòst, in belli societatem adhíbito uno de numero nouem regum, & regia sede in Breze Assyriorum urbe opulenta constituta, bello lacessebat Leucaríæ Ducem: etiam Samachiam urbem, Caraílucis regiam, oppugnabat. Tabreze autem fertur urbs esse magna, & opibus florentíssima, etiam omnes Asiæ urbes, extra Semarchandam, opum accessu, & reliqua felicitate antecedere noscitur. Vermiculos alit ea regio ex quibus sericum producitur pulcherrimum, quod longè præstat ei serico quod Samachia suppeditat. Fert quoque Crinizin ísto nomine uermiculum, qui purpureum colorem admiratione dignum tribuit uestibus, ex filis autem ex serico contextis. Abundat autem regio Persis, quos Atzamios uocant. Quotquot enim Atzamiorum Persarum lingua utuntur, omnes hi Persæ sunt, & Persarum linguam in usu habent. Incolunt Tabrezem, Cagrinum, & Nigetiam, urbes opulentas, in Assyriorum & Medorum regione sitas. Samachia autem, cuius situs est uersus Armeniam, urbs perhibetur opulenta & populosa. Ex filia Tzokijs, quæ matrimonio iuncta fuit Caraísuphi, natus est Thanísas Tzokijs nepos, & Caraísuphis filius. Is Pagdatiam Babylonem rexit, & Assyriorum regionem iure belli possidens, Trabezen suo imperio addidit. Arma idem Mpaimpuris filio intulit, profectus contra Artzinganim urbem: eam oppugnatione cæpit. Armeniam, quæ iacet intra Euphratem, in suam ditionem redegit. Hinc Tzokijs filio profecto à Semarchanda, Babylonem oppugnabat. Ipsum adeuntem prælio uicit. Exinde Babylonem capiens, & contra Tabrezem exercitum ducens, cum illo bellum gessit. Chasanes quidem Longus Scenderis, qui Artzingamin tenebat, nepos existens, & ex familia

Carailucis, regnum Armeniæ adeptus erat, adiutus ab Carailucis filijs, qui A
unà cum illo cò profecti erant. Hi cum à rege Tzanisa Caraisuphis filio, Samachiæ grauissima obsidione premerentur, resq; eorum admodum lubricæ essent, precibus aggressi sunt Mpaimpurem, ut irrueret in Mediæ regionem. Qui facilè, quod petiuere, impetrarunt. Nam in Mediam irrupit. Qui rumor ut perlatus est ad Tzanisam, obsidione urbem, abscedens, soluit, iterq; flexit aduersus Mpaimpurem, partim quidem regionẽ eius in ditionem accipiens, partim uerò uastans Mendesios, Aedines, Sarchanes, & Allontes Paiazitis regionem occuparunt, iussu Temiris, & in suam singuli redibant regionem. Chasanes cernens sibi potentiam esse maximam, Armeniam & Tzapnidas, subegit, & pacem, intercedente affinitate, cum Colchidis rege fecit.

LIBER QVARTVS.

POST TEMIRIS in Cheriam profectionem, Iesus filiorum Paiazitis natu maximus, conciliatis sibi proceribus regni, qui in patris Ianuis meruerant, accitis etiam quotquot potuit peregrinis, regnum occupauit. Nam Paiaziti nati sunt filij, Iesus, Mulsumanes, Moses, Mechmetes, Iesus minor, & Mustaphas. Iesus igitur ubi primùm in Asiam uenerat, post Temiris discessum in Cheriam ducens secum peregrinorum cohortes, & optimos quosq;, qui Temiris euaserãt manus, Prusam regni sedem inuasit, et eam obtinuit. Asiã uniuersam, quæ in potestatem uenerat, magistratus munijs firmauit: & in Europam transgressus, breui cum Græcorũ regno, etiam Europæ imperium nactus est. Europæ ducẽ dedit, qui sibi ad eam rem uidebat aptissimus. Mulsumanes cum exercitu egressus Byzantio, bellũ indicit Iesu. Cum autem Mulsumanes bellicarũ rerum peritissimus longè haberetur, & ad ipsum aduolarent ex Europa optimi quiq; & peregrini, qui ibi sedes habebant, proficiscebatur, per Europam uniuersam peragrans, et in ditionem accipiens, Iesu absente, & moras in Asia nectente. His ita gestis, transuectus in Asiam, munitus exercitu quem in Europa conscripserat, hostili animo pergit contra fratrem suum Iesum, sub idem tempus in Cappadocia agentem. Quia Sinopij principes auxiliabãtur ei, & reliqui principum socij subsidio ueniebant. Collatis autem eò loci signis, pugnans cum fratre, & eum in fugã conijciens, maximã exercitus partem in prælio strauit. Iesus uiuus in manus uenit. Quem, cum regno præfuisset annis quatuor, trucidauit. Is igitur à Mulsumane peremptus, in hunc modum mortem obijt. Vt primũ Mulsumanes regnare cœpit, Moses qui dimissus erat à rege Temire, mari aduehebatur ad patriam regionem. Adueniens autẽ ad Homiris filios, Mulsumanis hostes, quia socia arma contulerant cum Iesu, accedẽs quoq; Sinopem & Castmonem, & hinc in Daciam, transmisso Euxino põto, perueniens, ad colloquiũ cum Myrxa Daciæ præfecto uenit. Inter cætera talis erat Mosis petitio: Si eius auxilo adiutus rex crearetur, se daturũ ei redditus magnos in Europa, & assignaturum regionem non modicã. Erat enim Græcorũ hostis. Præterea Byzantij filium Myrxæ susceperunt, promiserũtq; se huic & Mulsumani regnum tradituros. Myrxas quidem Mosen benignè lubentiq; animo excipiebat, eiq; uictum & necessaria promptissimè suppeditabat: eidẽ quoq; exercitũ dedit. Cũ aũt undiq; ad hunc cõfluerent ex Europa quotquot infensi erant Mulsumani (aberat enim in Asia agens) quia nõ satis dignè ab ipso tractarentur, expeditionem sumpsit cõtra fratrẽ, assumptis quot quot cõuenerant. Habuit & Dacorũ exercitũ magnũ, cum prius Tainũ eorũ ducem sibi cõciliasset. His copijs instructus, Europã subegit, et Adrianopo-

lim,

A lim, quæ regni ſedes eſt, pfectus, ibi rex declaratus eſt. Huic animus erat etiã contra fratrem in Aſiam exercitus mouere. Mulſumanes haud interim ſocordię ob noxius erat, uerùm feſtinabat & ipſe, ut fratrem præueniret, traijciendo copias in† Aſiã. Hoc unum uidebatur utriq; conſultiſſimũ, quaſi alterius eſſet uictor, qui prior in alterius regionem ueniſſet, et prælitũ cõmiſiſſet, nec expectaret donec frater accederet. Traijciens itaq; Byzantiũ uenit. Cum autem ei familiaritas interceſſiſſet cum rege, qui ea tempeſtate Byzantium tenebat, uxorem ducit regis neptem Ianniſ Tuntoriæ filiã, cum antea matrimonium cõtraxiſſet cum nepte regis Græcorũ Mulſumanes, Paiazitis filius. Transgreſſus aũt Byzantium, bellũ fratri inferebat. Moſes ubi accepit à rege Græcorũ, Mulſumanem Byzantium aduenisſe, continuò acceſſit: quem ut ibi deprehendit, exire Byzantio, & in Europa uerſari non permiſit. Mulſumanes copias quàm potuit maximas traduxit ex Aſia in Byzantiorũ regionem: caſtriſq; poſitis, fratrem accedentem expectauit. Deinde cum acies utrinq; inſtructæ ſtetiſſent, prælitũ atrox exoritur. Moſes habebat Dacos, Tryballos, et Stepanum, Eleazari filium. His in acie iungebantur Turci, qui ex Europa uenerant. Legationem miſit ad Stepanum Byzantius rex, ſuadens ut inſtructa acie erat ad regem meliorem & æquiorem Moſe. Moſes enim cætera moleſtus & intolerandus ſocijs, & in iram præceps erat. Stepanus exercitu in ordines explicato, ut pactus erat cum Græcorũ rege, & Mulſumane, turpiter trãſfugit Byzantium. Moſes cum occiperet prælitũ aduerſus fratrem, Aſianum exercitum in fugam compulit, fugientemq; perſequutus eſt. Mulſumanes ſe uictum ſimulans, retrò ferebat gradum, Byzantiũ feſtinans. Cum autem ueniſſet ad urbem, conſilium cæpit multo generoſiſſimum. Nam habens ſecum uiros circiter quingentos, concurrẽtibus etiam alijs quibuſdam, urbis foſſam

B ingreſſus eſt. Fratre autem occupato perſecutione & cæde hoſtium, in eius caſtra irruere ſtatuit. Quod & fecit: caſtriſq; potitus eſt. Eos qui prælio non interfuerãt, aut fuga in caſtra ſe receperant, occidit omnes. Deinde cum à perſequutione hoſtium q; cæde reuerſus Moſes procederet ad caſtra, cognouit ea capta eſſe. Illicò igitur fuga ſibi cõſuluit, exercitumq; deſeruit. Alius aũt aliò, ubi ſe tutiſſimum fore iudicabat, ſedulò diffugiebat. Quidã cõtinuò ad ipſum properabãt Mulſumanẽ, cumq; ut regẽ adorabant: & quocunq; pergeret, ſequebanť. In hũc modũ ſe res Mulſumanis habebãt, circa Epiros cũ fortiſſimè omniũ, quos ſciam, aduerſus fratrem ſuũ dimicaſſet. Profectus hinc Adrianopolim regni ſedem, regnũ, imperiũq; ordinauit, qua tutiſſimũ & firmiſſimum ſibi fore cõfidebat. Moſes uenit in regionem Iſtro adiacentem, & conuerſatus cum Myrdano Dacię rectore, cũ quo antea interuenerat familiaritas, moratus eſt iuxta Aemũ, alium ex alio ſub inde locũ mutans. Mulſumanes ſe ignauiæ & ebrietati corrũpendũ dabat. Proinde res fortiter geſtæ uſq; minuebanť. Duces quoq; ei indignabanť, ut qui nihil ſani, nec ſibi, nec alijs conſuleret. Nec admodũ ei curæ erat, quò Turcorũ exercitus paulatim ad fratrem dilaberetť. Vbi primũ regni gubernacula accepit, Græcis Thermam, Zetunim, et uniuerſam Aſiæ maritimã regionem reſtituit. Spem de ſe prębebat, ut qui paratus eſſet ijs donare quæcunq; uoluiſſent, quaſi id præſtare iam poſſet. Legati Græcorũ ad eum mittebanť, conſulentes, ne ſe totum luxuriæ & uoluptati dedat, quaſi iam ſit planè ſecurus, & in portu nauiget, quaſi nihil periculi amplius, quantum ad regnum attinet, à fratre ſit metuendum. At ſurdo narrabant fabulam. Matutinum & ueſpertinum tempus iungebat potando, præbibens optimatibus ſuis. Reuolutus in ſomnũ, ubi primùm erat experrectus, ſolitam potandi cõſuetudinem iterabat. Fertur quodam tempore cum phialã manibus teneret, et ceruus in caſtra penetraſſet, in ijs obambularet, tumultuantibus militibus propter cerui in caſtra aduentum, interrogationem

† Quid ſi legas, Europam?

feciſſe, Num phialam in cornibus geſtet: quod ſi eſt, hac redimam. Quan- A
do ebrietati & crapulæ non operam dabat Mulſumanes, erat quidem beni-
gnus et æquus, corpore firmus, pugnandi que in hoſtes impetu nulli poſtpo-
nendus. Moſes uice uerſa iræ imperare nequibat. Verùm præceps in eam a-
gebatur: quicquid ea dictaſſet, facere non cunctans. Qui igitur cum paraſſet co
pias haud contẽnendas, deſcendit in campũ, prælio aggreſſurus Mulſumanẽ.
Chaſanes peregrinorũ dux, & Brenezes qui præerat Europæis equitibus, cõ
tinuò deſciuerũt ad Moſen transfugiẽtes. Mulſumanes ut cognouit peregri
nos defeciſſe, & confugiſſe ad hoſtilem exercitũ, rectà Byzantiũ fugiens con-
tendit: animo agitans, Græcis Byzantij regnũ tradere, ut hinc in Aſiam tranſ-
greſſus, Aſiæ res cõmodius adoriatur. Cum autem huiuſmodi animo uolue-
ret ſententiam, cognitus eſt à Turcis in uia, quæ Byzantiũ fert. Turci itaque,
qui ibi habitabant, collecti in unũ, cæperunt Mulſumanem uiuum, captum ab
duxere ad Moſen, iſto munere eum honorare affectantes. Moſes fratrẽ illicò
necauit. Turcos, qui fratrem comprehenderant, comprehenſum ad ſe addu-
xerant, omnes cum liberis & uxoribus, adeoq; cum uniuerſa familia igne cre
mauit, dicens eos impia commiſiſſe. Meritò igitur, cum regi ſuo uiolentas in
tulerint manus, has pœnas ſceleris luiſſe commiſſi. Ipſe recepit regnum, &
in Aſiam tranſiens, eam formam Aſiæ rebus induxit, quæ uidebatur Aſiæ re-
gnum firmiſſimum & tutiſſimum effectura. Deinde abijt, Aſia relicta, ſtatuẽs
obſidione cingere Byzantium. Thermæ hoſtiles exercitus admouit. Trybal
lorum duci bellum intulit, ex regione eius frequenter prædas agens, & Spen-
deroben metropolim obſidione premens. Is erat Stepanus, Eleazari Pladi-
cis uxoris frater, cui Bulco nomen erat. Vt Eleazarus uitam finijt, principatũ
ipſe arripuit, & pro principe ſe geſſit, Paiaziti ſtrenuè operam nauans, quan- B
docunque eius auxilium imploraſſet. Stepanus cum foret in eo prælio, quod
propter Byzantium committebatur, defecit à Moſe, & ad fratrem eius tranſ-
fugit. Hac rei indignitate iritatus Moſes, urbem Stepani exercitu circumſe-
dit, regionemq; grauiter populationibus uaſtauit. Vt autem oppugnatum i-
uit Byzantiũ, multum iuuabatur agens ferensq; quæcunq; ex regione potuiſ
ſet. Fabricans naues & triremes, terra mariq; iter faciebat. Græci implentes
naues & triremes, quæ in promptu erant, naualibus copijs prælium nauale
commiſerunt, duce Emanuelo, notho regis Ioannis filio, cum hoſtibus: et ex
eo prælio Græci exceſſere uictores. Hic Emanuelus regis filius cum pruden
tia & militari ſcientia facilè omnes anteiret, tum temporis Græcos iſta uicto
ria cõtentos eſſe iubet: ipſeq; plurima præfulgebat gloria. Hanc eius gloriam
cum haud æquo animo ferret regis frater, Emanuelum in carcerem duci iuſſit:
qui annis adhuc uixit ſeptem & decem cum liberis ſuis. Moſes cum parum
proſperè ſucceſſiſſet nauale prælium, accedens per Epirum, Byzantij regioni
populando moleſtus erat: grauiter quoq; Thermã, quam obſidione cinxerat,
affligebat: etiam cum Tryballis bellum gerens. Pax autem interceſſerat cum
Turcorũ in Aſia ducibus: proinde non hoſtilia patiebantur à Moſe. plerumq;
in Europa ætatem agebat. Græci, cum fato functus eſſet Mulſumanes, filium
eius Orchanẽ acciẽtes, oppoſuerunt Moſi hoſtem. Poſtea miſerunt Ther
mam ad Pogdanum & ad alios Turcos, qui ibi ſtipendia faciebant, rogantes
ut auxilio eſſent Orchani procedenti in Europam, ut eam occuparet. Puer qui
dem Orchanes uiro Turco ex Aſia oriundo committebatur, cætera non igno
bili, parum tamen fido. Palapanũ eum nominant. Orchanes uenit Thermam:
inde tranſita Macedonia, Berrhoen uenit, & in regionem finitimam. Cum
autem ad ipſum accurrerent Turci, qui ea loca tenebant, profectus eſt in
Theſſaliam. Moſes ut accepit Mulſumanis filium Orchanem regnum ſi-
bi parare, & in Theſſaliam pergere, proditionem puero per Palapanum ſub-
ornat.

A ornat. Palapanum enim iubebat Moſes, ut ſibi ſignificaret ubi puer cum ſuis uerſaretur, & deinde accedenti cum traderet. Palapanus quidem Orchanis itinera & loca in quibus morabatur, ſemper indicabat. Monebat quà adire deberet, ut puerum per proditionem caperet. Orchanes cum ſuis manebat in monte, qui Theſſaliæ imminet. Eò cum acceſſiſſet Moſes, ut indicatum erat à Palapano, puerum uiuum capit, exercitum'que trucidauit. poſtea in Pogdam regionem profectus, eam ſuæ ditionis fecit: & cum Græcis intentus in omnes occaſiones, ſumma ui bellum gerebat. At Græci bello abſtinebant prorſus. Ieſus, qui natu minimus erat filiorum Paiazitis, ad Græcos ſe recipiens, Chriſtianam religionem aſſumpſit: nec multo poſt ad ſuperos migrauit. Mechmetes Moſis frater, quem quoque genuerat Paiazites, ubi primùm eam ætatem attigit, quæ rebus gerendis idonea fuit, cum exercitu ex Caramania profectus, Turcos ſolicitabat, ut ſibi ſubſidio uenirent in acquirendo regno. Cum igitur ultrò citro'que legati ablegarentur, necnon Græci auxilium pollicerentur ad regnum capiendum, Aſiæ imperium nactus eſt, cum optimus quiſque indignaretur propter Moſis uiolentiam & tyrannidem, & adiungerentur Mechmeti aduenienti. Atque in hunc modum Aſiæ imperio potitus, etiam in Europam expeditionem parabat. Hunc quidem, regnante Mulſumane, Moſes & Ieſus, quibus educandi pueri negocium datum erat, ne reſciſcerent fratres, ubi'nam puer aleretur, anxij ut caperetur & necaretur, artifici cuidam chordarum faciendarum tradiderunt Pruſæ, ut artificium id addiſceret. Poſtmodum cum iam per ætatem res ipſas tractare poſſet, abijt ad Caramanum Alunrim. Hinc profectus, ut antea ſignificauimus, Aſiæ imperio facilè potitus eſt, adiutantibus Caramano, & alijs Aſiæ quibuſdam ducibus. Tranſgreſſus Byzantium, in colloB quium cum Græcorum rege uenit. Deinde cum utrinque ſe iuramenti religione, quantum ſatis erat, deuinxiſſent, profectionem inſtituit ad Trybalorum Thraciæ'que principem: ut ad hunc in colloquium adhibitus, copias ab eo acciperet: quibus ſubnixus, fratri bellum inferret. Vt rumore allatum eſt ad Moſen, fratrem quàm ocyſſimè in Aſiam traiciſſe, obuiam proceſſit, magno inſtructus exercitu. Et cum alicubi regionem quandam tranſirent, iuxta eius regionis oppidum in fratrem incidit. Accingebatur itaque ad pugnam, ordines'que explicabat, & inſtructo agmine Mechmetes contra fratrem ibat. Cum autem in conſpectum ueniſſet uterque exercitus, hic quidem per Aſiam iter metiens, alter ex Europa aduenies, collatis ſignis prælium inibāt. Exercitus Aſianus haud diu ſtetit. Verùm terga dans, fugiebat. Mechmetes, chordarum faciendarum artifex, confugit ad Halem, & incolumis ſeruatus eſt Byzantij: ubi quoque exercitus ab cæde ſaluatus eſt. Hinc receptis animis, denuò in Aſiam traijcere decernunt, pugnaturi cum Moſe propter alias res. Nec multo tempore interiecto, conſcriptum Aſianũ exercitum Græci in Europam tranſportabant. Moſen in Aſiam tranſgredi haud ſinebāt Græci, qui occupauerant traiectum. Præſidio etiam tenebant Helleſpõtum, & templum in Propontide ſitum. Mechmetes, ut copias ſuas traduxit in Aſiam, recta ad Tryballos iter maturauit, ut inde exercitum compararet, quæ præſenti negocio in primis commodum iudicabat, & cum fratre prælij aleam experiretur. Moſes prælij cupidus, uenit in regionem quæ ſupra Aemum eſt, Panij dictam, in qua, quia præceſſerat montem, inuenit fratrem. Vt ſenſit fratrem accedere, et iam in proximo eſſe, aciem exornat, & prælijũ capeſſit, moxq; in fugam agitur. Qui fugiens properabat ad Tryballorum ducem. Cum autem ibi uerſaretur, miſit legationem ad optimates Turcorũ, et ad Chaſanem, Brenezem, Amuratemq;, ut ſolicitaret eorũ animos ad defectionem.

At

At hi defectionis sermonem primò abnuebant: uerùm tandem ipsi inter sese A
defectionis consilia capiunt. Hinc Brenezes sua spõte transfugiebat ad Mech
metem, trahens secum Turcorum proceres, & filios, necnon Chasanem cum
optimis quibusq; de peregrinorũ cohorte. Cumiam accessissent copiæ Mech
meti haud pœnitendæ, quibus fretus prælij fortunam cum fratre facilè tenta-
re posset, assumpto Tryballorum principe, contra fratrem pergere, & prælij
potestatem facere instituit. Moses igitur, ut Mechmetis consilium impedi-
ret, ne facilè in Europam transire, eam'que sui iuris facere posset, ducens se-
cum uniuersum Europæ exercitum, & Ianuæ milites, exceptis his qui ad
Mechmetem concesserant, in Erysorum regione consedit. Ibi Mechmetes
in expeditionem egressus, castra locauit. Vt autem appropinquauit Mosis
castris, copias in aciem eduxit. Sinistrum cornu tenebat Tryballorum dux.
Dextro præerat Brenezes, cum filijs suis. Secum enim in castris habebat fi-
lios, qui ipsi nati erant, Agathen, Baramum, Haliem, Beicem, & Iesum. Post-
quam aũt & Moses aciem suam instruxit, accedens omnia explorabat: & ubi
sibi opportunissimum uidebatur, stetit: & ubique suis præsens erat. Ibi
tum Chasanes peregrinorum dux, qui desciuerat à Mose, equo uectus ad Mo
sis exercitum, uoce quàm potuit maxima exclamauit, peregrinos appellans:
O' filij, quid cunctamini, aut quid differtis continuò abire ad regem uestrum,
uirum ex genere Otomanidarum ortum, & iustissimum & æquissimum,
qui' que omnes sui generis principes uirtute antecedit? Verùm miseri mane-
tis, contumelijs affecti à uiro, qui nec sibi, nec amicis quicquam salutare pro-
spicere potest? Hæc quidem clamantem, & ad aciem festinantem audiuit
Rex. Quidam autem respondens, inquit: O' rex, non aspicis Chasanem pe-
regrinorum ducem, quem in maximo penes te honore habuisti, incitare pe-
regrinos ad defectionem? Quæ ubi aduertit Moses parari, non amplius suos B
continuit, uerùm immittens eos, ipse' que equo calcaria subdens, ferebatur in
Chasanem, ut eum proderet, currebat' que plenis & effusis habenis. Chasa-
nes ut accepit Mosem contra se summa celeritate niti, & ipse adhibita festi-
natione summa aufugit. Moses acerrimè insequutus, ut fugientem est inde-
ptus, gladio eum peremit, è supernis ictum inferens. Minister autem Cha-
sanis, ut dominum suum uidit necatum, iam' que Mechmetem iterum libra-
re ictum in Chasanem, Chasane subtracto, librantis ictum manum abscidit
gladio. Qui, ut cognouit manum sibi præcisam, properè in castra rediit. Vt
milites uiderunt eum esse mutilatum, ibant ad Mechmetem. Moses autem
copijs iam omnibus nudatus, cum nihil efficere posset, celeri fuga in Daciæ
regionem abire festinabat. Mechmetes ubi primùm ad ipsum exercitus cõuo
larant, rebus que iam potitus esset, statuit continuò fratrem fuga sibi consu-
lentem persequi. Eum ægrum una manu fugientem, & in palustri loco se con
dentem deprehenderunt. Deprehensum adduxerunt ad fratrem: qui illicò
eum necauit, guttur eius laqueo frangens. Mechmetes cum iam regnum es-
set nactus, & ad id parandum sibi in primis utilem fuisse Græcorum operam
cognouisset, regionem amplam suæ finitimam Tryballorũ duci donauit. Po
stea exercitibus missis Daciam euastabat. ad quem pacem petitum legatos mi
sit Daciæ princeps, promittens se tributum regi pensurum quantumcunque
imperasset. Pax ea conditione data est. Cum Græcis Mechmeti perpetua ami
citia fuit, quapropter Emanuel Byzãtij rex cum in Polopõnesum uenisset, Isth
mum muro cinxit: & Peloponnesios, ubi Isthmum muro circundedisset, ac-
cersiuit. Isthmus uniuersam Pelopõnesum, ut in insulæ formam redigatur, cõ-
cludit, extendẽs se à mari in mare, quo spacio colligit quadraginta duo stadia.
Eò loci Isthmia celebrare Græci consueuerunt. Extendit se ab urbe Corintho

ad sta-

A ad ſtadia uigintiquinque. Iſthmum autem accedente cum hoſtilibus copijs Xerxe Darij filio contra Athenienſes, muro complexi ſunt Peloponneſij, arcere uolentes barbarum Peloponneſi acceſſu. Poſtea etiam Iuſtinianus, Romanorum Imperator, muro Peloponneſum incluſit. Emanuel igitur cum pax interceſſiſſet cum Mechmete, Paiazitis filio, in Peloponneſum ueniens, fratrem Peloponneſo præfecit, Iſthmumq; muro firmauit undiquaque, & tributum imperauit Peloponneſijs, quo Iſthmum defendere poſſet. Edixit ut omnes in Iſthmo conuenirent: qui edicto parentes, conuenére: congregatiq; que murum extruxere, cum quilibet pro ſe ſedulò ſuum opus exequeretur. Vbi autem ad finem deductum eſt ædificium illud, Peloponneſi duces capit: qui longo tempore regionem tenentes, parére recuſabant Græcorum ducibus, niſi quando & ipſorum ibi quoque uerteretur utilitas. Captos ſecum Byzantium ducebat, interim diligenti cuſtodia Peloponneſios circundans: Captos quidem duces ſecum trahens, abibat Peloponneſo. Mechmetes ubi ad regnum pro motus eſt, ſuccedente tempore expeditionem ſumpſit contra Iſmaelem Sinopæ principem. Amicus enim & ſocius fuit Moſis, cuius opere enixè Moſes adiutus eſt in bello, quod geſſit cum fratre Mechmete. Mittens itaque Iſmael legatos, quibus mandarat, ut dicerent, ſe paratum eſſe æris redditus omnes Mechmeti, nomine tributi aſſignare, ſi ſecum pacem feciſſet. Hæc enim regio Aſiæ ſola, quod ſciam, æs profert. Cum igitur æris redditus tradidiſſet Mechmeti, bellum pace commutatum eſt. Tandem diſcordia inter ipſum & Venetos exarſit, qua impulſus, Venetis bellum indicit, propter regionem quæ Ionium ſpectat: cui miſſis exercitibus uaſtitatem maximam inducebat. Veneti legatis miſſis, ut nihil æqui impetrare potuerunt, animos quoque in id bellum ſumma ui intenderunt.

B Apparet gentem iſtam admodum eſſe uetuſtam, & nobiles Iones fortitudine & generoſo ſpiritu longo interuallo poſt ſe reliquiſſe. Habitauerunt antiquitùs regionem uergentem ad ſinum Ionicum, & ab Illyrico in Italiam excurrentem. Antiqui eos Enetos nuncupabant: poſtmodum Veneti dicti ſunt. Profecti autem ex Epiro, partim uoluntate, partim neceſſitate ſubacti, ut quorum regio uaſtata eſſet, ut in maiore ſecuritate eſſent in poſterum, inſulam quandam paruam & paluſtrem, diſtantem ab continente quindecim ſtadijs, ædificijs occupare ſtatuerunt. Initium ædificandi factum eſt à paucis Venetis in unum collectis. Deinde acceſſere quoque finitimi Epiro, bellis graiter diuexati. Vrbs autem illa uſque incrementum ſumebat ædificijs & legibus, cum Epirotæ plurimi non ceſſarent eò confluere. Creſcebat quidem ea ciuitas mirum in modum diſciplinæ ſanctitate, cum eò accurrerent plurimi bonis legibus enutriti, & plurimi uirorum Epirotarum illuſtres eò adolarent. Præterea ſi quis patria fortunisq; omnibus pulſus ui hoſtili erat, huc greſſus dirigebat. Vrbs illa, incredibile dictu eſt, quàm breui opibus creuerit, & diſciplina. Multi Græci & Romani, necnon alij uiri dariſſimo genere exorti, in patria uſi haud ſatis proſpera fortuna, aut ab ciuibus pulſi, aut ab hoſtibus exacti, in hanc urbem congregabantur, filij exiſtentes uirorum illuſtrium, qui regebant regionem haud infrugiferam. Hi quidem partim in Ioniam, & Græciam, partim uerò in Italiam pulſi, in iſtam ciuitatem ſe recipientes, ſecurius habitabant. Cum autem ea ſit urbs emporium celebre, animumad iecere ad mercaturam neceſſariò. Quia continentem non attingunt, nec eorum fructuum, quos continens profert, ipſis copia futurerata. Proinde meritò mercaturæ operam dederunt, ut neceſſaria mari ſubueherent. Cumq; quilibet ſedulò mercibus permutãdis incũberet, breui incredibilẽ potẽtiam ſibi peperere. Vrbem baſilicarum & domorũ, necnon templorũ mãgnificentia

tia condecorarunt. Triremes extruxere non modicas, et munimentis se com- A
muniere firmissimis. Deinde ambitione moti, naualia prælia committebant cum ijs qui longè lateq; nauali gloria coruscare uidebantur. Etiam hi quorũ potẽtia mari maxima erat, metuebãt Venetorũ lacessere arma: adeò magna his accesserat potentia. Regionem autem haud infrugiferam, quæ nauiganti à sinu uersus Ionium à sinistra est, & urbes opulentas subegerunt usque ad mare Aegæum. Huius portus omnes in potestatem redigentes, Corcyram uniuersam in ditionem acceperunt. Cæperunt Euboeam, & Cretam, Peloponnesiq; urbes. Cum classe uenerunt in Syriam: subigentesq; Cyrenen urbem, magna militaris uirtutis facta designabant, ubiq; cum barbaris prælia naualia facientes, & mare uniuersum, quod est intra Herculis columnas, perdomantes. Etiam pugnabant fortiter contra eos qui erant in Europa, & sibi admodum potentes uidebantur. nec oratione dignum putõ, quòd non ad nauigarunt Italiæ, nec si sibi subiecerunt Rauennam, urbem opulentam, principe huius defuncto. Quia non solebant contra eiusdem gentis & corporis homines bellum mouere, sed contra alienigenas arma ferebant. Arma etiam arripuerunt contra Græcos, quos nauali prælio uicerunt, eorumq; metropolim subegerunt, cum plurimi Occidentales ipsis adiungerentur. Copias cum ducerent aduersus Græcos, Epiro non abstinuere, uerùm regionem eius non modicam & optimam suæ ditioni iunxere. Vrbem quoque suam munitissimam præstitere, cum eam & nauali pedestriq; potentia auxissent. Discordiæ ipsis interceserant cum Epiri ducibus. Proinde id bellum longius durauit. Opibus excellentes, ciuitatem suam magnam reddiderunt opum accessu. Præterea Pontificem maximum Romanũ, Italia Romaq; pulsum ab rege barbarorum, ad pontificatũ et imperiũ reduxerũt, uicto barbaro nauali prælio. Etiam aduersus Ianuenses, qui regiones quasdam isthic & maritimã Italiæ oram te- B
nere uidebantur, bello petentes, plurima militaris uirtutis facta edebant, plerunq; pugnis naualibus uictoriam obtinentes. At Ianuenses bellum aduersus Venetos sumentes, propemodum horum urbem in deditionem acceperunt, nauibus & triremibus adnauigantes, & eorum portum occupantes, ingressi eò loci ubi Clizoe siue æstuarium est. Vrbs Venetorum sita est eò loci, ubi lacus magnus uisitur, qui longus stadijs quingentis regionem Eridano finitimam attingit. Eridanus enim Italiæ fluuius magnus est, & naues ibi in mare exponit. Hac igitur Ianuensium naues ingressæ in portum, Clizoen occuparunt, & diripuerunt. Quo facto, legatos in urbem ire iusserunt. Ciues autem cum in ancipiti hærerent discrimine, nec satis, quid facerent, scirent, respõderunt se paratos esse facere quę imperassent Ianuenses: & eam reipublicæ formam amplexuros, quam ipsi præscripsissent. Iusserunt quoq; Ianuenses petere quæ uellent, quasi ea promptissimè daturi. Ianuenses ut intellexerunt Venetorum responsum, magis in spem potiundæ urbis erigebantur. Proinde immoderatè, nulla urbis uerecundia inhibiti, respondent, se petere, ut liceat urbẽ tres dies continuos diripere. Legati in urbem reuersi, petitionem Ianuensium exponunt. Senatus populusq; ira percitus propter tam insolentem & immoderatam petitionem, naues, quotquot potuerũt, continuò militibus implent: naues que soluentes, in lacum feruntur. His obuiam pergunt Ianuenses, confestim que in lacu nauale prælium commiserunt, in quo penes Venetos uictoria fuit. Hinc cum hostes terga darent, celeriq; fuga festinarent in Clizoen, cõtinuò Veneti adducentes unam de numero suarũ nauium maximam, eam demerserũt, ubi portus angustissimus erat: & suos portus obstruẽtes, fame Ianuenses in Clizoe cõstitutos expugnare nitebant. Tentabant obsessi fossã qua ex Eridano in portũ uenit, conantes per fodere eum locũ, si quomodo possent naues in Eridanũ impellere: sed opus istud haud absoluere potuerunt. Pata-

A uij Dux Venetis infestus, Ianuenses in isto prælio adiuuit. Fame igitur domiti, dedidere se Ianuenses Venetis, ut secum pro arbitrio suo agerent. Et quidem heîc turpissimè perierunt, nec nunc satis dignè tractati, ut in posterum modestiæ memores essent. His in hunc modum peractis, uim belli contra Ianuensium urbem uertere. Cum autem ubiq; uictorijs naualibus clarescerent, & mirabilem sibi ubiq; potentiam pararent, & etiam alios mari, quod eam regionem alluit, prohiberent, accidit ut Ianuensiũ urbs in maximam deuoleueretur calamitatem, ut quæ naualibus prælijs nihil amplius efficere posset: postea etiam Patauij principem ulti sunt, urbem eius obsidione prementes. Deinde adducti in Epirum, eam constantius sibi subijcere moliebantur, ut sibi confirmarent continentis imperium. Et cum antea imperium quoddam in regione Epiri essent nacti, & Taruisium urbem opibus florentem suo dominio adijcientes, regionem prætergressi sunt, cum odio incolæ urbis incitarentur aduersus suos principes. Cum Patauium in potestatem uenisset, etiam Cararíorum è familia Dux contra eos insurrexit, contra quem hostili animo procedentes, urbes non paucas Italiæ & Liguriæ subegere. Veronã quoq; in ditionem redegerunt, siue Scalanorum, uel Scaligerorum urbem opulentam, expulsa Climaziorum principũ familia. Captæ sunt Vincentia, Brixia, urbes opibus & claritate reliquis Italiæ oppidis haud inferiores. Post hæc bellum ipsis fuit cum Liguriæ principe, quod quidem ad multos extractum est annos. Is autem princeps originem trahit ex familia Mariangelorum, & Mediolano præfuit. Vrbs hæc studijs belli, & reliqua felicitate Italiæ urbes longè exuperabat: & cum sit populosa, antiquissima esse credit, nec unquã ad uersa fortuna esse usam, ex quo condita est, uerùm semper studijs belli & armorum præparatione excelluisse constat. Cum autem sit mediterranea, distat à
B mari Ianuensium stadijs sexcentis. Sita est prope Galliam, quæ Sabaudia nominatur. Fluuius urbem dirimit, qui in Tesinem effunditur iuxta Pabiam urbem. Tesines redit in Eridanum, prope Placentiam urbem magnam. Quò autem Eridanus fluat, iam antè indicauimus. Familiæ, Mariangelorũ proceres tali ex caussa in principatũ Mediolanensem & in reliquam Liguriam allecti sunt. Draco ex monte in urbem uadens, magnam stragem hominum, qui ad operas & ad agros pergebant, facere non cessabat: mulierem tamen nullam, ut aiunt, lædebat. Viris tamen longo tempore infestus erat uastando. Plurimi quoq; bestiam illam ut interficerent, contra eam ibant: uerùm nihil proficientes, extrema quæq; patiebantur. Tandem Mariangelus Mariangelorũ familię princeps, natione Britãnus, ministrum suum & semetipsum armatura, quæ totum corpus tegeret, armans, obuiam beluæ processit. Ministrum igitur cum belua uoraret, & medium in rictu portaret, nec eum in ilia demittere, uel euomere posset, securi beluę caput amputauit. Draco in hunc modum peremptus: ciuitas q; liberata ab ista bestia, à qua subinde oppugnabatur, Mariangelum ducem elegit, & cõtra hostes ire iussit, ut qui uirum bonum & fortem se exhibuisset. Nec multo pòst, ut sibi Mediolanensem principatũ cõstabiliret, & ciues obedirent, satellites, quos corporis sui custodes esse uoluit, delegit. Quo regnante, generatione demũ quarta pòst principatus in Philippum deuenit, cum quo Veneti bellum gerebant, creantes ad id duces uiros bonos, & magnam regionem gubernantes. Primò quidem Carmiolã ducem fecerunt, quem opposuerunt principi Mediolanensi. Vbi autem intellexerunt, eum regionem prodere, & colludere cum Mediolani duce, captum interfecerunt. Et uocãtes Frãciscum cognomine Sphortiam, Ducem in locum occisi subrogarunt. Magnis quoq; honoribus eum affecerunt, cum etiam antea gloria multa præfulgeret, & non modicas Liguriæ urbes subijceret. Imperium continentis ad magnam potentiam produxit. Vt autem Italia in partes abierit, quidam

Venetos quidem Ligures sequuti, in sequentibus, ut omnia cõtigerint, enar A
rabo. Redeo nunc ad Venetorum urbem, quę utramq; fortunam experta est.
Veneti igitur elegerunt ad id bellum gerendum duces rei militaris peritia in-
signes, ut suprà docui, inter quos Carmiolam impensius fauentem rebus Du
cis Mediolani, captum necarunt, quia eum sibi insidias struere cognitum ha-
bebãt. Sphortiam accitum in locum interfecti ducem substituere. Manifestũ
arbitror esse omnibus, Venetos præclaris facinoribus ubiq; editis, mille an-
nis usos prospero rerum successu, plurimum gloriæ per uniuersam Italiam
apud omnes tenuisse. Quòd autem ciuitatem suam ita regnauerint, ut inuio-
lata & intacta à seditionib. fuerit semper, decens totius urbis administratio,
quam breuibus nunc describam, in caussa fuit. Olim Democratia istam ciui-
tatem gubernabat, populusq; simul cum his qui in magistratu positi erãt, quà
sibi consulti simum uidebatur, ciuitatem moderabant. Postea cum ad opera
populares singuli auocarent, nec ocium amplius, quando ita res monuissent,
in unum conueniendi & consultandi superesset, optimos quosq; isti curę præ
fecerunt, uel sorti, uel suffragio, electionem cõmittentes. In hunc modum rei-
publicæ forma ex Democratia in Aristocratiã mutata est. Ex eo inde tempo-
re ciuitas illa pulchrè administrata, maximam sibi potentiã peperit. Habent
senatum, quem magnum uocant, in quo diebus octo ocium agunt. His sena-
tus oppidis suffragio intercedente principes statuit. Etiam urbis magistratus
idem senatus decernit. Lege aũt sancitur, in hũc senatum licere ei ingredi qui
natus sit annos uiginti quatuor, & senatoris siue patricius sit, nec aliqua caussa
sa extet, quæ ab senatu eum excludat. Sunt aũt uiri bis mille, qui calculos fe-
runt, & uniuersi imperij magistratus eligunt. Ducem siue principem sibi eum
constituũt, qui apud eos ex omni numero optimus habetur. Hic duos ponit
calculos, quos, cuicunq; uoluerit parti, addere potest. Princeps ille manet in B
primis à senatoribus honoratus. Is in regali aula habitans, uictum habet: sum
ptus, quos facit, ab his qui uniuersæ ciuitati præsident, capit. Adsunt ciuiri
consiliarij sex, socij eius existentes, & in partem curarũ principatus adhibent:
qui mensib. senis euolutis, dignitatem deponunt. Post senatũ magnum alius
senatus est, qui uocatorum dicitur, qui uiris constat trecentis. Hunc senatum
creant in magno senatu, allegentes qui prudentia prętare uidentẽ. Senatus aũt
uocatorum de bello & pace legationibusq; cõsultat. Et ei, quodcunq; uisum
fuerit isti senatui, ciuitas tota paret: & in sententiam, quam dederit, manibus
pedibusq; uniuersa ciuitas uadit. Criminibus capitalibus uiros præfecere
decem, qui accusent, & puniant. His licet manus principi inijcere, & ad necẽ
trahere: nec est qui ausit eius rei caussam inquirere. sic enim ordinatũ est. et cre
antur ut delinquentes feriant. Siue in ciuitatem, siue in priuatum quis quid cõ-
miserit, decem uiri si cognouerint, de eo supplicium sumunt. Sunt & alij iudi
ces, qui in reliquis ius dicunt, quidam urbani, quidam peregrini. His prępo-
suerunt magistratũ quadraginta uirorum, ad quos sententias super puniendis
sontibus transmittant, ut dispiciant, num & ipsis sententiæ optimè habere ui-
deantur. Si sententiæ displicuerint, & ipsi inter se dissenserint, negociũ totum
ad uocatorũ senatũ refert. Hęc sentẽtiæ multa diligentia excutiunt, & tandẽ
ad finẽ ducunt. Sunt & alij magistratus plurimi in custodiã cõparati. sunt qui-
bus negotiũ ciuitatis cõmissum est in eos qui defectionẽ aliquã siue tumultũ
noctu cõcitant. Sunt & rerum uonalium, at q; adeò totius fori pęsides. Alij præ-
sident uectigalibus rerum, alij sunt tributorũ & ciuitatis reddituum exacto-
res. Quidam præpositi sunt uectigalibus & redditibus, ad quos uniuersæ ci-
uitatis opes Ephori deferunt. Magistratus hic constat uiris ætate & honorib.
grauissimis, qui per uniuersam uitam istum magistratum retinent. Quia dif-
ficilè uidetur accepta & expẽsa ciuitatis, quid expendat & quid supersit, quo-

tannis

A tannis cõputare, & singula in rationes referre. Ex his sibi ducẽ capiunt, quando is qui rerũ potitur, mortuus fuerit. Qui ad primum dignitatis locum euecti fuerint, ad istum tandem honorem promouentur. Thesauros atq; totius urbis opes & redditus inspiciunt, & tutantur. Eorum officium est, ubi magistra tum hunc inierint, consultationibus cum principe uacare, & cum eodem legationes principum regumq; relationes audire. Potestas totius ciuitatis penes hos est: & reuera principatum gubernant. Ciuitas ista duobus omnes Italiæ urbes antecedit: uidelicet domorum magnificentia, & ædificiorum, quæ in mari ędificata sunt, apparatu. Excellit & opulentia, quæ penes ciues est. Nam cum sit mercaturæ & negociationibus idonea, fit ut incolæ plurimas hinc colligant opes. Exornata est eadem urbs pulchra nauium statione, quæ intra urbem sita est, pulcherrima et amœnissima uisu, instructa triremibus, nauibusq; aliis plurimis. Copiosus ibi est apparatus in promptu armamentorũ & aliorũ quæ naues postulant. Spacium occupat quinq; stadiorum. Viri complures quotidie huc cõmeant operantes sedulò, ut quę ad naues pertinent, non desint. Quotannis uiros duos eligunt primarios, qui stationi illi præficiunt, ut ea, quæ ad ipsam spectant, sedulò procurent. Equorum nullus in ista urbe usus. Pedestri itinere utuntur in congressibus mutuis. Nauigiorũ usus apud eos frequens est, cũ mare transeat per domos. Præterea urbs tota tegulis integit, nec ullis mœnibus cingit. Magistratus, quos urbib. in Italię cõtinente & in maritima ipsorum regione sitis decernunt, plerunque per eos qui in magistratu sunt, efficiũt. Vbi hi reuersi fuerint, pœnas dãt eorũ quæ iniquè in magistratu collocati egerunt. Ducem, quem exercitibus continentis proponunt, non indigenam aut ciuem creãt, ueriti ut conciliatis militum animis, innouationem aliquam moliretur contra principatũ, rerumq; summa in periculũ ueniret. Na-
B ualibus copijs cum nõ possint dare imperatorem peregrinũ, unum de suo corpore deligunt, qui naualia prælia capessat, cum ad belligerandũ prodeunt. Separatim quotannis decem triremes mittunt in Ionium & Aegeum mare, propter naues quæ in Aegyptũ & in Libyã merciũ gratia, pficiscunt per Oceanum & Euxinũ mare. Mare hoc repurgantà piratis, quos arcentes ubicunq; in eos inciderint, foris morant per integrum annum, expectantes donec decem aliæ submittantur. Quæ si uenerint, liberatæ priores maris custodia, domum remeant. Ciuitas ista mittit triremes, quas ciues emunt, petitũ merces, in Alexandriam, Syriam, Tanaim, Britannicas insulas, & in Aphricam. Hæ sunt numero uiginti duæ, quæ magnitudine differunt à reliquis, ut quæ ad merces capiendas extructæ sint. Solent aũt, ita enim cõsuetudo tenet, cum singulis nauibus patriciorum filij ad merces cõparandas proficisci mercede conducti. Opes acquisiuerunt Veneti plurimas cum bellum, gererent aduersus Mediolani Ducem, bonorũ, quę ciues possidebant, introducta decimatione, propter hanc ciuibus annuũ, quasi debiti persolutionem, ordinarunt redditũ: promittentes quæcunq; accepissent ciues in usum belli, eorum tertiã partem singulis annis ciues singulos recepturos. Hic redditus ad liberos & nepotes redit. Quidam hos redditus paruo precio redimũt ab ijs qui pauperem apud ipsos uitam agunt. Ciuitas ista planè felix est. Hæc cum iam à primordio bonis legibus esset fundata, euenit ut nullus repertus sit, qui seditionem aliquam nouarum rerum cupidus, in ea excitare conatus sit, præter Baimundum adolescentem opulentissimum, qui precio alliciens multitudinem, reipublicę statum innouare parabat. In quem prodeuntem ad regiam stipatum turba hominum maxima, qui eum dominũ suum & urbis declarabant, mulier de tecto quodã lapidem iaciens, eum trucidauit, atq; eò loci seditiosus uitã finijt. Deinceps nullus alius, qui idem moliret, inuentus est, cum ciuitas summa ope, ne id mali cõtingat, pręcauere soleat. Mechmetes igitur Paiazitis filius, cum

bellum Venetis indiceret, triremes, quæ semper binæ in propugnaculis e- A
rant, impleuerũt, & rectà nauigarũt in Hellespontũ, duce Petro familiæ Laur
danorum, qui in expeditione contra Ianuenses admirabilem claritatem rebus
fortiter gestis, sibi parauerat. Hic ubi cum nauib. in Hellespontũ aduenisset,
eregione Calliopolis uelaexpãdens, pręliũ hauduolẽti animo inire in animũ
induxerat. Pax enim adhuc uigorem suũ obtinere, nec dumfœdera uiolata es-
se uidebantẽ. Erat præterea à senatu illi imperatũ, ut defenderet potius, nec pri
or prælium exordiretẽ. Visum enim est Venetis nõ hostilia facere, ne urbes i-
psorum in Mechmetis regione quas habebant, aliquid mali à Turcis pateren
tur. Hæ aũt sitæ erant in regione quæ Ionium spectat, & in Aegæo mari. Se-
natus igitur Venetorũ mandatum huiusmodi suo Duci dederat, ut non prior
arma inferret: nec lacessens, uerùm lacessitus prælium occiperet. Vt uenit in Hel
lespontũ, nec multum ab Asia naues starent, Calliopolis dux nõ amplius fe-
rendos esse Venetos, qui ex aperto contumelijs & iniurijs certarent. Quod si
lius Ducis è familia Phoscariorũ ab Decemuiris captus in grauissimã necessi-
tatem uenerit, quasi seditionis auctor, & nouarũ rerũ appetens: uerùm quæ-
stione habita, nullum inuenire crimen potuisse. Adolescentẽ quidem euasis-
se illatũ crimen. Ex qua re nõ mediocris lętitia oborta est. Ipsęq; domũ redijt.
Deinde iterũ captus est, cum interfecisset uirum, qui crimen proditionis ei im-
pegerat. Vnde in Creta morari coactus est. Tandem cum denuò proditionis
reus fieret, Decemuiri ciuitatis eum accersentes, cum omnia tentarent, nec ul
lo modo crimen patèret, remissus est in Cretã: nec multo pòst ibidem uita de-
cessit. Dux igitur Calliopolis ueniẽs in regis regionem, & in nauale eius, na
ues militib. impleuit: & ducens triremes uigintiquinque, alias q; naues cir-
citer octuaginta, regia classe Venetis, quos contra procedebat, terrorem inijce
re nitebaẽ. Hi quidẽ sublatis nauiũ armamentis, progressi sunt Periconisum, B
nihil metuẽtes hostem. Nauis Peloponnesiaca relinquebaẽ à tergo, quia po-
stremò adducenda erat: quę, cum regia triremis appropinquasset, accersebaẽ.
Dux aũt Venetorum sublato signo eam sequi, nec priorẽ in hostem incursio-
nem facere iubebat. Peloponnesiacæ triremis dux, cum putaret se iussum ir-
ruere in hostem, & propter eandem rem signum esse datum, impetũ in regis na
uem fecit, eamq; demergit. Relinquę barbarorũ naues cum aduerterent, à parte
aduersa occęptum prælium, & ipsę ad prælium se conuertebant. Festinantq;
impetũ in Peloponnesiacã nauem dantes, resistere fortiter. Veneti ut uiderunt
quod parabaẽ, uidelicet classem hostilem incursare in Peloponnesiacam trire
mem, ipsi quoq; ad nauale certamen accingebantur. Interim dum ferueret prę-
lium, nauigabant per omnes hostium naues, quasdã demergentes profundo,
quasdã remis ad litus agentes. Veneti in hunc modum uictoria potiti sunt, ca
pientes naues barbaricas tredecim, pleraq; tñ uacuas. Nam Turci, ubi sense-
rant naues, in quibus erãt, iam capiendas, in mare se abijciebant, & in terrã ena
tabant. Eodem tempore cum armis urgerent Veneti Mechmetem, Lampsa-
scum obsidendo in ditionem acceperunt: ibiq; prę sidio relicto, domum reuer
si sunt. Veneti ducem illum, qui prælia secunda cõtra barbaros fecerat, reuer-
sum capitis accusabant. Crimini dabatur, q; prior præter ius & æquũ, & prę-
ter magistratus imperiũ, prælium inijsset, fœderaq; fregisset. Cum in hunc mo
dum capitis anquireretẽ, crimine absolutus est, ut qui prælium haud prior in-
cepisset. Nec tempore multo interposito, legationes ultrò citroq; missæ, inter
utroq; pacem icto fedære sanxerunt. Mechmetes quidem, quemadmodũ ac
cepimus modò, erga Venetos affectus erat. Gręcis uerò erat perq; familiaris,
eosq; colere cupiebat in omnibus, quæcunq; petijssent haud grauatim largi-
endo. Familiaritatis autem eius caussa, quam nunc dabimus, erat. Mustaphas
unus è numero filiorũ Paiazitis, imitatus Mosen fratrem, ad Sinopij ducem,

qui

A qui hostis erat Mechmetis, perueniens, iuramenti religione interposita, se inuicem amicos & hospites in posterũ fore confirmabant. Deinde cum legatos misisset ad Daciæ Ducem, & amicè ab eo foret acceptus, pollicereturq; se ipsi suppetias laturũ in regno, quod aueret, acquirẽ do, in † Asiam abire decreuit. Cum in Asia lõgo tempore moratus esset, habens secum uiros trecẽtos, haud cessabat ambire Turcorũ optimũ quenq;, & ad defectionem pellicere. Cum res parum succederet, angebatur maximè. Nam Mechmetes æquitatis amantissimus erat, & egregiè optimates Turcorum colere norat, moribusq; erat trãquillus & placidus. Hic dicebat, Mustaphã haud legitimũ, uerùm suppositũ esse Paiazitis filiũ, ut qui nullo, uel paruo iudicio patrẽ & fratres repræsentaret. Filium Paiazitis Mustapham excessisse è uiuis, secq; Mustaphæ ueri filij Paiazitis mortem accepisse à uiro integerrimo & iustissimo, qui sibi eam pro certo nũciarit. Mustaphas, cum cœptis parũ succederet, abijt ex Dacia: & res suas meliore statu fore credebat, si se contulisset ad Græcos, sic in medio Mechmetis regno constitutus. Iracũdo itaq; animo, relicta Dacia, per Thraciam contendebat Thermam, quæ urbs est Græcorũ. Ibi ueniẽs in colloquiũ cum Græcorũ duce, & urbẽ ingressus, captus est. Mechmetes ubi resciuit fratrem suum peruenisse Thermam, cõfestim omni mora posita, Thermã summa celeritate adhibita, pfectus est: assumptoq; exercitu, fratrem quærebat apud Græcos. Dux Græcorũ, qui Thermã regebat, nunciũ ad Byzãtij regem ire iubet, ut dicat, quid egerit cum Mustapha: narraret quoq;, aduenisse Mechmetem, & postulare sibi dedi Mustapham, ut fratrem supposititium, & sui generis maculam. Rex misso legato, pactum inijt cum Mechmete, quo iubebat Mustaphã in uincula dare, nec quoq; inde abire ipsum pateretẽ; pactũ hoc iurisiurandi religione firmarunt. Mustaphã igitur unà cum Smyrnę Duce Zunaite,
B qui cum eo Thermam aduenerat, acceseratq; belli contra Mechmetem adiutor, in arce Epidauri in carcerẽ dedere uinctos. Græci tempore longo eos in uinculis asseruarunt. Postea ducti sunt in Imbrum & Lemnum, ubi quoq; in carcere captiui delituere usq; ad Mechmetis obitum. Cum igitur Græci hac in re morem gessissent Mechmeti, & quasi gratiã retulissent in carcere condentes Mustaphã, accidit ut in posterũ quæcunq; uellent, facilè apud regem Mechmetem impetrarent. Tunc quidẽ cum experirentẽ regis fauorẽ Græci, lõgo tempore admodũ feliciter rebus sunt usi. Peloponneso eam induxere formã, quam cõmodissimã fore iudicabãt. Emanuelus habuit filios, Ioannẽ seniorẽ, quem Græcis regẽ dedit: Andronicũ & Theodorũ: præterea Constantinũ, Demetriũ, & Thomam. Ioanni seniori, qui reliquis uir melior esse apparebat, regnũ cõmisit. Eidem uxorẽ dedit ex Italia Monpherarię principis filiã, moribus quidẽ præditã optimis, ceterũ forma illiberali. Diademate igitur caput filij cingẽs, eum regem & pontificẽ Grecorũ esse iussit. Vxorem, quã ex Italia petierat, nõ perinde ob formæ turpitudinẽ amabat. Proinde nec cohabitabat, nec etiã Veneris fœdus cũ ea inibat, tantũ mulieris obrepserat fastidiũ. Mulier aduertens se marito esse inuisam admodũ, nauẽ cõscendit, & ad genere, propinquos se recepit. Ipse interim matrimonio sibi iunxit Sarmatię principis filiam. Hic quidem in istum modũ affectus regno præfuit. Andronico aũt imperio regendã cõcessit Thermã, qui uirtute post Ioannẽ secundus inter filios regios erat. Cum aliquanto tẽpore superuixisset, in elephantiasim incidit. Thermam quoq;, ut quæ nõ amplius retineri posset, propter res ciuitatis admodũ accisas, Venetis uendidit. Cum igitur iudicaret eã uenditionem tum sibi cùm urbi expedire, paruo precio accepto, eam Venetis tradidit. Andronicus aũt, pfectus ad fratrẽ in Pelopõnesum, uictũ in Mãtinea Laconię habuit. Morbus cũ indies inualesceret, tandẽ uita functus est. Theodorũ, q defuncti ꝙq filius erat, misit ad fratrẽ Theodorũ Porphyrogenitũ, ut eũ Pelopõnesi successorẽ relinqueret. Quẽ susceptit, & ut fratris & necessarij filiũ apud se detinuit, q mor-

† Alij legunt, Daciam.

tuo, quẽ admodũ cõuenerat, succeſſit in Peloponeſi adminiſtratione. Hic ubi A
imperio potitus eſt, uxorẽ accepit ex Italia, filiã Malteſtę Ducis Marchię, q̃
formę uenuſtate, & reliqs mulierũ dotib. admodũ p̃ſtabat. Poſtea cũ odiũ, de
hinc diſcordiæ id matrimoniũ inuaſiſſẽt, odio, quo uxorẽ, ꝓſequebaꝫ, permo
tus, ad Nazarę orũ Schema migrare ſtatuit. Cum aũt iam animo fixũ eſſet, Na
zaræorũ ſuſcipere habitũ, accerſiuit fratrẽ, ut ei regnũ tribueret, opesq̃. Verũ
haud multò poſt uolũtatẽ mutauit, cũ eũ optimi quiq̃ ab iſto inſtituto dehor
tarenꝫ, nec eum ad hanc uitæ formã trã ſire ſinerent. Senior Theodorus non tu
lerat filios ex Rhainerij filia: uerùm nati ſunt ei filij nothi. Nam duxit uxorem
Athenarũ principis filiã, quæ oẽs ſui ſeculi formoſas anteire dicebaꝫ. Rhai
nerius hic Corinthi & Athenarũ princeps extitit. Bœotiæ q̃q̃ imperauit, &
uſq̃ in Theſſaliã, ꝓceſſit. Imperiũ hoc modo nactus eſt. Cum contra Græcos
ſic inſtigante Romano Põtifice, expedionẽ ſumerẽt Galli et Veneti, tum etiã
Neapolitani, qui Regis erãt, necnõ Tyrrhenorũ & Ianuenſiũ uiri potentiſſi
mi, ꝓfecti ſunt, ut Peloponneſum & reliquã Græciã ſubigerent. Et Pelopõ
neſum quidẽ cæteri in ditionẽ redegere. At Ianuenſes qui erãt de familia Za
chariarũ, cæperũt Achaiã & Elidis partem maximã. occuparũt & Pylũ, nec
nõ Meſenes regionem haud paruã, ut etiã in Laconiã irrumperent. Mediter
raneam regionem Peloponneſi, obtinuere Græci Pelopõneſiaci. Vniuerſam
maritimã Pelopõneſi oram capientes tenuerũt Celtiberi occidentales, nec nõ
alij quidã Ianuenſes & Tyrrheni. Rhainerius cum ab Florentia ueniret in ex
peditionem hanc (erat enim ortus ex familia Azeolorũ) Atticam & Bœotiã,
ut antè dixi, in ditionem accepit. Nactus eſt & Phocenſiũ regionis pleraq̃. Li
gures Euboiam longis temporib. retrò cæperant: qui permiſerunt Venetis,
certis conditionib. & pactis in inſulã aſcendere. Poſthæc paulatim progreſſi, B
Euboiã uniuerſam occuparunt, cum interceſſiſſent diſcordiæ inter Venetos et
Ligures. Regionem iſtã & reddítus quia placebant, Veneti adhuc habent cõ
ditionib. & pactis ijſdem, quibus in eam inſulã peruenerunt: quæ quidem bõ
na fide cõluerunt. Rhainerius, Celtiberi, Gallíq̃, quotquot bello Græcos la
ceſſebãt, longo tempore demum poſt Venetos & Ligures in iſtã regionem
appuliſſe uidenꝫ. Rhainerius q̃q̃ aduena exiſtens, affinitate iuncta cum Ligu
ribus, qui Euboiã tenebant, Prothymi cuiuſdã filiam uxorem ſibi aſſociauit.
Hinc regionẽ eam occupans, etiã Corinthũ ſubegit. Pelopõneſum quoq̃ ſub
ijcere animo agitabat. Poſtea cum ad ipſum ueniret frater Græcorum regis
Theodorus, inter ſe affinitatem fecerunt. Nam uxorem dedit Theodoro Duci
filiã ſuam, quæ formæ elegantia omnes antecedebat. Corinthumq̃, ubi mor
tuus eſſet, ei cõceſſit. Promiſerat emꝫ Rhainerius, ut dotis nomine, ubi primũ
ipſe defunctus fuerit, Corinthum accipiat. Filiã ſuam alterã deſpondit Caro
lo Acarnaniæ & Aetoliæ principi. Duces regionis illius priores pertinebãt
ad regem Parthenopes, quę nunc Neapolis uocaturi. Cum à finitimis & uici
nis gentibus expellerenꝫ ſuis ſedibus, duce deſtitutæ, Cephallenia, Zacyn
thus, & Echinades inſulæ ad iſtum regem conuerſæ, præfectũ & principem
ab eo acceperunt. Venerãt iam olim & alij præfecti & principes in inſulas i
ſtas. Ibi tũ Carolus ille de familia Fœneratorũ appellatus habuit ſecũ uiros
ſpectatæ uirtutis, Rhoſum, Gyidũ, Myleiareſem. Et cũ Cephalleniæ moras
traherẽt, animũ in Epirũ intenderũt: adiũctisq̃ Epirotis, regionẽ quẽ habebẽt
ſubiectã, in ditionem acceperũt: paulatimq̃ etiã Acarnania in ditionẽ uenit.
Albani rúentes ab Epidamno, & ad Orientem ꝓperantes, Theſſaliam, & me
diterraneæ Macedoniæ pleraq̃, Argyropolichnã & Caſtoriã dominio ſuo
addiderũt. Aduenientes deinde in Theſſaliã, urbes inter ſe ſunt partiti, regio
nemq̃, ut q̃ paſtores eſſent, nec ullo in loco fixas ſedes haberẽt, depaſcebanꝫ.
Poſtquã aũt in Acarnaniã peruenere, Acarnanię principe id permittente, etiã
eam regionem pecorib. depaſcendã obiecere. Poſteà conuenit inter ipſos, ut
inſidias intenderẽt Græcis, utcunq̃ tamẽ res cecidiſſet. Et ſanè Duci Iſaacio,

A qui uenatũ,pfectus erat, Albani uenientes insidias struũt duce Spata. Qui,cũ fo ret uir impiger,& ad omnia audax,plurimũ suis eo tẽpore audacia & fortitudine ꝓfuit.Ducẽ Isaaciũ eò loci cõfecerũt. Hinc cõtinuò incursionẽ in regionẽ eius fa ciẽtes,eã subegere,uirosq; ꝙscũq; in agris deprehẽderũt, cæpere uiuos. Postea obsidẽtes Arten Acarnaniæ urbẽ,haud cessarũt priusq̃ eam occupassent. Hanc regionẽ subigentes,haud abstinebãt ab occidentaliũ regione,quã miris modis euastabãt,nunq; ꝙti se tradẽtes. His moti principes Neapolitani,ab Corcyra in sula pergẽtes (insulã em̃ istã ea tẽpestate Parthenopes reges tenebãt) & copias cõtrahẽtes ꝓficiscebanť cõtra Acarnaniã,ut Albanos ex sua regiõe deturbarẽt, & Artẽ Acarnanię urbẽ captã recuperarẽt. Qui aduenientes, Arten obsederũt, bellicasq; machinas muro admouerũt,ut urbẽ ui caperẽt.Spatas Albanorũ dux haud intra mœnia se cõtinebat, sed extra urbẽ obãbulãs cõsulebat Albanis, ꝙs in unũ collegerat, ut se prõptè sequerenť ad pñsens periculũ. Quo impigrè facto, opprimũt subitò Italorũ exercitũ oppugnationi intentũ. quos in fugã cõpellũt, plurimis partim necatis,partim captis. Socius & auxiliaris aderat in eo plio Pri alupas Aetoliæ princeps Tryballus,affinis Spatę duci Artę. In hũc modũ Spa taei Acarnaniã occuparũt. postea Carolus cum,ꝓficiscereť ab insulis cum suis so cijs,nec nõ alijs ꝙbusdã ꝙ in societatẽ belli uenerãt,offensi Albanorũ tyrannide, regionẽ Acarnanię subegerũt.Pręterea eripuerũt Aetoliã Izaulo regenti Dro mænorũ urbẽ & Aetoliã.Imperiũ Aetoliæ antea penes Thomã Prialupæ Try balli filiũ fuit,et hoc pacto in Izaulũ ꝓuenit.Cum adiuuaret Prialupas Spatã,et Albanos in bello ꝙd gestũ est cũ Italis,Artem metropolim Acarnanię obsiden tibus, euenit ut in eo plio captiui cõplures, ꝙ generis claritate excellebãt admo dũ,in manus uenirẽt. inter captiuos hos extitit et Izaulus è grege optimatũ:qui adolescẽs regis Parthenopes nũcupabať. forma erat liberali,&,quantũ ad mo
B res attinet,æquus & placidus.Hũc cum plurimis alijs captiuũ trahẽs Prialupas domũ, ut mancipiũ tractauit:eosq; in custodia asseruauit,moratus in regia,uolẽs eos ꝓpinquis restituere,accepta pecunia,si uenirẽt suos redẽptũ. Vxor Prialupę adolescentẽ uisum amare cœpit.Erat em̃ istius mulieris ingeniũ,ut priusq; pete retur,peteret uiros,præ intẽperãtia cui obnoxia erat. Cũ igitur stupri cõsuetudi nẽ cũ adolescẽte habuisset, amore ardẽs & furens cũ adolescẽte insidias marito subornat. Mulier adolescentẽ ducit in cubiculũ, in ꝙ quiescere solitus erat Pria lupas dux:ibiq;,adiuuãs adolescentẽ mulier,Prialupas occisus est,et ipse ad im perij gubernacula ascendit. Cũ aũt sibi tyrannidem ad eũ modũ parasset,nemini nisi mulieri soli placebat. At ultio haud multo post Prialupã inuenit, ꝙ filius e ius erat,patris nomẽ gerẽs,natus ex ista uxore. Qui cum properaret ad regẽ Mo sem,petẽs auxiliũ & pręsidiũ cõtra Carolũ Acarnanię principẽ,ut eã regionẽ in potestatẽ redigeret,captus est,oculiq; eius eruti sunt.Regionẽ urbis Ioannitarũ nemo subegit. Petijt enim Carolũ sibi ducẽ: cui ubi primũ urbis administratio est cõmissa, bellũ fortiter admodũ sustinuit.Regnũ hoc,cũ prius Tryballorũ so ret,ad Izaulũ et Carolũ ducẽ, in hũc modũ descendit.Cũ utraq; teneret finitimã Archeloi regionẽ, ꝙ ea tẽpestate Aetus uocabať, & Angelopolichnã usq; Nau pactũ, quæ est eregione Achaiæ, suo imperio admouit. Qui principatũ admini strauit cũ usq; res suę incremẽta sumerẽt, pace bellóq; nulli ducũ cederet. Tandẽ cũ bellis, quę aduersus finitimos gessit,plurimũ glorię sibi peperisset, duxit,ut suprà docuimus, Athenarũ & Corinthi principis filiã. Huic duci natus est filius nothus. nã ex Euboide uxore stirps uirilis haud nata est. Nomen filij nothi erat Antonius. Huic testamẽto reliq̃t Bœotiã, et Thebas urbẽ,nã Corinthus cesse rat genero Theodoro,regis fratri. Vrbẽ Athenas,ꝙ prius Celtiberorũ erat (nã & hãc tenuere Iberi) sibi subijciens, tandẽ Venetis reliq̃t. Filius Antonius à patre accepit Bœotię regnũ. nã reliqua Phocẽsiũ regio et Lebadia uenerãt in potesta tẽ Paiazitis,quas suo dominio adiũxit,ut suprà memorauimus. Antonius cõtra Venetos bellũ mouit,& Athenas summa diligẽtia exercitibus circũsedit. Vene

ti ægrè ferebant urbem suam obsidione premi. parant igitur eam obsidione sol A
uere. Et cum statuissent hostili animo proficisci contra Thebas, exercitũ ex Eu-
boia quantũ potuere cõpararunt, nec nõ reliqua quæ ad instruendũ exercitũ at-
tinent, collegerũt. Et ab Euboia rectà mouẽt in Bœotiã, & cõtra urbem. Anto-
nius ut accepit Venetos cõtra se cũ exercitu pergere, suos in duas turmas partit,
quas locat in uia per quã Venetos & Euboienses iter facturos cõpertũ habebat.
Vnã posuit in fronte, alterã ut à tergo esset iter ingressis. Deinde expectauit do-
nec hostes ex improuiso in medium uenirent. Veneti progrediebant ad urbem
Thebas, quæ aberat ab Euboia stadijs centũ & quinquaginta. Numerus aũt eo-
rum qui arma Thebis inferre parabant, complectebat sex millia militũ. Anto-
nius, cum in insidias hostes præcipitati essent, in hos undiq; coortus, habens in
singulis turmis non ultra ter centenas, simul utrisq; apparens, hostes fugã arripe
re coegit, plurimis cęsis & captis. Et iam principes, qui eorum regionẽ guber-
nabant, cæpit uiuos. Hinc cedens reuersus est, unde digressus erat, ad obsidio-
nem Athenarũ. Ad hãc urbem copias habuit, donec quidẽ Athenienses pacto
intercedẽte per proditionẽ urbem hosti traderẽt. Deinde paucis diebus pòst &
arcẽ, quã obsidione urgebat, occupauit, princepsq; Atticę & Bęotię declaratus
est. Cũ aũt uenisset iamãtè in Ianuas Paiazitis, superstite adhuc patre, deinde q; q;
accessit Ianuas Mosis, Mulsumanis, & Mechmetis. Ianuę milites munerib. sibi
cõciliauit, et in regione sua admodũ suauiter et trãquillè in reliquũ regnauit. Di
cũt hũc uirũ cętera illustrẽ extitisse. Deinde cũ in ditionẽ redegisset Athenas, se
rũt eũ tũ demũ abijsse ad Ianuas regis, qs sibi familiaritate & arctissima necessitu
dine deuinxit. Tyrãnidẽ aũt exercuit, ducta priuati cuiusdã Thebani uxore. Cũ
eã nuptiale sacrũ peragẽtes, in nuptijs cuiusdã Thebani choreas ducerẽt, aderat
& sacerdotis cuiusdã filia, maritũ habẽs, etẽ forma luculẽta, moribus q; uenu
stis & modestis prędita. Hãc in ipsa chorea adamauit. Amore aũt amens, haud B
multo tẽpore pòst eã sibi matrimonio iũxit. Feliciterq; uitã egit, cũ principatũ
ad eũ modũ instituisset, q sibi suisq; & alijs maximè opportunè habere uidebat.
† Alij le- † Aleoti filiũ Aeginę principẽ, q corporis fortitudine pręstabat, generũ asciuit,
gunt, Galeo data ei quã adoptauerat, in uxorẽ, filia. Habuit & aliã filiã adoptiuã, qua sibi ge-
ti. nerũ parauit iuuenẽ quẽdã ab Euboia oriundũ, claro loco natũ. Postremò cũ bel
lũ inter ipsũ et Venetos pace direptũ foret, pacatã amplexus est uitã. Aleoti filiũ
Aeginę ducẽ, uirũ maximè sibi cõmodũ, quãdo ad se uenisset, magnificè uenera
bat. Vitã suã cum temperanter instituisset, ad multã senectã peruenit, fœliciter
uiuens. Quia imperiũ pulchrè & decenter ordinarat, multas comportauit inde
diuitias. Vrbem q;q;, q; potuit maximè, ædificijs & reliquo apparatu exornauit.
Horum cum hucusq; mentionẽ fecerim, tempus est ut redeam ad Theodorũ re-
gis filium, Spartæ & reliquæ Pelopõnesi principẽ, qui educatus & disciplinis
institutus à Theodoro patruo suo, postea ab eodem mortuo principatũ accepit.
Ad hunc cum uenisset pater eius Emanuel Byzantij rex, principatũ firmiorem
& stabiliorem Theodoro fecit. Sermonẽ q;q; funebrẽ habuit, & maximo mœ-
rore affectus uolutabat super fratris sepulchro. Postea aduocans Pelopõnesios
in Isthmũ, Isthmũ muro includere aggressus est. Cui cum imposuisset pręsidiũ,
Byzantiũ repetijt, habens secum in uinculis Peloponnesiorũ duces. Hæc qui-
dem sunt quæ ea tempestate regibus Græcorũ euenerũt. Imperãte Mechmete,
bene se res Græcorũ habebant, tum quantũ ad regnũ, cũm quantũ ad reliquũ ui-
uendi pertinet modũ. Postq; in fœdus & pacẽ coierãt cum Mechmete, nihil an
tiquius Mechmetes ducebat, q; summa ope niti, ut Græci quamplurimi istam
pacẽ facerent. Proinde quiduis potius malebat q; ut peregrini cum his in collo
quium congrederentur. Nec cessabat in eos dona conferre quæcunque ijs grata
fore arbitrabat. Reliqua etiam faciebat propter filium suũ Amuratem. Erant e-
nim ei duo filij, Amurates, qui natu erat maximus, & Mustaphas annis iunior,
& adhuc puerilem agens ętatem, Europę imperiũ illi, huic Asiæ testamento re-

linquere

A linquere parabat. Cum in hunc modum filijs, quæ ad regnũ attinere uisa sunt, dispositisset, iussit ut extremã suam uoluntatẽ seruarent, Byzantioq; regi sub sidio uenirent, quandocunq; ab hostibus uim pateretur, & fortiter uirum defenderent ab his qui ei iniuriã facerent. Cum copias misisset in Daciam, regionẽ eam diripiebat. nec à Pannodacia manus abstinuit, Chotza Therozis ministro exercitũ ductante contra Pannones, & Pannodociã, Illyricosq;. Brenezis, qui arma inferebat Illyricis & Pannonibus, & Peloponneso, extãt in Europa designata opera plurima memoratu digna. plurima quoq; egregia facta Turcorũ, cum Europę equitibus adiuncti, stipendia facerent, maximè celebrantur. Nam cum continuò expediti sequerentur quócunq; dux duxisset, cõmoda plurima reportabant. Et cum eodem duce incursionẽ fecissent in Venetorũ regionem Turci, magna præda hominũ aliarumq; rerũ abacta, admodum opulenti facti sunt. Itaq; haud modica ædificia à Breneze in Europa sunt excitata, ut posteris monumentũ forent. Postea aũt cum relicto Mose ad fratrẽ eius transijsset, imperatoriã dignitatem filijs concessit. Hinc cum Brenezis filij Iesus, Barancus & Halies prouincia ducendi in hostes fungerentẽ, breui ad maximã claritatem peruenere. Brenezes inhabitauit Ianitzã urbem quam à rege, ut ibi domicilium haberet, dono acceperat. Filijs aũt præceptum erat, ut quandocunq; necessitas postularet, haud cunctarentẽ ministrare & inseruire regi. Ianitza urbs sita est prope flumen Axium: nec pauci iuxta eam colunt Brenezis uici. Sub Mechmete post Brenezem Turachanes eximius dux erat, qui præerat equitibus, qui undiq; ad ipsum concurrebant. Vsusq; prospero rerũ successu, prædas agebat plurimas exhostili regione. Imperauit Bidini, cũ huic à rege Mechmete esset præfectus: transiensq; in Pannoniam, plurimum gloriæ per uniuersam Europam obtinuit.

B

LIBER QVINTVS.

MORTVO Mechmete, qui Paiazitis fuit filius, regni sui anno duodecimo, imperij moderamen Mechmetis filius Amurates, qui cæteros ætate anteibat, nactus est. Ea tempestate uersabatur Prusæ, quæ Asiæ urbs est, quæq; ad regni curam attinere uisa sunt, constituebat. Græci Mechmetis morte & Amuratis in regnum successione accepta accersebant è Lemno Mustapham, qui Paiazitis ferebatur esse filius, & tum temporis in Lemno agebat mediocri custodia à Græcis asseruatus. Cum aũt hi qui Mustapham uocatum ierant, prohiberentẽ uentis aduersis qui transitũ ab Lemno in Hellespontũ uiolenter eo tempore auferebant, regemq; in Europa constitui oporteret, tri remibus intercipiebant Amuratis in Europã traiectũ, Propontidem & Hellespontũ intercludẽtes, ne posset traijcere. Ipsi uerò nauigauerũt Calliopolim, quæ est urbs Chersonesis rerũ omniũ abũdantia affluentem ut ibi in colloquiũ cum aduenientẽ Mustapha uenirent. Quem ubi posuerunt in regnum Europæ, petentes ut sibi restitueret Calliopolim, facile impetrarũt: Hoc quidẽ Græci semetipsos resq; suas planissimè perditũ iuere, præ nimia imprudẽtia: urbs q; eorũ parũ abfuerat qn capta et direpta ab Amuratef isset Nam duces Amuratis relicti in Europa ab Mechmete patre, ut filio in regnũ succedenti obtẽperarẽt, accessere ad Byzantiũ, regẽ petẽtes ne in præsentiarũ Græci dissentire uelint: neue ipse quid contra ea quæ promisisset regi Mechmeti. nouarũ rerum cupidine moliretẽ. Paiazites, unus de numero optimatũ regis, declaratus iudex & dux Europæ, legatus ibat ad regẽ Byzantiũ, adhortans eũ ad fœdus faciendũ, q̃ iuberet ipsi auxiliaris esse, si quã do usus postularet. Et q̃ magis regis animũ cõmoueret offerebat obsides duodecim nobilium filios. His addebat auri myriades uiginti, nec nõ regionẽ plurimã Calliopoli adiacentẽ quacunq; eò loci Greci petijssent. Hęc quidẽ pollicebatur et dabat, ut

Musta-

Mustaphã rex Byzantius missum faceret, neutrisq; suppetias ferret: sed ipsos potius sineret cõcurrere infestis armis: eũq; quẽ belli euentus regem declarasset, regno pręesse paterent. Hæc per præconis uocẽ ad Ioannẽ tum temporis Gręcorũ regem iuuenem, nec quicquam moderati, ut sibi pararet regnũ, cogitantem, referebant. Arbitrabãt nanq; res suas melius habituras, si illi inimicitias inter se gererẽt hostiles: seq; feliciore rerũ successu usurũ quàm hactenus, si inter se discordias fouissent. Etiam hinc magnam sibi pollicebatur felicitatem fore, si ambo sua opera indiguissent. Præterea hæc cogitatio eius subintrabat animum: Quòd si inter se diuiserint regnũ, & id super utroq; recubuerit, fore ut facile superare possit utrunq;: cum neutri, quantũ ad regni magnitudinem spectat, tum sit conferendus. Id aũt commodissimè euenire putabat, si regnum inter se distribuerint, & ambo regnarint. postmodum longè aliam tenebat sententiam. Totus namq; stetit à partibus Mustaphæ. Pater aũt Ioannis, qui regnum administrabat, diuersum à filio sentiebat. Nam censebat fœderum religionem nec temerandam, nec uiolandam esse: & qui id fecisset, nihil boni ei unquam euenturum: nec quicquam prohibere, quo minus cum erato suo pereat penitus. Verùm hæc in deliberationem ꝓponenda esse ei qui deliberet, utri parti sit adhærendum: ab hac parte locentur opes regni, et peregrinorum militũ robur: ab altera, quæ modò diximus, ponantur. Illa quidem dubiam faciunt electionem. Hęc etiam ambiguitatem inferũt, dum cogitaret quà & quomodo regnum sibi subijceret, & interim Græcorum res in summũ adduceret discrimen. In hunc modum ad utramq; partem Græcorum animi propendebãt. Vicit tamen sententia, quę iubebat regẽ iuuenem, qui rerũ tum potiebatur, sequi quocũq; duxisset. Proinde adiungebant Mustaphæ, eumq; regem pronunciarunt: hac tamen conditione, ut Calliopolim amissam reciperent. His ita decretis, copijs nauali bus impleuerenaues, quibus instructus rex uenit Calliopolim. Cum autem nondũ eò aduenisset Mustaphas è Lemno, uolens ipse interim aliquid agere quod pertineret ad regnum Europæ, Calliopolim obsidere statuit. Aderat & Zunaites Smyrnę princeps, Mustaphæ familiaritate iunctus. Porrò dicebant Turcis, qui conuenerant, Mustapham breui affuturum. Oppugnabãt arcem Calliopolis: nec multo pòst dedidit se aduenienti Mustaphę Chersonesus: & illicò eum regem consalutauit, & quocunq; duxisset, promptissimè sequebantur. Calliopolim sibi tradi postulabat Gręcorũ rex. Mustaphas paratus erat eam dare, nec abnuere. Turci rem istam iniquis patiebant animis, cũ parũ honestũ sibi fore arbitrarent, regno nondũ satis firmato, urbem talem Gręcis donare. Præterea in dubio adhuc esse, cum regnum nondum satis sit munitum, quónam res erupturæ sint. pollicebatur ita q; Græcis rex cum in regnũ ueniisset, se ipsis traditurum Calliopolim: præterea si aliquid aliud, quod sibi utile fore putarint, postulauerint, se deinceps haud repulsam passuros. Græcis in hunc modum persuasis, rectà in Europam contendit, quem aduenientem omnes ut regem & Paiazitis filium excipiebant, eiusq; imperio se submittebant. Cum Paiazites compertum haberet Mustapham Adrianopolim pergere (urbem enim istam regebat iussu Mechmetis, qui moriens id ei mandarat) exercitu ex Europa congregato, obuiã processit Mustaphæ, ęq; proximè Adrianopolim, quasi pugnaturus: nec permissurus, si tantæ uires fuissent, eum in regni sedem procedere. Cum Mustaphas agmine composito accederet, Turci confestim omnes ad Mustapham transitionem faciunt, eumq; ut regem adorant. Prętera Paiazites prouolutus ad genua Mustaphæ, eum ut regem adorauit, resq; eidem tradidit, ut pro suo arbitrio ageret. Hunc continuò necari iussit, ducensq; exercitus Adrianopolim, eam urbem cępit, et in regni sedem progressus est. His peractis conuersus proficiscebatur contra Asiam, uolens & Asiæ regnum subigere. Traiecit autem in Asiam, habens secum Europæ exercitum & Turcorum pedites, quos

Azapidas

A Azapidas uocant. Adhibuit & Smyrnæ principem Zunaitem. His copijs in Asiam trãsportatis, aggressus est Amuratem, Mechmetis filium. Legatos misit ad regem Græcorum, qui orarent, ne quid, quia peregrè abesset, innouarent: se, ubi primùm Asiam subegerit, & patruelem deuicerit, ipsis redditurũ Calliopolim. Aduenientibus quoq; ad regem Byzantium legatis ab Amurate, dicentes, si arma Amuratis sequantur, fore ut quicquid peterent ab Amurate, consequerentur. Græci legationes differebant aliquandiu. postremò Amuratis legatos dimiserũt. Græci autem sequuti sunt partes Mustaphæ, cui persuaserunt, ut secum fœdus faceret conditionibus quas ipsi prescripsissent. Legati Amuratis cum redijssent in castra, rumorem sparserunt, se Græcos sibi auxiliares parasse. Eo tempore castrametati sunt prope Lopadiũ lacum, & regionem Michalicij eò loci euastauerunt, quà lacus multis ambagibus per angustias in mare effunditur, & pons est. Mustaphas igitur accedens, castra locauit iuxta fluuij ostium, qui ex lacu pmanat. eò cum aduenissent Amuratis legati, cõmodum sanè uulgarunt rumorẽ, quasi sua legatione effecissent ut Græci sibi auxilio uenirent. Minitantes igitur uociferabantur contra Mustaphæ exercitum, quasi periturus sit in Asia intercluſus. Hæc fama cum uolaret in castris Mustaphæ, & necdum legati præstò essent, quos ipse miserat, ueriti ne Græci occupantes Hellespontum, nec transitum in Europam darent, & milites Mustaphæ in Asia interciderent, inter se colloquuti sunt uaria. Postea ea nocte, quæ insequuta est, Zunites Smyrnę princeps, Mustapha relicto, ad paternum profugit principatum. Aufugerunt & reliqui duces, parum fidentes Mustaphæ fortunæ. Vt animaduertit Mustaphas suos exercitus dilabi, sibi quoq; tandem timens, fuga præpropera, ad mare se proripuit. Græci qui elegerunt Mustapham, eumq; sibi socium parauerant, nauibus imposuere mi-
B lites, & nauigarũt in Hellespontũ. Rex aũt Byzãtij cum foret in Periconiso, amori importuno mulieris, quã amabat, operã dabat. Hęc aũt sacerdotis cuiusdã filia erat. Nec sanè admodũ opportunè ibi uiuebat. Transitu enim in Europam Amurates arcendus erat. Amurates, ut primùm dies illuxit, castra hostium uacua & deserta deprehendit. Azapides autem manus supplices tendebãt, rogantes ne in se à suis equitibus fœdè desertos & proditos sæuire statueret. Ponte igitur Amurates lacum eum iungens, quàm celerrimè ad hostium castra transijt, & Azapides omnes occidit. Hinc persequi statuit Mustapham per omnes urbes, quascunq; adijsset. Mustaphas autem præuerterat Amuratem, transfretãdo Calliopolim. Amurates uerò nactus nauim Ianuensium maximam, quæ fortè appulerat, paciscit cum gubernatore, ut secum peregrinis & Ianuæ militibus, nec non cum reliquis copijs in Europã traduceret. Mercedem gubernatori soluit maximã pecuniã, quantam petijsset, impigrè numerando. Et in hũc modũ cum copijs suis uniuersis in Europã transuectus est. Mustaphas ubi cõperit Amuratis in Europã transitũ, iamq; minus minusq; tutus foret, ubiq; fratre imminẽte, circumspiciens locum ubi exitũ euitaret, fuga se cõtulit in montẽ, quem incolæ Toganũ nominãt. Eò sequutus est Amurates, nec definebat omnia indagare ut potiretur Mustapha. Cum aũt quasi uerriculo lustrasset, & indagine circundedisset locũ in quo eum se occultare suspicabat, sub arbusto latitantẽ offendit. Cuius, ubi uiuus in manus uenerat, guttur laqueo fregit. Interfectus est itaq; Mustaphas cũ regnasset in Europa annis tribus. Amurates, ubi utranq; continentẽ in potestatẽ redegit, rex creatus est. Nec multo pòst expeditionẽ sumpsit aduersus Byzantiũ & Græcos. Præmisit ducẽ Michaloglen, q iudicis et ducis partes in Europa gerebat. Hic assumptis Europæ exercitibus, incursionẽ fecit in Byzantij regionẽ, & postea ibi castrametatus est. Hũc illicò sequutus est Amurates Mechmetis filius, ducens secum peregrinos & Ianuæ milites, necnõ reliquos omnes qui

belli

belli tempore regem comitari assolēt. Adduxit secum & Asianum exercitū, A
castraq; posuit, quę ab una parte maris initium sumentia, excurrebant usq; in
alteram partem maris. Ianuæ autem sic se habent. pedites adsunt apud regem
semper ex mille, interdum decem mille. Ex his præsidiarios milites eligit,
quos arcibus defensandis imponit, & in eorum locum subrogat alios. Ad
hunc autem modum Ianuæ milites ad regem conueniunt. Pueros quoscun-
que potest acquirere ubicūq; terrarum captiuos abductos, Turcis in Asia in
disciplinam tradit, ut Turcicam linguam addiscant. penes quos si manserint,
duobus aut tribus annis linguam apprehendunt Turcicam. Vbi linguam di-
dicerunt, quantum satis est, ex earum numero, quos in disciplinam dedit, bis
mille, aut ter mille eligit, quos Calliopolim perducit, nauibusq; præficit, ut
artem nauticam discant, transuehentes homines qui in Asiam ex Europa iter
instituūt. Quotannis singuli tunicam & gladium instar ueru accipiunt. Haud
multo tempore post, citant in regis Ianuas, quibus suppeditat mercedem suf
ficientem, ut hinc uiuere possint: aliisq; ampliorē tribuit mercedem. Qui sub
decurionibus & quinquagenarijs cōstituti, & in cohortes cuneosq; discreti,
stipendia faciunt, manentes mensibus duobus in tentorio Decurionis. Hi ten
toria sua figunt, ut se mutuò contingāt quàm proximè apud regem. Intra hos
nulli tendere tentorium licet, præterquam filijs regis. Inter hos sunt thesauri
regij, cubiculumq; regium. Tentorium rubrum, quandoq; duo, & aliquan-
do tria regi ponuntur, quæ fiunt ex argilla rubea, & inaurantur. Sunt & alia
tentoria regis intra peregrinos numero fermè quindecim. Extrà tendunt reli-
qui Ianuæ milites, Amurachorij & pocillatores, quos Saraptarios uocant: si-
gniferi quos Emuratanuos nomināt, Ianuarū iudices, quos Bixorides appel
lāt, & regis tabellarij. Hi omnes cū numero sint plurimi, numerus in eorū au-
getur, cum accedūt ministri et famuli, quos habēt cōplures. Illos quos modò di-
ximus, ordine sequuntur, in Ianuis regis Sylictorides circiter trecētos, qui sunt
equites, ex peregrinis in istū ordinē allecti. Hos attingūt Corīpedes peregrini
isto nomine notati, q; ab Asia, Aegypto, & Aphrica in Ianuas ueniant: & ex-
ercentes fortitudinē mirabilē, mercede à rege conducuntur, alius quidē maiore,
alius uerò minore. His ordine proximi sunt Alophatzides, qui mercenarij di
cuntur, qui numero sunt octingenti. Ab his tendunt Spachides, quorum co-
hors ducentos complectit. Hi sunt ducum & principum filij, quos de suo cu-
biculo rex ejiciens, in istum militiæ ordinem mittit, & alios in ejectorum lo-
cum substituit. In hoc grege eos retinet, qui uirorum bonorum & illustrium
filij censentur. Hic est, ut paucis dicam, Ianuarum ordo. Vniuersę suæ monar
chię rex duos prę ponit imperatores. unus Europę, alter Asię Imperator nun-
cupat. Hos sequuntur copię uniuersæ & duces reliqui, quócunq; molē a uerte-
runt, iussu regis. Comites seijs iungunt & prę sides quos signiferos nomināt.
Vbi em̄ in istū ordinē fuerint allecti à rege, donant signis, ut qui duces & prę
sides sint multarū urbiū. Hunc prę sidē comitantur urbiū principes & magistra
tus, q̄cunq; cū exercitu, pficiscitur, cū uniuersi sequantur suos magistratus & du-
ces. Vbi uentū fuerit in castra regis, hic fermè ordo seruat. Equites secernun
tur in suos tribunos. Azapides sub uno duce collecti stipendia faciunt. Amu
rates cum uenisset Byzantium, urbem que eam obsedisset, mœnia tormentis
quatiebat. Tentabat quidem murum sternere, at cœpta parum succedebant.
Globi, quos bombardæ torquebant, ponderis erant maximi. Murus autem
cum foret firmus & admodum munitus, tormentis nihil cessit. Bombardam
ego arbitror non esse inuentum antiquum, ut quis credat à ueteribus esse re-
pertam. Vnde autem originem sumpserint, aut qui mortales primi bombar-
das in usu habuerint, haud certò tradere possum. Quidam Germanos putant
bombardis esse usos, ijsdem bombardarum inuentum acceptum ferunt. Re-
liqui

A líquí autem bombardarij ex Germania progreſſi, in uniuerſum paulatim perue
nere orbem. Vnde autem origínem cœperint bombardæ, certò aſſignare non
poſſum. Impetus uerò bombardarum et mirabilis uis cognoſcitur inde, quòd
corporibus, uel íjs quæ reſiſtendi uim habent, damnum infert maximum. Pul-
uis autem impetum illum uiolentum, quo fertur, miniſtrat. Nitrum enim ex
quo puluis conficitur, addito carbone & ſulphure, uim iſtam tenet. Orbis iu-
dicat bombardas, arma & munimenta eſſe optima. Quapropter etiam minus
uirtutis bombardæ habent, quamuis earum impetus penè ſit diuinus. Primã
bombardam exiſtimo fuiſſe ferream. Poſtea demum opinor fuſionem æris
& ſtanni eſſe excogitatam, quæ per conflationem fit. Quæ quidem materia
iuxtà cenſetur eſſe firmiſſima, & optima: eoq; conferre plurimũ, ut globus in
mirandam emittatur longitudinem. Formam autem bombardarum deſcribe-
re, cum ubiq; hominum oculis obiectæ ſunt, ſuperuacaneum fore iudicaui.
Bombarda oblõga eſt: & quanto longior eſt, tanto longius eiaculatur globũ.
accepimus enim bombardam fuiſſe, cuius globus impetu emiſſus, ſuperaue-
rit ſeptuaginta ſtadia, cum finitima terra, quæ interiacebat, utrobique mouere-
tur. Potentia autem ignis, ut apparet, tonitru procurat, necnon uiolentam latio
nem lapidis. Nam ſi ignis incluſus cogatur, magna quædam, & quæ noſtrum
planè captũ excedũt, efficere nouit. Etiam fulmen naſcitur, ſi uentus in ignem
mutatur. Hinc igitur & tonitru & latio fit: ſiue quòd concedatur non eſſe ua-
cuum in rerum natura, ſiue quòd ignis efficacia accedat: quæ ſi uiolenter urgea-
tur, & materiam apprehendat ſibi accommodam, utraque iſta præſtare poſſit.
Omnis autem iſta potentia in ignem, ut cauſam, referenda eſt. Huc additur
& puluis, qui natus eſt ignis potentiam, intercedente igne, mouere. Quibus
omnibus coniunctis, fit ut lapis, ſiue globus, in tantam longitudinem iacia-
B tur. Amurates igitur, Mechmetis filius, aggreſſus murum, undique admotis
bombardis & aliis machinis, eum capere nitebatur. Ac Græci mœnia forti-
ter defendebant, de ſcalis deturbantes peregrinos regis. Quidam amputatis
capitibus deuoluebantur ad ſuos. Amurates cum nihil efficeret, licet omnia
tentaret, quæ ad urbem capiendam pertinerent, triſtitia affectus eſt: & animi
anxius, ulq; putabat ſe urbem occupaturum. Moras igitur cum necteret, nec
ab urbis obſidione diſcederet, Græcorum legati ueniunt, pacem & fœdus
petentes. At ipſe Græcos in fœdus ſuſcipere aſpernabatur, nec multis diebus
poſtre infecta domum reuerſus eſt. Copiæ uerò eius omnes dilabebantur ad
ſua. Græci legatos ire iuſſerunt ad Amuratem, oratũ pacem, quos dimiſit A-
murates, ipſorum petitionem auerſatus. Cum igitur Græci affectarent ſum-
mis uotis pacem, nec tamen eam impetrarent, ad Muſtapham conuertuntur,
Mechmetis filium. Ea tempeſtate is apud Caramanum agebat uictum, & ne
ceſſaria ab eo capiens. Miſſis igitur legatis, Græci Muſtapham, Mechmetis
filium, cum natus eſſet annos tredecim, accerſunt. Puer ubi Byzantium uenit,
ſermones ſparſit per Turcos, magnis promiſſis eos accẽdens, prehenſabat ſin
gulos, quibus promittebat duplum eorum quæ ſub Amurate habuiſſent, ac-
cepturos. Et quidam Turci, at pauci, ad puerum iſtum transfugiunt. Puer au-
tem tranſgreſſus in Aſiam, auxilio Græcorum regis inſtructus, locũ qui Tem
plum nominatur, expugnauit. Iter facienti per Aſiam, Turci qui ibi erant ad-
iungebãtur, ut qui eſſet regis filius. Ibi tum Aliazes cognomẽto Saraptares,
cui ab Mechmete puer ille cõmiſſus erat, per proditionem Amurati puerũ tra
dere paciſcitur. Pactis ſatis firmatis, cõcluſum eſt, ut puer Amurati proderet.
Miſſo nuncio ſignificauit Amurati, ubi nam terrarum puer ageret. Cum puer
Nicæam ueniſſet, urbem eam cæpit: & cum ibi moraretur, optimates Turco-
rum cõciliabat. Hyems erat, qua prohibebat puer longius procedere. Amura
tes cum intellexiſſet puerũ Nicææ uerſari, nunciante id Aliaze Saraptare, aſ-

sexies mille Ianuarum militibus, uenit quàm ocyssimè in Hellespontum: & A
transiens, rectà abijt in Bithyniam. Et cum inopinatus & improuisus irruis-
set in urbem, puerum ab Aliaze, proditum comprehendit. puer enim excitus
tumultu, confugerat ad Aliazem, cui obediebat, ut se defenderet ab imminẽti
periculo. Aliazes puerum metũ omittere, et bono animo esse iubet: et sic eius
fratrem expectat. Cui ubi in regiam urbis sedem processerat, puerũ in manus
tradidit: quem acceptũ laqueo, ut moris est regum illorum, præfocauit. Aiunt
Tezetinem uirum regio sanguine ortum Erziganis regis auxilio uenisse pue
ro, ut audiuerat hostes in urbem penetrasse. Qui conijcit se in medios hostes.
Michalinem Europæ & ducem & iudicem hostem suum cõfecit. Tandem
cum plurimos alios neci dedisset, & ipse occubuit. Græcorum res tum sic ha-
buerunt, cum secuti essent partem Mechmeti aduersam. Thermam Macedo
niæ Venetis uendidere: impossibile existimantes, ut sperarent sibi urbem ab
Amurate dari in posterum. His peractis, bellum conuertit Amurates contra
Thermam: quam, ad omnia intentus, summa ope oppugnabat. Machinas e-
tiam mœnib. admouit: nec tamen cœptis respondebat euentus. Tandem pro
ditionem pacisci tur cum oppidanis, quibus imperatum erat, ut ab domibus
suis cuniculos subterraneos agerent, qui extrà ferrent. At fossores comprehen
si à Venetis, quidã fugerunt in Amuratis castra, descendentes de muro. Post-
modum ab arce, quam aggressi erant, expugnarunt urbem, expugnatam que
diripuere. Accepi peregrinos impigrè scandentes & superantes mœnia, urbẽ
cepisse, reliquis deinde accedentibus: quam postmodum diripuere. Nec qui s
quam eorum qui in oppido erant, euadere potuit manus hostium. Hinc reor
Amuratem urbem istam per proditionem suo dominio iunxisse. Vrbs autem
hæc erat maxima, nec ulla, quæ modò Græcis parêrent, inferior. Ciues eius
urbis passim per Europam Asiamq; captiui trahebantur. Præsidium Veneto- B
rum, quod in urbe erat, ut rumore allatum est, urbem in potestatem uenisse ho
stiũ, citato agine ad mare & naues contendunt: & cõscensis nauib. quæ fortè
ibi aderant, inde citi soluebant. Vrbs ista magna opibusq; florens, ab Amu-
rate occupata est. Cum autem eam habitandam assignasset finitimis, qui circà
colebãt, domũ profectus est. Caratziam Europæ ducem arma contra Ioanni-
nam urbem Aetoliæ ferre iussit, dato ad eam expeditionem Europę exercitu.
Hic aduenies, incursionem fecit in Aetoliæ regionem: & quæcunq; occur-
rebant, diripiebat, & spoliabat. Postea exercitus ad urbem duxit obsidendã.
Carulus urbis princeps iam antè obierat mortẽ. Et cum haud tulisset liberos
ex uxore sua, Rhainerij filia, supereſſent uerò filij nothi, Memnon, Turnus, &
Herculius, natu maiores, his distribuit Acarnaniam, quæ sita est inter Ache-
loi regionem. Fratris autem sui Leonardi filiũ reliquit totius regni succesſo-
rem. Carulo uerò fratris sui filio, Arten Ampraciæ metropolim & Aetoliã,
urbemq; concessit. Nothi filij haud diu pugnantes, relati sunt in numerum Ia-
nuarum regis. Memnon autem, qui uidebatur reliquis prudentia & auctori-
tate prior, accessit ad regẽ, quem rogabat ut se ad patriam reduceret regionem.
Quapropter cũ Europæ exercitu hostiliter eam regionẽ ingressus est, Euro-
pæ exercitus Ioannitarũ urbem obsidione circũuenit: & incũbens aliquanto
tempore obsidioni, cũ nihil proficeret, tandem oppidani et regionis princeps,
qui obsessus tenebat, hostium imperatorem ad colloquiũ euocarunt: in quo
princeps sibi dari postulabat à rege reliqua, Acarnaniæ regionẽ & Epiri, quę
sibi fœdere interposito confirmari uolebat. Quod si impetrasset, se regi urbẽ
traditurũ. Fœdere icto urbem accepit regius exercitus, et Acarnania reliqua
que Epirus cessit principi, ut quotãnis tributũ ferret: & in Ianuas regis, quan
docũq; moneret, aduentaret. Postea uenientes Caruli ducis filij, Herculius &
Memnon, nec modicã regionis partẽ occupãtes cõgregatis finitimis, qui cõ-

fluebant

A fluebant, molesti erant admodũ patrueli suo, cuius regionem agebant & fere bant, bellum gerentes. Cõtra quos Carulus exercitũ, quẽ ex Ianuis regis con traxerat, necnõ alterũ quem ab Italia excíuerat, ducẽs, cum nihil promoueret, pacem cum íjs cõposuit: qua tenebaẽ, ut ipse cederet ea regione, cui illi præ fuissent: hi uerò deinceps nullas molestías Carulo facerent. Hoc modo Aeto lia in Amuratis ditionẽ deuenit. Græci postea in Ianuas regis, pficiscunẽ, pe titũ pacẽ, quibus ea data est his cõditionibus, ut Isthmũ destruerẽt, & nihil in posterũ, quemadmodũ hactenus, rerũ notarũ molirenẽ. Turachanem misit in Pelopõnesum, qui Venetorũ regionem populabaẽ, et Isthmũ diruit. Veneto rum oppidula, quæ subegerat, díripuit. Cum aũt egredereẽ Pelopõneso, Al bani in Pelopõneso habitãtes, colligebanẽ in mediterranea regione, quę Da bia nuncupaẽ: eligentesq; ducem, defectionẽ à Græcis parabant, & Turacha nis exercitũ penitus delere uolebãt. Turachanes ut accepit cõtra se Albanos prælij cupidos pergere, cum nõ posset effugere ipsorũ impetũ, in aciẽ copias eduxit. Etiã Albani in aciem delcenderunt, & hostes aggressi sunt. Cum aũt Turcorũ impetũ sustínere nõ possent, in fugam uertunẽ. quorũ cædem maxi mã Turachanes insecutus in fuga fecit. Capti sunt octingenti, quos omnes eò loci obtruncauit: ex quorũ capitib. cum turriculas ædificasset, abscessit. Vir il le et alia memoratu digna facta designauit: propter quæ cũ in maximo honore penes regẽ foret, etiam in regionẽ Brenezis & in Daciam iter intendit. Nec multo post uisus ire ab rege cum exercitibus, regionẽ euastauit, & conscriptũ ibi exercitum haud paruũ in fugam compulit: ex quo prælio redibat uictoria memorabili illustris, plurimã tum mancipiorũ, cùm aliarum rerũ uehens præ dam. Cum Græcis igitur Amurates, cum frequenter uenirent in Ianuas, mit tentes uiros primarios, opib. reliquaq; felicitate claros, inter quos & Notarã,
B & Carolucam, tãdem pacem cõposuit. Græcorũ rex, ubi primũ pax conuenis set, nauigauit in Pelopõnesum, accersito fratre Theodoro, q Spartam regebat. Rex propter odiũ, ut antea significauimus, quo prosequebaẽ uxorẽ, quam ab Italia duxerat, statuerat Nazaræorum assumere habitũ. Cum aũt in Peloponnesum uenísset Byzantíj rex, adducens secum fratrem Constantinũ, ut in eum transferret regnum, confestim eum cœpti pœnituit, nec amplius se regno ces surũ dicebat: Regni enim proceres ab ísto uitæ proposito regem dehortaban tur. Dehinc etiam uxori, cui implacabilis erat, propter formæ turpitudinem, reconciliatus, suauiter in posterũ cum illa uitam exegit. Rex Græcorũ bellũ intulit Carulo Epiri principi, & exercitibus Clarentiam Elidis metropolim circumsedit. Nec multo pòst cum urbis oppugnatio irrita caderet, Caruli con sobrinã, Leonardi ducis filiam, fratri Constantino uxorem dedit: hac tamẽ cõ ditione, ut dotis nomine Constantino urbs ista traderet. Postea duxit exerci tus contra Patras Achaię urbẽ, quam obsidione circũdedit. Deinde relicto fra tre Constantino, cui urbis oppugnationẽ mandarat, nauẽ conscendit, & By zantiũ proficiscit. Cum multũ iam temporis mœnib. urbis assedísset, nec ta men urbs in manus uenísset, proditionis consilia oppidani cum Constanti no agitant. Aberat enim urbis Episcopus, profectus in Italiam, auxilij peten di gratia: & longas ibi agebat moras, ut à Pontifice id acciperet. Hanc Acha iæ urbẽ Italici principes, qui Pelopõnesum regebãt, ex familia Malatestarũ orti, occupantes, uni quidẽ dederũt urbi príncipem: alterũ elegerũt, qui eã ad minístraret, & semper apud Rom. Pontificem morareẽ. Vrbs ista ubi cõcesse rat in ius & potestatẽ Rom. Põtificis, accepit Episcopũ, quẽ misisset Põtifex, ut urbem eam gubernaret. Eo tẽpore Episcopus, qui remp. eius urbis cura bat, missus à Rom. Pontifice, natus erat ex familia Malatestarũ. Hãc urbẽ u bi dominio suo iũxit Cõstãtinus, etiã arcẽ expugnare aggressus est: cui expu gnationi integrũ annũ assumpsit, & tandẽ uoti compos factus est. Elidis Me

tropolim ſubegere Romani Pontificis triremes. Poſtquam enim fama alla- A
tum erat, Achaiæ urbem à Græcis eſſe occupatã, miſit Pontifex triremes de-
cem, quib. annitebatur, ſi poſſet amiſſam recuperare urbẽ. Hæc quidem haud
uenere in Achaiã. Venientes aũt Clarentiã, abſente urbis duce, nec præſidio in
ea exiſtente, clàm ingreſſi milites urbem cæpere, & diripuerunt. Deinde eam
uendẽtes regis fratri quinquies mille aureis, in Italiã nauigarunt. Aliæ quoq;
fortunæ miſerabiles urbi iſti acciderunt. Oliberius enim ab Italia ꝓgreſſus,
tenẽte Clarentiã Achaiæ principe, inopinatò aduenies eam oppreſſit, & diri
puit, ducta in uxorẽ principis filia. Tandẽ precio accepto, Epiri duci eam uen
dens, in Italiã reuerſus eſt. Etenim captã à Pontificis triremib. denuò emptam
recepit. Græci lõgo tempore bellũ geſſere cum Centerione, qui Achaię impe
rabat, generis Italici. Poſtmodum affinitatem iungentes, filia huius ducis in
matrimoniũ data regis filio iuniori Thomæ, concluſum eſt, ut in dotẽ accipe-
ret Meſſenæ & Ithamę regionẽ, præter maritimã Arcadæ. Fœdus quoq; ictũ
bellũ diremit. Hanc quidẽ, ubi mortuus eſt princeps, accepit Thomas regis
frater: et Centerionis uxorẽ, donec mortua eſt, in carcere condidit. Hoc modo
Pelopõneſus ab Italis ad Gręcos translata eſt. Græcorũ res cũ ſubigerent Pe
lopõneſum, hoc modo ſe habuere. Amurates bellũ indicit Tryballis. Primò
itaq; miſſis exercitib. Tryballorũ regionem populabat. Vt nunciatũ eſt Try
ballorũ principi, regem hoſtiliter accedere, legatos ire iubet ad Amuratem, o-
ratũ pacem. Paratũ ſe eſſe, ſi pax coiret, tributũ, quantũcunq; imperaſſet, pẽde
re: nec recuſaturũ facere quęcunq; iuſſiſſet. Amutates huius principis filiã ſi-
bi in uxorem aſſociauit, quam petijt ſibi uxorem dari, miſſo Sarazie ianuarũ
imperatore. quam poſtmodũ in regiam adduxit Chaliles, qui plurimũ apud
regem pollebat. His ita peractis, petijt bello Caramanum Abderiũ, Cariæ du
cem, crimini ei inter cætera uertens, quòd fratrẽ ſuũ iuniorem, cui alimenta prę B
buerit, ad Græcos miſiſſet. Veniens itaq; cum magno exercitu, regionem gra
uiter affligebat populationib. quam Caramanus deſeruerat, cum ſe recepiſſet
in montiũ cacumina. Regio iſta urbes habet duas: una Larenda uocaſ, alteri
nomen eſt Toconeium. Toconeiũ urbs magnitudine & opib. præſtat, in qua
antiquitus reginæ morabanſ. Cum mõtes regionis illius eſſent firmiſſimi, &
admodũ muniti, nec facilè ſcandi poſſent, omnem belli molem uerterunt in fi-
nitimam regionem: quam agentes & ferentes, paulatim ꝓgreſſi ſubigebant.
Vrbs iſta optimis legib. fundata eſt iam inde ab antiquo. Larenda ſita eſt in
radicib. montiũ, qui in iſta regione uiſunſ, nec aliquib. munimentis aduerſus
uim hoſtiũ firmata eſt. Incolæ regionis Amuratis aduentũ expectarunt, nec
ſibi fuga conſuluerũt. Putabant emſ, cum et ipſi Turci forent, & ijſdem morib.
reliquaq; uitæ conſuetudine uterenſ, ſe nihil hoſtile paſſuros. Caramanus ille
finitimus eſt Piſidis regioni & Turgetæ. Piſiditæ, qui etiam Barſacides uo-
canſ, paſtores ſunt, & Turcorũ linguam in uſu habent. Latrocinijs magis intẽ
ti uiuunt, prædasq; ex Syria & ex finitima regione agunt. Nec abſtinent à re-
gione Caramani, cum quo ipſis continuũ bellũ eſt. Duces eligunt, quorũ du-
ctu prædatũ proficiſcunſ. Duces prædam ſuperfluam capiunt, & inde partem
haud contẽnendam ijs largiunſ, qui domi apud uxores remanſerint. Turgu-
tes Phrygiæ imperat: & Armeniam Cappadociamq; regio eius attingit. Ge
nus Turgetis uideſ recenter admodũ fuiſſe ſub Amythaone: & cum in Phry
giam inde deſcendiſſet, regionẽ iſtam ex eo tempore obtinuiſſe. Quod cũ du
raſſet adhęc tepora, cõtra filios et Caramanũ arma tulit. Bellũ etiam geſſit iam
olim genus iſtud aduerſus Leucarnas, Carælucis filios. Candilorũ urbs Ca-
riæ in poteſtate uiri, qui nuncupaſ * Regionem itaq; populationib. di-
uexans Amurates, Mechmetis filius, Ducis filiam in gynæceum ſuũ tranſtu
lit: filium regionis principem reliquit. Cermianũ & Aedinem, Sarchanemq;
principes,

* Deeſt aliquid in exemplari Græco.

A principes, cum proficiscerẽt contra Caramanũ, regionib. ipsorũ expulit: accedensq; regias eorũ spoliauit. Aedines excessit è uiuis, carẽs liberis. Sarchanes & Mendesias in regiones finitimas fugiẽtes, seruati sunt, ne qd mali ab Amurate paterent. Mendesias Rhodũ contendit, ibiq; moratus est. Postea preconio excitus, accessit ad regẽ, flagitãs ut aliquid boni ab eo impetraret. Qui etiam nũ apud regẽ ætatẽ agit, uictũ & necessaria à Ianuis accipiens. Caramanus cum recepisset Toconeiũ et regionẽ suã, legatos ad Amuratẽ mittit, pmittens se suam filiã ei daturũ uxorẽ, & filiũ quem haberet, missurũ ut in Ianuis mereat. Amurates in fœdus, iuramenti religione interueniẽte, Caramanũ suscepit, & in Europã iter intẽdit. Postea cum aliquantulũ temporis intercessisset, arma cõtra Ismaelẽ Sinopes & Castamomę principẽ arripuit, nescio ob quã offensam. Qui ut accepit, Amuratẽ contra se ut hostẽ, pperare, legatos obuiã regi mittit, qui dicerent, si pacẽ petenti daret, se quotãnis æris redditũ quantũcunq; esset, regi pensurũ. Pręterea pollicebat, se filiũ suũ in regis Ianuas missurũ. Filium Turgetis, quẽ iam antè in regis Ianuas abijsse cõstabat, regioni pristinę restituit: eiq; cum ea agere, p suo arbitrio permisit. Hęc quidem fortiter ab Amurate facta, incredibile dictu est, quanta gloria Asiæ regnũ illustrarint. Bellũ quoq; tẽpore longo inter ipsum & Leucanas arsit. Expeditionẽ suscepit Amurates cõtra Trybalorũ principẽ, & huius affinem Georgiũ. Expeditionis huius istam caussam tradunt. Stephanũ em̃ iuniorem filiũ habebat secũ morantẽ, cum proficiscereẽ Speculibũ, ubi ipsorũ regia erat. Princeps, relicto filio Gurguro, ut tutareẽ urbem, & defenderet mœnia, si aduentaret hostis, ipse abibat in Pannoniã, auxiliũ oraturus. Erat em̃ huic etiam in Pannonia regio haud contẽnenda. Præterea urbes multæ & opulentæ, quas permutatione facta cum Sigismundo, p Bellgrado, Eleazarus acceperat. Hæc em̃ urbs miré placebat regi, quasi regio admodũ es
B set opportuna propter portus cõmoditatem. Filius quidẽ prædicti principis relictus erat, ut tueret urbem, & se parabat, nihil cessurus hosti urbem obsidere instituenti. Tandem accedens Amurates, incursionẽ in agros fecit, & postea urbem obsidione cingit, machinas uarias mœnib. admouẽs, si quomodo urbe potiri posset. Cum nihil proficeret, bõbardas, quę ea tẽpestate habebant maximę, produci iubet, ijsq; mœnia pulsare haud cessabat. Nec sic aliqua capiẽdę urbis spes affulsit. Veritus aũt Gurgurus, ut urbs tandẽ ueniret in manus hostiũ, cum bombardarũ impetum amplius sustinere non possent, admittebat uerba regis, quib. pax offerebat. Fœdus ictũ est, quo tenebat, ut urbs regi traderet. Ipsi aũt cum eo in Ianuas proficiscerent, cõsecuturi ea quæ rex statuisset. Gurgurus regi urbem tradidit: & in castra egressus, conuersatus est apud regem unà cum fratre suo Stephano. Nec multo pòst ut nunciatum est Amurati, patrem horum contra se hostili animo pergere, filios que patrem clàm adiutare, & ad defectionem inclinare, ambos adductos filios oculis orbauit. Spenderobo, Trybalorum que regione occupata, oppido præsidium ualidum imposuit, & continuò copias contra Bellgradum Pannoniæ urbem mouit. Vrbs ista duobus circumfluitur fluuijs: ab uno Ister, ab altero latere Sabba fluit, qui in Istrum eò loci iuxta urbem eam effundit. Spenderobus, & hæc * Vt accessit Mechmetis filius Amurates, urbem obsedit. Bombardasq; expediens, urbis partem haud paruam strauit. At exercitus Amuratis interim intoleranda patiebatur ab oppidanis, qui bombardis, balistis, alijsq; machinis bellicis grauissimè affligebant hostes urbi assidentes. Sagittis alijs que iaculis penè obruebantur tum uiri, cùm castra. Ibi tum Halies Brenezis filius, cuius fama per castra erat celebris, primus cum suis succedit muro oppugnando: qui fossa iuxta urbem facta, & communita, ibi tentoria sua tetendit. Vbi murus deiectus est, per loca patentia ruinis peregrini irruunt, & urbis partem maximam capiunt.

*Deest aliquid in exemplari Græco.

Colliguntur in unum oppidani, & manus cum peregrinis fortiter conserunt. A
quos impulsos magna ui ad fugam uertunt, & de mœnibus deturbant exactos
urbe. Hac igitur spe capiendæ urbis frustrati, quia peregrini fortiter expulsi e-
rant, Amurates cum exercitibus abscessit, & domum ire cõtendit. Scopiorum
& Illyricorum regioni præfectum dedit uirum primarium, suumq; sororium.
Cui tradidit pedestres & equestres copias, ut incursionem in Illyricum face-
* Deest a- re posset. Illyricorum rex * Posthua regionis illius nomen est: quæ
liquid exem- cum sit aspera et montana, porrigitur usque ad Illyricos, qui incolunt maritimã
plari Græ- Ionij regionem. Est & urbs regniq; sedes Gaitia, & fluuius qui eam alluit, in I-
co. strum exhauritur. Hic Illyricorum rex sua regione ab Isamo uastata, exercitũ
comparauit. Veritus autem cum Amuratis confligere exercitu, legatos misit,
qui dicerent, se paratum esse, si pacem impetraret, quotannis uigintiquinque
millia aureorum tributi nomine conferre. Rex Amurates hac conditione pa-
cem dedit. Huic regioni adiacet Stephani Sandalis filij regio, quam gens Illy-
† Deest ali- rica tenet: & se extendit ad Ionium † Hæc natio cum Illyrica sit, iam
quid exem- olim ab reliquis separata est Illyricis. Incolæ autem moribus & uictus ratione
plari Græ- nihil discrepant ab Illyricis, uerùm alias sequuntur leges. Cudugeri nuncupan
co. tur omnes qui degunt in Sãdalis regione. Inter hanc & Epirum sitæ sunt quę-
dam Venetorum urbes, ubi & Ibanis regio habitatur Castriotis. Huic anne-
xa est Comneni regio, pleraq; maritima existens, uersus mediterraneam regio
nem breui interuallo extenditur ad loca Argyropoli finitima: ubi præfectus
Amuratis castra habens, Ibanis et Comnenorũ regionem euastabat. Interea Iba
nes uictus, ibat in Ianuas regis, eumq; sequebatur, quocunq; cum copijs milita
tum abijsset. Postea Arianites priuatus paterno principatu, in regis Ianuas abijt,
à rege uictum & necessaria capiens. Deinde mortuo Castriote Ibane, filium e-
ius accipiens, in patrium principatum subrogauit Amurates. Arianites, qui & B
ipse suo principatu deiectus erat à rege, supplicabat Ianuis, ut boni aliquid à re
ge consequeretur. Deinde missis quibusdam ad eos, qui in sua adhuc, unde pul
sus erat ui hostili, regione uersabantur, dicebat se eò cum copijs uenturum. Qui
cum promitterent, si armatus aduenisset, se à rege defecturos, fuga relictis Ia-
nuis, in suam regionem se recepit. Reuersus igitur ad paternam regionem, cum
optimatibus coniurationem facit. Qui eum lubenti animo suscipientes, ab re-
ge defecerunt: interfectisq; Turcis, incursionem fecerunt in Amuratis regionẽ,
quam egerunt & tulerunt. Et quidem res pulchrè succedebat, cum ipsi regio-
nem asperam & montanam, in quam se recipiebant, incolerent. Vt rumor ad re
gem ista pertulit, Aliem ducem constituens, cui exercitus, quos habuit iuxta
Axium flumen & Argyropolim, tradidit, addito equitatu uniuerso, qui in ea
regione morabatur iussit, ut Albanorum regionem subigeret: & mancipiorũ
præda onustus, captum adducens etiam Arianitẽ Comneni filium, rediret. Hic
accepto exercitu uniuerso, impetum dedit in hostilem regionem, cum ibidem
inuenisset copias pedestres haud aspernandas. Regionem populabantur: uicos
uillasque incendebant: nemini parcebant. Arianites, congregatis suæ regio-
nis equitibus & peditibus, aduenies occupabat montium cacumina, & an-
gustias: quà reditum maturans, transiturus erat cum copijs. Alijs milites cum
conarentur transire, non potuerunt, cum fortiter ab Arianite transitu prohi-
berentur. Turci reliqui, cum ab Alie essent in ea regione relicti, fuga sibi con-
sulere parabant, eò festinãtes, ubi incolumes uitæ discrimen imminens euitare
possent. Horum pleriq; ab Albanis interempti, partim capti sunt. Reliqui, qui
se fugæ Alijs comites iunxerant, profectionem campestrem, at longiorem, in-
gressi sunt. Et egredientes in continentem, quæ iuxta Corcyram habitatur, ex
multis pauci fuga sibi consulentes, domos ire pergunt. Ea in expeditione ma-

gnam

A gnam gloriam inuenit Arianites Comneni filius, operibus'que memorabilibus gestis admodum celebratus est. In hunc modum Alijs exercitus, cum in regionem, quæ Ionium spectat, irruisset, afflictus est. Cæteri Albani, qui incolunt urbem quæ Argos respicit, ut cognouerunt Arianitem res nouas instituisse aduersus Amuratem, quæ felicem sortitæ sint euentum, etiam ipsi defectionis ab rege consilia agitarunt: & deficientes, Depan euocatum sibi ducem & principem elegerunt. Huius enim patrem cum eiecisset è sua regione Paiazites, Amuratis filius, exactis quoque Myrxa & Caninorum principe, necnon alijs ducibus plurimis, ista regione potitus est. Depan igitur illum incertis uagantem sedibus per Italiam, & plerunque morantem in Corcyra Venetorum insula, Albani, qui iuxta Argyropolim uersabantur, accersentes, regem sibi crearunt. Contractis'que copijs, Argyropolim, quæ tum temporis regis erat, bello petierunt. Vrbem oppugnabant uarijs admotis machinis. In urbe erat præsidium regis peregrinorum: aderant & Turci plurimi, qui confugerant eò, urbem'que fortiter & strenuè ab hostibus defensabant. Albani cum ista inciperent, urbem'que summa ui obsiderent, admodum oppugnationi intenti, regioni regis, qui tum aberat, in Asia bellum gerens cum Caramano, Ciliciæ & Cariæ principe, incursionibus & populationibus uastitatem induxere maximam. Turachanes Tryballorum & Thessaliæ præfectus, accepta Albanorum defectione, & metropolis adeò claræ obsidione, conscribens exercitum quàm potuit maximum, assumens etiam Turcos quotquot in Thessalia inuenire potuit, citato itinere properans per niuem, (Hyems enim tum erat) secundo die postquam iter ingressus erat, prope urbem Albanos deprehendit: in quos præter expectatum irruens, plurimos occidit: Depan ducem uiuum cæpit, urbemq; obsidione soluit. Aiunt Tura-
B chanem ex improuiso accedentem, plures quàm mille interfecisse. & in hunc modum seruitutis iugum recipere denuò coacti sunt Albani. Nobiles eius regionis, quoquot non euaserunt Turachanis manus, ab regijs præfectis crudelissimè occisi sunt, cum alius isto, alius alio mortis genere miserabiliter interiret. Amurates reuersus ab expeditione, quam contra Caramanum sumpserat, in regiam suam Mezetem, quem Europæ ducem declararat, accipere iussit copias equitum & peditum quantas uellet, & proficisci contra Pannodaciam, ut eam suo imperio iungeret. Qui accipiens Europæum exercitum, & Europæ Azapides, equitatum'que regis omnem, qui in Europa agebat, peruenit ad Istrum. quo traiecto, ingressus est Pannodaciæ regionem quæ Ardelium nominatur. Ardelium à Prasobo monte in Pannoniam usque excurrit. Regio ista cingitur quercetis glandiferis, urbes'que habet non paucas. Metropolis, Tosibinium uocatur. Lingua utuntur partim Dacorum, & partim Pannonum. Victu & moribus Pannones imitantur. Hæc regio subiecta est Pannonum regi, à quo ducem accipit de Pannonum genere. Vrbes habet liberas, quæ proprio iure propriis'que legibus ab metropoli Tosibinio reguntur. Iussi proficisci in militiam, regi parent, tributum ferentes quandocunque is imperauerit: solum modò petentes, ut sibi proprio iure suisq; legibus rempublicam administrare liceat. Contra hanc igitur metropolim ubi Istrũ transierat, Mezetes uniuersam belli molem uertit. Et cum quàm proximè ad eam accessisset, ibi castra communiuit. Hic cum urbis oppugnationi summa ope incumberet, ictus bombarda occubuit. Postea cum exercitus hostilis maturaret abitum, & festinaret ad Istrum trajiciẽdum, cõgregati regionis uiri, cum preuenire hostes in sua regione possent, plurimos eorũ clade maxima strauerunt. Reliquos in fugam effusos usq; ad Istrũ insecuti sunt. Mezetes profectus in Ardelij regionem, amissis nõ paucis de suo exercitu, huius-

modi uitæ exitum habuit. Rex maximam suam esse calamitatem duxit, mor- A
tem Mezetis. Parabat igitur ipse expeditionem suscipere contra Pannoda-
cos: missis'que per suum regnum pręconibus, edicebat ut primo uere adessent
omnes. Postea mutata uoluntate, Sabatini Eunucho, uiro rei militaris peritissi-
mo, belli istius curam omnem mandauit, cum Eunuchus id consiliũ regi & o-
ptimum & tutissimũ fore censeret. Iussit quoq; rex, ut non prius bello desiste-
ret, quàm deuicisset Pannodacos. Hic igit̃ accipiens regis exercitum, & pere-
grinorũ de Ianuis regis quasi quatuor millia, Istrũ transiuit, & copias omnes
in Ardelij regionẽ induxit. Dehinc aliquot dieb. iter fecit per Pannoniæ regio
† Alij uo- nem. Iangus aũt † Choniates, uir ea tẽpestate inter Pannones excellẽs, cui Ar-
cant Ioan- delij regio cõmissa erat ab Pannonum concilio, exercitũ quàm potuit maximũ
nem Ioannitium comparauit ab Ardelio, & Pannonia. Hoc instructus, sequebat̃ per montium
dem. saltus Sabatinem. Sabatines cum iam in hostili regione foret, putabat res suas
præclarè habituras, si hostiũ agros euastaret. Emittens itaq; equitatũ omnẽ, &
maximã exercitus partem in hostiũ regionẽ, prædas agere uolebat, quasi hinc
plurimũ suis opibus accedere posset. pauciss̃imi manebant cum Sabatine in ca-
stris. Iangus ut comperit castra hostium penè esse deserta, præclarũ facinus pu
tabat, si accedens inopinatus castra opprimeret. Descendens itaq; cum suis ex
mõte, impetu inuadit Sabatinis castra defensorib. uacua. Sabatines exire castris,
ut prælij potestatem faceret, non poterat. Proinde ad castra defendenda conuer-
titur: quæ tamen retinere nequiuit, cum uiolẽter Iangus cum Pannonib. irrum
peret. Ad fugã itaq; inclinat animo toto, festinabatq;, maxima usus celeritate,
tranfire Istrum, anteq; transitu ab hostib. intercluderetur. Iangus captis castris
quosdam in insidias locat, quibus exciperet hostes aduenientes mancipiorum
aliarumq; rerum præda onustos, omnesq; conficeret. Et in hunc modum maxi
ma hostilis exercitus pars miserabiliter interijt: Iangusq; uictoriam sibi peperit
celebriorem, quàm ullam unquam eius anteceſſores inuenerint. Iangus genere
natus erat non admodum obscuro. Patria fuit Choniatæ Ardelij oppidum, un-
de profectus uenit ad Tryballorum ducem. Mercede autem conductus, longo
admodũ tempore apud hũc ducem uersatus est, ubiq;, quocunq; mitteretur, for
titudinem & diligentiam memorabilem ostendens. Quondam cum uenatum
abijsset Tryballorum dux, eiq; appareret lupus, confestim Iangum uocat, ut lu
pum caperet. Qui ut accessit, ducisq; uoluntatem intellexit, continuò lupum
insectatus est perniciss̃imè. Lupus ingreditur flumen quod obuiam erat, & na-
tare incipiebat, si prẽsens periculum subterfugere posset. Nec tamen Iangus à
persecutione cessauit, uerùm insidens equo, flumen tranauit. Vbi natando flu-
men superatũ est, lupi uestigijs haud abscessit. Postremò lupum assecutus est,
& confecit, pellemq; diripuit: tranatoq; fluuio, iterum ad ducem reuersus est:
prætendensq; manibus lupi pellem, exclamat: O domine, factum est ut impe-
rasti. Lupũ peremi, pellem cape: ea, ut uoles, utere. Hoc facinore dux admodum
delectatus, in hæc uerba linguam soluit. Certè non potest fieri, quin nõ aliquan-
do uir ille ad maximam promoueatur potentiam. Hæc tum temporis locutus,
uirũ deinceps pecunia opibusq; coluit. Cum tẽpore multo apud ducẽ istũ mo
ras traxisset, tandẽ ad Pãnones rediit. Sunt q; tradũt Iangũ anteq; peruenerit ad
Tryballorũ ducẽ, fuisse famulũ Alijs Brenezis filij, eiq; mercede seruijsse, cum
fungeretur equorũ curatoris partibus. Nescio aũt unde coniecturã facere pos-
sim, ut id uerum esse credã. Nam linguã Turcicã eo modo didicisset. Reuersus
aũt ad Pannones, assumptis aliquot alijs, pcedebat in regiam, dicens: Se aduc-
nire, ut sibi suis'que mercedem accipiat. Nec repulsam passus est. Cum autem
bellum arderet inter Germanos & Pãnones, magna militaria edebat opera prę
sens semper existens. ubicunque eius opera desiderabatur, statim approperans,

fortissimè

A fortissimè prælia bat. Postea congregatis ad eum alijs plurimis, ubicp illustris apparebat. Quapropter Ardelij regionis principatus cõcilio Pannonũ ei decretus est, cui regioni cum imperaret, Sabatinẽ interfecit, eiuscp exercitũ in fugam coniecit, uictoriã suis nuncians longè pulcherrimã. Hęc uictoria Pannonum res erexit in pristinũ statũ. Ex quo enim tempore Paiazitis auspicijs ducibusq; Turci regem Sigismundũ in fugã uerterũt, haud cessarunt Turci in Pannoniã incursiones facere, plurimacp inde abduxerunt mancipia, quib. Asiã & Europam repleuere. Vbi aũt Iangus aduenit in Ardelij regionẽ, princeps declaratus cõmuni Pãnonum concilio, Sabatinem & Turcos terga dare coegit. Hinc animis resumptis, Pannones præclaris operib. editis, Turcos ubicp uincebãt. Nam Istrũ sæpius transgressi, interfecerũt pauci plurimos Turcos: qui antecp ad manus uentũ foret, nõ sustinentes impetũ Pannonũ, fugam præcipites ibant. Ea tempestate ad maximã potentiã promotus est Iangus. Deinde creatus dux consensu unanimi totius Pannonũ concilij, bellũ contra Turcos & Germanos suscepit, fortissimè semper rem gerens. Pãnones gerebãt bellũ cum Germanis, cuius hæc caussa perhibet. * Postea bellũ indixere Tzechis, qui Boemi dicunt. Id bellũ diu durauit, plurimis ultrò citroq; cladib. illatis. Pannones isto bello permoti accedunt Polanios: & inde adducentes regis patruelẽ, eum sibi ducem crearunt. Cum igit Polanij socia Pannonib. iungerent arma, cõtigit ut Pannones, Germanos & Boemos grauiter affligerẽt. Agros em̃ horũ euastarunt, urbesq; non paucas incenderũt. Præterea interdũ exacie dimicarunt collatis signis. Verùm incerto marte nunc uictores, nunc uicti, prelijs excedebãt. Deinde ubi paululũ respirassent, & collegissent uires, bellũ instaurabant. nã populi isti ui omnia agunt, & in prælijs nemini parcũt. Hastis impetunt hostes, bombardis utunt, ferreas habent equites balistas, nec
B non alijs telis rem gerunt inter se pugnantes. Quando aũt fuga init, in fugientes nec cæde, nec persecutione admodũ sæuit. Verùm si quis seipsum dedat, & uictũ semet confiteat, abit intactus & inuiolatus: hac tamen conditione, ne se posti modũ prælio committat, contra uictores præliaturus. Hunc morẽ belli tẽpore seruant: proinde in fuga nõ multi cadunt. Pãnones duce Choniate profecti sunt in Daciã, & Ducẽ Damũ nomine regioni prefecerũt, Dacosq; ei obtemperare iusserũt. Damus igit expulso duce Dracule, qui ad ianuas regis cõfugerat, Daciã obtinuit, omnesq; Draculis, ppinquos et necessarios, ubicũq; aliquẽ superstitem accipiebat, peremit. Hi duces tradunt fuisse filij nothi, qui Myrxæ nati sunt. & quosdã horũ, cum putarent esse Myrxæ filij, ab regionis incolis genere opibusq; plurimũ pollentib. in Daciæ ducatũ subuectos esse, quasi Dacis plurimũ cõducat, si isti in ea regione præsint, rerũq; summa potiãtur. Quorũ unum atq; alterũ percõctando, cognoui genus & parentes: uerùm nomina eorũ non omnib. significabo. Damus ea tẽpestate à Pannonib. in Dacorũ principatũ collocatus, Daciã tenuit, & deinceps Pannones arctissimè coluit. Cum aũt inquietaret subinde ab regis ducib. prope Istrũ collocatis, qui clàm ipsius regionẽ populationib. diuexabant, missis legatis ad regẽ, pacem orauit, quam haud grauatim cõsecutus est: hac tamen conditione, ut quotannis regi tributi nomine daret tria millia sagittarũ, et clypeorũ quatuor millia. Daciæ res ita ordinãs quemadmodũ sibi cõmodissimè fore rebat, eã pulchrè imperio rexit. Legatũ ire iussit ad Mpogdanię Nigrę principẽ: cum quo pacem fecit: cui etiã affinitas iuncta est, qua excitus eum enixè adiuuit in bello quod cum Dracule gessit. Daciæ principatus in hunc modũ ab nouo principe reformatus & instructus est. Amurates postea in Colchida triremes misit, regionẽque Colchidis uastans, etiam urbẽ diripere, & inde plurima mancipia auferre annitebatur. Triremes illę etiam in Gothiam cursum flexerunt, eamcp regionem populati sunt. Triremes igitur istæ in Colchida pperarunt, & ad Gothos

ap-

* Deest aliquid exemplari Græco.

appellentes, regionẽ haud modicã uastabãt, plurimis inde mãcipijs abductis. A
Reditũ aũt cum maturaret classis, tẽpestas sæua exorta est. Nam uẽtus qui Aparctias dicit, exurgens, classem dissecit, et in Asiam iuxta Heracleam Põti detulit. Interim naues quædã tẽpestate quassatæ, interciderũt, in huiusmodi calamitatẽ præcipitatæ. Cum Ianuensib. ei intercessit amicitia diuturna, & quasi pax perpetua. Ianuẽses aũt eo tẽpore seditione agitati, res suas penè cõtudere, cum seditiosi admitterent Philippum Ligurũ ducem, eiq; urbem cõmitterent, promptissimè sequentes quócunq; eos eduxisset. Hoc eis accidit, cum etiam populus eligeret istũ ducem propter odiũ implacabile, quo ferebãt in Venetos. Norant enim, Mediolani ducem, Venetis admodũ esse infestũ, & acerrimè cum his bellũ gerere. Ianua urbs sita est in extrema Italia, quà Galliã respicit; Tyrrhenos attingit uersus Orientẽ. Mare Tyrrhenũ spectat quà urbis situs Orientẽ uersus excurrit. Versus Occidentẽ egressos Ianuensium regione excipit Prouentia, quæ Gallia est: & eius incolæ degunt sub rege Gallorum. Quapropter porta siue ianua Italiæ uocat, quasi hinc in Italiã procedatur. Ianuæ respublica ita administratur, ut neq; omnino in Democratiã, neq; in Aristocratiã propẽdeat. Verùm ex utrisq; ea respublica iuxtà partim in Democratiam, et partim in Aristocratiam inclinat, maximè in ijs quæ ad principis electionem pertinere uidentur. Sunt enim in urbe ista familiæ duæ, quæ ab antiquo eam gubernarũt: & principatũ in ea obtinent, adeò, ut populi studia in utrasq; quasi æqua lance conferantur. Vna Ntoria nominat, & altera Spinura. In has familias studia populi diuisa cũ sint, accidit plerunq; ut pars Ntoriam, pars Spinurã eligãt. Hi igit regentes populũ, de suo corpore duces cõstituere non audẽt, nec etiã populus permittit. Sed extãt aliæ familiæ duæ, quæ de populi corpore habent. Vna ad optimates, altera ad populum studijs inclinat. Vni nomen Adorni est, alteri Phreguzij appellant. Ex his familijs dux ciuitati, ab ea B
parte optimatũ, quę uincit, datur. Adorni familiaritate iuncti sunt Spinuris. at familia Phreguziorũ necessitudinis iure deuincta est Ntorijs, & ab his in principatũ, puehitur. Duci, ubi primũ creatus est, permittitur, in consiliũ adhibitis optimatib. quibusdã, agere secundũ leges, quę maximè reipub. cõducere censuerit. Vectigalia & urbis redditus ordinat ad eum modum, quo iudicauerint plurimum opibus urbis accessurum. De bello & pace populus in mediũ procedens consultat, & ex sua sentẽtia ista, pcurat. Si aũt bellũ aduersus aliquẽ hostem decreuerint suscipiendũ, duci belli administrationem concedũt, ut sedulò caueat, ne quam calamitatem siue damnum respublica capiat. Quantum attinet ad urbanam iurisdictionem, iudices constituuntur, qui petuntur à prædominante familia, & per se iudicant. Si autem non secundũ leges iudicarint, prouocatio ad populũ est. Cum autem inteſtinis discordijs duæ illæ familiæ, Spinuræ & Ntoriæ, arderent, urbem in maxima præcipitarunt pericula: tyrãnos enim introduxerunt in rempublicam, & alia nefanda in eam commiserunt. Familia, quæ Ligures & Italos studijs prosequebatur, eligebat Italos, eosq; in belli societatem adducebat. Altera familia Gallorum regis auxilium implorabat, quem sibi socium faciebant. Contigit ergo, ut ciuitas illa in grauissima deuolueretur pericula, dum utraq; factio adduceret in urbem eos qui summo urbis odio laborabant. Postmodum respublica in acerbam necessitatem redacta est, quia legibus patrijs amplius non regebatur. Tandem igitur malis uicti animi, cum iterum coalescerent mutua concordia, eos iudices siue principes, qui minus idonei uidebantur, uiejciunt. Præterea cum sæpius Gallorum regem aduocassent, eiq; que urbis regimen commisissent, tandem coniuratione facta, eum sæpiusui expulerunt, haud æquis animis tyrannidem tolerantes. Populus enim libertatis cupidus, nouis rebus inhiabat: eiectis'que tyrannis, duces de corpore suo creabant, & patrio more legibus'que rempublicam porò gu-

A rò gubernabant. Sunt autem Ianuenſes iam ab antiquo Tarracõnenſibus admodum infeſti, bellumq; multis generationibus contra eos geſſẽre. Publicè priuatimq; diſcordias et inimicitias hoſtiles exercuere, adeò, ut ſi alicubi alius alij occurreret, in mutuas cædes ruerent. Inimicitiæ cum Tarracõnenſib. implacabiles perpetuæ fuerunt Ianuenſibus. Etiam Venetos iam olim odio proſequebantur propter Lesbum & Chium inſulas in Aegæo mari ſitas; necnõ propter Ligurum ducem, quem ſibi principem præfecerant. Cum autem inteſtina ſeditione laborarent, alijs quibuſdam urbis gubernacula mandarunt: ipſi uerò bellũ cum Venetis & Tarracõnenſium rege gerere auſpicabanẽ. Naues militibus, contra Venetos, quas ducant, complent. Vrbes uerſus Ioniũ adnauigantes, grauiter affligebant: nec abſtinebãt ab ijs quæ in Aegæo mari habitantur. Hæc autem magno animo peragebant, ut Venetos ulciſcerenẽ propter Ligurum tyrannũ nomine Philippum. Præterea ignem inijcientes in Corcyram, ſuburbana incenderunt, quæ concremata ſunt. & latius ſæuijſſet incendium, ſi res, ut animo agitarunt, euenijſſet. Poſtea prælium commiſere, cum inimicitiæ hoſtiles interueniſſent, cum Alphonſo Tarracõnenſium rege, ad Gaeten Italiæ urbem. Huc enim regis Alphonſi naues appulerant maximæ. Quod ubi cognorunt Ianuenſes, uidelicet regis claſſem eò collectam ſtare comparatam aduerſum ſeſe, ciues armatos naues maximas, quas huc mercium gratia ueniſſe comperimus, conſcendere iubent: ſoluentesq; ab urbe, curſum contra Tarracõnenſes dirigebant. Cum autem Tarracõnenſium regem aſſequuti eſſent in portu Gaetes, tempore longo certarunt. Rex eo tempore intra mœnia exiſtens, prælium ſpectabat: & admodum dolebat, quòd ſui, qui plures numero erant, hoſtes ſuperare non poſſent. Ingreſſus igitur ipſe naues, ſuos cohortando ad prælium accẽdere nitebatur. Commiſſo itaq; prælio ma-

B gno, capta nauis eſt, quæ uehebat regem Tarraconnenſium. Rex ſimul quoque in poteſtatem uenit. Scriba autem Tũtoria nauẽ cæpit, qui in prælio iſto nauali Ianuenſium dux erat. Qui cum victores prælio exceſſiſſent, regem captiuum uehentes, domum reuerſi ſunt. Naues igitur cum appropinquaſſent Ianuæ, priuſquam urbem iniret dux, nauigauit ad Ligurum ducis regionem, ut ei captiuum Alphonſum traderet, ſperans ſe inde haud parum commodi accepturum. Ingreſſus itaque Ligurum ducis regionem, regem captiuum ad eum perduxit. Dux Mediolani honorificè & magnificè, regem excepit, et tandem incolumem ſuo regno reſtituit. At Ianuenſes rei indignitate permoti, ab illo defecerunt, & ducem expulerunt. Deinde pergentes contra arcem, eam pactionibus in poteſtatem acceperunt, & deinceps ritu patrio urbem adminiſtrarunt, promouentes ad principatus honorem iuxta antiquas ſuas leges aliquem de ciuium numero. Alfonſus dimiſſus ad ſuos à Mediolani duce, beneficij memor hunc ſemper coluit: nec ei gratificari quibuſcunq; in rebus potuit, cunctatus eſt, quandiu dux ſuperſtes manſit. Hic Tarraconnenſium rex imperio temperans Valẽtiam, Tarraconem, Sardiniam inſulam, Cyrnum & Varcenonam Iberiæ urbem opulentam, primùm in Siciliam appulit, poſtea uenit in Italiam & Parthenopen. Regnumq; in hunc modũ occupauit. Neapolis quondam Italiæ ſubiecta, translata eſt ad Gallorum regem, qui de ſua familia ſemper regem & principem huic præficiebat. Regnum autem hoc incipit ab Iapygia ſumma, et Meſapia: & in longum progrediens uerſus Ioniũ cum ſinum, dextra ambit regionem Vares dictam. Regio iſta planè regaliſſima, & regio nomine digna eſt. Poſt Gepanum ſic nominatam extendiſſe uſque Gaeten, et Diam urbem Romanorum regioni finitimam. Et hic quidẽ terminus eſt occidentalis. Verſus Orientem attingit Gonium. Qua autem ſpectat Siciliam, regionem habet antiquitùs Græciam, nunc uerò Calabriam nuncupatam. Vbi primũ in ditionem regis Gallorũ iſtud regnum conceſſit,

accepit

accepit regem propinquũ genere regi Gallorum. Qui ut peruenit in regnum, (nomen eius erat Lantilaus) regioni isti uniuersæ imperauit. Cum iam opibus reliqua q̃ potentia plurimum polleret, arma cæpit aduersus Tyrrhenorũ regnum, atque adeò cõtra reliquam Italiam, ubiq̃ præclara facinora defignãs. Et quidem mouens exercitum contra Tyrrhenorũ urbem Florentiam, eámque obsidens expugnare nitebatur. Cum autem in longum urbis obsidio extraheretur tempus, & obsessi iam ad extremam uenissent necessitatem, ferũt eos in colloquium uenisse cum rege, petentes pacem: promittentes interim se promptos & paratos esse facere quæcunque imperasset, saltem pacem daret petentibus. Quorum precibus uictus, postulauit ciuis cuiusdam filiam forma excellentem omnes quæ tum in ea urbe formosæ habebantur. Hanc cum accepisset formæ elegantia omnes superare, (Fert enim urbs ista mulieres inprimis forma præstantes, uirginesq̃ uenustissimas) eam petijt sibi uxorem dari, cum in colloquium cum Tyrrhenis super pace iungenda uenisset. Erat enim rex ille cætera intemperans & libidinosissimus, & tantum non insaniebat amore mulierum. Iusserunt itaque Tyrrheni, ut pater uirginis eam quàm pulcherrimè exornatam regi traderet. Aiunt, puellæ patrem fuisse medicũ insignem, adeò ut facilè omnes ea facultate superaret. Cum igitur multa tentaret, nec tamen posset ulla ratione sibi consulere, quin filiam regi daret, commiscuit cicutam quàm potuit efficacissimam. In ista namque Italiæ urbe cicutam commiscere solent efficaciorem, quàm in reliquis urbibus. Accepit & pannum, quem cicutæ immersit, ut uenenum imbiberet. Quo facto, pannum ueneno imbutum filiæ dedit: monẽs, ut ubi rex cum ea concubuisset, ipsa panno isto mentulam eius quàm decentissimè abstergeret. Hunc igitur cum accepisset pannum auro exornatum, spectaculoq̃ dignum, eum diligenter custodiuit, ut regi, sicuti pater præceperat, post cõcubitum inseruire posset. Ducentes igitur uirginem istam, obtulerunt eam regi. qui ea uisa, formæ pulchritudine captus, obstupuit: amoreq̃ ardens, cum ea Veneris fœdus iniit. Puella autem iussa patris faciẽs, multis blandimentis adhibitis, panno regis mentulam absterfit. Quo cum esset tactus rex, in humorem nõnihil resolutus, in febrim incidit acutissimam, & cõtinuò expirauit. Etiam puellam esse mortuã tradũt, cum etiam ipsam cicuta per humorem diffusa contagio infecisset. Regis exercitus, ubi primùm ipse mortem obijt, dilapsus domum redijt. Et Florentia obsidione liberata est. Quidam Itali perhibent, non patrem pannum infectum ueneno puellæ tribuisse, uerùm senatum urbis eam exornasse quàm pulcherrimo ornatu, ut formosissima regi appareret: eundem etiam senatum pannum dedisse. Hinc ad coitum mirè alliciebatur rex. Sed hæc hactenus, quia turpia sunt, dixisse sufficiat. Post obitum regis Lantilai, cum uxor eius admodum inquietaretur propter regnum ab Italis, necnon regionis duces ipsi plurima negocia facesserent, nupsit Rhainerio Prouentię regi, Gallorum regis patruelí, eiq̃ regnum Neapolitanum tradidit. Accepimus autem, hanc fuisse filiam Tarenti & Iapygiæ Ducis, qui ortus ex familia Vrsinorum, siue (ut Græcè dicam) Arctiorum, quiq̃ plurimum pollebat opibus & potentia in regione Parthenopes. Rhainerius annis regnauit duodecim. Interea, Alphõsus natus de familia Medinorum, rex Tarraconnensium, Sardiniæ, et Valẽtiæ, classem adornabat maximam. Qua instructus, cum Siceliotæ remiges strenuam operam locarent, in Siciliam delatus est. quam subegit, & postmodum imperio rexit. Hinc deinde profectus, Parthenopes arcem mediterraneam occupauit. Parthenope arces habet maritimas duas, & unam mediterraneam. Adducens igitur Alphonsus copias, urbem eam oppugnabat: & admouens machinas muro omnigenas, eam sui iuris facere conabatur. Ibi tum Alphonsi frater bombardæ globo ictus occubuit. Nec multo pòst urbs in manus uenit.

Hinc

A Hinc copias ad maritimam & mediterraneam arcem mouit. Mediterraneam fame expugnauit. Maritimã cæpit, cum eam dederent milites qui in ea erãt: cui & præsidium imposuit. Vxor autem regis obsidione urgebatur in arce, quæ sita est in portu prope urbem. Maritus uerò clàm egressus, nauigabat in Prouentiam, inde adducturus exercitum, quo munitus uxori obsessæ suppetias ferret. Inter ea regina, cum obsidione premeretẽ, accersens Sphortiã Marchię principem, qui ea tempestate dux belli peritissimus habebatur, Alphonsum expulit, urbemque adiuta ab Sphortia recuperauit. Cum autem regina iam rerum summa potiretur, arcem mediterraneã in monte sitam obsidione circũdat, quam cum ui capere non posset, fame expugnauit. Postea non longo tempore interiecto, cum Sphortia domesticis distineretẽ bellis, Alphõsus Tarracõnensium rex ex Cilicia profectus, Calabriam primò subegit: postmodum comparato exercitu, iterum Parthenopẽ accessit, eamq; occupauit. Regina autem Rhainerij ex arce clàm effugiens, contendit ad filium suum, Tarenti & Iapygiæ principẽ. Nam nupserat post Lantilai mortẽ Iapygiæ principi: ex qua filium hunc Iapygiæ principem tulit. Alphonsus, urbe capta, & regione, quæ Gepanum nominatur, subacta, bello persequi aggressus est Iapygiæ principem, Mariæ reginę filium. Accedens igitur copijs quàm pluribus instructus, regionem subijciebat. Princeps igitur Iapygię necessitate motus, legatos misit qui pacem orarent; quã consequutus est. Paci iunxerunt affinitatem. Nam rex filio suo notho, cuius nomen erat Imphernandus, in matrimonium collocauit consobrinam principis Iapygiæ, filiam uerò principis qui Venozam rexerat. Peracto fœdere, in quo tenebatur, ut in posterum & hospites regiq; obedientes essent, Iapygiæ princeps Parthenopen uocabatur. Eò cum uenisset, admodum metuebat ut caperetur ab rege. Propter hunc
B metum, qui a deò magnus erat, phrenesi laborare creditus est. Hoc modo in Italiam ab Tarracõne profectus Alphonsus, Sicilia & Neapolitano regno potitus est. Cum uenisset in Italiã, ibi moratus est, nunc cum Venetis, nunc cum Tyrrhenis bella gerẽs, & fœdera pangens. Rex Rhainerius Ianuensium classe magna ad urbem accessit. Cum autem conarentur milites exponere nauibus in urbem, nec cœpta succederent, re infecta domos rediere. Alphõsus Ligurum & Tarracõnis regionem fratri suo regi Nabaris cõmisit. Hunc enim Nabaris regionis incolæ petentes, ab Tarracõne, quòd regis filiam uxorem duxisset, sibi regem, iuxta patriam consuetudinem, ordinarunt. Nam maxima pars occidentalium tributa quidem pendunt, nec tamen licet urbibus eorum principes dare, & præsidium imponere: uerùm indigenæ magistratus creant, & suis præsidijs, non externis, regionem defendunt. Nec etiam regi licet eos cogere, ut præter patriæ suæ morem respublicas administrent. Ea quidem tempestate, cum ciues earum urbium, quas Nabares regio complectitur, sibi constituissent regem, fratrem Alphonsi, contigit ut ei nasceretur filius ex uxore. Qui educatus, attigit annum duodecimum. Hunc igitur assumentes regionis incolæ, regem dimiserunt, dicentes: Non amplius ei concedi, cum filium habeat, regnum tractare, sed filio regni administrationem nunc competere. Hæc quidem haud multo post acciderunt. Alphonsus cum in Italiam peruenisset, fratri regionem suam mandauit. Hæc autem initium sumit ab Valentiæ regione. Valentia urbs magna est, & opulenta. Valentiæq; rex eam regni sui sedem tenet. Sita est ea urbs ex aduerso Sardiniæ, recedens ab Herculis columnarũ traiectu septingentis stadijs. Huic succedit regio, quam Tarracõnensem appellant, quæ porrigitur usq; Barcenona. Huic contermina est Tarraconnis regio, & patet usq; ad Barcenona uersus Prouentiam Galliæ. Verùm dicere nos oportet regionis limites. Versus Orientẽ, Prouentia Galliæ, uersus Occidentem, terminatur Iberia. Septentrionalis limes est Nabare

regio. Barcenor urbs Occidentem spectat, diuitijs potentiaq; excellit. Administratur plerunq; in Aristocratiam conuersa. Permittitur ei ab Tarracõnensium rege, suo iure uiuere. E regione huius urbis sita est Cyrnus, insula opulenta & populosa: cuius ambitus complectitur duo millia stadiorũ. Nec procul abest alia insula, quæ minor dicitur, quæ & ipsa subiecta est Tarracõnensium regi, & ab eodem principem accipit. Sardinia, quæ insula maxima existit, cuius ambitus continet quinq; millia stadiorũ, quoq; Tarracõnensiũ regi obtemperat, & sub eius ditione agit. Sunt in hac insula urbes duę, opibus florentes, Orestilia et Sagera: quarũ una uersus Orientem, altera uersus Meridiẽ insulæ sita est. Piscatores huius insulæ plurimũ lucri ex eo mari ferũt. Hinc in alium orbem peruenitur. Iberia, quà initiũ sumit ab Gallia, habet finitimos Celtiberos, quibus annexa est Gascona, regio sub Gallorum rege degens. Postea succedit Pescaiorũ regio, uersus Orientem in Iberiam tendẽs. Iberia, quę post Galliam maxima regio inter occidentales est, uersus Occidentem in Oceanum excurrit. Ab Oriente Nabarem & Galliã habet. Versus Meridiem
† Quidam legunt Portugaliam.
panditur † in Turtugannam, quæ maritima regio est, & ad Oceanum se extendit: etiam regione Granata, quæ sub Pœnorum imperio est, terminatur. Intra hanc Iacobi sepulchrũ uisitur. Hinc Portugallia regio Hispaniæ subit, quę se extendit ad mare, quod intra traiectũ est, quo uenitur ad Granatam regionem. Iberia cum regio sit maxima & ditissima, urbes habet regias, Dibitinam urbem magnam & populosam, Cordubã, Morsicam, necnon Ludum, & Salamangem. Etiam sepulchrum Iacobi in ea regione iuxta Oceanũ & mare externum, celebre est. Ad mare internũ quoq; Iberorum regis regio porrigitur. Portugallia sita est iuxta traiectũ à Granata incipiẽs, usq; ad traiectũ & internũ mare excurrẽs, uergit in Iberiã. Granata, quę regio mediterranea est, in Iberiã et Galliã, pcurrit, necmultũ uel interno, uel externo Oceano utit. Iberorũ rex in istis duabus regionib. plurimũ potest: qui cum sit ortus de familia Almenij Galliæ, Granatę regionẽ, quę Pœnorũ est, ferens atq; agens, haud cessat bellũ gerere. Rex Pœnorũ, Granatã qui regit, ubi pax cõposita fuerit, Iberorũ regi tributum pendit, qui interdũ accurrens urbem obsidet, et regionem populat. Ea aũt regio montana est, & à monte, qui à mari interno initium sumit, panditᵗ in Oceanum, & ad Portugallię regionem. Hi reges sæpius inter se dissidentes, bella gesserunt. Interdum copijs coniunctis, molem belli omnem in barbarum auerterunt. Inter cætera etiam bello lacessiuit Alphonsus Tarracõnensium rex regem Iberorũ prius quàm in Italiam uenisset. Belli autem eius hæc assignatur caussa. Ipse quidem captus est ab Iberorũ regis duce, quem Albarum appellabant. Vterq; tamen uulnera accepit. Itaq; contractis copijs, & assumpto fratre Nabaris rege, bellum mouit contra Iberorum regem, cum adiuuaretur opera quorundã Iberorũ nobilium, qui Albarũ incitatissimo odio prosequebantur. Hunc enim, cum humili genere in Tarracõnensium regione foret natus, & priuatam sequeretur uitam, tandem uirtute nobilitatum, & ab omnibus plurimum honoratum declarauit regionis suæ imperatorem. Qui imperator creatus, quócunq; bellum uertisset, semper gloria coruscans, & rebene gesta redibat. Itaq; cum ab Iberorum rege contra Alphonsum esset missus, haud socordiæ locum fore ratus Alphonsus, cum exercitu Albaro in regione occurrit, quasi prælij potestatem facturus. Postea Alphonsus adhibito in auxilium fratre, in Iberiam ingressus est, ut cõtra regem decertaret. Obuiã aũt procedens Albarus, misso pręcone iussit eum excedere, si sapiat, q̃ celerrimè ex sua regione. Cum aũt Alphonsus responderet, se nõ accedere ut patris eius asinos in pascua duceret, sed se adesse ut acie dimicet, copias in aciem deduxit: & cum utroq; fratre confligens, uictoria potitus est. Cum aũt prælium committereᵗ atrox, Albarus Tarraconnenses terga uertere coegit: & fugientes

A tes persequutus, fratres ambos comprehendit, magnaq; Tarraconnensiũ stra-
ges facta est. Vt reges ambo ad Iberorum regem sunt adducti, nihil mali sunt
passi. Verùm iuramenti religione fides accepta est, ne quid postea noui in sua
regione molirẽtur: & impunè dimissi sunt ad sua. Postea Alphõsus, ut suprà
dedimus, in Italiã & in Siciliam uenit: qui ab ijsdem captus, ad Mediolani du
cem, ut anteà docuimus, ductus, ab eodem inuiolatus & incolumis ad sua re-
missus est. Vxorem suam Alphonsus in Tarracõne reliquit. nec multis annis
interiectis, eò reuersus est, ut eam uiseret. Nam in Italia & Sicilia uersabatur,
plerunq; aut amori, aut rei militari operã dans. Quomodo ei in Italia res suc-
cesserint, deinceps dicetur. Regi Iberorum, de quo suprà uerba feci, bellũ fuit
cum Granatę rege Pœno. Pœni iam olim trajicientes, Mareliam Europæ ur
bem, quæ distabat à Libya stadijs ducentis quinquaginta, occuparunt. Hinc
progressi, Iberiam suo imperio iunxerunt. postea, cum memorabilia ubiq; fa-
cta ederent, etiam contra Galliã bellum promouerunt, mirum in modum res
suas augentes. Nec etiam ab Tarraconne & Valentia abstinuere. Galli igitur
adiuncti Iberiæ regibus, contra Pœnos bellũ susceperũt, eosq; in urbem mu
nitam se recipere compulerunt. Vrbem uerò postea expugnarunt. Adhuc ho-
die ad urbem hanc accedunt, hostiliter incursionem facientes, & exercitũ inter
dum adducentes. Et sanè Iberorum rex Dominus Ioannes, ut antea significa-
uimus, contra eos profectus est, præmisso Albaro duce, qui regem ad delen-
dos Pœnos inflammabat, & copias urbi admouit. Cum autem grauissima
obsidione premerent Pœni, famesq; intolerãda foret, dubij quid agerent, hu
iusmodi quid excogitarunt. Mulis duodecim ficorũ onera imponunt. Ficis
onusti, ad hostiũ castra ferunt. Ficos aũt diuidẽtes, singulis aureũ nũmum in-
B iecerunt, diuisosq; deinde iterum coniunxerũt. Nummus uerò aureus Hispa
norum, duobus aureis Venetorum ualet. Hos igitur ficos cum imposuissent
mulis, profecti sunt ad Albari tentoriũ. Qui uiso auro, quod ficis conditũ e-
rat, agasonem interrogauit: Quid sibi uult aurũ ficis inclusum? Agaso respõ
dit: Rex aurũ quod in urbe est collegit omne, dicens, siue cęperis, siue nõ cæ-
peris urbem, plus auri q; allatũ est, haud inuenies. Et si urbem captã destruxe
ris, multũ auri, quod ex Libya tibi & nobis afferretur, amittes: sin aũt urbem
non diruerís, poteris in posterũ quæcunq; ex Libya ad nos deuenerũt, quasi
thesaurũ huc collecta acquirere. Hæc cũ accepisset Albarus, acceptos ficos de
tulit in cõspectũ regis. quos diducẽs & aperiens, inquit: Arborem istam, quæ
hunc producit fructũ, nõ censeo excindendã esse. Nam deinceps nõ amplius
fructu isto possemus frui: & nunc saturati, in posterũ non amplius ista felici-
tate uti possemus. Nam cernis uinitores uineas putare, amputantes tantum
inutilia & superflua, ut fructum tandem uberiorem reddant. Quod si eas pe-
nitus eruerint, nequeunt earũ fructu, cum necesse fuerit, amplius recreari. His
auditis rex, quia probabilia dicere uidebat Albarus, iussit eum abducere ex-
ercitum. Huic, cum duxisset regis Portugalliæ filiã in uxorem, natus est filius
nomine Ciricus, uir rei militaris peritissimus. Qui matrimoniũ cõtraxit cum
Granatæ regis filia: quam, quia nõ poterat cum ea concumbere, repudiatã di-
misit. Vxorem alterã assumpsit consobrinã regis Portugalliæ, quæ formæ ue
nustate omnes, quotq; in istis regionib. agebãt, anteibat. Hanc sibi associauit
cõsilio optimatũ, qui cõsulebant fore, si aliã uxorẽ duxisset, q; posset cum ea cõ
cumbere sicuti matrimoniũ postulat. Filiam regis Nabaris coegit habitũ Na
zaræorũ assumere, eiq; opes ad istud uitæ institutũ assignauit. Rex Portugal
liæ ortus est ex familia Gallię regũ. Arbitror aũt Gallorũ reges belligerantes
aduersus Pœnos, quondã regionẽ istam subegisse, & ad posteros suos trans-
misisse. Itaq; Nabaris regnum putat pertinere ad familiam regum Galliæ, nec
nisi ex ista familia nato licere regnum istud suscipere. Nam Carulus Impera-

tor,& qui ſucceſſerunt reges, exiſtimantur regionem illam ſubiecisſe, & nepotibus ſuis reliquiſſe. Alphonſi autem fratrem tali conditione in regnũ admiſerunt. Si ei natus eſſet filius ex uxore, quam duxerat propinquam genere Gallię regibus, ipſe deberet regno excedere,& filium ſibi relinquere regem. Quòd ſi nullum filium ex uxore ſua tuliſſet, regnum pateretur recidere poſt obitum ſuum ad Galliarum ducem. Qui hac conditione Nabaris regnum accepit:& cum nactus eſſet ex uxore filium,patrem dimiſerunt,filiumq; regem cõmuni conſenſu declararunt, quia deſcendebat ex familia, quantum ad maternũ genus attinet,regem Gallię. Hęc quidem annotata ſint mihi ſequenti tenius hiſtorię propoſitũ. Nunc unde digreſſus hucuſq; ſermonẽ traxi reuertor.

LIBER SEXTVS.

AMVRATES Mechmetis filius poſt expeditionem, quam cõtra Caramanũ ſumpſerat, bellũ Dacis intulit,uolens Draculis filiũ ſuo reſtituere principatui. egreſſus aũt regia copijs inſtructus,accepit Caramanũ nouarũ rerum cupidum defectionem animo agitare:ad id negociũ adhibere ducem Candylori, & alios Aſiæ principes, cũ ſperaret Pannones breui magna manu ſubſidio uenturos, ſpe externi auxilij illectus,reliquos Aſiæ principes ad defectionem ſolicitabat. Amurates igitur Mechmetis filius,ubi id parari animaduertit, mutato conſilio cœptam expeditionem omiſit,& bellum omne in Caramanũ auertit. Turachanem Theſſaliæ præfectum iuſſit exercitum cõtra Peloponneſi Iſthmum ducere,eumq; in poteſtatẽ redigere:deinde regionem Peloponneſi,quæ ſub Græcis eſt, incurſionibus uexare. Quibus peractis,eum inde abire iuſſerat. Turachanes quoq; accepto Theſſaliæ & Peresbiæ,quæ ſtagno adiacet,exercitu,ad Iſthmũ perrexit.quem deſertum ab hoſtib.inueniens, occupauit:& hinc incurſionẽ faciens in Peloponneſi regionem,uaſtitatem maximã reddidit. Etiam Spartã adijt, Laconiæq; regionẽ populatus eſt. Quibus omnibus, quemadmodum præceperat rex,expeditis,abijt. Rex Amurates in Aſiam tranſuectus,contra Caramanũ exercitum ducebat, & ſecundò eius regionem euaſtatam ſubigebat. Ea tempeſtate,qua hæc agebant,Georgius Tryballorũ princeps in colloquiũ uenit cũ Iango & cum Pannonũ rege:prehẽſans q; ſingulos Pãnonię pceres, perſuaſit ut cõtra Amuratem arma caperent. Opes plurimas immenſamq; pecuniæ uim Pannonibus ad eam expeditionem pollicebatur. Nec ſolum promiſit,uerùm pecuniã Pannonibus, ut eos experiretur auxiliares tradidit. Vſus eſt plurimum opera ad eam rem Iangi,qui Gręcis familiariter iunctus erat. Ioanni Byzantij regi bellum cum Ianuenſibus erat propter commercia Galli cuiuſdam. Ianuenſes implebant naues quas habebant maximas, nec non triremes tredecim. Quibus impoſuerunt ſuorum octo millia armatorum,& properabant contra Byzantium,uolentes urbem eam capere. Eodem tempore etiam Scythis bellum inferebant Ianuenſes. Scythæ namq; qui circa Boſphorum colũt, inimicitijs moti,quas cum Caphenſib. gerebãt, Capham urbem egerunt, & tulerunt. Propter quæ miſerant legatos ad regem Scytharũ Atzikareem, petitum pacem: hac tamen conditione,ut ſua reciperent. Cum nihil eorum quæ petijſſent, impetrare potuiſſent Caphenſes,urbem ad Italiam reduxere,cum Ianuenſes iniquis animis paterentur urbem ſuã ab Scythis adeò grauiter diuexari. Eodem tempore ijs diſcordia cum Græcis fuit. Parabãt itaq; contra utroſq; ſimul rem gerere,& utroſq; armis domare. Appulerunt itaq; Byzantium,indicentes Byzantijs bellum:& inde legentes Euxinum pontum,uenere Capham. ibi igitur egreſſi nauibus in Cherſoneſum,rectà pergebant contra Scythas,non multum in urbe morati. Scythę audientes hoſtes accedere ſine ordine palantes,ple-

nos

A nos contemptu, & ipsi arma arripiunt. Nam præterita die affusi fluuio cui-
dam, in ea regione castra posuerant, nec solitas ordinarant uigilias. Putabant
enim Scythas nunquam eò audaciæ progressuros, ut secum ex acie dimicare
sustinerent. Ibi igitur cum primi non expectassent eos, qui agminis po-
stremi erant, ut in unum & in iustam aciem collecti, prælium inirent, uerùm
pedetentim & palantes incedentes pergebant contra hostes, extenuato ma-
ximè agmine. Scythæ, ubi compererunt hostes appropinquare, confe-
stim obuiam progrediuntur, agminis que incomposiți primos aggressi fu-
derunt, & in fugam coniecerunt. Fugientes acerrimè persequuti sunt. Ianu-
enses fuga ad suos delati, etiam eos fugæ socios traxerunt. Tandem prælium
ad extremos uenit, quos terga dare cogentes, cęciderũt impigrè, nulli quem-
cunq; nacti erant, parcentes. Pauci quidam fuga euasere incolumes in urbem.
Liberati igitur bello quod gessere parum feliciter cum Scythis in Bosphoro
habitantibus, nauigarunt uersus Byzantium, ueneruntq; Galatiam urbem,
quæ sita est e regione Byzantij in Europa. Ibi consultarunt communiter, quo-
modo Byzantium occupare possent. Militib. naues complent, & reliqua ar-
mamenta expediunt: naues q; muro iuxta portum appellunt, quasi nauib. ur-
bem expugnaturi. At Byzantij resistebant fortiter, & ex muro in hostem pu-
gnabant magna gloria. Ianuenses cum conarentur ex nauibus ascendere in
mœnia, nihil efficiebant. Byzantij enim hostes magna fortitudine repellebãt.
Cum igitur cœpta parum succederent, omnesq; conatus irrito caderent, in dis
sensionem adducti, rediere in Italiam. uerùm Galatia Ianuensium urbs longo
tempore bellum gessit cam Byzantijs, cum utrinq; tam Byzantij, quàm Ga-
latæ bombardis rem gererent. At Leontares Ioannes magno impetu in Ga-
latiæ mœnia irruens, eam undiq; quasi in dagine cinctam omni commeatu re
B liquisq; necessarijs spoliauit: plurimos quoq; Ianuenses cæpit, cum feliciter
& fortiter in eorum naues irrumperet. Hos uinctos adduxit ad regem Ioan-
nem, qui ea tempestate agebat in Xyllæ domicilio. Fuerunt autem captiui
numero trecẽti, quos omnes in Galatię uallo nactus erat. Postea legatos ultrò
citroq; mittentes super cõmercijs & uineis, quæ extra Galatiam erant, Ianu-
enses grato animo excipiebant quæcunq; statuisset de illis rex. Cogebantur
quoq; numerare regi aureos mille propter turrim regiam, quam tempore ob-
sidionis bombardis disiecerant: nec non propter officinas, quæ in medio po-
sitæ erant, destructas, ut potiri possent imagine siue signo regis Græcorum.
Bellum inter Byzantios & Ianuenses huiusmodi exitum habuit. Bello isto
finito, Ioannes Græcorum rex, legatos ire iubet ad Romanum Pontificem
Eugenium nomine, petentes ut concilium celebraretur, quo inter utrosq; reli
gionis contentionem decenter componerent. Tentabat eo modo Occidenta-
lium animos, num plurimi facerent concordiam constabiliri cum Græcis in
religionis controuersia. Legati in Germaniam uenere. Ea tempestate Germa
ni Basileæ erant congregati, dissidentes sententijs contra Eugenium Pontifi
cem: quem reprobantes, crearunt Pontificem nomine Felicem, uirum inter
ipsos inprimis spectatę probitatis. Hunc cõcilij cõsensu Pontificem declara-
runt. Ambo igitur Pontifices triremes instruunt, & Ioannem Byzantij re-
gem accersebant. Vterq; enim sub se concilium agitari, & religionis contro-
uersiam, quæ cum Græcis intercesserat, finiri uolebat. Cum ab utroq; uenis-
sent triremes, rex quidem benignis uerbis & placidè concilij Basilienſis le-
gationem dimittebat: dicens, se cum Romanis & Venetis & cum reliqua Ita
lia iam antè colloquutum, qui omnes se Romam proficisci iubeant. Assu-
mens itaq; Byzantij sacerdotes, & Grecorum sapientissimos & doctissimos,
nauigabat in Italiam. Cum uenisset ad Venetos, inde soluens ferebatur Fer-
rariam, ubi morari Pontificem Eugenium acceperat. Hæc urbs distat ab Ve

netijs ſtadijs ferè trecentis. Duces & principes habet, qui ſunt de familia Eſtenſiorum ſiue Eſtenſiũ, opibus hominumq; multitudine excellit. Pado fluuio alluitur. Subiecta eſt Romano põtifici. Duces ſeu principes, quos modò diximus, accipit. Vir ille qui tum temporis in urbe rerum ſumma potiebatur, æquitatis ſtudioſus, nec cętera imprudens erat. Huiuſmodi aũt ei accidit calamitas. Vxorem habebat filiam Ducis Monferrariæ, pulchritũdine formæq; elegantia preſtantẽ. Mores mulieris, antequã id contigiſſet, modeſtia inſigni coruſcabãt. Hæc inſaniebat amore priuigni, qui filius ducis erat nothus. Qui cum ſerius ad eam ueniret, quàm moris eſt eorum qui in Italia lautius uiuunt, iuuenem inter ludendum ad amorem prouocat. Hic intelligens ſe à muliere amari, & ipſe mulieris amore exarſit, & aliquanto tempore ſtupri conſuetudinem cum nouerca ſua habuit. Ancilla aũt quædam ut cognouit amorem illorum, amatori ſuo rem omnem enarrat. Is uerò ducí admodum charus erat, & ab eo honorificè admodum tractabatur. Is igitur ubi rem cognouit indicio ancillæ, nec non ipſe eandem exploraſſet, accedit dominũ, inquiens: O domine mihi contingat magis terræ hiatu contegi, quàm ut diutius cernam in ædibus tuis adeò nefanda ſcelera committi. Nam uxorem tuam rem habere cum filio tuo notho, impijſſima perpetrãtes, uidi. Proinde da operam ab iſta muliere libereris, nec amplius cum ipſa conuerſeris. Filiũ q̃q; fac aliquò ableges. His auditis, dux obſtupuit. Deinde percunctatus eſt, quomodo rem iſtam cognouiſſet. Dixit quoq; ſe uelle eam rem explorare, & præſentem rei illius fore ſpectatorem. Faciens ſupra lectum foramen haud perinde magnũ, ne deprehenderet ab amantibus, per id ſpectabat filium ſuũ nothum concũbere cum uxore in lecto. Deſcendens igitur, ambos opprimit inopinatò, & uxorem in hunc modum alloquit: O mulier, quis dæmon eò dementiæ te adegit, ut cõmiſcereris turpiter filio meo impijſſima omniũ quas nouimus? Qua ratione id noſtro matrimonio honeſtũ fore arbitrata es? Quæ reſpondens ait: Quòd talia fecerim matrimonij fidem uiolans, non eo inficias: uerùm culpam agnoſco. Eiusq; rei impiæ ego ſola caput & origo ſum. Ego ſcelerata opera animo concipiens, ui maiore coacta, neſcio, quomodo ad iſtã impietatem conceſſerim, & adoleſcentem inuitũ in iſtud nefariũ opus traxerim. Meritò igitur ego pœnas pendo. Rogò tamen in adoleſcentem, cuius nulla culpa eſt, ne ſæuire uelis. Deinde filiũ uocauit, interrogans, An iuſta hæc ſint, quæ fecerit in ipſo opere deprehenſus. Adoleſcens attonitus cum negare non poſſet, ad petendam ueniã conuertebat. Sequutus eſt uir amoris iſtius nefandi cõſcius, qui utriſq; operã, ut cupitis potirent, locauerat indefeſſam. Erat aũt Mimus, qui ab initio adoleſcentem in iſtum amorem impulerat. Et hũc accerſens interrogabat dominus: Quid cauſſæ fuit, quare adeò impium in me patraris facinus? Hic reſpondit: Quia tu rapuiſti amicã filij tui, & cum ea concubuiſti. Quapropter merito iſta contigere tuo. Nam ducis filius amabat mulierẽ eius urbis, nec dum tamen cum ea coierat. Pater igitur cum intellexiſſet, eam eſſe forma prædità ſupra modum uenuſta, ui eam opprimens, Veneris gaudiũ ei abſtulit. Mimus igitur huius amoris cauſſam omnem in iſtud facinus reijciebat. Hæc figillatim cum audiſſet, adoleſcentem, deinde mulierem, poſtremò Mimum capite truncari iuſſit. Hæc eſt calamitas, quæ Ferrariæ principem ea tempeſtate oppreſſerat. Nec multo pòſt Ligurum principis filiã uxorem duxit, & miſſis ſerijs, plerunq; iocis ſe tradens, fortunam aduerſam leuabat. Rex Græcorum cum ueniſſet Ferrariam ad Romanum Pontificem, qui ibi uerſabatur, cum eò ab urbe Roma eſſet profectus (erat enim Venetus) precibus fatigabat à Pontifice, ut ſe iuuaret in cõtentione, quæ interueniſſet ſibi cum Germanis. Et cum in colloquium ueniſſent, plurima de contentione illa diſſeruerunt, rationem ineuntes, qua utriq; res pulchrius & felicius ſuccederent. Hinc profecti, uenere Florentiã, Tyrrhenorũ metropolim, urbem magnam

& opu-

A & opulentã, quę pulchritudine omnes Italiæ urbes exuperat. Tyrrhenia incipit ab urbe Pero, & dextra tenẽs Bononiã urbem opulentã, pertingit usq; Lucam. Luca aũt & Perusium sunt ciuitates liberæ, & in democratiã uersæ reguntur. Florentia, extra Venetorũ urbem, Italiæ urbs opulentissima est, ciues q; ad agriculturã & mercaturam extrudit. Hi intelligentia reliquos excellere uidẽt: optime q; efficitur quicquid uiri isti fuerint aggressi. Respub. hoc modo administrat. Est in ea consiliũ quingentorũ uirorum, qui de ciuitatis rebus cõsultant, de bello, de pace, de legatis sententiã ferentes. Habent uiros duos peregrinos, quos accersentes plurimũ ueneranꝫ. Vnũ criminũ capitaliũ iudicem constituerunt, alterum reliquas urbis cõtrouersias iudicare iubent. Ciues aũt reliqua reipublicę munia obeunt. Peregrinos aũt propterea adsciscunt, ne ciues fauore, aut odio adducti, in alterutrã partẽ ius dicentes abducerentur. Ducem seu principem reipub. creant, quem signiferũ nuncupant. Qui trimestre tempus magistratũ gerit, ad quem uniuersæ ciuitatis reddit⁹ & tributa referunt. Si qui hũc adeũt, pacem aut bellũ afferẽtes, statim deducunt ad quingentorũ consiliũ. Magistratus legunt de populo populares, & q̃rundã artificiorũ prędes. Licet cuilibet eius urbis fieri ciui, si statutũ preciũ intulerit. consiliũ illud si quid decreuerit, id ut executionẽ sortiat, ducib. mandant. Hæc reipub. forma penè omniũ Tyrrhenię urbiũ est. Nam iuxta hanc gubernant Perusiũ, Luca, Aretiũ, et Senę. Huc cũ peruenissẽt Gręci, multa diu egere cum põtifice in religionis negocio, uolentes id ad optimũ deducere finem. Postremò eò uentũ est, ut inter se cõsentirent, et concordiã inter se cõglutinarent. Itaq; in hãc sententiã euntes, decreuerũt in posterũ nihil in religionis negocio innouare. Et ut ista rata manerẽt, scriptis & sanctorũ obtestatione sanxerũt, se deinceps unanimes in religionis negocio fore. Hinc Rom. põtifex allegit in Cardinaliũ ordinẽ (qui primus apud Pontificẽ est) uiros duos Gręcorũ B nobilissimos, eosq; sibi familiaritate iunxit. Vocant em Cardinales, quasi religionis duces & antistites. Hos em honore sibi ꝓximos triginta eligit Pontifex, ijsq; socijs & cõsiliarijs utit. Suppeditat his redditus sufficientes, assignãs ijsdẽ regiones, unde opes sufficiẽtes accipiãt. Hic quidẽ minores, alius maiores acquirit opes, secundũ regiones quas singuli sortiunt. In horũ igit albũ retulit Põtifex uiros duos Græcorũ, Bessarionẽ Trapezuntiũ Niceę episcopũ, & Isidorũ Sarmatiæ episcopũ. Nam horũ opera plurimũ adiutus est in cõcordia cum Græcis ineũda. De Bessarione q̃ accepi, diligenter annotabo. Bessarion tanto erat instructus à natura intellectu, ut pręstantissimos Gręcorũ nõ dico æquaret, uerùm superaret. Iudicio in re qualibet plurimũ pollebat. Gręcarũ latinarũq; literarũ tanta peritia huic uiro inerat, ut facilè eruditionis palmã inter oẽs caperet. Nicolaus, q Eugenio successit, uirũ hũc coluit plurimũ. Quapꝓpter Bononię urbi opulẽtę eũ prefecit, ut eã tutaret. Cũ aũt ea urbs usq; seditionũ, ꝓcellis iactaret, & seditioni usq; inter se cõtendere nõ cessarent, planè inter istos tumultus uir ille diuinus apparuit. Vrbs ista opib. & reliqua felicitate nihil cedit uel pręcipuis Italię oppidis, literarũ studio prestãtissimis Italię urbib. cõnumerat. Isidorũ uirũ prudentẽ patrięq; amantẽ, cũ Byzãtij pro patria pugnaret, à barbaris captũ esse cõstat. Põtifex Eugenius hũc uirũ cũ eius auctoritas maxima apud Græcos haberet, elegit, putãs eum rebus suis plurimũ momẽti allaturũ in cõcordia cũ Gręcis iungẽda. q̃d et euenit. Rex Gręcorũ cũ prędiũ ad retinendũ Byzãtiũ peteret, Põtifex respõdit, ꝓmittens, sibi in posterũ et regnũ illud Gręcos q; curę fore: prętereà se nõ cessaturũ Pãnones et Germanos incitare, utarma cõtra Turcos capiãt, quatenus Grę cis & alijs bonum uideat. His ita cõpositis, rex Byzantiũ proficiscitur. Græci domũ reuersi non amplius his quæ conuenerant in Italia, stare uoluerunt: uerùm apprehendentes sententiam diuersam, noluerunt amplius in religionis negocio

adhærere Romanis. Hinc motus Pōtifex Romanus, uiros quosdam doctos A
Byzantium ad Grecos misit, ut cum his in colloquium uenirent, qui quidem
synodum & concordiam in Italia factam non admittebant. Nam Marcus E-
phesi episcopus, & Scholarius Grecorū doctissimus, ne quidem ab initio La
tinorum dogmati consensum præstare uoluerunt. Vbi ad colloquium & ad
disputationem uentum est, Romani nihil efficere potuerunt, uerùm re infecta
domum reuersi sunt. Eugenius haud multo pòst Romam redijt, adiutus à Ve
netis, qui ea tempestate admodū feliciter bellum gerebant cum Ligurum ty-
ranno. Nam Veneti belli ducem creārūt uirum patria Ligurem, qui antea fue
rat amicus & affinis Ligurum tyranni. Nomen ducis Carmaniola fuit: eiq;
exercitum commiserunt. Qui ut exercitū accepit, & naues tot quot militib.
implere Venetos iusserat, itinere pedestri, & per Eridanum proficiscebatur,
habens naues ligneis propugnaculis, & turribus pulchrè instructas, quæ nu-
mero erant septuaginta. His copijs munitus pergebat contra Mediolani ty-
rannum nomine Philippū. Carmaniolæ legatus erat Nicolaus cognomen-
to Breuis, uir militaris rei peritissimus, qui ad summam bellicarū rerum glo-
riam euaserat. Veneti in eo bello uictores tempore longo fuere. Prælianban-
tur diu, cum præsidio ad lacus custodiam, posito. Nicolaus Breuis Brixiam
cum exercitu uenit, eamq; capere nitebatur. uerùm oppidani obsidionem lon
go tolerarunt tempore: eoq; necessitatis uentum est, ut mures felesq; ederent,
& durissima quæq; sustinerēt potius, quàm ut hosti cederent. Factio Gelpho
rum, quæ in urbe erat, adeò fortiter repugnauit. Vniuersa Italia in duas factio
nes diuisa est, in Gelphorum scilicet & Gebellinorum. Quomodo autem ur
bes totius Italiæ in has factiones abierint, & inter se semper dissidentes ani-
mis pugnent, & unde dissidendi initium exortum sit, ex nemine unquam au- B
diui quicquam, ut ueri aliquid de ijs determinare possim: nec ipse coniecturā
faciens, possim quid certi de ijs tradere. Ligurū et Ianuensiū regio Gebellino
rū factionē sectant. Veneti & Romani, nec nō Marchia, Gelphis adhęrēt. Tyr
rheni & Reginę regio quę ad Iapygiā in lōgitudinē patet, utrisq; fauet. Qui-
dā em horū in Gelphorū, q dam in Gebellinorū factionē discreti sunt. Etiā in
una eadēq; urbe utrasq; istas factiones inter se dissidētes & pugnātes cernere
est. Hinc plerūq; seditiones Italiā colentib. accidere puto. Accidit interea, ut
etiā Patauini adducerēt suos duces, inter quos erat & Marsilius, natus ex fami
lia Carariorū, qui parabat Carmaniolę prodere urbem. Est autem ea urbs ma-
gna & opulenta, in ambitu continens stadia septuaginta. fluuius nomine Bren
tas eam secat: quo cum undique alluatur, munitissima redditur. Hunc igitur
Marsilium cum adduxissent, constituerunt diem, ad quem proditio peragere-
tur. Verùm eo die maxima ingruit tempestas, qua inhibitus nequiuit ad
præstitutum comparere diem. Quidam proditionis conscius, anxius admo-
dum, ne aliquis præueniret, & proditionem patefaceret, aduenies ipse pro-
ditionis consilia aperit. Qui ut rem cognouere, urbem firmauerunt custodijs:
subornarunt quoq; insidias Marsilio, quà uolebat exire ad hostes. Acceden-
tem igitur cęperunt unà cum centum ciuibus, quos unà cum uxoribus neca-
runt, trucidato etiam Marsilio. Hæc cum sub idem bellum acciderent Vene-
tis, effectum est ut duci Carmaniolę imperium prorogaretur. At postmodum
cum proditionis argueretur Carmaniola, & in ipso opere esset deprehensus,
insidias urbi struens, interfectus est. Dicitur autem, cum duceretur ad supplī-
cium, in eum locum, ubi capite truncandus erat, uelato & obstructo ore incef
sisse, ne posset compellare & obtestari eos qui ad spectandum supplicium
conuenerant. Post huius uiri obitum uocauerūt Francisci Sphortiam cogno
mine, quem ducem pronūciantes ei cōmiserunt bellum, quod gereret cum Li
gurię principe. Tandem eò res uenit, cum impigrè adiuuaret ab Venetis, ut nō

multo

A multo tempore interiecto, dux Mediolani eligeretur. Cum autem Venetorũ
esset imperator, plurimumq; ob eam rem commendaretur, Lodiam usq;, quæ
Mediolano proxima est, accessit, Pergami regionem, & alia quædã oppidu-
la Liguriæ ultra Adam flumen subigens. Deinde cum bellum inter Venetos
& Ligures esset compositum, paceq; sopitũ, filiam Ducis illegitimã uxorem
duxit: & cum quasi medius esset inter utrosq;, cessauit Nicolaũ bello persequi.
Is, cum pax cõueniisset, uenit Parthenopen ad Tarraconnẽsium regem, uolens
eum adiuuare, si opera sua indigeret, in bello quod parabat inferre Tyrrhenis:
Cum autem nihil isthic inuenisset suis rebus accommodum, ad Mediolani
Ducem reuersus est. Nec multo pòst expirauit, cum fuisset belli dux optimus,
ducendi exercitus pugnandiq; peritissimus. Cum aũt longo tempore renum
dolore fuisset excruciatus, tandẽ mortuus est, relinquẽs sui per uniuersam Ita-
liam memoriam honestissimam. Fuit enim genere Perusius. Franciscus non
multo pòst, cum defunctus esset Mediolani Dux, cum Venetis inimicitias su-
scepit, animum in Mediolani tyrannidem intendens. Nam Veneti Philippo
mortuo, adiungebantur Mediolanensibus, hortantes & adiuuantes eos, ut ari
stocratiã reciperent. Equidem urbs illa aliquandiu aristocratiã sectabaẽ, ma-
gistratus creans ex optimatib. urbis. Verùm cum ad æqualitatem respiceret,
admodum tenuiter res gerebãt, si quando exercitus aliquò misisset. Quapro-
pter ad tyrannidẽ ciuitas inclinauit. Vocant igitur ciues Ducem Franciscum.
Quidam reluctabantur. Franciscus igitur cõscripto exercitu, quàm celerrimè
profectus est contra Venetos, in eum locum in quem castra sua ponere iam an-
tea animis destinarunt. Accedens igitur, castra ponit stadijs ab urbe centum,
eamq; obsidet. Cum itaq; inhiaret tyrannidi, ut eam sibi pararet, uiros elegit
B idoneos. Etiam necessarijs suis permittebat ingredi in urbẽ, ut oppidanos ob-
sidione pressos ad pacẽ & ad fœdera incitarent. Nolebat tamen q̃ proximè ad
urbem copias ducere, timens urbis populũ, qui maximus est omniũ Italiæ ur
bium: etiam numero suum exercitum superabat. Potuisset quoq; exercitum
ualidissimum sternere. Expectabaẽ quoq; Venetorum exercitus, qui urbi au
xilio ueniret. Verùm Franciscus in ijs castris, quæ ab initio cõmunierat, man
sit: sedulò ea agens, ne inde posset depelli. Vbi allatum est, exercitum Veneto-
rum appropinquare, ut urbi suppetias ferret, prior exoriens, occurrit Venetis
quàm celerrimè, & castra locauit stadijs ab Mediolano quinquaginta. Ex ad-
uerso castra metatus erat Venetorum dux nomine Cũdunidas, qui castra ad-
modum diligenter emuniebat, uolens expectare ibi exercitum Mediolanen-
sem, ut cõiunctis copijs prælio inirent. Franciscus ut ex speculatoribus cogno
uit, Mediolanenses urbe egressos, pergere ad Venetos, nocte ignes plurimos
in castris faciebat, ut nihil eorũ quæ instituebat, hostis suspicaretur: armans q;
suos, citato agmine cõtendit obuiam Mediolanẽsibus. Quos aggressus, præ-
lio grauiter afflixit, interfectis plurimis, ut pauci ex Mediolanensium exerci
tu superessent. Victoria igitur illustri potitus, in castra reuersus est. nec mora,
manus conserit cum Venetis. Quos prælio atroce commisso in fugam egit,
captis sexies mille equitibus, uictoriamq; cõsequutus est insignem. Tandem
redijt in castra, quæ non multum ab urbe locauerat. Nec multo pòst ingressus
urbem, pacem pãgit, quam suadebat quidam Nazareus. Deinde filium suum
mittens ad Venetos, ijs deinceps placidũ se exhibuit. At hæc haud multo pòst
contigere. Cum Græci domos suas essent reuersi, Pontifex Eugenius nihil au
xilij satis digni, quemadmodum promiserat, Græcis misit. Proinde à Pontifi-
ce auertebantur, eosq; pœnitebat cõcordiæ quam cum Pontifice fecissent. Ve
rùm Pontifex nihil auxilij Græcis tali de caussa misit. Nam erat ei bellũ in It a
lia cõtra Tyrrhenos, ppter regionis dissensionem. Habens aũt exercitũ & sum
ptus ad id bellũ, nec nõ genere sibi, ppinquũ ducẽ, q; patriarchę partes agebat,

uirum

uirum prudentem, nõ ceſſabat rem gerere nunc quidem cum Tyrrhenis, nũc uerò cum Vrbinorum duce. Ea enim tempeſtate Tyrrhenorũ metropolis uidebatur ſtare à partibus Philippi Ligurum principis, pro quo fortiter pugnabant. Quapropter reſiſtebant etiam pontifici, qui Venetus erat, exortus ex familia Cudalmariorũ, quam petente Pontifice ſenatoria dignitate honorarunt, uidelicet ut ea familia quoq; in ſenatum alligeretur. Cum autem bellum inter Venetos Mediolaniq; ducem Philippum arderet, quædam Italiæ pars huic, quædam Venetis adhæſit. Hi autem principatus ſiue tyrannides per Italiam diſperſæ ſunt. Tyrannis Ferrariæ, quæ eſt de familia Eſtenſiorũ ſiue Eſtenſiũ, Arimino Marchieq; pręſunt Malateſtę. Tyranni Vrbinorũ, Mantuę, Mediolani, Romę, Neapolis, Iapygię. Vt aũt Ferrariæ, Mediolani & Iapygiæ Principes ſe gerãt, necnõ de Mantua dictũ eſt ſatis, quantũ facit ad præſentẽ hiſtoriam. De Vrbinorũ tyrannis hęc ſcio. Tyranni ſiue principes Vrbinorũ ex antiquiſſimo genere deſcendere uidentur, & Malateſtæ dicuntur. Multis annis Marchię imperarunt regentes Arimínum, & alias iſthic urbes inſignes. Hinc progreſſi, duces eorum facti ſunt qui in Italia rem iudiciariã tractabãt. Etiam Veneti hos ſibi duces cõſtituerunt. Poſtea Tyrrheni eos quoq; ſibi duces petierunt, & inde ad Mãtuæ ducatum emerſere. Nunc reuertar unde digreſſus ſum, ut ſcribã de Romano Pontifice. Vbi primùm pontifex aliquis mortuus fuerit, in domũ quandã congreganť Cardinales, ac calculos ferentes eligũt de familia † Coloniorũ et Vrſinorũ, quos huic muneri idoneos putarint. Sunt autem hæ familiæ longè reliquarum familiarum Romæ & maximę & potẽtiſſimę. Nunc quidem fauor ad hos, nunc ad illos inclinat. Plerunq; autem cum ſententiæ haud congruunt, peregrinos neutro propendentes fauore Pontifices deſignant. Vbi autem ſuffragia collegerũt, & Pontifex fuerit declaratus, domi eum continent, explorantes num & reliquis placeat electio. Pontificem pronunciatum inſidere iubent ſedili foramen habenti, ut teſtes ex eo propendentes, aliquis, cui hoc muneris iniũctum eſt, tangat, qui appareat Põtificem uirum eſſe. Nam cõſtat mulierem quondam in pontificatum eſſe ſubuectam: quia ſexus ignorabatur. Nam Italiæ Occidentales penè omnes barbas radunt. Cum autem illa mulier grauida eſſet facta, & ad feſtum, ſiue ſacrificium prodijſſet, peperit infantem inter ſacrificium in conſpectu uniuerſi populi. Quapropter ne decipianť iterum, ſed rem cognoſcant, neq; ambigant, Pontificis creati uirilia tangũt. Et is qui tangit, acclamat, Mas nobis Dominus eſt. Nomina aũt poſt electionem illicò commutant, quaſi iam diuinioris quàm anteà ſint naturæ, & planiſſimè mutati. Calculi aũt, quos ponunt, nomina pontificum inſcripta tenent. Pontificem plurimũ honorant Italiæ principes & reliqui occidentales populi. Cardinales ſunt, numero circiter quinquaginta. Nam Italię principes plerunq; diuidentes principatus ſuos in partes duas, ſi habuerint filios, partem unam filio uni, alterã uerò filio alteri attribuunt ad ſacerdotium, ne diſcordiæ & cõtrouerſiæ inter ipſos ſuper hęreditate exoriant. Hinc plurimum honoris conſequuntur apud Romanũ Pontificem: etiam Pontificem omnes charum habent, plurimumq; uenerant. De Põtificibus quidem Ioachim, uir uaticinandi peritus, inter doctos Italiæ connumeratus prædixit multa, quomodo ſinguli ad Pontificatũ eſſent peruenturi, & in eo uicturi. Et quemadmodum uaticinatus eſt, ita accidit. Etiam alia miraculo digna de hoc uiro cõmemorant. Nam cũ eſſet idiota, nec uel modicũ eruditionis haberet, ianitor in quodam Italię monaſterio Nazareorũ fuit, & quendã in hortũ egreſſo apparuit uir forma pulcherrimus. Qui aſſiſtens ad Ioachim, manuq; amphorã tenens, inquit: Ioachim, cape, bibe uinũ hoc: eſt emẽ optimũ. Qui dicto audiens, bibit ad ſatietatẽ uſq;, amphorãq; reddidit, inquẽs ſe ſatis bibiſſe. cui uir reſpõdit: O Ioachim ſi totũ hauſiſſes uinũ, nulla te ſcientia fugiſſet. Deinde in colloquiũ

† *Quid ſi legas Coluuenſium?*

& diſpu-

A & disputationem ueniens cum uiris ea tempestate doctissimis, planè diuinus quantum ad scientiã attinet, apparuit. Hinc pergens ad pontificatus principatum, magna quædam de eo uaticinatus est futura: quę omnia tandem euentus confirmauit. Nam quæcunq; prædixit, euenisse constat, licet ubiq; miracula eius per Italiã obuia sint. De Italiæ principibus nõ admodũ magnis existentibus & Pontifici subiectis, simul cum Mediolani duce, nec non de reliquis Siciliæ, Calabriæ, Iapygiæ, & cæterę regionis principibus, qui subditi sunt Parthenopes regi, differere, quoniã non est operæprecium, omittam. Politiæ aũt quæ ad Italiam spectant, sunt, Venetorum urbs, Bononia, & omnes Tarraconenses urbes, quę Florentiam sequuntur, & eandem cum ipsa reipublicę formam tenent. Huc adde & Ianuensium urbem. Sed de his suprà commemorauimus. Hi sunt totius Italię, ąs habet, principatus, interdũ Venetis, interdũ uerò Mediolani Principi auxilium ferẽtes. Reuertor nũc eò, unde digressus sum. Gręci in patriã suã reuersi, mittẽtes legatos ad regẽ Amuratẽ, orabãt pacem, uolentes cũ ipso fœdus pangere. Nec multo pòst Cõstantinus, pficiscit in Peloponnesum, fratremq; ad regni successionem hortatur: atq; inde nauigare instituit Byzantium. Cum aũt appulisset in Lemnum, Lesbi ducis filiam uxorem duxit. Eo tempore Mechmetis classis aduenit, Constantinũq; Gotzinę, quæ Lemni urbs est, obsedit. Mechmetes aũt exponens copias nauibus in terram, insulam magna populatione ingressus est, regisq; fratrem obsidione uiginti septem dierum pressit. Sternens aũt murum bombardis, non potuit suos impellere, ut in urbem uellent irrumpere. Cum ea urbe potiri nõ posset, classem abducens, domum reuersus est. Cõstantinus cum uenisset Byzantiũ, & rex sententiam suam declararet, iussus est redire in Peloponnesum. Ipsum aũt & fratrem Theodorũ oportebat relinquentes, Peloponnesum abire By-
B zantium. De his quidem hactenus. Frater horum iunior, nomine Demetrius, inimicitias suscepit aduersus regem, à quo maxima regionis spoliabatur parte. Cum multis ultrò citroq; actis nihil æqui impetrare posset, legatos, odio fraterno impulsus, ad Amuratem misit: à quo accipiens exercitum, profectus est Byzantiũ, urbemq; obsidione circundedit. Nec multo pòst sibi cõciliauit Asanem generũ suum, cuius auctoritas & potentia Byzantij maxima erat. Is Demetrium adiuuare uidebatur, si quo modo regnum acquirere posset. Tandem cum obsidendo nihil efficeret, exercitũ dimisit. Deinde haud multo tempore interiecto, cum legationem ire iussisset ad fratrem regem, Byzantiũ uenit: nec admodum multo pòst captus est à rege Ioanne, unà cum uxoris suæ fratre. Cum autem separatus ab uxoris fratre in carcere asseruaretur, suadente Asane noctu è carcere profugit Galatiam, urbem e regione Byzantij sitam. Postea legatis missis pacem assequutus est, & rediit ad Euxini maris principatũ. Etiam uxoris frater uinculis ab rege exẽptus est. Rex fœdere inito cum Amurate Mechmetis filio, haud cessabat cõsilia agere cum Eugenio Romano Põtifice, mittens ad hunc legationẽ: nec nõ ad Pannonũ regẽ Ladislaum, qui nuper admodum ad regni gubernacula accesserat. Incitabat eum uel in primis ad ista consilia Georgius Bucus, qui regno siue principatu suo deturbatus, magnam pecuniæ uim in eam expeditionem conferebat. Videtur etiam Ioannes Choniates ea tempestate plurimum potentia pollens, & militari gloria excellens, quia fœliciter aduersus Turcos præliari consueuerat, instigasse Pannonum regem, ut arma contra Amuratem Mechmetis filium caperet. Comparauit itaq; quàm potuit exercitum maximum: & in belli societatem adhibuit Draculem Dacorum principem, & Tryballorum principem Georgiũ, qui itineris dux erat. Postquam autem traiecto Istro, in regis regionem uentum est, quocunque se uertissent, omnia in ditionem acceperunt, uicos incendebant, etiam Sophiæ urbi ignem inijcientes, omnia fœdè diripiebant.

Amurates

Amurates ut accepit Pannones magna manu accedere populabūdos, uniuersos Asiæ & Europæ exercitus contrahens, obuiam, ut qui exacie esset dimicaturus, hosti procedebat. Amurates ut uenit in regionem quæ Basilitza uocatur, Pannones in ea castra posuisse, deprehendit. Præmisit quoq; suorū magnum haud exiguam, quos iussit obseruare Pannonum exercitum, & explorare ubi se teneat, & deinde explorata ad se referre. Iisdem prȩcepit ut montis angustias, quæ in regis regione sunt, præoccuparent: & arboribus cæsis eas obstruerent, quo minus hostes eos superare possent. Qui iussa facientes, strenuò hostem aditu prohibebant. Et sanè Pannones conabantur irrumpere per Thraciam. Verùm Amurates castra locauerat in montem qui pertingit usq; ad prædictas angustias, & congregauit optimates suos, quorum gloria in re militari erat maxima. Theseten Brenezis filium, Turachanem Thessalie prȩfectum, Cumuliem, Chasanẽ Europæ ducem, & Scopiorū principem Isaac. Hos, cum exciti uoce præconis uenissent, & consedissent, in hunc modum allo quutus est: Viri Mulsumanij, uidetis in quam necessitatem res nostræ deuenerint. Pannones enim hi, adhibitis Dacis & Tryballis, contra nos bellum mouent. Nunc tempus est, si quis quid nouit quod belli uictoriã largiat, exprome re, nec id nos in præsentiarū celare. Mihi enim, ut sententiã meam proferam, pugnandū esse uidetur: & omni mora posita, quàm celerrimè prælium inire. Nam facilè nos uictoria potituros arbitror, cum hostes nobis numero sint pauciores. Sic igitur agendum censeo: uidelicet ut continuò arma arripiamus, manusq; cum hoste conserere nihil cunctemur. Cum rex dicendi in hunc modū finem fecisset, Chasanes Europę dux, quo magis regem ad capessendū prælium accenderet, huiuscemodi orationem habuit: O rex, nõ est qui nõ laudibus uehat orationem tuam, quam modò in mediũ adduxisti. Est enim rege magno & Otomanida digna, qui hostibus uilissimis nihil sit cessurus, uerùm regionem suam seruare summa ope conet. Nisi enim pugnare instituerimus, fortitudo nostra peribit, impedita timore regis: hostib. uerò fortitudo crescet, eorumq; res usq; in cremẽta sument. Ex mora uereor ut nihil utilitatis, uerùm plurimum periculi capiamus. Etiam, pxima pugnæ mora, quæ mihi admodũ displicuit, cum decerneret, ut montis angustiæ arboríb. cæsis clauderent, nõ nihil incommodi nobis attulit, dum nos timore perculsos prælio abstinere hostes crederent. Talis fama nequaquam per nostrum exercitum est spargenda: nec uolo ut timiditatis ullo modo ab hoste argui possimus: uerùm censeo cõfestim prælium esse occipiendum, & prȩliãdo regionem defendere. hosti ne cedamus quȩso. Etiam ipse prælium capesse, si hostium populationes ulcisci uelis. Sin autem ipse discrimẽ subire nolueris, tu hei c sede: ego eos uictos dabo, & sic adfligam, ut nec Pannones, nec occidentales alij in posterũ te bello lacessere ausint. Hæc dixit Chasanes Mazamis filius. Tacentibus autem reliquis, ut qui non auderent contrariam regi sententiam proferre, metu subacti, Turachanes Thessaliæ dux in hunc modum loquutus est: Oportet quidem, ô rex, singulos quid sentiãt, nihil tuam sententiam reueritos, dicere: & tanto magis, quanto maiora pericula ostentare res uidentur. Multo igitur magis æquum est, ut nos quæ sapimus, in præsenti exponamus domino nostro, in primis, cum etiam nos idem periculum attingat. Ego sanè tua uolucri similia esse asseuero. Si uolucri alam unam ademeris, haud poteris ea, ad quancmnque aliam rem commodè uti, si quãdo necessitas postularet. Sin & alteram abstuleris, corpus solum relinquis, nec amplius uolare, uerùm tantum incedere nouerit. Quid igitur faciet auis, si ad uictũ quȩrendum, aut ad aliud quippiam conuertitur? Huic similitudini res tuas confero. Ianuas corpus esse autumo, & in his refugium & receptaculum relinqui nobis tutissimũ. Asię exercitum alæ assimilo, similiter & Europæ exercitum. Si prælium auspicati fuerimus,

neuter

A neuter exercitus ad prælij finem ſtabit. Aſianus enim exercitus refugiet dimicare cum armatis & haſtatis. Europæ exercitus quidem prælium non detrectabit: uerùm ſi uiderit abire Aſianũ exercitum, nec ipſe ad prælij finem manebit, ſed ſibi fuga conſulet. Reliqui igitur tibi ſoli erunt Ianuæ milites, & peregrini. Nequeo itaq; conijcere, quo pacto præſentibus commodè utaris, cum præliando nihil efficere poſſis. Sed enim meum conſilium depromam. Cenſeo pugnandum eſſe: uerùm ut paulatim retrocedamus, domantes omne quicquid obſtiterit. Nec uolo, ut deſinamus retrocedere tam diu, donec & ipſi fame preſſi, perſequi deſierint: & retrò unde uenerunt, ire perrexerint. cedentes deinde perſequemur, & in anguſtijs conſtitutos adoriemur totis uiribus. In hunc modũ cum hoſtibus iuxta animi ſententiam agere poterimus. Huic ſententiæ, quia prædicta melior & tutior erat, etiam reliqui, qui præſtò erant, calculum addidere. Ieſe autem Brenezis filius huiuſcemodi orationem exorſus eſt: Ego quidem, ô rex, exiſtimo parũ utilitatis nos capturos, imò nihil etiam ſi deuicerimus hoſtes. Nam nullum emolumentum inde affulgere uideo. Etenim Paiazites † Lælaps, auus tuus, quondam Gallos & Pannones fudit, † turbo.
uerùm nihil commodi inde percepit. Nam in ſuam regionem contendentes, ſemetipſos & regionem ſeruarunt. Verùm ſi contrarium, abſit omen, accidat, & uincamur, quibus pericula immineant, õmnibus perſpectum eſſe arbitror. Satius autem eſſe reor, ſemper eligere tutiora conſilia, ne in terrorem aliquem incidamus, & uincamur, uerùm ut uictoriã hoſtibus extorqueamus, niſi res non ex animi ſententia ſuccedet. Cum igitur duplex electio ſit propoſita, una periculoſa, & altera magis tuta, arripiendã tutiorem quis ambigit? Quis ſanę mentis compos non tutiora magis ſequeretur conſilia? Proinde retrò pergere, &
B cedere hoſti, nec te decet, rex, nec etiã ſuaſerim. Fugere enim uideremur, animiq; hoſtibus creſcerent, nobis uerò minuerentur: nec etiam amplius Aſianos & pedeſtrem exercitum retinere poſſemus. Sed nec pugnæ ſummam rerũ cõmittendam conſulo. Verùm conſultius exiſtimo, ut anguſtias diligenter præcludamus: & tam diu ſedeamus, hic tempus terentes, donec hoſti retrocedendi neceſſitas inijciatur. Deinde cedentibus inſtandũ eſſe iudico, uniuerſum equitatum in eos immittentes, eosq; quàm maximè poſſumus affligentes. Huic ſententiæ, quia præcedẽte tutior & melior erat, etiam reliqui qui aderant, conſenſum præſtare haud ſunt cunctati. Decretum igitur eſt, neq; pugnare, neq; cedere uelle: magis placebat, tempus cunctãdo trahere, deinde hoſtibus abeuntibus inhærere. Europæ exercitum miſerunt, ut aditu hoſtes quàm acerrimè prohiberet. Hæc ubi uiſa ſunt, ſumma ui anguſtias defenderunt, ne hoſtis intrare poſſet. Conabantur ſæpius Pannones irrũpere, & Turcos ex cuſtodia deturbare: uerũ nihil promouebant. nam eò loci ubi perrumpere nitebantur, fortiter reſiſtebant Turci, & utrinq; pellebantur: uerùm Turci pulſis Pannonibus quàm fortiſſimè obſiſtebant. Cum multum temporis tandem interceſſiſſet, nec quicquam Pannones efficerent, fame coacti, neceſſariò retrò quà uenerant, pedem ferre compellebantur. Nocte igitur, collectis impedimẽtis, ex caſtris proficiſcuntur. Vt aurora illuxit, hoſtes abſceſſiſſe noctu cognoſcentes Turci, pauliſper ſubſtiterũt. Rex deinde eligẽs de ſuo exercitu omnes, quotquot manſerant, & ad præliũ inſtructi erant, eos Europæ duci tradidit, ut perſequeretur hoſtes. Turachanẽ ſubſequi iuſſit cum Theſſaliq; exercitu. Ille igitur aſſumptis ijs quos rex dederat, citatiſſimo curſu hoſtes inſequitur. Ioannes autem cum prænouiſſet Turcos cedentibus inhæſuros, delegit & ipſe Pannonum robuſtiſſimos, quos in inſidias locauit, quaſi repugnaturus fortiſſimè uenientibus Turcis. Europæ dux cum per patentes campos iter acceleraret inſequens hoſtes, Turachanes eius frater occurrens, fratrem ſic

compellat: Túne per patentes campos proficiſceris, ducens tãtum exercitum? A
ſcito tuam profectionem haud ſatis tutã eſſe. Nam Pannones non ferent ſuos
à noſtris perſequutionem pati. Nec ſanè à prælio abſtinebunt, fuga ſibi conſu-
lentes, cum tanto tempore nos prouocauerint, ut cum ipſis prælium iniremus.
Et quidem, ut apparet pugnæ ſunt cupidiſſimi. Er iamdudum, ut opinor, fren
debant, quòd nolebamus in planiciem deſcẽdere, & decernere ferro. Suadeo
igitur, ut per radices montis huius hoſtes, quantum ſatis eſt, perſequamur, &
ſic, quæ opportuna uiſa fuerint, iis dare poterimus. Hæc dicens Chaſani, non
perſuaſit. Ipſe autem cũ Theſſaliæ exercitu auertebatur, inſtructo agmine per
montis radicem profectionem faciebat. Chaſanes cum exercitu Europę per
campum feſtinabat, & Pannones, qui fugam ſimulabãt, perſequebatur. Cum
autem tractus eſſet ad locum inſidiarũ, & Choniates tempus eſſe ratus incur-
rere in hoſtẽ, ex inſidijs Turcos inuadit cũ ſuis. Barbaros multos necarunt, &
multos uiuos cœperunt. Plurimi Turci in hoc prælio deſiderati ſunt, Chatitis
frater Priami, filius à Pannonibus captus eſt. Reliqui Turci in fuga capiebã
tur, Chaſanes cõfugit in regis caſtra, paucos de ſuo exercitu ſecũ habens. Ve-
niens autem in cõſpectũ regis, talia dixiſſe fertur: O rex qualia perpeſſi ſumus
à uiro quem nouimus eſſe ſceleratiſſimũ, qui tuos hoſti prodidit planiſſimè.
Nam uerè proditor eſt. Hoſti noſtra conſilia enunciauit, & acie inſtructus ire
mecum noluit. Georgio autem Buco amico ſuo ſingula indicauit, quomodo
eſſemus ipſos oppreſſuri. In hunc modum res tuę periere, & pauci incolumes
fuga euaſimus. Ibi tum Chatites filius Priami infeſtus uiro propter fratrem,
regem exaſperauit contra Turachanem. Rex cũ graue eſſe iudicaret, Turacha B
nem nõ eſſe profectũ cum Europę duce, uerùm auerſum aliud iter ingreſſum,
prodentem Europę exercitum, eum cæpit, & uinctũ in Aſiam, ut aſſeruaretur
in uinculis in urbe Tocheta, miſit. Chatites non ceſſabat iram regis augere, in
memoriã redigẽs, Turachanem, cum ageret in magna Bidiniæ princeps exi
ſtens regionis finitimę Iſtro uſum eſſe Buco Tryballorum duce, & amico &
familiari. Hac amicitia motũ aiebat Turachanem uoluiſſe illum, quacũq; in re
poſſet, iuuare. Nam acceptis à Buco muneribus, promiſerat ſe ei operã ſuã lo-
caturũ in defeſſam, quacunque in re uoluiſſet. His fidem dans dictis rex, Tura
chani uincula iniecit, & in Aſiã uinctum deduci iuſſit, ut ibi in carcerẽ cõijce
reẽ. Theſſaliã alij adminiſtrandã cõmiſit. Hoc modo carcere cõditus eſt Tura
chanes. Georgius Tryballorum dux, cum parum auxilij ſentiret ab Pannoni
bus in recuperãdo principatu, legatum miſit in Ianuas regis, ut eius animum
exploraret, num ſibi reſtituere uellet principatũ. Quod ſi faceret, promittebat
ſe ipſi tributarium fore, & dimidium tributi, quod regio penderet, ipſi quo-
tannis numeraturum. His cõditionibus ſe fœdus accipere uelle memorabat.
Quin et Pannonibus ſe perſuaſurũ pollicebatur, ut cum ipſo fœdus, ſi modò
uellet, ferirent. Hæc cum legatus audiente rege recenſuiſſet, promiſit ſe ei &
filio redditurum principatũ, uerùm ut deinceps in fide maneãt, amicitiamq;
ſuam bona fide colant. Ibi tum Bulcus Pannonũ animos ſibi cõcilians, etiam
regem Ladiſlaũ eò adduxit, ut fœdus cum Amurate faceret. At Ladiſlaum
in hunc modum alloquutus eſt: O rex, rex Amurates te ad fœdus hortatur: nec
hoc ſolùm, uerùm regionem reſtituere pollicetur. Si igitur me audias, fœdus
panges. Nam hoc pacto res tuæ ad bellum melius erunt inſtructæ: & ſi dein-
de ſecundò acceſſeris hoſtiliter, facile uinces. Hæc ubi eſſet elocutus, ſtatim in
ſententiã ſuam perduxit regem. Qui deinde ex ſententia Bulci, aut quemad
modum Bulco promiſerat, nuncium miſit in Ianuas regis, aduocans regios
legatos, quaſi his præſentibus fœdus percuſſurus, & regionem recepturus.
Amurates igitur legatos ire iubet, quorum auctoritate fœdera fiebant, qui-
bus

A bus cauebatur, ut Georgius regionem suam teneret, & eius regionis tributi partem dimidiam regi quotannis solueret. Iusiurandum quoque exigebatur, ne Pannones deinceps popularentur regis regionem, neue Turci transirent Istrũ ad uastandam Pannonũ regionem: uerùm fides iureiurãdo utrinq; accepta est, ut ex eo tempore sint inter se hospites & amici: quod tamen absq; dolo fraudeq; utrorum fiat. Dacis imperatur, ut essent regis tributarij, quemadmodum regio fœdere, quod iam antè interceserat, continebatur. Præterea ut pertinerent, quemadmodum hactenus, ad Pannones. His ita cõpositis, Amurates continuò expeditionem contra Caramanũ sumpsit. Nam hic, ubi primùm cognouerat Pannones bellum inferre Amurati, traiectoq; Istro, regis regionem euastare, haud incõmodum sibi fore suisq; rebus ratus, si regis in Asia regionem subigeret, cum impetu in eam irruebat, omnia subijciens, & in seruitutem redigens, quócunq; se uertisset. Caramanus namq; cum audisset Pannones petere bello Amuratem, & ipse hostili animo contra ipsum profectus est. Itaq; cum ab utraq; regione hostis accederet, Amuratis exercitus distrahebatur, & infirmior reddebatur. Cum igitur maximum impenderet Amurati bellum, sibi utile fore ratus, fœdus cum Pãnonibus pepigit: omnemq; belli tempestatem in Caramanum auertit. Caramanus ne uim regis experiretur, misit legatos petitum pacem, quibus mandarat ut dicerent, se paratum esse seruire Amurati, quandocunque sua opera indiguisset. Sin promissis parum fidei haberet, se obsidibus & cæteris, ne quid dubitaret, cauturum. Hæc quidem Amurati in Asia acciderunt. in Europa uerò à Peloponnesiacis principibus quid in regione eius euenerit, nunc dicetur. Vt enim Theodorus, qui postea in regem electus est, uenit Byzantium in regnum suum, Constantinus cognomento Dragosis in Peloponnesum aduenies: & assumens fratris re-
B gionem, inter cætera & Spartam quæ uergit ad montem Taygetum, & propemodum uniuersam Peloponnesum, præter Thomæ, qui frater erat regis, regionem uniuersam obtinuit. Etiam Isthmum muro includere parabat, nec cessabat regis regionem, quæ extra Peloponnesum est, ad defectionem solicitare. Bœotiam & Thebanorum urbem, uniuersamq; Bœotiam in ditionem redegit. Atticæ tyrannus siue princeps nolebat cum eo pugnare, uerùm tributum se quotannis ipsi pensurum promittebat. Hinc fœdere icto in amicitiam receptus est. Pindum quoq; occupauit. Hunc montem Blaci incolunt, quibus eadem cum Dacis est lingua: nec quicquam ab Dacis, qui Istrum accolunt, differre cognoscuntur. Aduenientes igitur ad istum ducem, semetipsos ei dediderunt, & deinceps bellum gerebant cum Turcis in Thessalia habitantibus, accipientes ducem ab Peloponnesiaco principe. Leodoricium oppidulum in Locrensium regione situm, et Pindo adhęrens uersus Phandrum urbem principem à rege accipit. Hunc montem, quà se in Achaiam porrigit, inhabitant Arabæi uiri Albani, quibus permissum est ab rege patriam suam regere regionem. Hi quoque ad Græcos deficiebant. Contrahens igitur uniuersam Peloponnesum in Isthmum, muro eum cingere instituit. Opus autem istud maturauit accersito fratre, qui & ipse regionem sub se habebat. Vniuersos igitur huc congregans, murum diuisit, & singulis tantam quantam breui extruere possent partem, assignauit. Murus Isthmi cum iam esset absolutus, exercitum misit, qui regis regionem popularetur, & ex professo cum rege bellum gerebat. Nec multo post † Amures Turachanis filius assumpto Thessaliæ exercitu, impetum in Thebas & Atticam dedit. Quibus uastatis, reuersus est magna præda onustus: Nerius Athenensium princeps, ut uidit Turcorum res denuò exoriri, & pristinam felicitatis formam recipere, legatos misit in Ianuas, petitum pacem, ut qui uelit cum eo

† Alij legunt Homores.

fœdus inire, & tributum, quemadmodum anteà, quotannis soluere. Rex Amurates legationem benignè audiuit, fœdus q; & pacem dedit, hac conditione, ut quotannis, quemadmodum anteà, sibi tributum ferret. Nerius iste à Florentia, quę Tyrrhenorum est metropolis, ad Atticę principatum hoc modo processit. Antonius namq; Rainarij filius, hunc simul & fratrem accersens à Florentia propinquos & cognatos suos, secum eos habuit, uictum eis & necessaria ministrans. Postquam autem Antonius apoplexia in somno ictus expirauit, uxor eius misit legationem ad regem, ut sibi & ei qui in ea ciuitate erat optimus, principatum committeret. Is erat mulieri propinquus genere, & noster pater: quem misit ad regem cum immensa pecuniæ ui, ut sibi principatum Atticæ regionis & Bœotiæ traderet. Vt autem egressus urbe iter ad regem ingrediebatur, qui in urbe erant potentissimi, odio Chalcocandylis moti, uxorem Antonij dolo deduxerunt ex arce: & Antonij propinquos in principatum promouerunt: uxoris q; genus urbe expellentes, ipsi ciuitatem tenuere. Affinitatem uerò iungentes cum uxore Antonij in filio adoptiuo, uiro haud improbo, in arcem redierunt. Nec tamen multo pòst expellentes mulierem, Acropolim occuparunt, et rempublicam obtinuere, expulsa nostra familia. Chalcocandyles ut uenit ad regem, captus & in carcerem coniectus est, iussus reddere regionem. Cum autem polliceretur triginta millia aureorum, nec sic quidem quid efficere potuit. Acceperat interea regem exercitum misisse contra Bœotiam, ut Thebas urbem occuparet. Ipse interim haud cessabat sedulò agere, si cubi fugæ daretur occasio, ut aufugeret Byzantium. Quæ ubi primùm oblata est, relicto tabernaculo & iumentis, profugit Byzantium: ibiq; conscendens nauim, soluit in Peloponnesum. Naues igitur Atticę regionis principum per mare oberrantes, nauem fugientis capiunt, & ipsum Chalcocandylem uinctum perduxerunt ad regem. Rex ei delictorum ueniam dedit, nihil eum propter delicta culpans. Cum autem ipsi poscerentur triginta mille aureos, responderunt se eos nequaquam posse soluere. Hinc regio eorum populationibus grauiter diuexata est ab Turcis, qui in Thessalia morabantur. Nerius autem princeps cum iam ab initio foret imbellis & effœminatior, per insidias à fratre Antonio principatu deturbatus est. Mortuo tandem Antonio, Nerius Florentiam ueniens, in principatum restitutus est. Ea tempestate, quia seria arma iunxerat Nerius Græcis, ipsius regio ab Thessaliæ duce euastabatur. Cum autem grauissimè populationibus urgeretur, tandem necessitate subigente pacem cum rege fecit. Græci audientes pacem inter Atticæ principem & regem conuenisse, continuò arma contra Athenienses capiunt. Princeps nuncio misso indicauit regi in quanto periculo hæreret, uidelicet Græcos urbem obsidere, eamq; summa ui, ut capiant, niti. Turachanes igitur Thessaliæ præfectus mittens nuncios ad regem, eum hortabatur ut bello Peloponnesum lacesseret. Sed hæc longo tempore demum contigere. Verùm ea tempestate ab duce Peloponnesi regis fratre, quemadmodum diximus, in seruitutem redactus est. Inter Græcos & in Peloponneso hæc acta sunt. Quid uerò egerit rex Constantinopolitanus, in sequentibus declarabitur. Nam hic ut accepit Pannones abijsse, & fœdera, impulsu Georgij, cum Amurate sanxisse, legatos misit ad Romanum pontificem, consulentes, quòd si triremes & naues aduentarent in Hellespontum quibus præcluderetur Amurati in Europam transitus, Amuratem facilè debellari posse. Si enim Europæ exercitus solus apud Amuratem relictus fuerit, haud pugnare aduersus Pannones uolet. Legati ire iussi sunt ad Gallos & Burgundiæ ducem, in memoriam reuocantes cladem, quam perpessi sunt sub Paiazite imprudentia Sigismundi. Eam cladem, si mo-

dò

A dòuelint, Turcis reddi posse. Adiuuerunt itaque Romanum Pontificem, & triremes impleuerunt decem, quas in Hellespontum misere. Etiam Pontifex decem triremes instruxit, & militibus compleuit, & ad regem Ioannem misit, quasi facturus quæ rex imperasset. Venientes igitur in Hellespontum, prohibuerunt Europæ accessu Amuratem. Hæc autem acciderunt iuxta maritimam Macedoniæ regionem, uersus Ionium. Cum fama uolaret, Pannones in armis esse, & aduenire in Europam, ut inde ejicerent Turcos & Amuratem, iamq; omnes bellum expectarent haud dubiè imminens, quia longè latéque rumor increbescebat, Pannones exercitum conscribere, & Hellespontum iam ab Occidentalibus esse occupatum: singuli animum intendebant ad recuperandam patriam regionem, quasi eam nacturi, utcunque tamen alea belli cecidisset. Zenempisas igitur ab Macedonia proficiscens, assumptis qui isthic habitabant, Albanis, pergebat per Argyropolichnem, & planiciem eam Castoriam usque subegit. Therizes Berrhœæ princeps colligens Azinis Scythas, nec non Turcos regis, attractis etiam plurimis ex Therma & Limna Perræorum: quibus fretus, Zenempisę obuiam progressus est. Festinãs autem, imparatos hostes, cum adhuc in Castoriæ regione uersarentur, oppressit. Albanorum plurimos necauit: Zenempisem ducem peremit, & alios complures. Hæc quidem in Europa euenerunt. Et ubique tumultus erat, cum singuli ad sua recipienda properarent. Turcos magna incesserat formido, putantes se perituros Pannonum & finitimarum gentium Marte. Vbicunque igitur poterant, mœnia & muros firmabant, expectantes quem nam præsens tumultus exitum esset habiturus. Legatus, qui uenerat à Pontifice Romano, Iulius nomine, cæterùm Cardinalis & uir bonus,
B & Romanæ eruditionis admodum peritus, Pannones ad bellum suscipiendum aduersus Turcos cohortabatur: & iusiurandum, quod maximum erat in fœdere, ex Pontificis mandato soluebat, quod & coram omnibus legebatur. Deinde impetu quodam ferebantur aduersus Europam, putantes seipsam destitutam auxilio, Amurate absente, & in Asia moras nectente, occupaturos. Pontificis namq; triremes in Hellesponto erant, nec sinebant Amuratem in Europam transire. Præterea Græcorum rex nunciabat, Amuratem non posse trajicere in Europam, etiamsi omnia conetur, omnem quelapidem moueat. Pannones etiam pacem fecere cum Boemis propter eam dissensionem qua illi moti fœdus cum Amurate inierant. Boemi igitur & ipsi accingebantur ad præsens bellum. Nam propterea pax conuenerat. Quia pulchrum uidebatur, ut in præsentiarum discordias ponerent, & simul iunctis copijs bellum Europæ inferrent. Adhibuerunt in belli societatem Dacos & Draculem, Myrxis filium, qui ipse aderat promptus & auxiliaris ad id bellum, offerens decem millia equitum. Georgium Tryballorum ducem ad belli societatem incitabant: uerùm monitionibus non acquieuit, dicens eos impia & nefanda patrare, fœderum religionem uiolantes, & priores iniuriari incipientes. Sperabat se satisfacturum regi Pannonum, quòd non in belli societatem uenisset, pecuniaria mulcta. Indicauit tamen regi, eumq; diligenter monuit, ne bellum moueret contra Turcos, quorum magna potentia esset: eos haud facilè à Pannonibus subigi posse. Cernebat namq; Georgius, non eum esse belli apparatum, ut Europam obtinere possent. Plurimi namq; in ea agebant Turci, in castris tantum non educati, qui que plerunque non aliunde quàm ex bellis uictum pararent. Genus autem hoc hominũ, cum ad desperationem adactum fuerit, uirtutem memorabilem ubiq; ostendere solet. Præterea ostendit Ladislao, Turcos plurimum rebus bellicis reliquas gentes excellere. Ladislaus his nihil persuasus, ab Ardelio profectus, Istrum traiecit, & copias omnes transportauit in regis regionem, & ibi castra metatus est iu-

xta Euxini maritimam Dobrodicis Mysii regionem. Hinc castra mouentes, Calliacrem & Barnem urbes obsidere & oppugnare aggressi sunt. Barne pactionibus in ditionem accepta est. Calliacre uerò ui capta est, Pannonibus ascendentibus impigrè murum, & impetu in eam irruentibus. Hanc ubi occupassent, & diruissent, nec non fœdè diripuissent, plurimis abductis mancipijs, profecti sunt rectà ad Byzantij & Orestiadis regionem. Hęc quidem egerunt Pannones. Amurates Mechmetis filius bello petens Caramanum eius regionem populatus est: & iumentorum pecorisque prædas agens, Conij arcem obsidione pressit. Caramanus ad montes regionis confugiens, ibi morabatur, uolens, si hostis accederet, eum fortiter repellere. Tandem legationem misit ad Amuratem, promittens obsides, nec non filium suum, quem in Ianuas regis mittere uelit. Addebat, se duplo maius quàm hactenus, regi tributum quotannis persoluturum. Caramanus cum his conditionibus pacem peteret, fortè aduenit ad regem nuncius ab Tryballorum duce missus, referens Pannones transgressos esse Isthmum. Hoc igitur nuncio nonnihil territus, petitionem Caramani admisit, & cum eo fœdus iniit: acceptisq; obsidibus & filio, exercitum abduxit. Cum intelligeret Hellespontum teneri ab nauibus Italorum & Occidentalium, anxius animi erat, cum haud satis constaret quo pacto in præsentiarum in Europam transuehi posset. Nec tamen exercitum, summa celeritate adhibita, ad Hellespontum ducere omisit, ut naues hostium, si adnauigarent, bombardis & reliquis tormentis abigeret. Est autem iste locus Propontidis angustissimus. & turris ibi est in Asiam recedens, quę Sacra nominatur: ut neutrò sic coeat, ut ab continente submoueatur. Cum igitur huc uenisset, in animo agitans Europæ & Asiæ exercitum in Europam transmittere, triremes non amplius inuenit. Nam uentus, qui coortus erat admodum ualidus, haud sinebat naues in Propontida nauigare. Is uentus multis regnauit diebus, nec naues ullo modo contra ipsum niti poterant. Amurates igitur cum hostium triremes non amplius adessent, per ocium ipse simul cum uniuersis copijs in Europam transportatus est. Cum transuectus esset cum copijs suis, ad Byzantij regem nuncium misit, qui diceret se saluum & incolumem cum uniuerso exercitu transuectum esse in Europam, & pergere contra hostes. Proinde ne cunctetur quàm celerrimè conscripto exercitu subsidio uenire.

LIBER SETIMVVS.

GRAECORVM rex, ut audiuit quæ adferebat nuncius Amuratis dolebat animo, quemadmodum ueri simile est, quòd eum transitu prohibere nequiuisset, uerùm absque prælio transiisset, & per ocium copias traduxisset omnes. Hęc quidem molesto ferebat animo. Deliberabat autem, quid in præsenti rerum statu potissimum ageret, bellum ne siue pacem Amurati nunciaret. Nam si pacem cum Amurate retinere instituisset, fore ut ei per Ponti regionem exercitus ductanti cogeretur commeatum & necessaria præstare. qua re se maximè offensurum Pannones iudicabat: & hinc maximum sibi imminere periculum à Pannonibus, si Amuratem deuicissent. Videbatur igitur eo tempore cõsultissimum fore, sequi Pannonum partes, & bellum Amurati inferre. Chatites Priami filius Amuratem non omnium, quemadmodum eius literæ indicant, certiorem reddidisse uidetur. Amicus

A micus etiamnum ea tempestate erat Græcis, & uolebat hos quàm minimè ex aperto bellum gerere cum rege, prius quàm satis exploràssent, quónam bellum esset erupturum. Amurates igitur, cum contra ipsum rectà pergerent hostes, arma bene instructus capiebat: & exercitum Europæ uniuersum congregatum accipiens, singulos ad bellum fortiter suscipiendum cohortabatur. Sequutus igitur Pannonum exercitum, noctu eò loci castra muniebat, ubi hostes præterita die castra posuerant. Similiter cum dies illuxisset, haud longè ab Pannonum castris & sua locabat. Hoc faciebat per dies quatuor, ut posset contemplari hostium multitudinem, nec non quis eorum esset ad id bellum animorum habitus: An essent formidulosi, & proinde citò omissuri eam expeditionem: an audacia freti, nihil metuentes, profectionem facerent: præterea an omnia in castris eorum ordine gerantur. Abundent'ne commeatuum copia, uel secus. Hæc omnia quis facilè explorare potest, si subinde hostilem sequatur exercitum. Exactissimè etiam cognoscat hoc modo, audaces'ne siue timidi sint. Præterea an inter se consentiant, si agmen sit iter ingressurum, aut ingrediatur. Hæc quidem per quatriduum explorare haud cessabat Amurates. Quinto autem die Ioannes Choniates ut sensit subsequi regis exercitum, deliberat, adhibito in consilium & Pannonum rege, num ibi uelint prælij aleam experiri, & sic ulterius proficiscí: aut prælium detrectantes, ulterius progredi, hostilem regionem occupantes. Decreto igitur facto, pugnandum esse, hostium aduentum expectarunt. Amurates igitur adueniens, castra in eodem communit campo. Peregínos primò locauit, qui per circuitum ferra magna defigebant, & in hunc modum ab Ianuis quasi circulo ambiebatur rex. Ferra illa, quócunque cum exercitu proficiscitur rex, portant cameli, nec non peregrinorum arma. Si prælium occipiendum est, arma inter milites distribuit. Post hos scuta collocauit, & ante scuta camelos suos constituit. Hic ordo Ianuarum est. In medio autem consistunt ipse rex, & familię eius duces, nec non quotquot sibi de Ianuis in exercitu præstò sunt. In proximo statuitur Europæ exercitus: cui præest dux insignis nomine Carazies. Is autem exercitus distribuebatur per manipulos, qui paruis interstitijs dirimebantur. Asiæ quoque exercitus in aciem educebatur, & à fronte locabatur in manipulos segregatus, ut se mutuò adiuuare possint, si quid periculi ab hoste ingruisset. Nam equestres copię nõnisi in turmas separatę, hosti opponi possunt. Cum interim pedestres pulchrè in cornua aptari possint, equites uero minimè. Pannones interim haud ocio torpebant, uerùm et ipsi aciem exornant per turmas, & tribus suas. Pannones in dextro, Daci in sinistro curabant cornu. Ioannes Choniates habens Phazen, id est eos qui Bitaxides uocantur, proficiscebatur contra Asiæ ducem. Plurimi Asiani haud sustinentes Pannonum impetum, antequam ad manus uentum esse, fugam arripiebant. Fugientes persequebantur Pannones, tandémque dispersi fugientibus inhærentes, Asiæ exercitum terga dare coegerunt. Regi relinquebatur Europæus exercitus, qui adhuc stabat nec quoque fugerat, expectans hostem. Manifestum enim esse reor, quantisper manserit rex, tantisper etiam Europæ exercitum consistere. Qui etsi hostibus non restiterit, uerùm in fugam abierit, attamen in regia castra reuertitur. Nam istud hominum genus nouimus post Scythas pastores maximè fugere, séque in fuga facillimè colligere, & prælium redintegrare. In fugam uerò uersi facilè seruantur. Daci inter pugnæ tumultum cum cernerent Albanos in fugam effusos, nec sibi temperarunt: uerùm in regios thesauros conuersi, eos, & regni opes diripuerunt, nec non regium cubiculum, interfectis camelis, cum sese mutuò ad istam rem usque cohortarentur. Occupati isto opere cum forent, prædandí que iam obrepsisset satietas, haud in prælium redíbant, nec

ulli parère uolebant, sed in castra sua reuertebantur. Ioannes cum fugasset Asianum exercitum, accedebat ad regem Ladislaum, eumque diligenter monebat, ut eo loci cum suis militibus subsisteret, nec eos quoquam abire pateretur, ut sibi redeunti in pugnam contra Amuratem, si quid periculosius ingruisset, refugium tutissimum, quò se reciperet, esset. Præcepit quoque Ladislao, ut obtestaretur milites qui secum erant, ne se loco mouerent, uerùm in ijsdem uestigijs hærentes expectarent, donec fuso, fugato, uictoque Europæ exercitu, uictor reuerteretur: & donec prælium, quod nunc solum cum Ianuis reliquum sit, conficiat. Hæc cum dixisset, confestim accingebatur, ut prælium committeret cum Europæ exercitu, qui ad sinistram regis instructus stabat: & manus conserens, aliquandiu pugnabat. Pugnæ autem hæc facies erat. Cum uentum esset ad manus, Pannones Turcos fugabant, eosque usque ad castra persequebantur. Turci conuersi, deinde Pannones insequebantur: nec à persequutione cessarunt prius, quàm & eosdem ad castra compulissent. Si quando Pannones uictoria fruebantur, Turcos persequebantur acerrimè, plurimique cadebant, obtriti à Pannonibus. Etiam Pannones aliquando, quamuis plurimi forent, cum rubore retrò gradum ferebant. Cecidit ibidem Carazites Europæ dux, Pannonico gladio trãsfixus. Solent enim Pannonici gladij uulnera dare, quæ nihil differunt ab istis quę facere consueuerunt hastę. Gladij namque Pannonum & Germanorum longi sunt, & acuti, nec librato ictu feriunt, quemadmodum barbarici & Italici. Barbarici gladij (& eiusmodi utuntur Turci) ponderosi sunt admodum, unaque tantum parte scindunt. Nec scio gladios quorum acies altius in corpora penetret. His comparantur gladij Italici, qui quondam Græcis in usu fuere. Germanici & Pannonici gladij longi & rotundi, nec non interdum quadrati sunt. aciem habent acutam, & in mucronem oblongum desinunt. Vulnera infligunt, si quis ijs utatur insidens equo, talia, qualia hasta dari solet. Pannonico gladio transfossus expirauit Carazies. Nunc quid penes Ladislaum regem Pannonum acciderit, dicetur. Erant apud hunc regem uiri complures, qui inuidebant Ioanni, eiusque uirtutem ægris ferebant animis. Videntes igitur eum pulchrè & decenter bellum administrare, & in fugam egisse Asiæ exercitum uniuersum, nec non generosissimè dimicare contra Europæ exercitum, cuius ducem Carazien nomine peremerat, sic alloquuti sunt regem: O rex quid heîc consistimus, & expectamus Ioannem, eique quasi solus uir sit, permittimus hostes uincere, & reliqua omnia perficere? Infamiam maximam nobis importat, dum heîc ocioſi tempus terimus: seruum uerò tuum sinimus festinare & pugnare contra hostes. Oportebat sanè regem nobis adiunctum militaria facta edere, quæ plurimum laudis merentur apud uxores nostras, & apud eos qui urbes nostras inhabitant, nec non apud Turcos. Verùm ille in fugam uertens tantam hominum multitudinem, gloria potitur immortali: tibi autem heîc stanti, & singula spectanti, ignominia relinquitur: quam etiam ad posteros transmittes. Nec enim est ut uereare Ianuarum milites nos accedentes fortiter suscepturos, cum ab Ioanne adeò facilè Asianus exercitus fugatus sit: uerùm fugam, ne dubites, inibunt. Agè igitur contra Ianuas regis pergamus. Cum enim sis rex, ut cum rege congrediaris, honestum est. Hæc cum audiuisset rex adolescens, (magna enim ista oratio pollicebatur) quàm citatissimo agmine contendit ad Ianuas ubi Amurates stabat paratus ad prælium: & fossa munitus expectabat, quis prælij euentus esset futurus. Pannones adorti sunt peregrinorum coronam, qui & ipsi fortiter inter castra prælium pro Amurate ciebant. Ibi equus, quo uehebatur Pannonum rex, securi feritur, & pedes uulneratus corruit unà cum sessore. At qui proximè steterant (tantus prælij tumultus erat) non senserunt casum regis. Peregrini uictoria po-

potiuntur, caputq; Pannonum regis retulerunt ad Amuraem. Nomen autem peregrini, qui id facinus memorabile ediderat, erat Therizes, qui insigne uirtutis præmium apud regem consequutus est, eumque in maximo honore habuit. Ferunt, Amuratem, cum Pannones irruerent, & fortiter dimicarent, fugam inire statuisse. Antequam fugam arriperet, uisum esse à uiro id moliri regem: qui regem conuicijs lacerans, ut qui nequaquam honestè ageret, si fuga sibi consuleret, cum retinuit. Nec multo pòst caput regis Pannonum abscissum, allatum est in castra ad regem Mulsamanorum. Pannones cum cederent, regem suum quæritabant. cum autem comperissent eum in acie cecidisse, & obtruncatum esse, in prælium redeunt, uolentes mortui corpus tollere: nec tamen Turcos uincere quiuerunt. Hic rumor ut deuenit ad Choniatem, & ad reliquos, qui hunc comitabantur, excesserunt prælio. Cum autem retrò cederent, et palantes nullo ornatu iter facerent, omnia exactè expiscabantur. Rebus omnibus cognitis, non ad castra properabant, uerùm rectà ad Istrum contendebant Choniates, & Daci. Etiam Pannones, qui regem sequuti fuerant, fugam arripuere, cedentes nullo ornatu. In hoc discessu interfectus est ab Turcis Iulianus Cardinalis, uir optimus. Ceciderunt ibidem & alij boni uiri complures. Daci etiam aliquot desiderati sunt. Ioannes cum ad Istrum uenisset, exercitusq; traduxisset, dispersi sunt milites. Cum ipse stipatus paucis incederet, captus est ab suo hoste Dracule Dacorum principe. Nam Choniates antea huic inter Pannones aduersatus erat, in conspectu regis Ladislai: & iter faciens ex Dacia, & Istrum transiens, cum copijs, urbes eius diripiebat. Præterea detulit eum apud regem Ladislaum, quasi faueat Turcis, & res Amuratis sedulò adiuuet, subinde Pannonum consilia ijs significando. Verùm Dracules in eum irruit ira percitus, quasi eum interfecturus. Sed pecunia tantum effecit, ut incolumis dimitteretur, & inuiolatus. Cum autem iret per Daciam, captus est ab Dracule, à quo in carcerem coniectus est, eum ulcisci in animum cum induxisset. Pannones in patriam reuersi, cum accepissent Ioannem esse captum, id graue & intolerandum iudicabant. Haud enim ferendum censebatur, ut uir Pannonius & in dignitate collocatus, ab Dracule caperetur. Quapropter miserunt legatos, qui iuberent, ut dimitteret Ioannem. Sin minus, sciat nos eum pro hoste habituros, & cum uniuersis copijs nostris contra ipsum profecturos. Hæc cum nuncia rentur à Pannonibus, sibi suisq; metuens Dracules, ne quid furiosius consularent, & hostiliter accedentes uirum ui eriperent, Choniatem dimittere decreuit. Benigneq; eum tractans, haud cessauit eum comitari per Prasobum Ardelium usque ad Pannones. Draculem autem haud multo pòst Choniates, cum expeditionem pro Dano Dacię principe susceperit, una cum filio peremit. Nam conscripto exercitu, Danum Masarempis filium in Daciam reducere parabat. At Dracules unà cum filio repugnare hostibus statuebat, & præparabantur ambo ad prælium. Etiam ille descendit in aciem. Cum iam acies utrinque instructæ constitissent & poscerent prælium, Daci relicto Myrxæ filio, ad Danum ex acie transfugerant. Qui ubi uidit, se relicto, Dacos transire ad Danum, fugam iniibat: quem fuga sibi consulentem Danus quàm fortissimè persequutus est: cõprehendens que Draculem unà cum filio utrunq; trucidauit. In hunc modum rebus gestis, redibat domum. Nec multo pòst eum ducem & rerũ gubernatorem crearũt cum bello peterẽtur à Germanis & Boemis, eiq; res administrare pro suo arbitrio permisere. Comparans igitur exercitum, profectus est contra Boemos, & longo tempore cum his bellum gessit. Tandem collatis signis pugnãs cum Iscra, uiro in re militari conspicuo, uictus est. Verùm cum denuò cum isto cõgrederetur, uictoriã recepit. Amura-

murates caput regis Ladislai hastæ præfixum cum hincinde misisset, & exercitibus suis ostentasset, collectis omnibus domum reuersus est. In eo prælio Turcorum, quemadmodum ab his accepimus, ceciderunt sex millia. Verùm Pannones aliquanto cæsi sunt plures. In discessu etiam plurimi Daci amissi sunt. Hunc finem Turcica expeditio sortita est. Rerum summa rediit ad Amuratem, cum eos qui in Europa erant, cœptorũ admodum puderet, Therizen, qui Ladislaum obtruncauerat, eiusq; caput in castra attulerat, Amurates regionibus & opibus plurimis donauit, eumq; præfectum constituit. Corpus Caraizis ferens Adrianopolim, magnificè sepeliri curauit, ipseq; exequias honorificè duxit. In huius locum substituit Scuram uirum Albanum, ut Asiæ dux esset, quem captum adduxit ex Albanorum regione, eumq; in sua domo educauit. Primùm declarauit eum præfectum, posteà eum Asię ducem designauit. Phatumã honore siue dignitate sua priuans (erat enim regiæ domus iudex) Saraxiem uirum Græcum genere, in eius locum subrogauit. Potentiam autem maximam tenebat Chatites Priami filius, quo in Ianuis regis uir prudentior non erat. Nec multo post Amurates Phatumam comprehendi iussit, opesq; omnes ei ademit, quarum numerus complectebatur circiter quinquaginta centum myriades: argenti autem circiter quater talenta. Græcorum rex in fœdus rediit cum Amurate, id'que nec amplius uiolatum est. Nam quietem amplexus est, regemq; Amuratem muneribus coluit, ut nihil mali contra ipsum amplius moliri institueret. Fœda autem contentio erat inter regẽ Græcorum & fratrem Theodorum coorta, qui Byzantium uenerat, ut regnum à fratre susciperet. Is se pro rege gerebat, fratriq; resistebat. Postremò ex aperto inter se hostiles inimicitias gessere. Nam expeditionem sumpsit aduersus Byzantij regem Theodorus frater, cui Silebria & regio finitima commissa erat. Cum enim peteret redditus sufficientes, quibus uitam suam commodè sustinere posset, repulsam passus est. Hinc bellum inter ipsum & fratrem est exortum. Prius tamen, quàm quicquam bellando profecisset, uitam suam corruptam relinquens mortuus est. Amurates autem Peloponnesi dux regionem regis, subijciens Pindum, Bœotiam, Locros Ozolos dictos, etiam euastabat, haud cessans ponere bellum. Præterea contra Atticam exercitum duxit, ut suprà meminimus. Quæ cum singula occupasset rex, haud diutius ferendum ratus, præcepit ut Asianus & Europæus exercitus ad se Pherras, relicta Adrianopoli, uenirent. Incitauit autem eum Neres Athenarum princeps, necnon Turachanes Thessaliæ præfectus, ut exercitum rectà ad Peloponnesum ductaret. Constantinus Isthmum muro includens, eundem etiam præsidijs emuniens, plerunq; ibi uersabatur. Vbi intellexit Amuratem hostiliter cum exercitu accedere, omnes quotquot in Peloponneso erant, accersiuit, nec non fratrem suum, qui eo tempore nuptias filiæ suæ concelebrabat. Nam eam elocauerat Tryballorum principi filio Eleazari. Hi igitur accersiti in Isthmum adueniunt, murum'que firmant, ut esset propugnaculum munitissimum ad propulsandos hostes. Amurates accedebat, & non cessabat copias suas augere, assumens ex omnibus regionibus, quas permeabat, milites. Venit igitur Thebas, quò uenerat cum exercitu Neres Atheniẽsis, ut iuuaret eum aduersus Peloponẽsiacos. Cum itaq; peruenisset Mingias castra metatus est, ibiq; aliquot diebus moratus est, ut bombardas & funes ad præsens bellum pararet. Deinde mouit in Isthmũ, ubi & castra cõmuniuit, quæ utrinq; mare, tanta eorũ magnitudo erat, attingebãt. Speculator Peloponẽsiacus cũ rediisset ad suos, regis copias, iumenta & camelos annunciauit. Nec silentium tenere potuit, uerùm sic alloquutus est principẽ: O' domine quantũ periculi conciuisti Peloponneso

bellum

bellum ſuſcipies cum tanto rege, qui Aſiam, uniuerſamq; Europam contra nos ducens, non ſatis ſpacij ad exercitus locandos inuenire poteſt? Neq; hoſtem ſuſtinere poteris, etiamſi duplici muro Iſthmum amplexus eſſes. Sed quæſo te per Deum immortalem, legatos mitte quamprimùm: & ad pacem pangendam regem hortare, ne infeſtus accedens, nos malos prorſus malè comminuat. His auditis, princeps ira exarſit, iráque incenſus ſpeculatorem in carcerem duci iubet, ut tandem quid euenturum eſſet, audiret. Miſit quoque legatum ad regem, qui nequaquam nomine principis ſatis moderata petebat. Volebat namque princeps ſibi tradi Iſthmum, & regis regionem, quę extra Iſthmum erat, quam armis ſubegerat, uniuerſam habere audebat. Verùm propterea pœnas regi dedit: legatumq; capiens Pherris in uinculis habuit: ipſéque cum medium hyemis foret, contra Peloponneſum copias duxit. Legatus ille Chalcondyles Athenienſis fuit: quem cum in uincula unà cum miniſtris dediſſet Pherris contra Peloponneſum perrexit. Amurates cum in Mingijs caſtra poſuiſſet, optimates exercitus, qui numero erant ſex mille, aſſumpſit, & Iſthmum circuiuit, ut uideret murum, numquid præſidij in eo ſitum eſſet ad reſiſtendum. Et quidem grauiter ſuccenſebat Turachani, quia cum ipſe cenſuiſſet æſtate bellum inferendum eſſe, is hyeme rem incipiendam ſuaſiſſet, quaſi Peloponneſiaci non eſſent uim hoſtilem expectaturi, uerùm continuò fugam ingreſſuri, ubi primum accepiſſent Amuratem hoſtiliter accedere. Diebus etiam aliquot ea gratia cunctatus eſt Amurates, quaſi princeps Peloponneſi illico deditionem eſſet facturus. Verùm cum hæc ſpes fefelliſſet, deſcendens, caſtra ad murum tranſtulit. Die deinde poſtero princeps exercitum bombardis longis petiuit. Sequenti die eos qui murum defenſabant, tentarunt machinas muro admouentes. Quarto die tempore ueſpertino ſinguli iuxta tabernacula ſua ignes fecerunt quàm potuere maximos. Nam Turcorum eſt conſuetudo, ut ignes plurimos parent, biduo antè eius diei in quem pugna collata eſt. Hymnum quendam canunt in honorem Dei & Herois, ſignificantes quòd tertio ab hinc die prælium committere uelint. Tunc igitur ignes excitantes quàm potuere plurimos, accingebantur ad oppugnationem muri. Quarto autem die Sarrachorides, qui inter cæteros inutilis ſunt turba, funibus machinas ad murum traxerunt. Nam præter exercitum, qui regem ſequuntur, adſunt & alij complures, qui frumentum à finitimis in caſtra ſubuehunt. Sunt in caſtris & alij ex Aſia oriundi pedites, qui Agiades nominantur, quorum opera rex utitur ad itinera purganda, & ad caſtra communienda, nec non ad alia quibus in caſtris opus eſt. Arbitror autem caſtra huius regis pulcherrimè omnium, quæ nos uidimus, & audiuimus, inſtrui, quantum attinet ad copiam frumenti, nec non ad ſitum tabernaculorum. Nam primum omnium mercatores plurimi comitantur regem iſtum, qui frumentum, equos, mancipiaq; emunt, nec non reliqua, quibus indiget exercitus. Hinc rerum omnium exercitui diues copia eſt. Præterea magnates, qui comitantur regem, ſinguli plurima in expeditionem adducunt iumenta. Quidam adducunt camelos, qui arma, frumentum, & hordeum, ut pabulum ſit iumentis ſufficiens, portant. Quidam equos, quidam mulos, quidam tam equos quàm mulos in expeditionem agunt. Horum autem tantus eſt numerus, ut duplo iumentorum numerus hominum numerus exuperet. Comitantur regem alij plurimi ab ſua regione, quorum uſus in frumẽtatione maximus eſt. Si neceſſitas aliqua ingruerit exercitui, alimẽta in optimates diſtribuit, & ſic proficiſcitur. Tentoria quis cernat in caſtris regis plerunq; decem millia, plus minus ue reſpectu expeditionis. Eo quidem tẽpore Sarachorides oppoſiti

Græ-

Deest aliquid exemplari Graeco.

Græcis eos pugnando tentabant * totamq; noctem ducebant in somnem, ut ad prælium Græcos incitarent. Vt aurora illuxit, signa canere iubet rex, cymbala, cornua, tubæq;, pugnam iam fore, maximo sono significabant. Turci instructi occipiebant murum oppugnare quàm fortissimè. Rex & peregrini armati in acie instructa stabãt in medio Isthmi, ubi castra posuerant. Scalas expediebant, murum suffodiebant, fortiterq; prœliabãtur, ut murum occuparent. Huc etiam bombardarios cõsistere iusserat, qui bombardis prospectum Peloponnesiacis adimebant. Bombarda namq; res est admodum uiolenta, nec arma resistere bombardæ impetui possunt, uerùm omnia penetrat: tum etiam magis permeat, quando corpus aliquod resistens fuerit nacta. Siquidem crocum lanamq; non peruadit. Cũ peregrini tam tuti ab periculo starent, scalasq; muro addidissent, murum scandebant eo loci, ubi spectator oppugnationis aderat rex. Primus in murũ euasit, eumq; cepit peregrinorum de numero Chiteres, Tryballus genere: eosq; qui resistebant, in fugam coniecit. Hi autem ordine relicto abibant, cum metus maximus ab Deo & imperitia ipsis incuteretur. Nam formidine agitati, in fugã effundebantur. Præterea illi qui his proximè steterant, nescij quid mali suis accidisset, fugientes abibãt. Tandem omnes deserentes murum, sine ornatu fugerunt. Turci irruentes, quà murus ab Chitere superatus erat, et alij quà murũ suffodientes strauerãt, nec non per portas irrumpebant. Quidam ad castra Græcorum ferebantur, Græcorumq; supellectilem, et reliquam felicitatem diripiebant. Quidã uersi in hostes, quosdam necarunt, quosdam uiuos ceperunt, & ad mancipiorum conditionem redegere. Cædes fugientium edebatur maxima. Verùm quid Græcorum ducibus contigerit, audiamus. Hi ubi conspicati sunt Græcos fugam arripere, primò eos retinere conabantur. Cum autem in fugam effusos inhibere non possent, aufugerunt & ipsi, non tamen Corinthum. Certi enim erant, si obsiderentur Corinthi, se facile expugnatũ iri, cum haud sufficiẽs eò comportatus esset commeatus, nec alius etiam belli apparatus. Celeri autem fuga cõtenderunt ad mediterraneam regionem, iamq; præuenerãt hostes, & in summa Laconia Peloponnesi expectabant quónam profecturus esset rex. Decreuerant namque in mare profugere, & regione cedere, si Amurates cum exercitu aduentaret. Nouerunt namq; Peloponnesiacorum res ab rege planissimè cõtusas esse. Nec arma, nec uiri, nec quicquã amplius memoratu dignum uel in urbibus, uel in arcibus reliqui erat. Nec sperabant in posterum Peloponnesi principatum sub se futurũ, sed augurabãtur se Pelopõnesi res omnes amissuros. Amurates ut Isthmũ occupauit, et in Pelopõnesum uenit, primùm quidẽ circiter trecentos captiuos, qui nocturna fuga, in mõtem supra Cenchreas sitũ, quẽ Oxi uocant, euaserãt, quasi indagine circundari iussit. Omnes capti sunt: doloq; in unum locum abducti, crudeliter occisi sunt. Posteà Amurates emit mancipia numero sexcenta, quæ ad sacrificium duxit in honorem patris sui, uolens expiare cædem uirorum occisorum. His ita peractis, exercitum diuisit. Partem exercitus Turachani Thessaliæ præfecto tradidit, qui rei militaris habebatur peritissimus, & plurimum conuersatus erat cum Turcis Peloponnesi. Dedit eidem de numero peregrinorum mille milites, ut his instructus, profectionem per mediterraneam regionem faceret. Ipse quidem rex per Syrionem iter faciens, rectà in Achaiam cõtendit. Vrbem eo die, quo Isthmus in potestatem uenit, regius exercitus aggressus est, captam diripuit uniuersam. Aberant enim oppidani, profecti in Isthmum. Nec admodũ in munito loco urbs sita erat. Qua propter eam continuò diripuere, & maximam Peloponnesi partem peragrantes, persequuti sunt bello duces, & reliquos Græcos. Cum autem hostium alius aliò, ubi se tutum putabat, palantes dilaberentur,

urbem

A urbem defensoribus uacuam in potestatem redigit, obsidione'que arcem pre-
mere statuit. Erant in ea arce Mulgerius Græcus, & alij quidã Græci nõ multi
cum liberis & uxoribus. Turci igit̃ suffodientes arcem, cum Mulgerius nul-
lam salutis spem affulgere cerneret, semetipsum et arcẽ Amurati tradidit. Hos
quidem cum liberis & uxorib. misit Augiũ urbem opulentã. Ipse uerò ædifi-
cia urbis captę incendit. Quo facto, ulterius pficiscens, uenit Patras Achaię ur
bem opibus florentẽ. Oppidani urbẽ istam deseruerãt, abeuntes in cõtinentẽ
Venetorũ, quæ ex opposito erat. Remansere tamen quidã in arce & in regia:
stulti quidem, cum reliqui sibi fuga cõsulerent, ipsi semetipsos in graue discri-
mẽ præcipitarunt. Erant aũt numero quater mille. Viros igit̃ & mulieres quę
in regia erãt, pactionib. Amurates in fidem accepit, omnesq; in mancipiorum
album retulit. Hinc arcis oppugnationem auspicatus est. peregrinos misit, ut
eam subitò caperẽt. Hi summa ui impetũ in murum dantes, eumq; suffodiẽtes,
in arcem irrupere. Græci resinam & picem incensam per foramina iaculantes,
peregrinos expulerunt acerrimè repugnantes, arcemq; et murum reficientes,
& optimè munientes. Amurates, ubi aduenit Turachanes, uehẽs maximam
hominum aliarumq; rerũ prædam, cum exercitu discessit: nec multo pòst pa-
cem cum Græcis fecit. Ex eo inde tempore Peloponnesus, quæ prius libera
erat, regi tributaria facta est. Thebas Thebani, cum hostiliter accederet rex,
deseruere: & in Isthmum se contulere, quasi ibi habitaturi, qui tamen ab Tur-
cis capti sunt. Exterior autem regis regio, Pindus uidelicet, & reliqua regio,
quam primùm Isthmus captus est, in regis potestatem deuenit. Appetente
iam æstate, Amurates bellum promouit contra Scenderem, Ibanis filiũ, qui
puer uenit in Ianuas regis, eiusq; concubinus factus est. tandem effugit in pa
B triam suam regionem. Ducta deinde uxore Arianitis filia, ex professo bellũ
cum rege gerebat. Nam tributũ haud amplius regi pendebant, nec in Ianuas
ibant, parére quoq; regi detrectabant. Quapropter Amurates conuocans A-
siæ Europæq; exercitus uniuersos, Ibanis regionem bello petere statuebat.
Veniens igit̃ in regionẽ, uastabat uniuersam, uicos, agrosq; incendebat. Fru
mentum, omne mq; cõmeatum comburebat. Omnia quę in ea regione erant,
populationib. dissipabantur. Scenderes igitur ipse, nec non Albani omnes, in
maritimam uersus Ionium Venetorum regionem, uxores & liberos, quo ab
impendẽti periculo tuti forent, exposuerunt, ipsi aũt undiq; per regionem ob
ambulantes, sedulò dispiciebant, sicubi urbes ipsorũ auxilio indigerent. Ca-
stra habuerunt in monte, qui regioni eorum impendet, & in Ionium usq; por-
rigitur: & ibi expectarunt belli euentum. Amurates Sphetiam urbem exer-
citibus circumsedit: oppidanisq; nunciare iussit, si deditionem facerent, se sin
gulos ad sua abire permisurum. At hi conditionem istam non admiserunt.
Quapropter cum peregrinorũ cohorte murum subit: & cum impetu in urbẽ
irrumpens, ea potitur, prędaq; totam exponit. Viros omnes trucidari ius-
sit. Deinde copias duxit contra Getiam, quam pactionibus in ditionem
accepit. Captis autem oppidanis, exercitum Cruam urbem Albanorum pri-
mariã mouit. Vrbs hæc sita est in loco munitissimo. Hanc obsidione cinxit,
murumq; bombardis concussit, eiusq; nõ modicã partem strauit. Deinde per
loca ruinis patentia cum peregrinis irrumpere quærebat, quasi ui eam captu
rus. Cepta autem omnia cum irrita caderent, exercitũ abduxit omnem, quia
æstatis iam extremum erat, et frigus hybernum grauiter exercitũ adfligebat.
Filiũ suum Mechmetem iam pubescentem per castra circumduxit, regnoq;
præfecit. Sic autem ista euenere. Cum pugnaret aduersus Pannones Barnæ,
& exercitus suos ad fugã inclinare cerneret, ualde timuit, putans se mox cum
suis periturum. In hac grauissima necessitate constitutus, uouit, si incolumis
euaderet præsens periculum, & uictoria potiretur, se cessurum regno, & id

commissurum filio, & abiturum in Asiam, ut ibi uitam traducat, admixtus sa- A
cerdotibus & Nazaræis: & culturum frequenter Heroem, cí que immolatu-
rum. Cum igitur Pannonibus uictoriam extorsisset, rege eorum perempto,
domum rediit, filiumq; iuniorem accersiuit ad regni gubernacula. Nam filius
eius natu maximus haud amplius superstes erat, sed naturæ debitum exoluit,
præcipitatus ex equo in uenatione, cum persequeretur ceruum. Is quidem in
hunc modum occubuit. Mechmetem autem iuniorem ad regni moderamen
uocauit. Cum autem uenisset uocatus, regnũ & Ianuas, necnõ peregrinos pa-
ter eius fidei committens, ipse profectus est Prusam, ubi Asiæ sedes regia est.
Abdicato igitur regno, cum Zichidis, qui Turcorũ Nazaræi sunt, & cum Sei
tidis, necnon cum reliquis doctis, conuersatus est. Nec multo pòst pœnituit
uirum, quòd regno relicto, nunc priuatam sequereẽ uitam. Cum autem præsen
tem uitæ conditionẽ haud ferre posset, cõsilia agitauit, qua ratione citra tumul
tum regiam dignitatem reciperet. Sedulò enim præcauebat, ne, si filius senti-
ret quid ipse moliretur, bellum exoriretur, cuius ipse auctor ab Turcis habe-
retur. Quæ quidem facere instituit, ad finem deduxit, uidelicet ut rediret ad
regnũm opera & industria Chatitis filij Priami, quo familiariter utebatur, &
cum quo ei arctissima intercesserat necessitudo. Chatites ergo ubi sententiam
Amuratis satis intellexit, puerum Mechmetẽ uenatum ire iubet, ut se quàm
pulcherrimè ex equo exerceret. Qui dicto audiens, uenatũ abijt. Interea Cha-
tites nuncium mittit ad patrem, quem subitò dicta die nihil ueritum in urbis
regiam uenire & ius dicere, ut regem, ciuibus iubet. Amurates quemadmo
dum iussus erat, filio uenatione occupato, ad præstitutam diem aduenit. Ad-
ueniens regnum inuasit: ciuibus Ianuisq;, ut regem decet, ius dixit. Filius, ut
accepit, patrem mutata uoluntate regnum recepisse, ne sciens quid ageret in
præsenti negocio, tamẽ accessit, patremq; regem adorauit: eumq; secutus est, B
quocunq; militatum abijsset. Nec latuit Mechmetem, opera Chatitis patrem
quàm maximè adiutum ista egisse. & quamuis Chatiti meritò irasceretur, i-
ram tamen ostendere noluit, ueritus uiri potentiam, qua plurimum pollebat
apud patrem Amuratem. In hũc modum eo tempore propter patris in regnũ
reditum filius affectus erat. Postquam autem exercitũ adduxit ab Macedo-
nia, quæ uersus Ionium patet, quæ Albanorum regio est, per eum annũ in Eu
ropæ regia quietem agens mansit. Ineunte deinde anno iterum expeditionẽ
sumpsit contra Scenderem Ibanis filium, & contra eam quæ isthic sita est Al
banorum regionem, cum iussisset uniuersos exercitus, instructos & paratos
præstò esse. Plenus igitur irarum proficiscebatur uersus Cruam, quasi eam ui
expugnaturus. Præterea in animo habebat expostulare cum Venetis, ut Scẽ
derem traderent. Quod si facere omitterent, se obsessurum urbem quam cunq;
Scenderes fugiens intrasset. Vt regionem hostilem est ingressus, rectà contra
Cruam properabat, & in eam regionis partem, quam antea intactam & inuio
latam ab populationibus reliquerat, suos milites incursionem facere iubet.
Qui dicto audientes, incendijs omnia, ignem injcientes, miscuere. Et hanc re
gionem miserè uastarunt usque ad flumen * Verùm regionem
ultra flumen sitam populari nequiuere, quia regijs equitibus haud erat per-
uia. Albani autem uxores & liberos in munita Venetorum loca ablegantes,
colligebantur in montem, qui Cruæ urbi imminet. Hinc Scenderes educens
uxores & liberos, deponebat eos in urbes Venetorum. Viri uerò relinque-
bantur in urbe, ut resisterent hosti, mœniaq; defensarẽt. & hi potissimum huic
negocio destinabantur, qui uolentes, non coacti, prælium subire cupiebant.
Amurates bombardis expediebat assidens ut murum dissijceret: & deinde
cum peregrinis irrumpens, urbem sui iuris faceret. Omnibus autem, quem-
admodum oppugnatio requirebat, comparatis, murum bombardis feriebat,
eiusq;

* Deest aliquid exemplari Græco.

A eius'que partem destruxit maximam. Scenderes ignes in monte fecit, eosq; suis, qui intra urbem erant, ostendit, ut scirent, quandocunque necessitas postularet, se affuturum auxiliarem. Cum regij quidam ascenderent montem, Scenderes eos aggressus est, prelíabatur'que, opera memorabília edens. Cum autem regi uideretur murum satis esse stratum, uniuersis copijs oppugnationem occipit. Peregrini eò loci urbem capere parabant, ubi murus dissectus erat. Nec tamen superare potuerunt oppidanos, qui præter spem fortissimè pugnabant, cum desperatio animos fecisset. Deinde cum fame urbem perdomare statuissent, denuò copias uniuersas contra urbem in aciem eduxit. Interea nuncius uenit ab Georgio Tryballorum duce, qui nunciabat Ioannem Choniatem, congregatis Pannonibus plurimis, traijcere Istrum, & contra ipsum hostili animo pergere. His auditis, Amurates continuò omnibus impedimentis & sarcinis collectis, ab urbe quam obsidebat digressus est, obuiamq; hosti processit, quà eum uenturum cognouerat. Misit quoque Amurates præconem in Europam, qui ediceret, ut Turci omnes ad regem conuenirent. Qui ubi primùm regis uoluntatem intellexere, citissimè aduenerunt, cum singuli conarentur in tempore adesse, ut pro rege certarent. Hinc cum uniuerso exercitu profectus est in quandam Mysiæ regionem, per regionem Tryballorum. Ea autem regio est, quam alluit Morabas fluuius, & in Istrum effunditur. Hinc se fundit regis regio ad octingenta stadia, usq; ad Nesium urbem regis: ad dexteram procedenti Nobopyrum usq;, ad montem magnum Tryballorum principis colitur. Huc cum uenisset Amurates, inuenit Ioannem Choniatem cum Pannonum exercitu hostili animo aduersum se pergere. In castris Choniatis erant quadraginta millia peditum tam ab Pannonibus, quàm ab Dacis allecti. Septem millia equitum erant, & curri-
B bus uehebantur. quorum numerus erat bis mille. In his arma & necessaria ad expeditionem subuehebantur. In singulis duo uiri stabant, scutifer & bombardarius. In ijsdem uehebantur bombardę plurimæ, quas Zarabotanas nominant. In hunc modum armati & instructi, Istrum transgressi sunt. At Tryballorum dux cernens Pannonum exercitum non adeò esse ualidum, ut copias regis uincere posset, magis que metuens Amuratem, quàm Pannones alienigenas, à quibus multa mala esset perpessus: & quamuis esset admodum cupidus ulciscendi Amuratem, qui filios eius oculis priuarat: attamen haud uolenti animo istam expeditionem adiunctus Pannonibus subibat, imò eam prorsus recusabat. Haud enim Pannones satis firmi uidebantur ad debellandas copias regis. Hæc cum Pannonibus respondisset Ioannes, eo respõso iritatus, graues minas in Tryballorum ducem iactauit. Nec tamen omittens cæptam expeditionem, copias in regis regionem infestas induxit: progressusq; Aristinum usque, castra in Cosobo campo communiuit, ubi Amurates Orchanis filius, cum Eleazaro manus conserens, eumq; interficiens, ipse occubuit, interfectus à uiro Tryballo. Causa quæ Ioannem ad istud bellum traxerat, hæc erat. Cum uidisset in eo certamine, quod Barnę commissum erat, Turcos, ubi primùm ad manus uenissent, cessisse, & fugam arripuisse: putauit Turcos facilè uinci potuisse, ni obstitisset Ladislai regis imprudentia. Nec nunc quidem difficile & laboriosum dicebat Turcos bello domare. Animo igitur agitabat, maiorem comparare exercitum, ut Amuratem copijs perterritum uinceret. Hæc adeò procliuia & facilia factu putabat, ut ne quidem dubitaret, quin, quemadmodum animo concepisset, omnia essent euentura. Missis legatis ad Scenderem & Arianitem, utrumque in Europam progredi, & sibi coniungi iubebat. His sic præceptum est. Amurates ut in campum Cosobum uenit, ibi castrametatos esse cognoscit Pannones. Proinde & ipse castra munit. Amurates autem in armis dicitur habuis-

se quindecim mille myriades hominum. Postero die confestim accingeba- A
tur ad prælium. Iuxta eum instruebatur acies. In dextrum cornu apta batur
exercitus Asianus, [illegible]ræerat dux nomine Scuras. Sinistrum cornu tene-
bat exercitus ab Europa conscriptus, quem regebat dux Carazies. Iuxta
utrosque ponebantur equites cum suis ducibus. Mediam aciem occupa-
bat rex. Quando autem Amurates castrametatur, primò castra uallo firmat.
Deinde camelos locat: dein scuta defigit, deinceps peregrinos cum bom-
bardarijs necnon reliquis collocat. Rex ubi aciem exornauerat, etiam Cho
niates suos in aciem educit, eam'que hoc pacto instruit. Dextrum cornu te-
nuere Pannonum præfecti, necnon patrueles Choniatis, Secules, & Eilo-
ces, Megalusesque. Mediam aciem curabat Choniates cum Bitezidis mi-
litibus, & Ardelij exercitu. Sinistro cornu præfuit Danus Choniatis amicus,
quem in Daciæ principatum produxit odio Draculis: quem Daciæ princi-
patu deturbauit, & in eius locum substituit Danum, cui Dacos parere iussit. Hunc in id bellum sequuta erant octo millia Dacorum. Cum autem u-
trinque acies instructæ stetissent, iam'que prælium poscere uiderentur, ibi
Bitezes, unus è numero Choniatis militum, in medium procursans, & equo
insidens, prouocabat ad singulare certamen unum è Turcis, antequam acies
concurrerent. Turci ubi explorarunt uirum istum processisse, ut certamen sin
gulare committeretur, constitere & ipsi. Hinc continuò ab Turcorum exer-
citu proficiscebatur Eliezes filius Barizæ de numero præfectorum Asiæ ui
ri illustris, & in re militari excellentis, qui quondam dux extiterat peregri-
norum in Ianuis regis. Hic, ubi in medium processit, obuiam pergebat Pan-
noni. Et cum hastis infestis concurrerent, hastæ fractæ sunt. Et Bitezes una
cum equo in terram corruit. Eliezes conscisso pectorali, & zona cum ephip-
pio soluta, postremę e, qui parti insidens uehebatur. Huius enim equus longè B
melior erat altero, nec tamen lapsum Pannonē perimere quiuit: quia ipse quo
que ægrè & difficulter equo portabatur. Pannone in terram ex equo effuso,
clamorē maximum sustulit Amuratis exercitus, cum bonum id quasi omen
rei gerendæ ducerent. Cum uterq; ad suum exercitum esset digressus, ibi tum
Amurates Eliezem ad se uocatum in hunc modum alloquutus est: O puer,
ex quibus initijs tantam rei militaris nactus es scientiam, cum certò constet
te antehac nulla fecisse stipendia? Nunc autem rerum bellicarū imperitus cum
huc accesseris, ita pugnasti in hostem, quasi fastigium rei militaris attigeris. Ibi
tum adolescens respondit: O rex, lepus me hanc docuit fortitudinem. Rex
rei nouitate ictus, interrogauit: Et quo tandē, quæso, pacto, ô adolescens, quis
ab lepore fortitudinem discat? Adolescens respondit: Ego quidem in Asia e-
ram, & in ea regione morabar, cui patrem meum præfectum præposueras, i-
bamq; uenatum. Fortè in nido suo leporem reperi. Putabam igitur satis es-
se, ne lepus manus meas euaderet, eum sagitta traiectum interficere. Lepores
enim Attalia habet cursu celerrimos, uerùm Europa optimos. Hæc mihi co
gitanti in promptu erat pharetra quadraginta sagittis onusta. Primam itaque
sagittam mittens, aberraui. Secundam itaq; sagittam expediui, quam simili-
ter in leporem iaculatus sum. Et hæc errore abducta, leporem nihil læsit: ue-
rùm adhuc maximè stertebat. Iniquo igitur ferens animo, quòd leporem non
uulnerassem, illicò sagittas omnes in leporem torqueo. Cum autem nulla am
plius superesset, lepus ex somno experrectus, ut primùm sensit tumultum, au-
fugit. Canes modicum fugientem persecuti, eum assequi non potuere. Expe-
rientia igit didici, cum tot sagittæ irritæ cecidissent, quòd fatum uitam lepori
prorogasset. Et exinde ea sententia in animo fixa mansit, ô rex, ut censerem ne
que gladium, neq; hastam, neq; sagittas amplius mihi formidandas esse, qua-
si si fato sit, ordinatum ut diutius uiuam, hasta mihi uitam eripere non possit.

Qua-

A Quapropter pectore forti, nihil trepidans, contra Pannonem iſtum proceſſi, ſciens, ſi fato ſit decretum ut diutius uiuam; nihil periculi poſſe mihi ab eo ingruere. Hæc audiens, mirum in modũ rex delectatus eſt, & adoleſcentem propter ratiocinationẽ iſtam plurimum dilexit, eumq; donauit ueſte Syrio opere auro illito contexta. Præterea patriæ regionis eum principem declarauit. Pater namq; adoleſcentis mortuus erat, alius q; regionem eam adminiſtrabat ex imperio Regis. Turci & omnes quotquot Turcicæ ſuperſtitioni inhærent, plurimum admodum fato tribuunt. Hæc quidem in ea monarchia cõtigere. Cum regij exercitus in campo collocati, ſignis collatis pręliarentur, Aſianus exercitus quietem duxit. Rex enim uerebatur, ſi Aſiani primam coitionem feciſſent, ut in fugam uerterentur, eorumq; fuga etiam cæteros traheret. Quapropter maluit exercitum Aſianum ocioſum & ſpectatorem potius prælij aſſiſtere. Exercitum Europæum in cohortes diſtribuit: & cum Pannones pręlij cupidos accedere conſpicaretur, nec ipſe prælium recuſauit. In hunc modũ congreſſi Europæ exercitus in cohortes ſecretus, pręter ſpem, egregiè & memorabiliter pugnabat. Proinde cum Pannones Turcis appropinquare non auderent, ſumma ui fugiebant. Turci Pannonum equos perſequebantur, & grauiter admodum ea in perſecutione laborabant. Laſſi igitur tandem & fatigati inſequendo hoſtium equos ſagittis feriunt, Pannones que à tergo adorientes grauiter urgebant. Nam Turci numero & equorum generoſitatẽ ſuperabant. Præterea plerunque non impetu, uerùm arte in prælijs utuntur. Quapropter ea tempeſtate Turcorum res meliore ſtatu, quàm Pannonum, erant. Et quidem primo die multi Pannones in pugna cadebant, necnon plurimi Turci trucidabantur à Pannonibus. Per totum iſtum diem æquo utrinque Marte pugnatum eſt. Veſpera autem appetente, relinquentes prælium,
B uterque exercitus in ſua caſtra colligebatur, quieti que ſe dabant. Pannones putabant Turcos noctu abituros, nec amplius in caſtris manſuros. Et equites quidam non pauci iam diſceſſerant. Vbi autem Tryballos inuenere expectantes in anguſtijs hoſtem abeuntem, in caſtra redierunt. Pannones quidem arbitrabantur ſe die craſtino cum parua hoſtilis exercitus manu cõgreſſuros, quaſi cæteri diffugiſſent, non expectantes hoſtem, & ſic uictoria facilè potituros, regis que Ianuas debellaturos. Rex uerò Amurates & Turci ſeipſos confirmantes, haud amplus metuebant Pannones. Animis igitur receptis, & plurimum exhilarati, accingebantur ad pręlium, quaſi eo die, qui ſequeretur, prælíaturi cum hoſtibus, eosq; in fugam coniecturi. Eo die quæ modò memorauimus, contigere. Iſtam noctem Pannones deliberando conſumpſere. & cum conſultarent, ſinguli ſuam ſententiam, quemadmodum ſibi cõſultum uideretur, auſpicari prælium, in medium adducebãt. Varij multiq; habebantur ſermones. Ibi tum conſultantibus Pannonibus, Tautes Sauzis filius, natus ex genere Otomanidarum, progreſſus in medium, huiuſmodi orationem exorſus eſt: Nobis iam ſatis ſuper que in Aſia & Europa pugnatum eſt. Nec dum etiam animum aduertimus, ut pugnãdum ſit contra Amuratem, ut res eius contundamus. Niſi enim peremerimus uiros iſtos, non facilè poterimus Amuratem uincere. At mihi uidetur, ſi quis certamen ſubeat cum hoſte, eiq; infligat letalem ictum, hoſtem deiecit, & reliquo exercitu pro arbitrio uti poterit. Vbi autem magis quis letale infligat uulnus, quàm ſi caput feriat? Tum enim corpus totũ dolet. In capite eñ quaſi urbs & regimẽ totius humani corporis ſitũ eſt. Sin autem haud dederis letale uulnus, difficile admodum & laborioſum erit ſuperare hoſtem. Et, ut meam ſententiam capiatis, ſic audite. Vidiſtis ut Ianuæ regis ſteterint neutrò inclinatæ ad pugnam. Nec etiam pericli tari uolũt, quaſi ſalus regis atq; adeò totius exercitus in ipſis ſita ſit: nec prius quàm neceſſitas poſtularit, pugnam capeſſunt. Agite igitur hunc regis exer-

citum inuademus: qui si in fugã abierit, nullus nos expectare sustinebit. Cen- A
seo autem ut regem aggrediamur cum uniuerso exercitu, cum curribus quo-
que, in quibus bombardæ & bombardarij sunt: & ut pergamus adhuc hac
nocte cõtestim contra Ianuas, nec cunctemur. Et accedentes, bombardarũ glo
bis sagittisq; petemus Ianuæ milites, ijsq; terrorem maximum inferemus.
Satis certò scio, eos non mansuros usq; dum illucescat dies. Sed hac adhuc no
cte lubenti et cupido animo fugam arripiẽt. Quod si fuerit factum, facilè nos
rerum potiemur. His dictis, omnes cõsensum præstitere, & uno ore sic facien
dum esse pronunciarũt. Cõtinuò igitur curribus in regis exercitũ inuecti sunt,
sub prima adhuc noctis uigilia. Cum appropinquassent Ianuæ militibus, ter-
rorem fecere maximum, bombardarum globis, & iaculis ferientes peregri-
nos. Et quidem uim faciebant castris Amuratis. Verùm peregrini, ubi rem co
gnorunt, magno animo Pannonibus restitere. Nam bombardas expediebãt,
bombardarios q; euocabant, & non cessabant iaculari Pannones. plurimi in
ea nocte utrinq; cadebant, icti bombardarum globis. Postquam dies aduenit,
& Pannones uidebant regis castra in ea regione locata fortiter pugnare, cõsi-
lium cæpere redeundi, unde egressi erãt, in castra: nec expectandũ esse, donec
circũducerent ab regis militib. stantes prope Ianuas. Hæc sententia ubi pla-
cuisset, cedebant festinantes in eum locum ubi castrametati erant. Die exorto
iterum ad prælium præparabat Choniates, periculũ facturus, si felicem rerũ for
tiret euentũ. Pugnans itaq; impetũ dabat in Asianũ exercitũ, & fortiter con
grediebat cum hostibus. Europæ dux cum accepisset Pannones congressos
esse cũ Asiano exercitu, Turachanẽ Thessaliæ præfectũ mittit cũ suo exercitu,
ut à tergo adoriret Pãnones, et q; fortissimè contra eos præliaret. Turachanes B
imperata impigrè faciens, Pannonũ plurimos, cum in terga eorũ irruisset, in
eo prælio strauit. Quidã em̃ persequebant Albanos, à quorũ uestigijs, quãuis
celerrimè fugerãt, nusq; abstitere. Ministri tamen præfectorũ, qui ex Europa
uenerãt, haud fugã inierant. Cum aũt à suis essent destituti, qui fuga sibi consu
lebant, pugnabãt haud secus ac Turci, cõtra Pãnones. Præterea cõtra eos acer-
rimè prælium inibãt, qui erant ex Europa, & à tergo uim faciebãt. Nam cõuer-
si collato pede nunc huc, nunc alibi, ubi alteri alteros indipiscebant, in eo cam
po manus cõserebant. Daci cum uidissent Turcos impigrè præter spẽ rem ge-
rere, & sibi hinc plurimũ periculi imminere, huiusmodi consiliũ cæperunt.
Nam nullã mali liberationẽ cernebãt, etiam si incolumes ex eo prælio euasis-
sent. Nec etiã in iurisiurandi religione spem aliquã ponebant, quo minus regi
pœnas luerent, iniuriarũ quib. ipsum affecissent, quòd in ea expeditione socia
arma iunxissent Pãnonibus. Videbat igit̃ in præsenti tumultu consultissimũ
fore, nunciũ mittere ad regẽ Amuratem, & cum eo in gratiã redire. Traditis
namq; armis, testabant̃ se in posterũ regi hospites & amicos fore. In hanc sen
tentiam cum omnes concessissent, nuncius ad regẽ missus est. Hic cum uenis-
set ad Ianuas, huiuscemodi orationẽ habuit: O rex, Daci miserunt me in con-
spectũ tuũ, ut pacẽ ueniam q; delictorũ, quæ in te & in regnũ tuũ commisere,
orem. Testant̃ quoq; se nunq; quid nouarũ rerũ sua sponte molitos fuisse in
te, & regnũ tuũ, nisi Pãnones eam necessitate iniecissent, iubentes, imò cogen-
tes, ut coniunctis copijs expeditionẽ istam susciperent. Nunc igit̃ supplices
petunt, uelis eos exaudire, & pacem dare. promittunt se tibi bellũ præsens, ex
animi tui sententia confecturos: & profecturos tecum in militiam deinceps,
ubicunq; tibi usui esse poterunt. Hæc cum exposuisset nuncius, Chatites re-
giæ domus princeps in hunc modũ respõdit: Sed uos, ò Daci, scitis profectò
quanta sit, fuerit q; iam ab initio potentia regis. Et quoniam nunc in necessi-
tatis articulo adestis, fœdus q; nobiscum initis citra dolum & fraudem, amici
eritis in posterũ. Si quid eorum quæ promittitis, feceritis, gratiam referentes

regi,

A regi, scitote quòd eum beneficijs nunquam uincere poteritis. Arma autem, ite, & confestim huc tradite. Chatites hæc loquutus est, dicens se ea dicere ex sententia regis, eumque dimisit. Daci, cum reuersus esset nũcius, & quæ mandata accepisset à Chatite ex mandato regis, enarrasset, continuò defecerunt à Pannonib. & ab ijs separati uenerunt quàm proximè ad Ianuas regis. Hei cum ocioſi starent, putabant se gratiam hanc referre regi, quòd eum in præsenti necessitate adiuuarent. Sperabant quoque se muncra & uestes ab rege accepturos propter id beneficium. Rex autem, cum in proximo consisterent Daci, putans ne id facerent ex composito, pacti prius cum Pannonibus, ut sibi aliquid mali inferrent, accersit Europæ ducem habentem milites circiter uiginti mille. Qui ut aduenit quemadmodum præceptum erat, iussus est circundare corona Dacos, omnesq; trucidare, nulli parcens. Daci quoq; arma tenentes ad resistendum accingebantur. Nolebat enim rex ut traditis armis inermes interficerentur, uerùm armatos pœnas delictorum dare eos uolebat. In hunc modum miserabiliter, ut quorum nulla ratio haberetur, peribant. Pannones cum conspicati essent Dacorum transitionem, primò mirabantur quid hæc sibi uellent. Vt compererunt Dacos in hunc modum reconciliatos esse regi, grauiter succensuere, quòd turpiter admodum destituissent amicos suos. Verùm haud multo post, ubi animaduerterunt uniuersos, nullo eorum respectu habito, crudeliter interire, admiratione figebantur, cogitantes regis sententiam, uidelicet quòd non desideraret huiusmodi socios & auxiliares. Proinde plurimi faciebant, si quàm primũ abscedere possent. Ioãnes igit̃ excedens prælio, pergebat ad currus, & colloquebat̃ cum ducibus, qui ibi erant, dicens: Se uenire cum suis ab ea hostium turma in qua steterit rex. Itaq; ubi in Ianuas irruperit, & id per nunciũ significarit, ut uno impetu omnes adueniant,
B atq; in Ianuas irruant. Hæc cum dixisset Choniates, circa extremã noctis uigiliam elegit eos qui optimè ad bellum erant instructi, & quos sibi familiarissimos ducebat, & illis qui curribus uehebantur, imperat, ut ubi primũ signum dederit, summa ui in Ianuas ferantur. Ipse uerò mutata uoluntate ad Istrum in structo agmine quàm celerrimè properabat. Cum autem dies illuxisset, non amplius apparebat ijs Pannonibus, qui relicti erant cum curribus, non procul ab rege submoti. Turci uidentes castra hostium esse uacua, & paucos admodum cum curribus esse relictos, admirabantur quid hoc sibi uellet. Deinde quidam occurrebat, nuncias Pannones circa decimam noctis uigiliam fugisse trans Istrum. His auditis, peregrini arma capiunt, & cursu ferebantur contra Pannones ad currus relictos. Hi, cum cernerent se à suis desertos & proditos, fortiter prælabantur, cum desperatio uirtutem accenderet aduersus peregrinos. Nec multo post peregrini currus conscendunt, & per Pannones uecti omnes trucidarunt. At Pannones per totum diem in cõferta hostiũ turba pugnantes, cum forẽt uiri optimi & fortissimi, tandem occubuere. Regem quidem ad persequendos Pannones adhortabantur duces, uerùm is eorum consilia repulit, cum animo secum reputans, quæ nam passus esset à Choniate Chasines filius Mazaracis, cum persequereẽ Pannones. Volebat itaq; presenti fortuna melius uti. Cesi sunt in isto prelio, ut accepi (utrinq; eñ occisi à Tryballorũ duce, postea dinumerati sunt) Pannonũ & Dacorũ decẽ & septem millia, Turcorũ quatuor millia. Nã facilè dignoscunt̃ à reliquis Turci, cum omnes sint circũcisi. Preterea Pãnones admodũ decenter capillos nutriunt: Turci uerò radunt̃, relictis quibusdam circa tempora capillis. Rex cum excessisset prælio, tollere iussit cadauera occisorũ. Turcos sepulture mãdari curauit, iuxta flumẽ Morabam, ppe ripam. Ioãnes aũt fugiens festinabat ad Istrum. Vesperi aduenit Sbetzanium urbẽ regis. In ambiguo autem erat quo

modo tutius profectionem facere posset, ne cognosceretur à Mysijs, et in peri A culum deinde ueniat, ut capiatur à Tryballorum duce. Haud enim Choniatem fugiebat, Georgium, cum quo sibi inimicitiæ erant grauissimæ, id parare, ut ipsum caperet. Secum autem omnia diligentius reputanti & expendenti uisum est, ut segregatus ab reliquo exercitu cum paucis rectà pergeret Mpelgradam. Hoc cum statuisset Choniates, secunda noctis uigilia amicissimos suos & familiarissimos assumens, alia gradiebatur uia. Cum in hunc modum profectionem facerent, putabat se magis cognosci posse. Antequam igitur dies aduenisset, omnia secum in animo uoluens, deliberabat. Tandem decreuit consultissimum esse, si incolumis præsens discrimen euitare uelit, ut solus, à suis separatus iter ingrederetur. Exorto iam die cum solus iter faceret, ex equo descendens, pedes peruenit ad collem quendam. Videns autem Turcum hostiliter oberrantem, confugit in paludem aqua plenam, quę in longum extendebatur. Deinde cum ex palude processisset, peruenit in Georgij regionẽ. Incidens autem in Tryballos quosdam, eos sibi itineris duces parare uolebat, promittens seipsis mercedem daturum. Illi autem, quemadmodum promiserat Choniates, itineris duces facti, eum in itinere per insidias truncare nitebantur. Eum igitur quasi interfecturi, comprehendunt. Qui, ut rem sensit, stringẽs gladium, Tryballum illicò strauit, cum eum in humerum uulnerasset. Alter autem fuga sibi consulens euasit. Interea Tryballorum princeps, cum comperisset Choniatem ab Amurate uictum fugam arripuisse, misit præconẽ, qui suis nunciaret, ut nulli Pannoni regionem transire concederent prius, quàm interrogassent, quis nam esset, & quò abiret. Reliquos quidem paterentur incolumes & inuiolatos abire. Verùm si inueniissent Choniatem, eum capere, & ad se adducere iubebãtur. Principes itaq; regionis suis edicunt, quemcunque Pannonem nacti fuerint, ad magistratus perducant, ut uideant quis nam B sit. Qui aliter fecerit, & huic edicto non paruerit, eum ignominiosissima morte periturum. Choniates igitur fame deficiens, quánam se uerteret nescie bat. Venit igit̃ in quẽdam Tryballorum locum. Ibi cum uideret quosdam Tryballos terram colere, ad eos iter flectebat, petens sibi panem dari. Vt conspicati sunt agricolæ uirum Pannonem adesse, & panem quærere, dixerunt. At, ô hospes, panis quidem tibi in promptu est: uerùm necessitas postulat, ut te perducamus ad magistratum urbis, qui quis sis, excutiat. Magistratus ubi te uiderit, continuò ad regionem tuam te abire sinet: nec quicquã mali ab eo patieris. Nam (opinor) Choniatem quærunt. Reliquos Pannones qui huc pergunt, dimittunt, nullum eorum respectum agentes. Agricolæ cum hæc dicerent, eum haud dimittebant. Verùm eum fortius comprehendentes, efficiũt ut confiteretur seniori, necessitate subactus, se esse Ioannem Choniatẽ. Pollicebaturq; magna hospitalitatis munera, opesq;, & regionem se daturũ dicebat, si ductus fuisset inuiolatus, & ab nullo Tryballo uisus, Mpelogradam. Senior quidem uirum agnouit, eum' que suscepit traducendum in regionem suam illæsum. Fratribus autem suis, quis nam esset uir ille, indicauit, præcipiens ne quóquam abirent, & quis uir ille esset, enunciarent. Vespere facto uirum deduxerunt in eam domum, in qua paleas & iumenta asseruabant, & diem crastinum expectabant, ut Choniatem, omnibus appparatis abducerent Mpelogradam. Eo autem die dissensio exorta est inter fratres. Hinc unus de numero fratrum commotus, indicauit urbis magistratui, ubi nam esset Choniates. Assumptis itaque ministris, pergebant ad domum, in qua erat Choniates, latitans in palearum receptaculis, cum' que capientes abduxerũt ad urbis magistratum. Magistratus autem eum uinctum deduci curauit ad præsidem, significauitq; eum esse deprehensum latitantem in fœno.

Præ-

A Præses, cum adductus esset Choniates, eum in carcerem coniectum, ad tempus aliquod in arce detinuit. At Choniates persuasit principi arcis & custodibus, ut simul cum ipso insurgant hostiliter contra præsidem, & urbem occupent. Cum quidam rei, quæ parabatur, conscius insidias patefecisset, etiam quid custodes siue præsidiarij milites molirentur, cognitum est. Verùm hi interciderunt omnes. Ioannes autem affinitatem iungens cum illo, filiam suam filio eius in matrimonium collocando, remissus est Budam in regnum suum. Et quidem hæc contigere in expeditione, quam Pannones sumpserunt aduersus Turcos, duce Choniate: eaq; expeditio quem diximus finẽ consequuta est. Amurates reuersus in regni sui sedem, non multo pòst bellũ Byzantio inferebat. Græcorum rege Ioanne defuncto, in Constantinum, defuncti fratrem regni successio deuenit. Nam Ioanne mortuo frater eius Demetrius in regni successionem festinabat. Verùm prohibitus est ab oppidanis matre, arbitris, & ab Cantacuzeno Nataraq;, qui arbitrorum partibus fungebantur. Timebant enim, si is assequeretur regnum, fore ut Constantinus exercitum peregrinum adducat, & sic regnum regniq; res interituras. Expectarunt itaq; Constantini aduentum, nec permiserunt Demetrio ut regnum susciperet. Ea tempestate Byzantium uenerat, & Thomas frater iunior, putans se regem adhuc superstitem inuenturum. Volebat enim quædam cum eo, in quibus eius opera indigebat, colloqui. Verùm rex mortuus erat, nec eum adhuc uiuentem inuenire potuit. Reperit tamen maximam discordiam, quę exorta erat propter Demetrium regnum Byzantium affectantem. Constantino haud multo pòst Byzantiũ adueniente, Peloponesum inter se diuiserunt, & iurisiurãdi religio interposita est, ne posimodũ diuisionem illam uiolarent. Verùm frater iunior prior nauí in Peloponnesum uectus, urbes Peloponnesiacas cõtra diuisionis
B iusiurandũ ad defectionem solicitabat: & adhibitis Peloponnesiacis, qui ad ipsum confluxerant, bellum gerebat cum fratre suo Demetrio. Qui adducens exercitũ regis, cum ad eam rem operam suam locaret uxoris frater Asanes, fratrem coegit secum pacẽ pangere. Cum utrinq; rem totam permitterent arbitrio fratris regis Constantinopolitani transigendam, obsides fidemq; inuicem propter regionẽ dantes. Subidem tẽpus quo hæc gesta sunt, Amurates Mechmetis filius mortem obijt in conuiuio ictus apoplexia, quam nimia uini conciuerat copia. Regnauit aũt annis triginta duobus. Regni successorẽ reliquit Mechmetem filiũ suum. Habuit & alterũ filiũ, quem tulit ex uxore sua Spẽdere filia. Amurates uir fuit iusti equiq; eximius cultor. Vsus est fortunæ aura nõ admodum aduersa. Prouocatus, ut se defenderet, bella occipiebat. Lacessitus confestim in armis erat: non aũt iniurijs iritatus, bellum ægrè suscipiebat. Nec id ignauiæ adscripseris. Nam si uis hostilis propulsanda erat, nec etiã hyeme cunctabat per loca asperrima incedere, nec pensi quicquam facere uel labores, uel pericula. Hoc aũt defuncto, regni moderamen nactus est Mechmetes. At quam primùm mortem Amuratis acceperunt peregrini qui Adrianopoli erant, inter se coniurarunt, ut urbem eam caperent. In unum aũt locum extra urbẽ collecti deliberabant, ubi uel quomodo urbẽ aggrederent, ut hinc opes plurimas colligerent. Verùm Chatites Priami filius reliquos Ianuarũ milites arma capere iubet, & illis minat, ni continuò arma ponerent, exitium. Cum autem arma deposuissent, cõcionem dimisit, dicens eos nequaquam ex bona caussa istud moliri. Nec multo pòst ex Asia adueniens Mechmetes Amuratis filius ad regni gubernacula, rebus eam formam induxit, quam in præsentiarum utilissimam fore rebatur. Cum Grecis fœdera sanxit, ijs q; que maritimam Asiæ regionem concessit. Etiam cum Tryballorum principe pacem fecit, cui filiam, Amuratis uxorem, ipsius uerò nouercam remisit, putans se ei rem gratam facere. Regionem eidem, quantam quantã antea contribuit,

Fra-

Fratrem ſuum, cum regni moderamen ſuſcepiſſet, peremit, cum aqua infuſa A
ſpiritum eius intercluſiſſet. Hunc autem interfecit regis pincerna nomine Sa-
raptares, qui haud multo pòſt fato functus eſt. Fratrem ſuum in hunc modum
è medio ſuſtulit. Amuratis alteram uxorem Spenderæ filiam in matrimoniũ
collocauit uiro in Ianuis potentiſſimo, quem Iſaacum nominabant. Hunc
plurimum diligebat, eum'que Aſiæ ducem declarauit. Fœdus percuſſit quo
que cum legatis, qui ab Peloponneſo aduenerant. Mortuo Amurate, Cara-
manus Haliſurius, qui iam antea non ceſſabat Aſianos incitare ut deficerent
ab Turcis, & contra Otomanidas bellum ſuſciperent, ſperans eo modo ſe ma
ximam potentiam nacturum, etiam eo tempore Aſianos plurimum ad defe-
ctionem accendebat. Ingreſſus itaque cum exercitu regis, regionem eam po
pulabatur, & iumentorum prædas agebat. Mechmetes ut audiuit Carama-
num ſuam uaſtare regionem, rei indignitatem non ferens, illicò arma cæpit.
Et relinquens Saraziem Ianuarum principem, cum quo ſibi arctiſſima inter-
uenerat familiaritas, tranſgreſſus eſt in Aſiam, bellumq; Caramano indixit,
eiusq; regionem euaſtauit. Caramanus regionem deſerens, in montiũ cacumi
na, quemadmodũ antea conſueuerat, ſe recepit. Verùm poſtea legatos miſit ad
regem ſuadente Chatite, filio Priami, dicens, ſi pacem daret, ſe, ubicunque u-
ſui eſſe poſſit, ipſi miniſtraturum. Præterea ſe paratum eſſe confitebatur, reſti-
tuere Candelorum. Quæ ubi intellexit rex, eum in fœdus admiſit. Reuerſus
deinde, cum ueniſſet Calliopolim, peregrinorum numerum, qui non in eam
expeditionem uenerant, inquirebat. Ducem autem eorum, cui nomen erat
Hagiapaſes, flagellis cæſum dignitate iſta ſpoliauit. Hagiapaſes pœnas iſtas
propterea dederat, quòd regi contra Caramanum pergenti non indicaſſet, qui
nam adeſſent, qui'ue abeſſent. Septem millia uirorum erant, qui curabant acci
pitres regios, quos iſto ex ordine deturbauit, & milites eſſe iuſſit. Etiam canũ B
curatores ab iſto officio mouit: inquiens ſibi ſufficere centum uiros, qui ca-
nes, & quingentos qui accipitres curent. Nec ſe eò ſtultitiæ proceſſurum, ut
uelit alere hominum tantam multitudinem, propter rem quandam uanam &
nouam. Adiuuit Demetrium Peloponneſiacum principem in eo bello quod
cum fratre geſſit, cui regione cedere recuſabat. Miſit ei auxilio Turachanem,
ut Iſthmum penitus deſtrueret. Thomas quidem in gratiam redijt cum fratre,
ut in poſterum inter ſe amici & hoſpites forent. Vrbem Calamanta ei dedit
pro Scortorum regione, quam fratri ademptam poſſidebat. Hæc quidem ha-
ctenus. Tzaniſes Cariaſuphis filius legationem miſit ad ipſum, petens ne re
gionem Sebaſtiæ finitimam popularetur. * Butyri, & mille ca-
melos. Cæterum omiſit bello eum petere, quamuis prior bellum indixiſſet
hoſtis. Tzaniſes autem ille pertinet, ut ſuprà memorauimus, ad nigros Mau-
roprobatantes dictos. Cariaſuphis filios priuans Dabriza, compulit eos in
Samatiam urbem: quos profectus à Pagdacia Babylone, obſidione preme-
bat. Deinde ſubiugans Armeniam, exercitum mouit contra Erzeganam Ar
menorum regiam ſedem, eam'que occupauit, habens in ſuo exercitu circiter
octo myriades hominum. Hinc mouens, ingreſſus eſt in Aſiam, & Mechme
tis regionem uaſtare aggreſſus eſt. Qui circa Sebaſtiam colebant, ne ipſorum
regio uaſtaretur, butyri magna onera portabant, & ſuam regionem à popula-
tionibus illæſam retinebant. Tzokies unus de numero Temiris nepotum pro
fectus ad Semarchanda eam Cariaſuphis filij, regionem ſubegit. Præterea
Pagdaciam Babylonis urbem, ut ſuprà edocuimus, obſidione cinxit. Cha-
ſanem cognomento Longum in inferiorem Aſiam & Armeniam mittens,
omnia quæ ad iſtam regionem pertinebant, in poteſtatem accepit.

Hæc quidem hactenus.

* Deeſt aliquid exemplari Græco.

LIBER OCTAVVS.

A  PPETENTE iam ęstate, Mechmetes Amuratis filius prępa
rans in Asiam plurimum calcis, condere instituebat in Eu
ropa, iuxta Propontidem in Bosphoro, quà uia ad trãsfretan
dum ex Asia arctissima est, urbem Læmocopiam nuncupa
tam. Vniuersos qui in Europa & Asia erant, ad id opus per
ficiendum euocabat. Qui cum impigrè aduenissent, ædifica
re auspicati sunt, cum prius in singulos duces & præfectos opus uniuersum
fuisset distributum. Caussa, quæ regem ad eam urbem extruendam impule
rat, hæc erat, uidelicet ut transitus in Asiam sibi facilis esset, et ne Occidentales
uenirent, nauibusq; traiectũ impedirent, nouasq; res in Asia molirent. Eam
urbem plurimũ quoq; conferre iudicabat ad Byzantij oppugnationem. Tur
res etiam tres, quas maximas nouimus, posuit. Duas extruxit iuxta continen
tem, ut ab his progressi, irruere possent in naues quæ mare legerent. Harũ al
teram fecit maximam. Turres præterea plumbo intexit. Latitudo muri erat
pedum uigintiduorũ: at turrium latitudo erat maior, continẽs triginta pedes.
Cum muri iam starent, quos operæ intra tres menses absoluerant, impetũ de
dit in Byzantij regionem, ex professo cum Byzantijs bellum gerẽs. Hyeme
iam instante Turachanem in Peloponnesum misit, ut ibi bello lacesseret Gre
corũ regis fratres. Hic assumpto Thessaliæ & Europæ exercitu quãtus Pher
ris erat, & Europæo duci parebat, profectus est contra Peloponnesum, adhibi
tis etiam suis filijs. Additi sunt huic & Thessaliæ Macedoniæq; urbiũ prin
cipes. Omnibus igitur paratis, per mediterraneam, quam olim Arcadiam di
B xere, & per Tegeam Mantineamq; exercitũ ducens, uenit in Ithomę et Me
seniæ regionem. Cum autem diebus multis iumentorũ prædas ex ea egisset,
tandem etiam Neopolichnem cæpit. Obsidione deinde Siderapolichnẽ circũ
uenit: quam cum suæ ditionis facere nõ posset, exercitũ abduxit. Cum autem
cum exercitu proficisceretur, Achmates iunior captus est ab Asane, qui erat
frater uxoris quam duxerat Peloponnesi princeps. Hic enim ei insidias stru
xit circa Mecynæ regionem, qua erat iter facturus hostis. Achmatem captum
deduxerunt in Spartam ad principem, eumq;, donec suis restitueretur, in uin
culis habuere. Aestate deinde sequente, ubi primò uer apparuit, Mechmetes,
Amuratis filius, expeditionem cõtra Byzantiũ sumebat. Iam antea istam ex
peditionem mente conceperat, uerùm prius in Propontide urbem Læmoco
piam ædificare uolebat. Cum autem hyems adhuc sæuiret, edicit ut omnes
qui in Asia, quiq; in Europa agerent, ad maritima loca cõuenirent, ad classem
fabricandã. Naues & triremes fabricabant. Bõbardas fieri curauit maximas,
quãtas nouimus ea tempestate nunquam extitisse. Cum iam tempus postula
re uideret, ut ipse bello se immisceret, Europæ ducem Saratziam iubet cum
exercitu Europę prę cedere: bõbardas et reliquas belli machinas, necnõ bom
bardã maximã Byzantiũ subuehere. Tãta huius bõbardę magnitudo extitit,
ut à septuaginta iugis boũ & à uiris bis mille trahẽda fuerit. Baratzias ubi ad
uenit Byzantiũ, turres, in quas agricolæ se recipiebant fugiẽtes hostẽ, quasdã
fame expugnauit, quasdã ui cæpit: uiros inde abductos necauit. Etiã Byzãtij
regionẽ grauissimè populationib. accedẽs afflixit. Nec multo post sequutus
est rex ipse, & castra posuit, quę ab una maris parte in alteram porrigebant. In
eo loco, qui à dextris regi erat, usq; ad eum locum, qui Aureę portæ dicitur, ca
strametatus est Asianus exercitus. In sinistra parte iuxta locum, qui lignea por
ta appellatur, Europæ exercitus tendebat. In medio regia castra sita erant
cum peregrinis & Ianuæ mitibus, qui castra circa regem ponere consueuere.

Zo-

Zoganus regis affinis eregione supra Galatiã urbẽ castra cõmunierat. Quae A draginta myriades hominum dicuntur tum temporis in exercitu regis fuisse. Numerum autem iumentorum apud omnes constat duplo maiorem fieri, ut satis alimenti pabulique equis hominibusque sit. Soli etenim Turci, quod sciam, sibi necessaria semper apportant, quocunque tamen bellandi gratia proficiscantur. Præterea ut commeatuũ copia abũdent, camelos & mulos quàm plurimos, ut in necessarijs seruiant, secum ducunt. Mulos quidem habent propter aliam ipsorum felicitatem. Singuli uerò equos, camelos, mulosque pulchriores ostentandi gratia adducunt. Rex cum ueniſſet Byzantiũ, haud multo post sequuta est classis regia, in qua erãt triremes triginta, naues minores duocentæ. Græci ubi intellexere aduersum se aduentare classem regiam, cathenas ferreas ab urbe quæ ex aduerso erat, extenderunt in Byzantij murum prope arcem. Naues præterea quotquot aderant, quarum quædam auxilij ferẽdi gratia, quædam mercium appulerant, intra cathenas sistunt, ut aditu regiam classem excluderent, ne intra portũ ueniret. Is enim ad urbem patet stadijs 80, et in continentem se porrigit stadijs centum & quinquaginta. Vrbis quidem illius mœnia haud admodum firma sunt, nec admodum magna flumina habet, ut naues aduenientes periclitentur. Quà uerò urbs spectat continẽtem, muros habet duos firmissimos. Vnus magnus & memorabilis est: alter extrà situs est, uerùm præcedenti minor, fossam subiectam habens latitudine iugeri, lapidibus extructam. Rex cum Græcis deliberabat, ubi nam resistendum esset hosti. Tandem uisum est, ut irent in exteriorem murũ, qui fossa munitus erat, & repugnarent hosti, quemadmodum fecerant, cum Amurates Byzantiũ oppugnauerat. Rex Mechmetes continuò machinas plurimas urbi admouit. Bombardas duas expediebat, quibus mœnia sterneret. Vnam oppoſuerat regali Græcorum palatio: alteram direxerat in Romani nominatam portã, ad quam regis castra erant. Erant autem bombardæ per castra undique dispersæ, quæ globulos in Græcos iactabant. Bombardæ, quas rex habebat, duæ maximę, emittebant lapidem qui appendebat talenta duo, aut amplius. Lapides hi nigri erant, & apportabantur ab Euxino ponto per eos quibus rex id negocij dederat. Bombardarius regis nomine Orbanus genere Dacus erat, & antea conuersatus erat cum Græcis. Deinde relinquens Græcos inopia rei familiaris, accesserat Ianuas regis. Hic ab rege cõductus, magno precio bombardas parabat. Ea autem tempestate, qua Byzantium oppugnabatur, bombardæ duæ, quæ stabant ab utroque latere maioris bombardæ, incendebantur. Hæ emittebant lapidem cuius pondus erat dimidium talentum. Hæ itaque cum globos suos torquerent, muri lapides perfringebant. Eos deinde sequebatur bombarda maxima, quæ torquebat globum, cuius pondus continebat tria circiter talenta, & magnam muri partem sternebat. Nam is globus mirũ in modum magno impetu latus grauiter omnia dissipabat. Bombardæ huius tonitru tantum esse traditum est, ut finitima regio usque ad quadraginta stadia concuteretur. Murus externus, necnon turres bombardis dissijciebantur. Etiam internus murus bombardis arietabatur. Bombarda maxima interdiu septem eiaculabatur globos, noctu unum, qui diei signum erat: & indicabat ubi nam eo die globos torqueri oporteret. Et quidem primò terror injiciebatur Græcis maximus. At peregrini & reliquus exercitus parantes tegmenta & pluteos ex luto rubro & albo pro castris, subibãt murũ, & ingrediebãtur fossam urbis, satis muniti & tecti ijs tegmentis. Præterea perfodictes eum locum qui extra fossam erat, faciebant foramina, ex quibus bombardarũ globulis & sagittis grauiter afflixere Græcos, cum interim ipsi nihil mali ab his paterentur, nec quoque uideri possent. Nam ne nocere quidem Turci Græcis, & si maximè uoluissent, poterant. Rex quoque curauit effodi cuniculos, qui in

urbem

A urbem ferrent. Fossores, qui cuniculos agebant, excitarunt turres quatuor excelsas, quæ insistebant machinis ligneis, & alia propugnacula, ex quibus illi cò ignem iacularentur in hostem. Cuniculi tamen haud prosperum inuenere euentum. Nam Græci, ut sensere hostem cuniculos agere, fodiendo Turcis occurrerũt: eosq; iniecto igne expulere cuniculis, cuniculosq; obtinuere. Turci parabant turrim ligneam excelsam admodum. In suprema eius parte ponebantur scalæ plurimæ, quasi isto propugnaculo freti, murum tentare & superare uellent. Hæc quidem in cõtinenti fiebant, si quo modo tandem urbis oppugnatio procederet. Quo pacto aũt urbs illa mari oppugnari cœpta sit, nunc exponã. Cum nõ posset naues mari appellere intra portũ, ut urbs simul terra mariq; oppugnationẽ sustineret, statuit suprà, iuxta Zogani castra, nauigia reflectere, ibiq; ea quasi munimentũ cõtra portũ collocare. Et hic quidẽ in superiore parte per montem nauigia cõiunxit, quę uelis remisq; instructa, in litus portus egit. In hunc modũ naues trãsmisit septuaginta, nec nõ alias naues, quę tribus & quæ quinq; impelluntur remis. Omnia sic erãt ordinata, quasi in crastinum intra portum nauigare uellent: In litore stabant milites parati propulsare hostes bombardis, si accederent, prohibituri deducere naues. Græci ubi animaduerterunt naues hostiles in litore portus stare, naues quotquot ad manus erant, militibus impleuerũt, conantes accedere, & regis naues incendere. Græci, ubi primùm hæc sententia recepta est, id facere aggressi sunt. Implentes itaq; nauigia armatis, profecti sunt, ut comburerent naues regis in portu stantes. Turci ut intellexerunt Græcos accedere, bombardas arripientes, naues Græcorum duas corruperunt, quę continuò mergebantur. Viri qui natare nesciebãt, à Turcis capti sunt. Turci ubi primùm dies apparuit, captiuos ad
B urbis portas abductos, in Græcorum conspectu mactarunt. Erant & apud Græcos quidam Turci, qui in uinculis asseruabãtur. Græci igitur hos in pinnas muri rapientes, eregione hostilium castrorum interemerunt. Et in hunc modum captiuorum cædes compensata est. Naues regię, cum nemo esset qui eas prohiberet, nauigarũt ad urbem. Quò cum appulissent, rex illicò pontem fecit eregione cõtinentis, quæ Ceramariorum appellatur. Is in urbem ferebat, & extructus erat ex dolijs, quorum semper duo coniungebantur, & fortiter connectebantur. Per eum ex Zogani castris ad urbem iter erat. Et quidem in hunc modum cõtigit, ut urbs omnia à parte obsidione arctaretẽ. Copiæ quoq; Græcorum subinde infirmiores reddebantur, cuius causa erat urbis amplitudo. Ambitus enim huius urbis maximus est earũ quę apud nos sunt urbium. Cõtinet enim in circuitu centum & undecim stadia. Cum autem milites undiq; per urbem distribuerentur, accidit ut minus munita foret, cum exercitus in hunc modum distraheretẽ. Iam quadraginta diebus murus bombardis fortiter quassatus erat. Ceciderant turres quatuor, nec nõ alia propugnacula, muriq; pars magna. Corruerãt præterea turres maioris muri bõbardis ictæ. Græci quidem primò & ipsi bombardas suas expediebant, easq; in hostem dirigebant. Græcorum bombardæ emittebãt globum, cuius pondus erat talentum cum dimidio. Harum unam opponebant Mechmetis bombardæ maximæ. Verùm quando globum eiaculabatur, tantus edebatur sonus, ut mœnia moueren̄, Græcisq; plus detrimenti quàm Turcis inferret. Quapropter parum efficiebant bombarda quam habebant maxima: ubi primùm incensa est, dissiluit. Hinc irati contra bombardarium insurrexerunt, quasi muneribus ab Machmete corruptum, eumq; capitis anquirebant. Cum autem nullum satis manifestum signum, quo crimen comprobaretur, inuenirent, crimine eum absoluerunt, atq; impunitum dimisere. Mœnia, quæ Turci bombardis strauerant, noctu scalis quibusdam & dolijs obstruentes, reficiebant summa celeritate. Interea cum hæc fierent, nunciatur Mechmeti, duas naues onerarias ex

Aegeo nauigare Byzantiũ. una quidem, & quę magnitudine præstabat, Ianuensiũ erat: altera uerò erat regis Græcorũ, cõmeatum adportans. Hæc ubi accepit rex, cõtinuò triremes & alias naues militib. cõpleri iubet, quas misit cõtra hostiles naues, in propinquo existẽtes. quia satis secundo uento ferebantur in urbem. Regię naues & triremes pergunt quò iussæ erant. Primoq; Græcã adoriuntur nauem, quæ propemodum capta fuisset, ni Ianuensiũ nauis reuersa laboranti nauí subsidio uenisset. Nam maximo impetu ruebat in regias triremes. Rex ex litore inclamabat suos, eosq; iubendo & adhortando quo magis accenderet, interdũ equo ingrediebatur mare. Verùm Græcorũ naues inuiolatæ optatũ cõtigere portũ. At in eo certamine uulneratur oculus regij nauarchi, cui nomen erat Paltogles, à suis, ut ipse testatus est corã rege, & manifestò asseuerabat, ni uulnere fuisset impeditus, se facilè naues in ditionẽ potuisse accipere. Cum sic factũ excusaret, supplicíũ quod minitabatur rex, euasit. Eos aũt quos suspectos habebat rex, capi et in uincula duci iubet, quasi expetiturus pœnas. Murus cum iam satis esset diiectus, peregriniq; facilè penetrarent in urbem, iussit ignes solitos undiq; per castra fieri. Cætera quoq; ita instruebat, quasi qui tertio ab eo die ui irrupturus esset in urbem. Missio prætone in castris pronunciat se urbis prædam & mancipia militib. concessurum. Interea quo hæc parabantur, & murus bombardarum impetu iam dirutus esset, Scenderis, qui Sinopem regebat, filius, nomine Ismaeles, ad Græcos abijt, & cum eis in hunc modum orationẽ habuit. Conabatur enim Græcos ad fœdera sancienda cum rege perpellere: Res uestræ, uiri Græci, in summo discrimine nunc uersantur. Quare non mittitis legatum ad regem petitum pacem? Si mihi uultis negocium istud cõmittere, facilè eò inclinabo regis animum ut uobiscum fœdus feriat. Nam non dubito, quin gratiam maximam sitis relaturi ei qui illud uobis effecerit. Et ni quamprimum fœdus interuenerit, urbs uestra fœdissimè diripietur, & uos ad internitionem omnes miserabilem in modũ peribitis. Uxores & liberi uestri in mancipiorum numerum referẽtur, & in calamitatem deuoluemini intolerandã. Mittite igitur, mora omnis absit, legatũ ad regem, & pacem uobis cõficiam. Hæc loquutus est Ismaeles Græcis. Deinde consilia in unum conferentibus, uisum est ut legatus abiret ad Mechmetem, tentaturus sententiam regis, quam super Græcis iam mente concepisset. Is autem, qui ad regem legatus ire iussus erat, haud erat uir admodum illustris, & claro genere natus. Quem cum uenisset ad Ianuas regis, operal Ismaelis, rex iussit renunciate Græcis, ut tributi nomine quotannis decem myriades numerẽt. Sin aũt conditio hæc ipsis impossibilis uisa fuerit, abeant relinquentes urbem singuli cum bonis suis quocunq; uoluerint. Sententia Mechmetis ut proposita est Græcis, ad consultationem uertuntur. Tandem multis ultrò citroq; dictis, ea sententia uicit cuius tenor erat, magis repugnandũ esse hosti, quamuis ingens discrimen se ostentet, quàm ignauiã imbellem sequi: & nullo commisso prælio abnauigare, deserentes urbem. Ego existimo legatum Græcorũ cum huiusmodi responso ab Mechmete ad Græcos dimissum, ut eorum animos tentaret. Nam cum fossas eorum cerneret, usq; fieri ad repugnandũ inhabiles conabatur explorare, quæ nam Græcorum in præsenti discrimine esset sententia: præterea num res eorum adhuc aliquid roboris siue firmitatis haberent. At Græci in hunc modum quem diximus, se gerebant. Rex, cum omnia ad oppugnationem satis instructa & parata forent, cõuocans peregrinos, eos sic alloquutus est: Viri peregrini, meique filij, qui semper rem præclarè geritis, quocunq; belli tempestatem uertero, in uobis certò situm est, ut urbs illa occupetur. Scitis, cum sentẽtiam uos interrogarem, quòd respõdistis urbem captu esse facilem, si saltem muri sternerentur. Circunductos igitur uos interrogaui, si satis iam muri dissipati uideantur. Tantum igitur muri quantum satis apparebat,

A rebat uobis, bombardariũ impetu corruerat. Nunc itaq; cum tempus postulet ut oppugnationem urbis occipiamus, hæc uobis proponere uolui. Vos qui ubiq; cùm apud me, tum apud maiores nostros semper plurimũ laudis & gloriæ rebus fortiter gestis inuenistis, rogo Græcorũ regnũ parare uelitis. Haud uos præterit, quot nobis in Europa Asiaq; præfecturæ sint. Harũ & pulcherrimam & optimam ei dabo, qui primus in supremum murum euaserit. Eundemq; pro dignitate honorare non cessabo. Hanc aũt ei gratiam referam, ut à me accipiat principatum opulentũ: & sedulò annitar ut plurimũ ab nostri generis hominibus honoretur, & celebretur. Porrò si resciuero, dum oppugnatio feruet, aliquem in tentoriis manere, & muri oppugnationẽ refugere, is protectò, & si instar uolucris alas haberet, nunquam nostras, quo minus suppliciũ det, effugiet manus. Ite igitur, pugnam istam et pulcherrimã & opulentissimã capessite. Nam manẽt uos, quorum potiemini, in urbe ista, mancipia plurima & preciosa, mulieres, & liberi, diuitiæq; plurimæ. Hæc dicentẽ decuriones & manipulorũ ductores, qui ascensum murũ, qua parte irrupturi erant, deiici bombardis iusserant, regem bono animo esse iubent, ut qui in urbem citra omnem tergiuersationem sint procursuri. Petebant aũt ut rex ipsis hãc gratiã rependeret. In uincula duci præceperat rex uiros, quos suspicabatur uictoriæ nauali impediendæ gratia gubernatoris oculũ uulnerasse. Hos uinculis eximi, & impunitos dimitti flagitabant. Rex peregrinorũ preces haud est auersatus: uerùm ut ijs rem gratã faceret, captiuos carcere emisit. Inter ea cũ iam tempus, quo oppugnationẽ auspicaturus erat, instaret, per castra edici iubet, se in crastinum matutino tempore oppugnaturũ urbem. Pronunciat munera & dona ei qui in ista oppugnatione se optimè gesserit: illi aũt qui se prælio subtraxerit, capitale suppliciũ præmium fore edicit. Zychides in castra progressi, in
B memoriam redigebãt. Turcis gloriã, qua hactenus claruissent. Præterea dicebant, Heroa ijs qui in prælijs occũberent, sempiternã polliceri beatitudinem. Commemorabãt & alia, ut gens illa assolet. Græci uirum Ianuensem, qui auxilio uenerat cum naue maxima & trecẽtis armatis, eo loci cum suis cõsistere iubẽt, ubi rex & peregrini irruptionẽ facturi erãt. Ibi stantẽ cum suis armatis uim hostilem amoliri uolebãt. Haud procul aberat rex Græcorũ cum suis ut ũq; fortissimè hostes propulsaret. Etiã Cardinalis Isidorus Sarmatarũ antistes, cuius antè memínimus, Græcis, penes ꝗs ea tempestate erat, auxilio fuit. Adierat eñ ut synodũ congregaret, & Romano pontifici Græcos recõciliaret. Hęc quidem paulo antè confecerat. At Græcis, illa cum Romanis recõciliatio nimis sera extitit. Rex Mechmetes cum tempus iam aduenisset (erat aũt Martis dies) ut oppugnationẽ uniuersis copijs aggrederet, cymbala, cornua, tubas q; canere iubet. Signumq; occipiendę oppugnationis dedit: & urbẽ summo mane fortiter oppugnabãt: irruentesq; in urbem præliabant magna uirtute. In eo muro qui portũ spectat, Græci fortissimè resistebant, Turcosq; magnanimiter expellebãt. Etiã capita quorundã, qui scalis admotis murũ superare conabantur, amputata de muro deuoluebant, cum Græci summa ui mœnia defensarent. Ea parte, qua rex cum peregrinorũ manu irruptionem fecit, Ianuenses armati ui submoti sunt. Longus horum dux uulneratus est manũ, ictus bombardæ globulo. Reliqui armati haud mansere à uulneribus intacti. Deserentes igitur locum, quem occupauerant, Ianuenses in fugã uertunt, quos fugientes cędebãt, Turci. Longus dux cedebat: eum sequebant armati, quos hostiliani mo insequebant Turci. Rex Græcorũ ut accepit Ianuenses cessisse loco, quẽ defendendũ susceperant, & fugam inire, accurrens citato gradu, Longũ percunctat, quónam abiret. Cui Longus respondit, ea qua Turcis Deus ipse iter aperit. Verùm rex Græcorũ ad Cantacuzenum, & alios paucos conuersus, dixit: Eamus ô uiri forti animo contra barbaros istos. Cantacuzenus, cum suis-

set uir optimus, in eo prælio mortem oppetijt. Atrex Græcorum Cõstantinus A
in fugam coniectus est, hostesq; continuò insequentes eum in humerũ uulne
rarunt atq; mortuus est. Reliqui Græci ubi cõspicati sunt peregrinos, ad ma
gnum murũ cursitare, missilia et sagittas, & lapides de superius torquere, præ
terea Longũ cum suis armatis in fugã effundi, & insequi fortiter peregrinos,
nec ipsi dubitarunt fugã arripere, cum singuli extra murũ se iactare cuperent,
ut euaderent hostiũ manus. Cum fuga celeri essent delati ad Romani nuncu
patam portã, impediti affluenti undiq; hominũ turba, humi ca debant. De
inde alij accedentes periacentes incedebant. In huncmodũ ascendentes in eos
qui ceciderant, studio transeundi magnũ fecere aceruũ hominum, adeò ut nul
lus ea elabi posset. At sic nullo respectu habito, periere plurimi, cum alius aliũ
fuga præuenire festinaret, & in miserabile hoc ueniebant spectaculũ. Portæ
quoq; claudebant oppletæ corporib. Græcorũ, cum per ea exitũ quærerent
uadentes. Peregrini muro magno superato (Nam & huius partem bombar
da maxima diruerat) eà ruebant in urbem, quam diripiebãt, euntes quà cuiq; li
berũ erat, nemine phibente. Græci quidã, ubi primũ fama captã esse urbẽ, uola
bat, fuga ferebant in portũ ad Venetorũ et Ianuensiũ naues. Plurimi naues cũ
summa celeritate ingressi intercidebãt, nauib. alto mersis. Eaq; cõtingere uide
bant quæ cõtingere solẽt in eiusmodi turbis, cũ omnes nullo ornatu nulloq;
ordine susq; deq; currerẽt, ut semetipsos seruarẽt tutos ab imminẽti periculo.
Et hi quidẽ Turcorũ manus euitarũt. At urbis ianitores ignorãtia & insciti
infelice usi, cum cernerent Græcos cõuersos in fugã, ad naues properare, & impe
tu in eos qui salutẽ consequerent, ruere, putabãt si eos clauderẽt intra urbem,
fore ut cogerent redire & redintegrare præliũ cum hoste. id consilij suggere
bat oraculũ quoddã in urbe decantatũ, fore uidelicet, ut cum hostes uenissent, g
usq; ad ciuitatis locũ Tauri dictũ, et oppidanos persequerent, oppidanos tum
conuersos, necessitate sic urgente, hostẽ expulsuros, urbemq; fortiter retentu
ros. Huic oraculo arbitror fidẽ accõmodantes ianitores claues de muro extra
urbem iactasse. Cum aũt turba magna uirorũ & mulierũ huc cõflueret, tan dẽ
contendebant ad maximũ urbis templũ sanctæ Sophiæ dictũ. Huc cõgrega
bant uiri pariter & mulieres liberiq;. Nec multo pòst rapti sunt à Turcis citra
prælium: plurimiq; uiri intra templũ à Turcis trucidati sunt. Reliqui Græci per
urbem fuga dissipati, quò se uerterent, ut effugerent præsens discrimen, nescie
bant. Haud multo pòst quidã eorum pecorũ more trucidati, quidã capti sunt.
Plurimi Græci cum forent uiri boni, fortiter ciebãt prælium, eligentes potius
pro patria mori q̃ uidere uxores et liberos prædã fore hostiũ. Theophilus exor
tus Palæologorũ genere fortiter dimicãs, in ea pugna occubuit. Palæologorũ
socij pater & filij eius, manus cõserentes magno animo, cæsi sunt in eo prælio.
Cõplures Græci alij, qui latera regis stipabãt, occisi sunt, nequaquã sustinen
tes uidere patriã in seruitutẽ hostiũ redactã: per uniuersam urbẽ plena omnia
erant cædentibus & cæsis, fugientibus & persequentibus Notaræ regis præ
fecto, & Orchani Mulsumanis nepoti, ut ipsi Græci indicarunt, hæc accide
runt. Cum audiuissent captã esse urbem, occurrerũt ad turrim quandã urbis,
quasi heic deliberaturi, an omnes fuga sibi consulere deberent. Cum in hanc
turrim aduenissent, Orchanes obsitus pannis cuiusdam Nazaræi seipsum præ
cipitem ex turri dedit, eoq; casu mortuus est. Notares obsidione circundatus
tandem in conferta hominum turba simul cum liberis in hostium potestatem
uenit. Peregrini continuò regis castra mulieribus & pueris, qui erant Græco
rum illustrium liberi, repleuerunt: magnasq; inde opes ferentes admodum
opulenti facti sunt. Videre erat regia castra plena uiris & mulieribus se inui
cem uocantibus, nec non liberis ista calamitate admodum attonitis & percul
sis. Multum auri argentiq; ex urbe in castra portabatur lapidum precioso
rum

A rum copia erat maxima. Locus castrorum omnigenis uestibus repletus erat, adeò ut uno die ditarentur ista castra admodum insignium uirorum diuitiarum & cæteræ felicitatis abundantia, ut dubitarent Turci quo pacto ea rerum omnium copia frui possent. Vendebantur lapides preciosissimi paruo precio: quia peregrini eorum precium ignorabant. Interdum aurum pro auricalco peregrini uendebant. In hac rerum turba miserabili captus est Cardinalis Isidorus † Sabaiorum antistes: qui ductus in Galatiam urbem, uenditus est, & conscensa naui profugit in Peloponnesum. Si rex Turcorum uirum hũc nouisset, uidelicet quòd Cardinalis esset, certè eum interfeciſſet, nec eum fuga elabi permisisset. Verùm cum eum quoque inter cęteros cæsum esse putaret, nullam eius rationem habebat. Post hæc quidam caput regis Gręcorum ad regem attulit, & ab eo munera magna, nec non principatum accepit. Quomodo autem Græcorum Rex interierit, peregrinorum nullus explicare potuit. Creditur tamen in porta, sicut et reliqui, expirasse, cum regnasset annis tribus, & mensibus tribus. Venere in hostium manus uiri Veneti illustres, qui mercium gratia Byzantium appulerant: nec non alij plurimi, quos eadem necessitas cum triremibus eò pertraxerat. Græci igitur eos haud abire sinebant, uerùm in præsenti rerum discrimine eos auxiliares adesse uolebant. Venetorum iudex, qui præstare uidebatur, ad regem deductus cum esset, interfectus est. Reliqui deinde dimittebantur. Omnes hinc, etiam qui erant de classe regis, accingebantur ad prædam. Venetorum triremes solutæ ferebantur, hominibus uacuæ, per Hellespontum: & die tertio Euiam appellunt. Nam plurimos eorum Græci ex nauibus deducentes, disposuerant ad custodiam urbis, per muri pinnas eos collocantes. Verùm capti sunt: quidam eorum cæsi sunt. Triremes aduenientes, Byzantiam calamitatem nunciant. Omnes B quò abirent, parùm sciebant. Existimabant enim eandem calamitatem quam primùm ad ipsos peruenturam. Penè omnes quotquot Aegæi maris insulas incolebant, fugam arripiebant. Græcorum duces, & omnes qui in Peloponneso erant, ista calamitate territi, festinabant ad mare. Quapropter postea accidit, ut Albani, qui in ea erant, ad defectionem properarent. Rex quidem occupato Byzantio, Zoganũ affinẽ suum naues adaptare iussit, et pergere in urbem Galatiã e regione sitã: & imperare, ne ad naues pergant. prętera edici iubet ijs qui intra urbem erant, ut singuli in suo loco quieti manerent, nec paterentur quenquam conscendere naues. princeps enim huius ciuitatis ubi comperit Byzantium in potestatem uenisse hostium, timens ne simile exitium se suos que raperet, accipiens urbis claues, ueniens que ad regem, se que urbem que & ciues eius fidei commisit. promisit in posterum se suos que fideliter & obedienter sub ipso fore. Quapropter rex misit Zoganum, ut urbem in fidem acciperet, & nulli concederet intrare naues. Verùm eius urbis ciues, ubi uidissent triremes regias accedere, omnes uno impetu & confertim cœperunt irruere in naues. At Turci retinebant eos, & ut cęteris murum inij cerent, quosdam trucidarunt. Zoganus cum aduenisset, urbem ingressus est: & rem publicam ordinans, regium præfectum urbi præfecit. Vno itaque die duarum urbium potitus est. alteram fœdè diripuit, alteram in fidem suscepit: eius que incolas muros qui continentem spectant, diruere iussit. Id autem ea gratia imperabatur, ne si naues ab Italia aduenirent, ad defectionem propenderent: quam muri destructi uetabant. præterea ut ea urbs, si denuò ingruerit bellum, regi aduenienti patêret. Græci, quotquot exitium euasserant, abducebantur Galatiam, & libertatem recipiebant. Hi erant uiri præcæteris maximè illustres. Notarem regis Græcorum primarium iudicem

† Fortè Sarmartarum.

cum uxore & liberis emit Turcorum rex: & cum eo colloquutus, permisit ei ut ubi uellet, cum suis habitaret. Hic autem expectabat auxilium ab Italia, quod breui affuturum arbitrabatur. Interim tamen Byzantij cum rege manſit. Quidam Græci qui erant libertatem consecuti, & præsenti exitio subtracti, iterum colligebantur Byzantium, propinquos & amicos eorum in libertatem antiquam asserentes. Verùm haud multo pòst regis iussu omnes interiere, quod quidem sic euenisse compertum est. Vbi autem est rumore allatum ad regem, Notaræ esse filium natum annos circiter duodecim, unum de suis pincernis misit petitum puerum. Notaras postquàm accepit expincerna regis uoluntatem, grauiter ira succensus est, sibíque eam petitionem admodũ periculosam & intolerandã fore iudicabat, & sic cõpellauit pincernam regiũ: O pincerna haud ferendum est, regem mihi liberos uelle eripere, cum nihil sit quod erimini det, cum semel errorem remiserit. Sin aũt id fixũ ratumq; sedet in animo regis, quare nõ imperat, ut nos turpissimę morti liberos nostros tradamus? Hæc loquutus, addidit, Se nequaquam filium regi petenti daturum, cum nullam in ipsum commiserit culpam. Pincernæ autem adhortanti & monenti, ne talia & diceret, & faceret in regem, quasi illicò periturus, non obtemperauit. Pincerna igitur reuersus ad regem, responsum quod ab Notara acceperat, exprompsit. Rex iratus, præcepit ut Notaram cum liberis, quos secum haberet, continuò abducerent, & neci darent. Hos, quibus id negocij iniunctum erat, cum aduenissent, rogauit Notaras, ut primò liberos in conspectu suo occiderent, & postremò in se hostili ferro ruerent. At filij timentes mortem, precibus fatigabant patrem, ut interfectoribus opes uniuersas, quas in Italia haberet, pernumeraret, ne ipse perimerentur. Verùm pater liberorum preces auersatus, iussit ut forti animo ad imminentem mortem irent. Hi quidem primò interfecti sunt. Posteà se necandum & ipse interfectoribus præbuit. His ita peractis, nec reliquis Græcis pepercit rex: uerùm omnes quotquot liberati aderant Byzantij, ad supplicium extremum rapi iussit. Hi quidem pecorum modo percussi, nulla eorum ratione habita, periere. Regem autem in Græcorum cædem concitauit aduena quidam, cuius filiam ardentissimo amore prosequebatur rex: & congressus cum ea, amore amens propinquis mulieris, quæcunque petijssent, gratificabatur. Huius itaque patri obtemperans rex, Græcos mactari iussit. Apparet Byzantij exitium miserabile superasse omnia, quæ per uniuersum orbem contigisse scimus excidia. Nec dissimile est Ilij excidio. Vltionem Ilij, diruti Byzantij calamitatem quidam credunt, Græcis barbarorum ui pereuntibus. Romani quidem constanter asseuerant ultionem apprehendisse Græcos propter ea quæ barbaris fecerunt in Ilij destructione. Hæc quidem hactenus. Rex Chatitem Priami filium comprehendi iubet, cum iam anteà eum interficere animo destinasset. Verùm cum res suæ nec dum satis firmæ forent, metu inhibitus, eum non cæpit. Cum eum comprehendisset, uinctum currui imposuit, & Adrianopolim uehi iussit, ut ibi in uinculis asseruaretur. Nec multo pòst bonis omnibus, auro & argento, quantum possidebat, eum exuit. Nam uir ille opibus cumulandis admodum inhiauerat, diuitijs'que omnes, quotquot in regia erant, longè antecedebat. Hæc contigere, cum plurimum polleret apud regem Zoganus regius affinis. Cuius filiam desponsam Machumeti Michaelis filio cum iret unà cum rege uisum, amore perculsus, ut eam uidit, uxorem duxit. Alteram uerò Mechmeti despondit Zoganus. Et quidem tum statim Chatitem necauit, ministros' que eius captos Iagupem & Mechmetem spoliauit opibus. Auri

autem

A autem erant duodecim myriades. Ministri Chatitis, quorum complures erant, pullati obambulare uolebant, ut lugerent eum, quasi uir bonus fuerit. Verum ubi rex id comperit, continuò per præconem edici iubet: Si quis in crastinum diem atro amictu usus fuerit, is continuò in Ianuas regis accedat. Cæterùm nullus, contra edictum regis, pullatus apparuit. Rex iam antea indicia haud obscura prębuerat, se uirum istum odisse. Idem loquebatur fama, quę plerunq; di uinior esse consueuit. Cum quondam uulpes ligata esset in Ianuis, rex dixisse fertur: O misera, quare non opibus Chatitem nostrum præfectum corrupisti, ut effugeres, uerùm adeò miserabiliter hęic agis? Fama nonnihil & Chatitem perterruit. Profectus est ergo peregrè, ut Mechmetis sepulchrum uiseret, sperans fore ut interim regis furor frangatur. Rex autem astu uirum circumuenit, haud cessans eum opibus colere. Quondam cum rex cerneret Chatiten fama uulgi perturbatum, pecuniam ei misit multam, dicens: Bono sis animo, nec facilè audias illos qui nescio quæ horrenda tibi augurantur. Fac bono animo sis. Chatites in hunc modum deceptus, nuncium ad regem misit, dicens: O rex in te situm est ut & doleamus, & gaudeamus. Si igitur dolere iubes, necessitas urget ut id faciamus: sin autem gaudium imperaueris, gaudio maximè indulgendum est, ac læto nos animo esse oportet. Verùm Chatites, quemadmodum exposuimus, mortuus est. Rex capto Byzantio, gloria insolescens, & superbiens, ubique magna efficiebat, & regnum suum usque promouebat, plurimis regionibus in ditionem acceptis. Miror autem si qui fuerint, qui Sibyllinis oraculis fidem non habuerint, cum Byzantinæ regionis regum scriptura ab Leone (ut aiunt) sapiente rege, in hunc regem, & in Pontificem, Florentiæ Tyrrhenorum mortuum, exeat. Nam

B nec Constantinum regem, ut qui à barbaris esset peremptus, nec in regia defunctus, nec Gregorium in Italiam abeuntem tabula illa accipiebat. Loca autem regum in ista tabula, qui suo tempore fuerunt, nec non Pontificum, siue paucorum, siue complurium, qui ad urbis eius pontificatum peruenere, interciſa sunt usque ad istum regem, & ad istum Pontificem. Extant & alia regis huius opera memorabilia, ut qui physices & astronomiæ fuerit peritissimus, earum'que potentias exactè tenuerit. Sunt autem duo aut tria, quorum ut recordemur, operæprecium est. Verùm in sequentibus memorabuntur. Cum Peloponnesiaci duces pararent fugere in Italiam, adhibitis & Græcorum clarissimis, rex Mechmetes cum ijs fœdera sanxit. Quo facto, cœptam fugam amisere. Manentes itaque, in grandem pro uoluti sunt calamitatem. Nam Albani cum cernerent eos paratos ad fugam, naues abs terra moliri & soluere, dicto amplius audientes esse recusabant: & inter sese conspirant, quasi Peloponnesum suæ ditionis facturi. Eius consilij autor & instigator erat Petrus Claudius, uir improbus, & parum dextris moribus præditus. Is non intermittebat ad defectionem impellere Albanos. Instabat usque, ut à Græcis desciscerent, sibi'que ut quem elegissent, principem crearent. Primò quidem Albani rem audiebant, quasi qui uellent suis principibus obtemperare: postea uerò animos mutarunt, cum etiamalij quidam Græci ad eandem rem capessendam conciliarent, Ducemq; creari uellent. Tandem Emanuelem natum ex genere Cantacuzenorum, ducem constituunt, res'que Græcorum agunt ferunt'que: & bellum occipientes, iumenta pecoraq; quæ Græci habebant, diripere haud abstiterunt. Albani autem omnes pastores sunt, & nullibi certis sedibus morantur. Hinc itaq; profecti, urbium domos occupabant: et accurrentes, quasdam obsidebant, quasdam expugnantes diripiebant. Cum Græcos mancipiorum loco ducerent, & planissimè contemne-

rent, scripserunt ad Ianuas regis, promittentes urbes, & exercitus Peloponnesiacos in regis potestate fore, si ipsis Peloponnesum tradidisset. Pollicebantur se quotannis tributum magnum regi pensuros. Albanos adiutabant Centerion Zacharias, frater mulieris eius quam duxerat regis frater: & Lucanes. Hos adductos in urbem Chlumetiam, in carcerem, qui in arce erat, uinctos coniecit. Albani ciuitatis praefectum promissis accendentes, persuaserunt ut in ipsorum partes abiret, & deficeret, Centerionisq; filiam duceret, uirosq; captos uinculis eximeret. & propalam bellum cum Graecis gerebant. Centerionem quidem regis frater Thomas ideò in uincula duci iusserat, quòd cum Amurates Mechmetis Isthmum destrueret, ipse rectà ex Peloponneso in Achaiam se recepisset. Ad defectionem inclinabat ipse, nec non Mpochales Leontares princeps. Et quidem Mpochales apertè defecit, & propalàm bellum gerebat: & conferens manus cum Raul principis duce, captus est: captóque oculi eruti sunt. Hos quidem in hunc modum accusans, in carcerem coniecit: Centerionem uidelicet, quòd deseruisset Peloponnesum, Amurate Isthmum diruente: Lucanem autem, quòd res nouas moliretur, & conspirationem faceret cum his Graecis, qui Peloponnesi statum nouarum rerum cupidi conturbarent. Concitauit uir iste iam anteà ad coniurationem faciendam Graecos insigniores, nec non Albanos potentissimos, adeò ut iam uires coniurationis essent haud poenitendae. Hinc, cum esset ortus genere non malo, sed maximè obscuro, cum uideretur optima esse indole praeditus, & caetera non imprudens, Theodorus iunior Spartae princeps in eorum album retulit, qui primi apud ipsum habebantur: opibusque eum colere haud cessauit. Ab hac igitur principis munificentia progressus, Graecos illustres in seditionem praecipitauit, & Peloponnesi res in ipsum, captando auram popularem, conuertit. Simulabat autem se dissidere à sententia Graecorum Byzantiorum, & timere plurimum ipsis, regionique. Dicebat se & † leges timere. Nam si obtinuissent Peloponnesi res, fore ut deiicerentur ex praesenti rerum felicitate, plurimum momenti in eo situm putabat, ut cum aliquo, quocunque tamen, conspirasset principe. Res autem Peloponnesiacae nihil sani prae se ferebant. Exercitum itaque ducentes contra Clinam, recedebant uicti admodum turpiter. Deinde expeditionem sumebant aduersus Patras Achaiae, & ducem iuniorem. Nec non in hac expedition eaduersis fortunae procellis iactati sunt, plurimis de suis amissis. Et profectò parum abfuerat, quin res Peloponnesi translatae essent ad Albanos, ni Asanes praefectus in Ianuas regis ab eo exercitum impetrasset. Aduenit autem regius exercitus, cui praerat Turachanes. Hic ut uenit cum exercitu in Peloponnesum, colloquutus est cum principibus, ut consultarent, quomodo bellum administrandum esset, & huiuscemodi orationem exorsus est. O Graecorum regis filij, oportet quidem uestrùm quosdam hei c adesse in bello. Nam ubi uos uiderint hostes, citius ad uos pergent, scientes se nihil mali à uobis passuros. Nos enim, qui hostes eorum sumus, ubi conspicati fuerint, accedere ad nos recusabunt formidine occupati. Huic meo consilio si parueritis, rebus in praesentia ex animi sententia utemini. Hoc autem diligenter moneo, & hortor etiã, ne deinceps uestros subditos, quemadmodũ hactenus, tractare uelitis. Verùm bonis benefacere ne cessaueritis, malos uerò poenis subdere ne omiseritis: & utrinque maxima cura & indefesso studio agite. Nam si boni uos adiuuerint (iuuabunt aũt, si beneficia uestra senserint) haud difficile erit punire malos. Si igitur malis haud permiseritis quicquã impunè facere, quid inopinati uobis contingere quibit? Manifestũ enim est, si improbi in bonorũ ordinem redacti fuerint, facilè

† *Quid si legas, Turcos?*

A facilè omnes eò conuertentur qui improbi in uos fuerint. Et in hunc modum oppressi, & imminuti pessimè peribitis. Oportet autem ab præteritis coniecturam facere, ut id quod in præsentia utile sit, statuatur. Verùm uestri erga uos sic sunt adfecti, ut amore complectant̃ eos qui uos oderunt, & contrariũ semper sequant̃. Et ni rex uestrã uicem dolens, uobis subsidio ueniret, & regionem propemodũ amissam redderet, bene scio de uobis rebus q̃ uestris actum esset. Cum igitur rerũ experientia doceat, uos haud rectè hactenus rempublicã & principatũ administrasse, uidet̃ necessitas monere, imò postulare, ut porrò aliter subditos imperio temperare in animũ inducatis. Et illud iterũ sedulus moneo, ne sinere uelitis, dum domi agitis, res uestras seditione dissipari: sed infestis animis ite contra eos, qui seditiones excitare nituntur, neq̃ quicquam his ita delinquentib. mollius remiseritis. Duo em̃ illa Turcos ad maximã euexere potentiã, uidelicet diligenter malos cõquirere ubicunq̃ necessitas exegisset, & meritis subdere pœnis: deinde inbonos non cessare cõferre beneficia. Et si quando instantia prohibuissent, fontes pœnis ferre, dare ueniam peccantibus haud cũctabat̃. Verum ubi iam omnia essent in tuto, nec quicquam periculi immineret, pœnas ijs qui sic cõmeruerant, infligebãt, nec eos iniurijs certare sinebant, uerùm iniuriarũ ultionem cõstanter expetebant. His dictis, postremò eos horta batur, ut se sequerentur in Albanos. Et primò quidem Demetrius adiunctis turcis proficiscebat̃ cõtra Borbotanẽ regionem munitam, in quam Albani custodiæ caussa liberos & uxores deposuerant, in aditu murum & turrim exædificantes. Eò cum uenissent ambo duces, locum obsidione premere occipiunt. Græci Turciq̃ pariter murum subruentes, ui in eam regionem irruebant, si quomodo eam occupare possent. At
B nox superueniens impedimento fuit quo minus is locus in ditionem hostiũ ueniret. Instante aũt nocte, per uallem, in quam mons desinit, fuga dilabunt̃ Albani. Verùm Turci ubi allatum est, hostes fugã capessere, continuò signa inferentes, cepere uiros & mulieres circiter decem mille. His ita gestis, exercitum mouerunt Ithomam Thoma fratre iuniore exercitum usq̃ mutatis uicibus subsequente. Hinc exercitus ducitur cõtra urbem Aetum siue Aquilã dictam, quę non multò antè Centerionis partes sequuta fuerat, quam in fidem hac conditione receperunt, scilicet ut exercitui mille mancipia, arma, & iumenta traderẽt. Postea & cæteri Albani in ditionem uenire haud abnuebãt, cum mitterent legatos ad duces, qui dicerent, Albanos paratas esse imperata facere, si paterentur ipsos habere loca quæ subegissent: nec cogerentur equos & iumenta, quæ prędando acquisiuissent, restituere. Cõditiones hæ, quemadmodum duces singuli id significarunt, sunt acceptæ, & ex eo singuli suis ducibus reconciliati sunt. Turachanes autem id quærebat, ut res Albanorum infirmiores efficeret ut in posterum principes ijs uterent̃ cõmodioribus. Hic uir, cum iam adornaret abitum, denuò cum Græcis in colloquium uenit, & in hunc modum disseruit: O' reges Græcorum cum nuper apud uos sermonem haberem, satis opinor, declarauí, quid, quantum attinet ad res uestras, fieri uelim. hoc autem nunc adiscere placuit: si concordes fueritis, res uestræ in tranquillo & felice requiescent statu: at si discordes fueritis, & dissensiones mouueritis, contrarium eorum, quę in medium adduxi, eueniet. In primis operam date, ne subditi uestro imperio conuicijs uos proscindant, dum alta fruimini pace: uerùm impensius cõtumeliarum & iniuriarũ auctores punire ne cessaueritis. Mali enim principiũ, quamuis pessimũ sit, attamen continuò ad magnas ꝓcedit cõtumelias: quę ubi auctæ fuerint, seipsas haud amplius sustinere possunt. Itaq̃ nequis id bonũ cẽsuerit. Solet enim id ad q̃d quis amore rapit̃, usq̃ crescere, & incrementa sumere, quicquid tamen ingruat. Hæc loquutus Pelo ponnesi ducib. dexterã porrigit, quo facto, abijt. Cęterũ lõgè alia q̃ heîc prę ce

perat

perat, ſecuti ſunt ſtudia. Nam dum uterq; ad ſuos colẽdos & beneficijs deuin
ciendos eſſet pronior, uſq; diſcordias inter ſeſe fouerunt, dum uterq; ſuos ma
iore indulgentia habere niteretur, quo eos ſibi magis fidos pararet. Itaq; toti
ad gratificandũ propendebãt duces. Quidã apud hos uiri primarij, reliquos
ad ſeditionem & cõiurationem inſtigabãt: quod quidẽ ideò fiebat, ut diſcor
dia exoriretẽ, & illorum concordiã inhiberet. Interim duces his, quaſi malo dę
mone incitati, res ſuas miſeri corrunpendas cõmiſere. Lucanes Peloponneſia
cus adducens quoſdã Byzantios, Albanos, & Peloponneſios ad cõſpiratio
nem impulit, ut pro ſuo arbitrio, nõ ducum, reſpub. ſuas adminiſtrarent. Hac
coniuratione freti, pergebant ad Aſanem, cuius auctoritas in Peloponneſo e
rat maxima, ut qui Corinthũ, nec nõ modicam Peloponneſi partem regebat.
Hic eos nequaquã admittebat, neq; quicquã ijs concedebat. Exinde cum Al
bani & Peloponneſiaci tributũ, quod imperatũ erat, pernumerare abnuerent:
nec Aſanes id ad regem perferre potuit. Tributũ aũt annuũ pendebant duo
decim millia aureorũ ſtaterum. Quapropter in hunc modũ mutuis diſcordijs
attriti Græci, paulatim peribant. Nam propalàm iactabãt Albani & Pelopõ
neſij ſe tributũ nõ exoluturos, niſi inter ipſos regio uniuerſa æqualiter diuiſa
fuerit. Oportebat ſanè hæc, cũ parũ ꝓpitia fierent fortuna, ipſis exitiũ adferre,
& planiſſimè ad nihilũ redigere. Rex quidẽ Mechmetes ſecundã capto By
zãtio expeditionẽ cõtra Tryballos & Nouopyrgũ urbẽ ſumpſit. Hæc intra
regis regionẽ ſita eſt, ꝓpe flumẽ Morabã, q fluens à Priſtino regis regione, &
huc ueniẽs in Iſtrũ exhauriẽ. Exercitus regius uniuerſus graſſabaẽ per Trybal
lorũ reginẽ uniuerſã: equitatus quoq; in hãc emiſſus prædas rerũ omniũ cõfer
tim agebat. Ipſe aũt circũſederat parte copiarũ urbẽ, et ſupino bõbardarũ ia
ctu grauiſſimè, quæ intra eam erãt, adfligebat. Bombardas aũt eiectas ſupino
iactu lapides in altum torquentes primus rex ille inuenit. Nam bombardæ il
læ erectę, ſiue mortaria, in aerem globũ ſublimem iaculanẽ. Qui deinde dela
pſus, id penitus ad quod à bombardario fuerit directus, ſternit & cõminuit.
Tanta aũt globi certitudo eſt, ut nullo modo aberret à ſcopo, quem bombar
darius animo deſtinarit, quamuis globus in altum eiectus fuerit. Diebus igi
tur plurimis Mechmetes oppidanos in hunc modũ lædens, tandem eos dedi
tionem facere coegit. Vbi ſemetipſos ſuaq; fidei regis tradidere. Ipſe ſupelle
ctilem & precioſiſſima quæq; accipiens, & partem quandã hominũ in manci
piorum conditionem transferens, reliquos ibi habitare paſſus eſt, maximè, ꝓ
pter metalli opus, cuius in primis iſtius regionis incolæ periti cenſenẽ. Nec
contemnendus regi redditus eſt, ex metallis quæ ſunt iuxta iſtam urbem. Try
ballorum princeps cognito contra ſe Mechmetẽ hoſtili animo pergere, abijt
tranſiens in Pannoniã ad Choniatem, ueritus ſi Spenderoben ueniſſet, ut obſi
deretur à rege. Rogabat itaq; Choniatem, ne ſe amicum & propinquũ deſe
reret, uerùm acerrimè à ui Turcorum aſſereret. Vbi autem Spenderopyrdes
tantum effecit apud regem ut pax fieret, non multo pòſt expirauit. Succeſſio
principatus deuoluebaẽ ad Eleazarũ filium iuniorem. At cæci continuò ſur
ripientes pecunias quotquot poterant, uenere ad regem: qui cum his regionẽ
aſſignaret, factum eſt, ut uictum nanciſcerenẽ ſufficientem. pax aũt cum eo cõ
uenerat, ut quotannis tributũ maximũ ferret, uidelicet uiginti millia ſtaterum
auri. Eo anno q ſequebaẽ expeditionẽ cõtra Mpelogradã urbẽ Pãnonię ſuſce
pit. Vrbs hæc, quemadmodũ docuimus cũ ſcriberemus de Amurate, ab uno
latere iuxta Iſtrũ ſita eſt, ab latere altero alluiẽ Sabba, qui ſe in Iſtrũ effundit. ab
utroq; circũfluiẽ ea urbs. Siquidẽ ambo prẽter eã labunẽ. Cõtra hãc exercitũ
duxit Mechmetes Amuratis filius, prius tamẽ cũ parte copiarũ cõtra Illyrios
ire iuſſit Therizẽ, et Haliẽ Michalis filiũ. Prẽterea eodẽ tẽpore bellũ ei erat cũ
Colchidis rege, q ꝑerat Trapezũti. Mittẽs igiẽ triremes, quarũ dux erat Che

tyres

A tyres Amasiæ præfectus, Colchidem, & maritimam Colchidis regionem e-
uasta bat. Vbi igitur uoce præconis, quem per uniuersum regnum miserat,
exercitus suos Adrianopolim exciuit, in militiam profectus est ipse, ducens
Ianuæ milites & peregrinos, & nauib. subuehebat, camelisq; portabat æris
plurimum ad bombardas fundẽdas, iterq; fecit per Tryballorum regionem.
Tryballorum dux hospitaliter & benigne regem et duces tractauit, mittendo
ijs munera maxima. Nam Ducem Tryballorum haud fallebat, se continuò ar
mis Mechmetis debellandũ, ubi primùm in Turcorum ditionem Mpelogra
da concessisset, Rex igitur hostilia spirans exercitibus eam urbem circumse-
dit. Est autem in medio utrorumq; fluminum Isthmus, latitudine maximè se-
ptem stadiorum. Eum locum castris permuniendis delegit, idemque ur-
bem oppugnabat, haud cessans murum bombardarum globis quassare. præte
rea peregrini cum pluteis præparatis muniti, quàm proximè ad murum subijs-
sent, sagittis Pannones petere haud intermittebant. Castra regis maxima e-
rant. Rex autem cogitabat, si flumen plus obtineret, & Pãnones phiberet, ne
ex altera fluminis ripa ipsis aditus in urbem pateret, se facilius resistere hosti-
bus, & tandem urbe potiri posset: proinde copijs naualibus, quæ erant per re
gionem Istro affusam dispersæ, naues quæ præstò erant, impleuit. Naues au-
tem numero erant ducentæ. His fretus, enitebatur obtinere flumen, & inhi-
bere Pannones, ne possent in urbem transgredi. Præterea cum in hunc modũ
à reliquis intercepisset, & quasi inclusisset oppidanos, ad urbis oppugnatio-
nem, quam facilem sic fore putabat, totis uiribus accingebatur. Naues in flu-
men deducebantur ab urbe Bidina, & aliquot diebus flumẽ, quod eam regio
nem præterlabitur, fortiter obtinebãt. At Pannonum rex, qui cum magnis co
B pijs castra posuerat in regione, quæ ex opposito erat, milite complet naues o-
ptimas quas Budæ habebat. Et secundo flumine pergit cõtra Turcum, ut qui
cum eo nauale prelium esset commissurus. Regiæ naues contra flumen enisæ
ostenderãt ad maximã Pannonię partẽ uastando, urendo, & prædando, quæ-
cunq; casus obtulisset. Verùm haud multo pòst obuiã procedit Pannonũ clas-
sis hosti, & impetu inuadentes regias naues, quasdã demersere, & cepere na
ues circiter uiginti Pãnones interfectis uiris, qui in nauib. fuerãt, ædiculas in
naues uirisuacuas ponũt: & classem uniuersam in ordines explicãtes, secũdo
flumine ad hostilia castra cõtendebant. Turci quidẽ in hunc modũ necati inte
rierãt. Cæterũ naues reliquæ, quæ nõ uenerãt in Pannonũ manus, celeri fuga
ad regia castra, pperant, & naues in portũ ubi regia castra erãt, impingentes &
nauib. egredientes, intra castra se recepere. Has quidẽ naues illicò rex incendi
curauit, ne in Pannonũ potestatẽ redigerent. Pannones ex eo tẽpore flumine
potiebantur, & ex continente, quæ eregione erat, ferebantur in urbem, ut eam
defenderent ab hostibus. In hanc ingrediebatur stipatus suis Choniates: præ-
terea Capistramus Nazaræus, cuius auctoritas in religionis negocio maxi-
ma habetur apud occidentales. Nam quia insignis pietate uir erat, missus est
auctoritate pontificis ad Boemos Pragam urbem magnam inhabitantes, qui
colebant Apollinem, ut eos abnegata ista impietate in religionẽ Iesu trans fer
ret. Hanc enim mira persuasione docere nouerat, ut qui esset dicendi peritissi-
mus. Quapropter plurimos Boemos docendo compulit Christi religionem
assumere. Præterea plurimos Germanos, Pannones & Boemos ad inferenda
arma barbaris Christi hostibus permouit. Et in hũc modũ plurimos secum in
hãc expeditionẽ quasi uelites ut eorũ opera in uelitarib. prelijs esset duxit. Nã
hi ubi compertũ erat urbis murũ bombardis esse stratum & in periculo esse, ut
ab hoste impio caperet, cum obtinuissent fluminis traiectũ per ocium collige
bant in urbem, quorum uires neutiq; contemnendæ erant hostili exercitui.
Rex Turcorũ cum iam murus dissipatus bõbardis aditũ præstaret, parabat se

quasi

quasi incursionem facturus ad mancipiorũ prædam agendã: & ignes, quemadmodum mos gentis est, facientes, præparabant se ut in diem posterum urbem adorirent. Machinas & uineas, quibus tuti ad murum succederent, expediebant. Europæ dux Carazies, qui gloria & uirtute excellebat omnes qui in Ianuis regis stipendia faciebãt, ab oppidanis bombardæ globo ictus, occubuit. Rex quidem mortem huius uiri, maximã calamitatem suis rebus inuecturam augurabatur, & multùm eum lugebat. Cum autem uisum esset manè urbem aggredi, tubas, cymbala, & cornua canere iubet, & peregrinos in murum ductabat. Hi murum continuò scandendo superarunt: & quà cuique liberum erat, in urbem infundebantur: qui cum in urbem intrassent, se eam cæpisse existimabant. At Choniates cum suis instructi & armati, expectabãt occultè, donec peregrini omnes in urbem intrassent. Nam qui in arce consistebant, tesserã acceperunt, ut ubi primùm tuba sonum dedisset, peregrinos confestim adorirentur. Præterea qui antea per murum erant dispositi, iussu Choniatis a muro decesserunt. Nam his id ideo præceptum erat, ut peregrini maiore securitate in urbem penetrarent. Iussi tamen sunt, ut ubi primùm tuba cecinerit, ad murum singuli, & ad ea loca quæ defendenda suscepissent, cursu se proriperent, ut peregrinis, quos ab reliquis intercepissent, pro arbitrio uti possent. Verùm peregrini ubi primùm oppugnationem sunt auspicati, urbem, nemine resistente & prohibente, ingressi sunt. Pannones enim, quemadmodum moniti erant, retrò cesserunt, & se occultabant. Peregrini autem, cum crederent Pannones fuga esse dilapsos, raptim in urbem procursantes, alius aliò ad prædam conuertebantur. Cum autem, quemadmodum conuenerat, tuba sonuisset, qui prius murum defensarant, celeri cursu se singuli ad sua loca contulere, & peregrinos incluserũt intra urbem. Choniates instructa acie contra peregrinos ibat. Hi uidentes Pannones ex arce prodeuntes aduersum se pergere, ad murum retrò ire instituunt. Cedentibus peregrinis, acriter institere Pannones, & plurimos leto dederunt. Cæteri, qui ad murum properabant, cum uiderent Pannones per murum in solitis stationibus armatos dispositos, ui eos aggrediebãtur: & contra ipsos cursu lati ferebantur in fossam. In hunc modum eo tempore Pannones eiecere peregrinos, & barbaros uincebant. Postea coniunctis copijs Capistranus & Pannones egressi sunt, ut prælium committerent cum eis qui regias bombardas curabant. Inito itaque prelio, bombardarios in fugam coniecere, & bombardas obtinuere. Rex cernens suas bombardas à Pannonibus captas, multum animo discruciabatur: proinde & ipse ibi consistens, fortiter prelium capessere haud neglexit. Cum autem Pannones non posset à bombardis submouere, tandem & ipse fugam arripit. Pannones eò loci continuò receptui canebant: & dirigentes bombardas in castra regis, ea grauiter adflixere. Cum iam meridies adesset, & fuga, reliquaque quæ euenerant, nunciata essent Pannonibus qui e regione morabantur, aduehuntur non pauci, nec tamen in urbem, uerùm in castra iter maturant. hi qui in urbe relicti erant, in castra egrediunt, & undique regia castra summa ui oppugnant. Tentoria in regis castris diliecerunt plurima. Azapides diripuerunt forum. Rex clamabat, ut eximerent eorum puellas. Ipse quoque prælium cum suis occipiens, Pannones in fugam uertebat. Eò loci peremit uirum Pannonum rex, uerùm uulneratur femur: nec tamen uulneratus in fugam effunditur. Deinde cum ad bombardas recipiendas egrederet, Pannones conuersi Barbaris acriter instabant, & eos simul cum rege, usque ad castra persequũtur. Et cum tertiò hoc esset factum, rex grauiter animo dolebat, non adesse peregrinos, & suppetias ferre in eo prælio, uerùm esse profectos ad colligendum pabulum, & necessaria. Vocans autem in isto tumultu Chasanem peregrinorũ ducem, huiusmodi orationem habuit: O pessime hominum, quò nobis peregrini

A grini abeunt? Quomodo te duce ingressi sunt prælium? Nescis ex humili fortuna quàm ad magnam dignitatem te prouexerim, ut sis uidelicet dux? Sed scito, nisi prælio me absumpserit, pœnas mihi dabis, quas omnes iustissimas esse pronunciarint. Chasanes respondens, inquit: O rex, peregrinorũ plurimi saucij sunt. Reliqui qui integri sunt, dicto nolunt esse audientes. Ego aũt, ut opera mea utaris fideli & forti, quamuis mihi indigneris, in medios me conferam Pannones: ibiq; fortiter dimicans, pro rebus tuis occumbã. His dictis, in medios se confert hostes, & in conspectu regis à Pannonibus trucidatur. Fuit autem uir optimus. Etiam ministri quidam eius ibidem interfecti sunt. Cum Pannones in castris fortiter inhærerent Turcis, eosq; fugam capere cõpellerent, ex improuiso aduenium sex millia equitum regis, quos miserat iam antè ad custodiendã & defendendam regionem suam Istro adiacentem: præterea ut obsisterent Pannonibus nauibus aduenientib. ne in terram exire possent. Equites hi aduenientes, cum iam ferueret prælio, Pãnones in medio agunt, & plurimos ibidẽ interimunt. Deinde cum uerterent Pannones in fugã, eos ex castris pepulerũt, et ad bombardas se recipere coegerũt. Et in hũc modũ finis prælandi, cum iam instaret uesper, factus est. Rex cum cerneret res suas propemodũ accisas esse, fuga unà cum exercitu suo euadere enitiẽ. Nam peregrini plerique saucij & timidi erãt. Aduenięte igitur nocte, iubet ut impedimenta omnia colligant, seq; ad ꝓfectionem pręparent, quo parati et instructi sequantẽ quocunq; eos ducere instituerit. Et tandẽ noctu fuga sibi cõsulens abibat, cum interim malè metueret, ne Pannones cum reliquo exercitu transgressi, ipsum persequi statuerent: atq; in hunc modũ discessus, & in patriã reditus sibi suisq; difficilis redderetur. Et sanè Pannones persequendi fugientem hostem admodum cupidi erant: & id fecissent, ni Choniates eos à persequutione inhibuisset, sciens Turcos, quando discrimen anceps impenderit, duplo, q; sint alias, fieri fortiores, & omnia perpeti. Huc accedebat & pestis, quæ sæuissima Pan-
B nonum inuaserat castra, ut nequiuerint longo tempore pòst uix ab illo cõtagio respirare. Ioannes quidem eo in prelio uulnus accepit, ex quo haud multo pòst mortuus est. Hæc quidem mihi præcipua causa extitisse uidet, quòd Pannones à persequutione hostium abstinuerint. Ioãnes nõ diu post fugam regis uiuens defunctus est, cum extitisset uir optimus, qui ex humili loco ad maximã conscendit potentiã, memorabilia designans facinora contra Germanos & Boemos: & in regnum Pannonum succedens, maxima florebat gloria. Præterea præclarè rem gessit aduersus Turcos, quos putabat, nisi copijs maximis suorum & uirtute, superari haud posse. Pannonum regnum nec non exercitus eorum ipse quoq; suscepit. Cum aũt ei inuiderent reliqui Pannoniæ principes, nec eius imperia capesserẽt, attamen breui effectum est, ut regnum retineret, cum etiam illi inuidi confiterentur regnum esse isti uiro committendum, quod non cessaret & firmissimũ & tutissimum præstare. Apparet aũt, uirum hunc, quæcunq; aggressus est, effecisse, usum & diligentia singulari & celeritate præterea, quòd ubicunq; occasio affulsisset, continuò præstò fuerit. Sunt qui tradunt, hunc uirum peste infectum mortem obijsse. De Capistrano nunc quantum scimus, referemus. Capistranus sectator fuit Bernardini Cõcilij, qui plurima & magna, quę pertinent ad religionem Iesu, docens, magnam ad gloriam & claritatem emersit. Nam facilè princeps, quantum ad eruditionem & contemplationem attinet, per uniuersum Occidentem apparuit. Itali in honorem Bernardini demortui festa celebrãt, & templa exædificãt, ceu heroi. Nec paucæ statuę per Italiã uisuntur, quę consecratæ in honorem huius uiri positę sunt, quasi extiterit uir quidam sanctus & diuinus. Commemorant & miracula, quę uir ille fecerit. Huius sectator cum foret Capistranus, quemadmodũ antea explanauimus, & ad plurimas regiones accedens, publicè doceret, etiã

deuenit ad Boemos, qui ea secta uidebantur infecti, ut ignem colerent, nec uel lent inde recedere, & uerã religionem apprehendere. Qui pertinaces cum nol lent cõsentire cum reliquis per uniuersam Boemiam, aduenięte Capistrano, continuò cum alijs in eandem religionem commigrarunt. Cum aũt sapientia & intellectu plurimum ualeret, regi Pannonum familiariter iunctus est. Fa miliaritate ista permotus, regem, ut suprà meminimus, in Turcica expeditio ne enixè iuuit. Regem hunc ab Germania accersiuerunt Pannones. erat enim patruelis regis Sigismundi. Nam eum, cum adhuc foret puer, post obitũ La dislai in Barna missis legatis ad Albertum Sigismundi fratrem, qui tutor e rat pueri, petiuit, et in Italiam abductum secum habuit. Si quidem & Alber tus iste, cum esset Germanorum rex, & uenisset ad Romanũ Pontificem, Im perator ab Nicolao Pontifice declaratus est. Suscepta Imperatoria dignitate, in animo habebat bellũ inferre Turcis. hunc igitur opibus prępotentem (erat enim Imperator) Itali suscepere, eiq; honores maximos habuere. Puerum, qui Viennæ apud eum morabatur, petiere Pannones. Verùm rex Pannonibus puerum tradere cũctatus est (erat enim ad huc puellus) ut ne quid discriminis ei ingrueret, anxius metuebat. Pannones itaq; unanimi consensu bellum lon go tempore cum Alberto gessere. Præterea legatos ire iusserunt ad Romanũ Pontificem, petentes sibi regem restitui. Quod si facere abnueret, profitebantur se non prius posituros bellum, quàm regionem eius omnem miserè per uastatam uniuersam in ditionem accepisset. Verùm rex postea Pannonib. ce debat, & puerum ad regnum capiendum misit. Qui ubi uenit Budam, & co pias Turcorum regis Mpelograda, ductu Choniatis, submouit, haud diu su peruixit. perhibent enim eum ueneno sublatũ esse à quodam Laurentio Che drechabare. Et cum duxisset uxorem regis Gallorũ filiã, ueneno interemptus est prius q̃ nuptias celebrare quiuisset. nam mortuus est antequã uxor in regnũ eius ueniret. Hoc è numero uiuentiũ subtracto, dissensio inter Pannoniæ pro ceres exorta est. At in ea discordia uictores euasere filij Choniatis. Orlichus enim princeps regionis in Pannonia haud pœnitendæ, cui intercesserãt inimi citiæ cum Choniate adhuc superstite, censebat filios Choniatis non in senà toriam dignitatem collocandos, ut quorum pater maximarum ipsis contra Turcos dimicantibus auctor calamitatum extiterit. Pannones cõtrà impium ducebãt, Choniatis filios regno & magistratu expelli. Filij igitur Choniatis insurgentes cõtra Orlichum, in curia caput eius amputarunt, & abierunt. Fa ctum hoc Pannones indignissimè ferebant. Et Choniatis filium in uincula coniecerunt: & quo maiore custodia asseruaretur, uinctũ Mpelogradam de portarunt. Verùm is haud multo pòst effecit, ut uinculis exemptus, in regiam dignitatem subueheretur. Nam rex creatus est, adiutus fideli opera paternorũ amicorum. Etiam plurimum ad regnũ parandum contulit, quòd opibus ex ercitum sibi conciliauit, eumq; in Pannonum regione aluit. Et in hunc modũ insigne regiæ dignitatis decus acquisiuit. Iloces cum iam antea discordiam fo uisset aduersus Choniatem, & deinde inimicitias suscepisset cum filio eius, qui regno potitus erat, recusabat nouo regi obedire. Verùm non multo pòst cum intercessisset pactum, regis imperiũ admittebat. In hũc modum regnum delatum est ad Choniatis filium iuniorem. hic bellum gerebat cum Alberto Romanorum Imperatore, magna edens ubiq; militaris uirtutis opera. Bra gam et Boemiam subegit, ut iam utraq; regna ei parêrent. Albertus Romano rum Imperator in animo habebat, armis petere Mechmetem Turcorum re gem. contractis igitur copijs, legationem mittebat ad Pannones, petens ut se sinerent suas copias per ipsorum regionem ducere, & cõmeatum præberent. Pannones aũt comitijs habitis inter se collocuti erant, si domuisset Thraciam, & magnam potentiam sibi peperisset, fore ut reuersus etiam Pannoniã subi gere

A gere conaretur. Quapropter responderunt, se nequaquam uoluntarios transitum per suam regionem præstare. Quidam perhibent Pannones sic decreuisse. Verùm sunt qui tradunt Pannones benignè respondisse legatis. Cæterùm legatis reuertentibus ad regem, à quo missi erant, subornarunt uiros qui eos in uia quà profecti erant, ex insidijs adorirentur, & necarent. Quod quidem contigit. Imperator cum ad inquisitionem legatorũ conuerteret, effecit ut iterum bellum inter ipsos exoriretur, & grauiter se mutuò affligerent. Hæc quidem à Pannonibus contra Germanos & Albertum Imperatorem facta esse traduntur: quæ profectò paucis annis intercedentib. contigere. Propter istam discordiam ferunt Romanũ Pontificem Mantuæ egisse, uocantem Iberorũ & Gallorum reges & duces magistratusq; per Italiam, præterea duces Germanorum & Pannonum. Egressus Roma Mantuam, quò concilium indixerat, id ibidem concelebrabat. Huc conueniebãt Occidentaliũ regum & principum legati, & consultabat, quomodo Turcorum rex Mechmetes foret debellandus. Singulos legatos regũ & principũ, quorũ auctoritate missi erant, sententiã expromere iubebat. Quidam pecuniã, quidã milites se in eam expeditionem collaturos pollicebant. Decretũ est ut decimæ reddituũ omniũ, & quinquagesima pars eorũ quæ ad Clerũ redirent, in istam expeditionem contribuerent. Ordinatum est, ut pecunia, quæ hinc colligeret, reconderetur. nec non uiri huic negocio destinati sunt. Secundum hæc cõclusum est, ut Germani cum Pannonib. in gratiã redirent. Miserunt ad concordiã istã cõstabilien-
dam Bessarionẽ Cardinalẽ Trapezuntiũ, qui princeps eius legationis facilè omnes excellebat. Missi sunt utrinq; legati, quorũ opera cõcordia inter ipsos cõponeret, & discordia pelleretur. Legati quidã alij alio ire iussi sunt, ut reli-
B quos cohortarent ad capessendũ bellũ cõtra Turcos. Hæc quidẽ sub Pio Põtifice contigerunt, cum eniteret nequaquam antecessoribus suis esse inferior. Etenim capta Cõstantinopoli, concilio agitabat Nicolaus, et longa oratione habita occidẽtalis principes hortabat ut bellũ barbaro inferrent. Verũ haud multo pòst obijt mortẽ, cum ea adhortatio haud dum ad rem esset collata. Eusebius aũt siue Pius ubi pontificatũ suscepit, semetipsum grauissimo iureiurando illigauit, & literis significauit, ut classis Neapoli pararetur ad Turcicã expeditionem. Nam Alphonsus creatus erat dux cõtra barbaros. Literas has ubi accepit Parthenopes rex, triremes decem in barbarorũ regionem misit, initium faciens Turcici belli. Hæ quidem solæ, nec plures, appulere Rhodum. Vnde soluentes, ferebant contra regionem regis Asiæ maritimã. Aliquãtulũ damni inuexere barbari regioni. Nam accedentes, subiecerũt Lemnũ, quam ea tempestate rex tenebat. Postea in ditionem acceperũt Imbrum, & reliquas Aegei maris insulas. Scyrum enim & Scopelũ, nec non reliquas insulas, Byzantio capto ad Venetos transijsse constat, qui eas tenuere. Cum aũt per integrum annũ triremes illæ hinc inde oberrassent, nihil sanè memorabile fecerunt. Præterea cum triremes aliæ nullæ ab Italia submitterent, & ipsæ in Italiam redirent: et nauales milites, qui in illis erant, per Italiæ urbes dispersi sunt. Hũc finem habuit Eusebij siue Pij apparatus bellicus. Deinde etiã Pius Pontifex, ubi primũ pontificatũ suscepit, concilio Mantuæ celebrauit: in quo nihil aliud actum q; quomodo Mechmetes Turcorum Imperator esset domandus. Bessarion cum ad Pannones & Germanos ueniisset, mandata quæ acceperat, ijs enarrauit. Cum institueret discordiam, qua inter se laborabant, dissoluere, & concordiã inducere, nihil efficere quiuit, quamuis in unum locũ eos contraxisset. Verùm re infecta discedebat. Tandem uisum est, ut ex Italia, profecti, Turcum terra aggrederent. Hæc quidem hactenus Mantuæ in concilio gesta sunt. Nunc tempus est, ut redeam ad illum sermonem unde ad hunc digressus sum. Ea æstate quæ insequebat, præclarè secũ actũ putabat Mechme-

tes, qui inauſpicatò rem geſſerat cum Pānonibus, quòd quietem agere poſſet. Miſit igitur partem exercitus contra Scenderem Ibanis filium, quem pater, quamuis ſæpius eum debellare occæpiſſet, uincere nequiuit. Ieſum filium Brenezis cōſtituit ad id bellum ducem, cui tradidit exercitū, qui Pherris erat, & eum qui erat apud Axiū, nec nō Theſſaliæ exercitū. Duce aūt Ieſu incurſionem faciebat uerſus Ionium Macedoniæ, & pleraq; iſtius depopulatus eſt. Scenderes legationē miſit ad Rom. Pontificē, et ad regē Parthenopes Alphō ſum. Nam regi huic admodū charus & familiaris erat. Quia ꝓpter bellū Turcorū imminēs iſti regi Cruā aſſignarat, eamq; huic ſubditā eſſe uolebat. Tranſportauit igitur ibi rex Parthenopes ab Iapygia pedeſtrem exercitū magnū in Epidamnū, cui præfecit ducem de ſuis uirum prudentem: & regis regionem cuaſtabant. Poſtea coniunctis copijs obſidebāt urbem Sphetoā nominatam, uolentes eam expugnare. Ieſus Brenezis filius cum intellexiſſet inquā neceſſitatem ueniſſent Sphetoenſes, accipiēs equites qui erāt in Axio, & Peresbiorum exercitum, citato agmine, ꝓficiſcens (reliquam regionem cuſtodiebant Itali) & ſubitò adueniens, Italos omnes ad internecionem occidit. Scenderes uerò, ut qui abfuiſſet, mali nihil paſſus eſt. Nec multo pòſt Scēderes iſte uenit in Italiam ad Parthenopes regem. Qui excepit eum honorificè, & beniguè tractauit: eumq; ad Romanū Pontificem miſit, ut et ab ipſo aliquid honoris conſequeretur. Poſtea cum ei opes dediſſet maximas, eum ad principatū ſuum remiſit. Hic igitur reuerſus ad principatū ſuum, expectabat regis exercitum hoſtiliter adeuntem. Verùm ſe in loco tenebat munitiſſimo. Habens aūt ſecum exercitū, quem de ſua regione conſcripſerat, iter per montes faciebat. Vxores & liberos in loca munitiſſima deponens, ipſe hinc inde cum exercitu uagabaṫ, ut defenderet regionem: ſemperq; præſens erat ubicunq; eius opera deſiderabatur. Et quidem copiæ pedeſtres & equeſtres in Scenderis regionem incurſionem faciebant, prædas pecorum & aliarū rerum agere haud ceſſabant. Et diu in ea morantes, omnia corrumpebant, cum non cunctarenṫ ędificia & uillas incendere. Tandem cum ſatis euaſtata eſſet regio, exercitū abduxit, cum nihil ſanè memorabile deſignaſſet. Scenderes quidem arcem iuxta Epidamnū, quæ ſpectat Ionium, exędificauit. Eſt autem eò loci Cherſoneſus & Iſthmus breuis, cōplectens tria ſtadia. hunc muro cum undiquaq; eſſet amplexus, non paucos Albanos in eam regionē tranſtulit, ut ibi habitarent. Prętерea urbem admodum communiuit, ut ſi quid noui ingrueret ab regis exercitibus, ibi potius quàm alibi obſideretur. Nam ſi non poſſet reſiſtere, aut par eſſe copijs regis, ſupereſſe tutiſſimum effugium, uidelicet ut inde ſe proriperet in mare, et quò uellet abnauigaret. Exercitus igitur regis cum acceſſiſſet ad iſtam regionem, nec urbem quam oppugnabat, capere poſſet, domum reuerſus eſt. Iſto anno quo in militiam profectus erat contra Scenderem Mechmetes, nihil aliud actum eſt. Appetente autem æſtatè, uiros de Ianuis ſuis primarios miſit ad principes & reges tributarios, quos euocabat ad liberūm ſuorum circunciſionē, quam purgationem uocant. Accerſiuit & regni ſui principes, urbium præfectos, ſatrapas, ducesq;, & milites quotquot mercede conducti penes hunc regem ſtipendia faciebant. Cum ad eum conueniſſent exercitus Adrianopolim, circunciſionem, quam ipſi purgationem putant, liberorum ſuorum peragebat. Munera capiebat magnifica ab magiſtratibus & ſatrapis. Cōuentus ille frequentabaṫ extra urbem in cāpo iuxta inſulā. Omnes ſub diuo agebant, præter regem & principes. Nuptiæ hæ (ſic enim appellantq; circumciſionē) credunṫ ipſis optimæ eorū omniū quæ ad uitā pertinent. Quilibet cōtendit in ijs nuptijs aliquod ꝓponere ludicrū. nec pauca ludicra in circūciſione regiorū liberorū exhibent. uiri erecti, inſiſtentes equis, nulla externa ope ſe tenētes, manēt immoti, equis in curſum effuſis. Omitto cōmemorare

A rare funambulos. Nam in ista arte Turci reliquos mortales longè superant. Saltantes etenim incedunt per funes suspensos, & per eos currere possunt quàm citissimè. Innumera quædam alia admiratione digna faciunt, euntes super his per gladios strictos, & redeuntes. Hæc quis quotidie cernat in foro, quod Tactalem nominant, ubi & funambuli ludicra sua faciunt. Hoc hominum genus penes ipsos Tampezim appellant, propter eos qui artem hãc addiscunt. His similia alia plura quis uideat in isto fieri foro. Gymnica certamina in ista urbe quoq; frequentantur. Præterea quis non ceu miraculum quoddam admiretur, puerum sub terram defodi, & eum audire respondentem ad ea quę interrogatus fuerit. Verùm alia quæ maiore quadã uirtute & potentia fiunt, minora sunt his quæ per funambulos fiunt. Etiã alia ludicra in ista circũcisione pposita sunt. Mechumetes regij palatij prefectus, et Europę simul dux muneribus quæ in regem contulit, omnes uicisse uidetur, reges uidelicet & Ianuarũ duces. Hic Mechumetes filius fuit Michaelis, materno genere Tryballus, paterno Græcus erat. Hunc puerum adhuc existentem & euntem unà cum matre à Neboprido Spenderobam, equites regij comprehensum in itinere, adduxerũt cum uniuersa familia ad regem. Rex autem accipiens puerũ in suum cubiculum, magnum eum breui declarauit uirum. Primò equorum regiorum curatorem eum designauit: postea ducem constituit Ianuæ militum. Nam Zoganum affinem suum ex isto dignitatis gradu detraxerat. Is tandem summus erat. Breui autem eò potentiæ progressus est, ut facilè omnes qui unquam inter Ianuarũ duces præclari extitere, anteceſſerit. Ferunt Charaitinem & Halien filium maxima auctoritate polluisse inter Ianuæ milites tempore Amuratis & Paiazitis: neuter tamen tantam & potentiam & regionem nactus est, quantam is acquisiuit. Nam hic cum primas inter omnes duces Ia-
B nuarum ferret, exercitum proprium alere potuit. Habuit & ministros plurimos, qui & ipsi ad magnam potentiam peruenerunt. Nam Græci pueri qui Byzantio abducti erant, & cum rege morabantur, magnam sibi peperere potentiam, opesq; magnas. Inter hos erat Murates, ortus genere Palæologorũ apud Græcos perquàm celebri. Post hunc Mechmetes, Mandromeni filius, plurimũ dignitate & opibus uigebat: qui primò præfectus Amyræ Pisidiæ declaratus est. Si quis autem uelit nomina ista in Græcam uertere linguam, significabit quidem Murates cupiditatem, Halies Heliam, Eses Iesum, Empreimes Abrahamum, Sulaimanes Solomonem, Iagupus Iosephum, Scenderes Alexandrum. Et quidem hæc Græcè. Pariratione Eleezen Demetrium, Chetirem Georgium uocant. Quatuor autem ista nomina reliqua, Paiazites, Orchanes, Orthogules, Tzymisses, et his similia, originẽ trahũt ab auibus & Scythis. Etiã hoc in nominib. obseruãt, ut quandoq; diminutiuis, quandoq; uerò augustioríb. utanr nominibus, ut Mustaphã Musplachasitem: Cheterem, Charaitinen. Eadem & in reliquis obseruatur ratio. Europa habet, quos à rege accipit, præfectos, numero trigintasex. Horum qui præcipui fuerunt, capiunt stipendij nomine à rege duas myriades aureorum staterum. Præfecti autem minores, accipiunt myriadem aureorum staterum, plusminus ue. Asiam autem distribuit in Semæas, siue signa. Singulæ Semææ siue signa continent præfectos quadragenos. Præter hos etiam urbes magnæ, ut Therma Scopiorum urbs, Philippopolis, & aliæ, principes habent qui connumerantur signis. Hi principes ad Semæas siue signa pertinent, & obediunt Europæ duci summo: quemadmodum Asiani principes Asiæ duci summo parent. Prefecti & duces, quócunque duxerint, eò sequuntur Europæ & Asiæ principes Quando aũt satrapes adbellum aliquod pro-

ficiſcitur, urbium principes ex præſcripto ſatrapæ ſequuntur auxiliares. Summa poteſtas penes regios duces ſummos eſt, quibus etiam ab rege ſtipendium numeratur maximum. Et in hunc modum breui plurimas opes congregant, quas ab ſatrapis & urbium principibus accipiunt. Inter Ianuæ milites maximam poteſtatem duces obtinent, qui legati ſunt, & plerunque aſſeſſores ſunt regis, & conſiliarij earum rerum quæ ad regni curam ſpectant. Ad hos enim pertinet redditurum & tributorum adminiſtratio. Rationes & theſauros regios proprio ſigillo ſignant, & confirmant. His ordine & dignitate proximus eſt ſcriba, ad quem rationes referunt redditũ, uectigalium, & aliarum rerum, quibus id negocij iniunctum eſt. Hic rationes omnium diligenter conficit, quas deinde regi & ducibus proponit. Reliqui ſcribæ expediunt ea quæ ad ſcripturas cæteras, & regia programmata pertinent. Tributum, quod rex ex Europa capit, complectitur nonaginta myriades ſaterum. Tributum hoc non ab Turcis, uerùm ab alienigenis exigitur. Nec enim fas ducunt, ut Turci tributum inferant. Verùm horum officium eſt, ut equis armiſque inſtructi, unà cum rege in militiam proficiſcantur. Nec etiam operum decimas anteceſſores regis huius ab Turcis exegerunt. Verùm hoc exactionis onere uſi ſunt erga alienigenas. Cæterùm hic rex decimas expoſcit, & ſubditos, quo uult, educit in expeditionem. Decimas quoque præter tributum, quod Boſcinam uocant, ſoluunt urbium principes, præfecti, militesque. Is autem redditus Ianuæ militibus aſſignatur. Etiam ouium greges, qui tributi nomine dantur, in Ianuas abduci oportet. Hæc quidem in hunc modum, quantum attinet ad principum regisque redditus. Præter tributum, etiam uectigalia non modica per Aſiam & Europam habet rex, quæ capit ab equis, camelis, mulis, & bobus. Hic redditus continet circiter triginta myriades. Huc accedit redditus, quem inquilini ſoluunt, qui admodum magnus eſt, & uigintiquinque myriades complectitur. Ab armentis equarum, camelorum, & mulorum, quæ regis ſunt, & undique per regionem paſcuntur, redditus accedit, cuius ſumma eſt circiter quinque myriades. A reliquis accipit redditibus circiter uiginti myriades. Etiam maximus redditus uenit ab emporijs, traiectu, metallis, oriza, ære, alumine, & quinta parte mancipiorum. Non dubium eſt, quin is maximus ſit, ſi quis eum ad calculos reuocet. Traiectum & Pharum circiter uiginti myriades ſuppeditare comperi. Redditus metallorum, qui nec ipſe modicus eſt, attingit decem myriades. Ab oriza & reliquis uectigalibus, quæ Ianuæ milites exigunt, & in Chaſia ſecernunt, redditus colligitur, ſi quis rationem ineat, qui tenet uiginti myriades. plurima enim Chaſia & optima per Europam & Aſiam habentur. Huc accedit tributum principum & regum, quod pendunt tam indigenæ quàm alienigenæ. Id habet circiter decem myriades. Summa itaque uniuerſorum redditurum, quos modò memorauimus, & ad regem, & ad Ianuæ milites referuntur, & ad eius Chaſnam ſic dictum, complectitur circiter quadringentas myriades aureorum ſaterum. Eſt præter enarratos redditus & alius, quem ferunt tempore ueris, quando in militiam proficiſcitur rex, præſides, duces, præfecti, ſolennia munera pro ſingularum facultatum modo afferentes. Is redditus expeditioni inſeruit. Nec tamen hic redditus in certum numerum redigitur, uerùm ſi quis rem ſedulò excutiat, inueniet iſtum redditum continere circiter uiginti myriades. Hæ quidem regis pecuniæ comportantur ad Chaſnam, ex quibus deinde ſtipendium accipiunt peregrini & Ianuæ milites, Caripides, Silictorides, Allophatzides, Spachides, & reliqui qui ad Ianuas

pertinent,

A pertinent, et trimestre stipendium accipiunt. Supereſt & alius redditus, quem uberrimum capiunt per uniuersum regnum principes, & duces, & hi qui Timarati uocantur. Is redit ex regione regis, nec facile à quouis (sic enim accepi) quàm à regijs scribis computari potest. Summa autem reddituum, quos uiri accipiunt, quibus merces ordinata est ab regis regione, excurrit usque ad nongentas myriades auri. Hic redditus si addatur illi, qui ad Ianuæ milites defertur, uniuersorum reddituum qui ad Ianuæ milites & ad principes redeunt, summa excrescit usque ad myriades mille, & quadringentas aureorum staterum Venetorum. Tantus quidem redditus ad regem & subditos eius refunditur.

LIBER NONVS.

MECHMETES, Amuratis filius, misit uiros quosdam de Ianuis in Peloponnesum petitum tributum. Verùm regij, ubi in Peloponnesum uenerunt, nihil sani inter Græcos reperiunt. Proinde nec Albanis, nec Peloponnesiacis imperant, ut tributum soluant. Cum autem cerneret rex duces Peloponnesi priuatis certare odijs, malo genio impulsos, ut tandem se res'que perditum irent, tertium remisit tributum: saltem id quærens, ut in præsentia pacem, quæ conuenisset, bona fide seruarent. Vt uerò id facere neglexere, nescio qua imprudentia & iniquitate usi, Peloponneso arma inferre decreuit. Machmutem Michaelis filium, quem Ianuarum principem & Europæ ducem designarat, ad Istrum præmisit, ut, si quid rerum nouarum molirentur Pannones, eos criminando
B à cœptis deterreret. Sin in hunc modum parum proficeret, accedentes non sineret euastare regionem eius. Is assumpto Europæ exercitu, qui complectebatur circiter octo myriades militum, profectus est contra Tryballos qui habitant iuxta regionem Istro affusam. Cum autem deprehenderet Pannones nihil innouare, uerùm quietem amplecti, Illyrium subigere aggressus est: & oppidula, quæ ui cæperat, diripuit. Postquam in Illyrium copias duxit, ibi castra prope Istrum communiuit, ut urbes regis ibi sitas custodiret, & ab hostili incursione defenderet. Hic quidem, quemadmodum indicaui, hoc negocij sibi desumpsit. Rex accepto Asiano & Orientis exercitu, nec non Europæo, quem ab Thessalia & Macedonia conscripserat, & Ianuarum robore, contra Peloponnesum profectus est. Vt in Peloponnesum & intra Isthmum peruenit, continuò obsidione circumdedit Corinthum. Circumiens autem spectabat, qua parte murum bombardis prorueret: ut eo dissecto, simul cum suis in urbem irrumperet per loca ruinis patentia. Et quidem eò loci bombardas fundere omisit. Verùm iussit, ut exercitus Orientalis omni à parte urbem circumsederet, eam'que tandem fame expugnaret. Nam urbe ea occupata, sperabat se maximum bellicarum machinarum seu bombardarum apparatum acquisiturum. Ipse cum intra Peloponnesum accessisset, recta per Phliuntem iter faciebat. Græci autem ne uel tantillum frumenti Corinthum congesserant. Nam Lucanes, præfectus Spartanus, absente Asane eam regebat. Præterea nec urbem satis præsidijs & propugnaculis

munierãt, ut uel breui tempore resistere possent regio exercitui. Asanes quidem haud multo pòst cum accepisset urbem obsidione premi ab Asiano exercitu, ducens secum uiros plurimos, profectus Nauplio Venetorum urbe, & mari in Cenchreensem portũ aduectus, noctu ingressus est urbem, apporto cõmeatu sanè exiguo, inscio exercitu regis. Rex cum uenisset Phliuntem, Tarsum urbem oppugnabat. Doxies autem, qui iussu Albanorum Phliuntis erat prẹfectus, eos quos imperio regebat, nec non Phliuntis ciues, in locũ quendam munitissimum contraxit, & statuebat regi resistere. Tarsum rex in ditionem acceperat: & sumens inde pueros circiter trecentos, & ciuibus prẹfectum constituens, rectà per mediterraneam regionem incedebat. Incedens autem cum agmine belli, molem auertit in urbem, quæ sita est in monte excelso & munito, in quam Græci pariter & Albani plurimi conuenerant, obsidionem regis ibi toleraturi. Maxima urbis huius erat aquæ penuria. Nam extra urbem fons erat, quò aquatum ire solebant. Ne aquandi facultatem adimeret hostis, eum locum admodum communierant. Rex accedens ad hanc urbem cum peregrinis militibus, aqua potitur, & urbem obsidione cingit. Ferunt oppidanos cum aqua deficeret, interfecisse iumenta, & iumentorum sanguine subegisse farinam, & hinc coxisse panes. Cum autem sæuissima premerentur siti, dubij quid agerent, in deditionem cœperunt animi inclinare. Miserunt itaque legatos ad regem, qui orarent ut in deditionem acciperentur. Heîc, cum negligentius oppidani propter missos legatos stationes solitas obirent, peregrini aduenientes irruerunt in urbem, eamq; obtinuere, & diripuerunt. Postea uenientes ad urbem Arribam, & oppidani eam fortiter tutarentur, nec eam deserere uellent, peregrini conscenderunt murum, eúmque occuparunt: quæ militum prædæ cessit. Hinc ducens exercitum, uenit Rupelam Phliasiæ urbem. In hac seruabantur Albani, & Græci qui eò confugerant cum uxoribus. Hanc rex biduo oppugnauit: & cum ea potiri non posset, quamuis pauci de suo exercitu recidissent, cæterùm plurimi uulnerati essent, abduxit exercitũ quasi abiturus. Cum iam accinctus esset ad iter, superueniũt legati petentes pacem, dicẽtes se paratos esse ipsi tradere urbem. Rex urbem in deditionem, quemadmodum petebatur, suscepit: nec eam diripuit, uel quicquam damni ei inflixit. Cæterùm eos cum uxoribus & liberis Byzantium, ut ibi habitarent, transmisit. Albani uerò qui semetipsos Tarsi dediderant, & denuò aufugerant, usi sunt fortuna non admodum secunda. Nam rex eos cæpit, manus pedeśque eorum crudeliter fregit. Huic turpissimæ & crudelissimæ morti Albanos circiter uiginti adiudicauit. Hinc profectus, per Mantineæ regionem uenit ad urbem Pazenicam. In hanc misit Cantacuzenum: quem quondam ducem creantes Albani, bello lacessiuerunt Grẹcos. Is ea tempestate aderat in castris, accersitus ab rege, ut eius opera uteretur aduersus Albanos qui in Peloponneso erant. Volebat enim ut eos adiret, & ad proditionem quosdam clandestinis sermonibus permoueret. Hic cum missus foret ad eos qui urbem istam tenebant, iussus est dicere ut se urbemq; regi dederent. Apud hunc aderant etiam quidã regij, qui crimínabant eum apud regẽ, quasi illi cõsilijs Cantacuzeni urbẽ non tradidissent. Hinc iracundus rex, eum cõtinuò excastris excedere iussit: & ipse cõtra urbem perrexit. Cum aũt frustrà aggrederet uallum (Nam relinquentes urbem, uallũ occuparant munitissimũ, urbiq; proximũ, & eo se tenebãt satis tuti) impedimentis omnibus collectis discedebat, & secundo ab eo die Tegeatã regionem ingressus est, ibidemq; castra firmauit. Maxima proposita erat consultatio ductã dii in Laconiã & in Epidaurũ. Magna eñ cupido eum incesserat uidendę

Epidauri,

A Epidauri, & capiendæ urbis, quam scimus esse munitissimam omnium quas nouimus urbium. In hanc confugerat alter è ducibus. & alter se cum uxore receperat in Mantineam Laconiæ, mari finitimã. Rex cum intelligeret eam regionem esse asperam, & trãsitu difficilem, abstinuit latius progredi. Verùm reuersus, exercitum mouebat contra Muchlam Tegeæ urbem. Huic præerat Asanes Demetrius. Castra igitur hei c posuit in loco aspero & inuio. Vrbs autem prominet, sita in monte firmo & munito. Nec mora, expediunt scalas et machinas bellicas, urbemq; oppugnat. etiã aquam, quæ erat extra urbem in loco munito, obtinuit, ut oppidani nõ possent amplius eò aquatum accedere. Cum autem aduenisset rex ad urbem, & castra metatus esset, confestim legationem ad Asanem misit. Nam ire iussit ad Asanem Iesum Brenezis filium, uirũ prudentem, ex omni suorũ numero, cum interprete: eiq; præcepit, ut ageret cum Asane, qui urbẽ traderet. Iesus igitur ubi uenit ad Asanem, huiusce modi orationem exorsus est: Asanes, & Græci omnes, quotquot prẽstò estis, rex misso legato hæc uobis expromi iubet: Tu, qui prudentissimus es Græcorum, etiam in ijs quæ ad Græcos pertinent, expertus lanuæ milites, scis, & magis quàm reliqui, qualis quantusq; sit rex ille Otomanidarum. Quócunq; tempestatem belli uerterit, haud prius bellum ponit, quàm urbes expugnarit, & uictoria potitus fuerit. Cuiusmodi aũt conditionem uobis proponat, audite. Si pacem feceritis cum rege, eidemq; urbem uestram permiseritis, regionem aliam, quamcunq; elegeritis, à rege accipietis. Si in hoc morem gesseris regi, amico & hospite te admodum familiariter ũtetur, gratiamq; tibi & uobis omnibus referet cumulatissimam. Si autem parẽre regi recularis, nec urbem tradideris scito, animam regis tibi iuro, eam breui & capiet, & fœdè diri-
B piet: eos qui hei c assistũt, crudelissimæ morti subijciet. Hæc quidem loquutus est per interpretem. Asanes autem respondens, in hunc modum uerba fecit: O' fili Brenezis, renuncia regi, haud nobis occultum esse, animum eius generositate excellere omnes reges, quotquot ab Otomanidis originem traxere, Potentiam eius esse in orbe maximã, norũt omnes, quotquot rerum eius periti sunt: etiam nos & agnoscimus & confitemur potentiam eius esse maximã. Verùm enimuero cernitis urbis huius situm, quàm natura & arte sit munitus, ut non facile inuenire sit urbem æquè munitam. Reges Otomanidæ, nec etiam ipse rex ex quo in regnum hoc processit, talem urbem neq; oppugnarunt, neq; ceperunt, nec bello petiuerunt. Videtis enim urbem undiq; quàm maximè esse munitam. Aditum hic unum habet, cæterùm cinctum muris tribus firmissimis, tribusq; portis. Si igitur unam diruerit is bombardis, alterã quomodo superabitis? & si alteram occupaueritis, relinquetur tertia cæteris multo ualidior. Qua propter hæc cogitantes & scientes, nos sic instructos fortiter bellum quod ab rege infertur, sustinebimus, etiamsi moriendum sit. Nunciate itaq; regi uestro, frustra ad urbem hanc defendendam accessissemus, si pericula reueriti, urbem tradere uoluissemus. Asanes hæc loquutus est. Iesus reuersus ad regem, quid responsi acceperit, exponit. Rex igitur bombardas continuò portis opposuit: & quà aditus urbis erat angustissimus, ingredi parabat. In eo urbis aditu muri sunt tres, nõ longo à se inuicem interuallo distiti. Murum postremum, qui erat infirmus, nec admodum communitus, occupauit Asanes, quasi bellum mora extracturus, & bombardarum ictus elusurus. Haud enim ignorabat, muros non posse sustinere bombardarum impetum. Verùm sciebat eos tandem collapsuros. At id faciebat hac spe, quasi sic posset oppugnationem ad tempus aliquod tolerare. Bombardæ ubi ferire cœperunt, intra paucos dies exterior murus prorutus est. Græci interea egredientes, pugnabant cum Turcis, & aliquot etiam con-

fecerunt,

fecerunt. Relinquentes igitur murum primum, abiere ad secundum qui firmus erat, & saxis magnis communitus. Hunc ubi insidere, regis impetum diebus aliquot fortiter propulsarunt. Murum istum arietabant bombardæ regiæ diebus plurimis, partemq; eius diruerunt non modicam. Interea cum bombardis murus quassaretur, globus unus aberrauit, & in pistrinum delatus est: quod & comminuit penitus. Hinc in altum sublatus, cecidit forte in hominem quendam, cuius carnes & ossa in mille particulas minutissimas cõtriuit adeò, ut alis auiculę compararet. Tantus scilicet est globi impetus, ubi semel emissus fuerit, & mirabilia multa operari consueuit. Nam cum non attigisset murum in altum euectus, urbemq; transuolans, cecidit in nauale Corinthiorum, cum peregisset cursum quatuordecim stadiorũ. Globi pondus erat septem talentorum. In hunc modum feriebat urbem diebus plurimis. oppidani deficientibus alimentis indignabantur, & inter se colloquia serebant, euntes ad urbis Episcopum. Asanes quidem plebem sustinuit ut præsentia fortiter tolerarent. Episcopus autem urbis ciuem ad regem misit, qui alimentorum inopiam, quæ grauissima erat, indicaret: eumq; hortaretur, ne cœptam oppugnationem omitteret, uerùm fortiter pergeret. Hæc ubi comperit rex, misit ad oppidanos qui sic loquerentur: Nunciatum est mihi ab amicis & beneuolis, quos in urbe habeo, paucorum dierum admodum uobis superesse alimenta. Quid igitur insani & miseri urbem non traditis? Cum nuncij regis quæ mandata essent coram Asane exponerent, publicè deliberabant dederent ne urbem, an extrema potius perpetientes, resisterent regi? Cum autem cernerent oppidanos grauiter præsentem necessitatem ferre, & mali quærere liberationem, fide publica interposita, egressi sunt ad regem Asanes, & Spartanus Lucanes. Venientes aũt super fœdere pangendo in colloquiũ cũ rege, sic alloquutus est: Vestro principi dicite, me paratũ esse fœdus percutere & pacẽ dare: sed hac conditione, ut ea regio quã exercitus meus peragrauit mea sit. Ab reliqua regione tributi nomine peto, quingentos stateres. Duci aũt, qui adhuc tenet Aegæũ, Patras, & finitimã regionem, dicite ut ea nobis tradat: sin minus, confestim accedam, & armis subijciam. Hæc ubi cognouissent, ut præceptum erat, proficiscuntur ad principes, qui ea tempestate circa Tangetam Laconiæ se tenebant, ijsq; quæ data erant ab rege mandata explicant. Quibus auditis, uisum est ne & uniuersa spoliarentur regione, legatos ad regem mittere, & fœdus conglutinare his cõditionibus, quas rex prescripsisset. Mittentes itaq;, quemadmodum decretum erat, legatos, pax composita est. Regionem, quam postulauerat rex, restituit regio præfecto. Omarites Thessaliæ præfectus Aegeum, Catabrites, Patras, & finitimam regionem Achaiæ recepit. Rex ubi urbes suscepit, præsidijs peregrinorum eos firmauit, & peregrinos ijs præfecit. In hunc modum confecto bello copias omnes domos dimisit. Ipse autem conuersus est contra Atticam & urbem Athenas. Obambulabat contemplans Pyręum, & portuum commoditatem. Omaris uirtute ciuitatem istam unà cum arce in ditionem accepit. Fuit autem hæc urbs semper regi, ut audio, beneuola, & munificentiam eius antiquam & apparatum urbis semper plurimũ amplexus est. Dixit igitur: Quanta gratia debetur lege nostra Omari Turachanis filio? Quo pacto Omares urbem istã unà cum arce occuparit, iam dicetur. Mortuo Nerio, uxor eius Athenarum tyrannidem obtinuit, habens ex marito filium superstitem adhuc puerulum. Mittens igitur legatos ad Ianuarũ milites, quos largitionib. sibi cõciliarat, facilè principatum retinuit Athenarum. Nec tamen multo pòst amore exarsit in adolescentem Venetum senatoris filium, qui mercium gratia Athenas appulerat. Amore ita que amens in colloquium cum adolescente uenit. Cum plerunq; autem

plurimis

plurimis blanditijs animum adoleſcentis pelliceret, & magna cum uolupta-
te cum illo conuerſaretur, promiſit ſe uelle ipſi nubere, & Athenarum princi-
patum ſimul tradere. Hæc aũt tum fore, ſi prius ſuam uxorem quocunq; modo
repudiaſſet: eaq; repudiata, deinde rediret Athenas. Adoleſcẽs ille filius erat
Priami, cui à Venetis Nauplium urbs commiſſa erat. Adoleſcens igitur reuer
ſus Venetias, & amore ardens, ſperansq; ſe Athenarum principatum occupa-
turum, uxorem ſuam necauit, quæ & ipſa Senatoris & patricij erat filia. Hac,
quemadmodũ dixi, è numero mortalium ſublata, Athenas rediit, Nerijq; uxo
rem duxit. Cum aũt euaſiſſet ad urbis regimen, delatus eſt ab Athenienſibus
apud Ianuas regis. Tandem cum inuidia Athenienſium premeretur, ut eam
aliquo modo leniret, docebat ſe pueri tutorem eſſe. Nec multo pòſt aſſumens
puerum, unà cum eo ad regem uenit. Nam Phrangas Nerij patruelis, cõſobri
nus uerò pueri, morabatur in Ianuis regis, ſperans tempus fore, quo ipſe Athe-
nienſium principatu potiretur. Rex aũt ubi cõperit amentiã mulieris, Phran-
go Antonij filio urbem cõmiſit, eiq; parêre, & benignè eum ſuſcipere iuſſit
Athenienſes. Hi quidem benignis animis, quemadmodũ imperatum erat,
uirum excepere. Antonius ubi urbis præfecturam nactus eſt, mulierem illam
cæpit, & Megaris in carcerem condidit: nec multo pòſt eandem interfecit,
propter ſceleſtas illas nuptias, quas cum iuuene Veneto cõtraxerat. Quomo
do aũt iſtam mulierem necauerit, non conſtat. Quapropter cum poſtea iuue-
nis Phrangũ eius iniuriæ in Ianuis regis accuſaret, rex rei indignitate cõmo-
tus, miſit Omarem Turachanis filium cum Theſſalię exercitu, quem iuſſit * Omares Turachanis filius, accepto Theſſalię exercitu, et ad urbem accedens, eam continuò ſubegit. Arcem tamen tempore longo obſedit, ſperans ſe eam capturum opera uirorum qui in arce erant, quibus utebatur familiariter. Cum aũt nihil eorum quæ animo conceperat, ſuccederet, Phrangũ in hunc modum alloquutus eſt: O fili Antoni, haud dubiè noſti familiam regis, qui urbem hanc tempore longo tibi regendam conceſſit. Quoniam autem rex nunc im-
perat, ut eam reſtituas, neſcio quo iure eã inuito rege teneas. ne dubites, haud
diu, ſi ſic facere perrexeris, principatus iſtius urbis penes te manebit. Nunc
tibi, ſi uis cum eo in gratiam redire, Bœotiam et Thebas pollicetur, ut hinc de
cedas, ferens diuitias arcis, tuasq;. Saltem arcẽ regi relinque. Hęc cum audiſ-
ſet iuuenis, petebat ſibi fidem dari: qua data, crederet Bœotiam ſibi à rege tra-
di. Omares rem ad Ianuas retulit: & ut fidem facerent iuueni promiſſa rata fo-
re, facile impetrauit. Fide igitur accepta, egreſſus eſt iuuenis arce libẽter, cum
ab rege acciperet Thebas cum reliqua Bœotia. In hunc modum Athenæ du-
ctu & auſpicijs Omaris in poteſtatem regis conceſſere. Tunc quidem rex
Athenas peragrans, & arcem contemplans, mirabatur urbis arcisq; magnifi-
centiam. Hinc obambulans per Atticam, ſpectabat portus, ſicuti ſuprà anno-
tauimus. Miſit deinde rex uirum de ſuis Ianuis, qui iuſiurandum exigeret
ab Peloponneſi principibus. Eundem etiam petere iuſſit ſibi in uxorem prin
cipis Spartani filiã. Principes, quemadmodum præceperat rex, in regis uerba
iurarũt, atq; iureiurando fides accepta eſt. Verùm haud multo pòſt iuriſiuran
di dati pœnituit. Thomam fratrem Iuniorem & conſilia, quomodo deficeret
à rege, tractare haud ceſſabat. præterea legatũ ire iuſſit in Ianuas regis petens * Et hunc quidem capi contigit Patris, & duci in arcem, quam tenebant pe-
regrini regis, & alij Turci inſignes, qui & ipſi tandem obſidebantur ab Tho
mæ militibus. Defectionis autem conſilia agitabat magis impulſu Lucanis
Lacedæmonij, qui dicebat ſe proditionem ſubornaſſe cum his qui ſunt
Corinthi: in maxima ſe eſſe ſpe capiundæ urbis. Quod ſi eueniat, &
reliquam regionem exinde optimè diſpoſituros. Iam apertè deſciuerat
ab rege,

*Omiſſũ eſt aliquid in exemplari Græco.

*Deeſt aliquid exemplari Græco.

ab rege, & arces regias oppugnabat, easq; ui capere nitebatur: nihil tamen eorum quæ mente agitabat, prosperè succedebat. Ad defectionem igitur sollicitat reliquos Peloponnesi, Albanos pariter & Græcos. Etiam cum fratre bellum gerebat, armis eum lacessens. præterea oppidula quædam fratris oppugnabat. Defectionis huius quidam Omarem auctorem fuisse, perhibent. Quod ubi comperit rex, misit ad Peloponnesi principem præfectum illicò, qui cogeret Omarem se abdicare principatu: ipse uerò in eius dignitatem succederet. Hanc eandem ob caussam etiam Thessaliæ principatum Omari admit. Rex profectus est in Scopiorum urbem, & ibi moratus est, ut audiret, si quid nouarum rerum instituerent Pannones. Nam Pannones, ubi accepere Mechumetem ordinatum esse, ut regis regionem defenderet, ne quid mali ab ipsis acciperet, in unũ collecti, transmisso Istro contendere ad eum locum ubi Mechumetes cum regio præsidio manebat. Commisso autem prælio, in fugam uersi sunt, paucis eo prælio amissis. Quidam capti ad regem abducti sunt. Rex, ubi allatum est Thomam fratrem iuniorem abrupta iurisiurandi religione defeciisse, & obsidere suos peregrinos, quos ueluti præsidium arcibus imposuerat, exercitum Thessaliæ & Aetoliæ contra Peloponnesum ire iubet. Ducem belli declarat Chamuzam cognomine Hieracophorum. Hic, captis, Achmate Peloponnesi præfecto, & Omare Turachanis filio, quem generum asciuerat, ingressus est Peloponnesum: & Patras Achaiæ ueniens, arcem obsidione soluit. Græci enim cum cognouissent regis exercitum accedere, omittentes obsidionem, Leontarium in magnam urbem ad principem colligebantur, quasi congressuri acie cum regis exercitu. Exercitus quidem iter faciebat per regionem Elidis maritimam: & Ithomam perueniens, ascendebat Leontarium. Ibi congregans Thomas Albanos & Græcos qui simul defecerant, aciem instruebat, quasi aleam prælij experturus. Turci cum huc uenissent, uidentes Græcorum aciem exornatam consistere in urbis collibus, deliberabant, castra ne communirent, an rectà, quemadmodum instituissent, cõtenderent Muchlam Tegeæ. Ionuzes equitum dux conspicans aciem Græcorum in profundum recedere, exclamauit: O' chari Turci, Græci uicti sunt. Haud enim possibile est pugnare eos posse, cum in hunc modum acies in ordinem explicata sit. Nam omnes illicò cedent, ubi postremi in fugam uersi fuerint. Non enim in aciem dispositi erant, ut se mutuò adiuuare possent. Verùm acie in profundum spectante, dimicare cum hoste parabant. Ionuzes exclamans, quemadmodum dixi, cum turma equitum irruebat in hostem, postremi excipiebant primos: & cum plures usq; superuenirent Turci, in fugam effundebantur. postremi Græcorum fugientes incidebant in suos: quos deinde fugæ socios trahebant. In hunc modum acies Græcorum uniuersa in fugã abibat, postremis loco pulsis. Græci totis uiribus fugiebant in urbem. Turci instantes clamore & mutua cohortatione, occiderunt circiter ducentos: & accedentes urbem, etiam principem obsidione circundedere. Exercitus fame & peste premebat propter mancipia quæ aduexerat ex Achaia, & deinde Muchalã abduxerat. Ionuzem reliquerũt cum Demetrio principe. Thomas iterũ cum decessisset exercitus regius, regis peregrinos q arces tuebant, obsidione circũuenit. Rex ea tempestate bellũ mouit cõtra Spẽderoben, & Tryballorũ regionem. Huius belli ista caussa tradit. Mortuo Eleazaro Bulci filio, relicta est uxor eius unà cum filia in principatu, arcemq; Spenderobes tenebat. Elocans aũt filiam Illyriorũ regis filio, principatũ retinere cogitabat urbis. Verùm Tryballi cõfluebant ad Machmetis fratrẽ Michaelem, qui apud Tryballorum principem egerat: eumq; ducem creantes, iusserunt urbis negocia curare. Mulier hunc aduenientem in arcem quasi hospitem inuitauit, cõtinuoq; ei

uincula iniſcit, uinctumq; ad Pannones mittit. Quem Pannones accipientes, in carcerem coniecere. Tryballi igitur iterum recidebant ad regem Pannonum: & accerſiti unà cum principis defuncti uxore, deditionem urbis fecere. At rex cognito quonam res ſuæ redactæ forent, arma capit, & copias contra Spenderoben ducit, quaſi ui eam recuperaturus. Oppidani cum audirent aduerſum ſe hoſtiliter pergere regem, obuiam ex urbe procedunt, regiq; in itinere claues tradunt. At rex munera magna in hos Tryballos contulit, quoſdam opibus, quoſdam uerò regionibus donans. Vxorem Eleazari in fœdus receptam paſſus eſt abire auferentem opes ſuas impuné. Præſidium autem unà cum urbe cepit. Occupata iſta urbe, animo uouebat exercitum contra Peloponneſum ducere. Veniens autem Byzantium, & hinc ſoluens in Aſiam, exercitibus circumſedit Amaſtrum urbem Ianuenſium, ſitam in mari Euxino. Nam Ianuenſes miſerant legatos ad regem, petitum urbem Galatiam, quæ ipſorum eſſet, quam poſſideret, quamuis fœdera interueniſſent, nec aliqua iniuria eum affeciſſent, fœderum religionem abrumpentes. Quamuis autem eius partes Byzantio capto ſit ſequuta, tamen eam ſibi reſtitui orabant. Rex legatis reſpondit, ſe nullam fraudem Galatiæ feciſſe, nec exercitus contra eum mouiſſe, nec etiam eam ui expugnaſſe: uerùm urbis præfecti aduenientes, ſemetipſos & urbem mihi tradidere, ut quid boni potius, quàm mali, à me paterentur. In hunc modum urbe iſta potitus ſum, nec cuiquam iniuriam intuli. Ianuenſes autem cum regi propter iſtam urbem bellum indicerent, ipſe profectus eſt contra urbem Amaſtrum, ad mare Euxinum ſitam. In hanc expeditionem plurimum æris uehebat camelis & iumentis. Contra iſtam urbem etiam Aſianum exercitum ductauit. Vbi ad urbem
B aduenit, eamq; expugnare inſtitit, confeſtim deditionem fecit, conditionibus quibuſdam. Rex urbem iſtam in deditionem ſuſcipiens, partem hominum tertiam in ea reliquit. Reliquas duas partes Byzantium, ut ibi habitarent, tranſportauit. Deinde eligens quoſdam ciuitatis huius pueros, cum iis domum profectus eſt. Interea nunciatur Chaſanis res maxima ſumere incrementa, eumque pergere Erziganam, Armenorum regni ſedem. Verùm hæc quidem ſequenti anno contigere. Cum rex ab Peloponneſo in illam expeditionem iret, ad Ianuas uenit regis frater Trapezuntis Dauid, tributum ferens, & fœdera faciens. Nam Colchidis reges, feruntur reges olim Byzantij fuiſſe, nati è familia Comnenorum. Hi autem cum exciderunt regno, Iſaacium regis filium fugientem, patre interempto à populo, propter odium quo in ipſum ferebantur, abiiſſe in Colchida & Trapezuntem. Hunc aduenientem Colchidis incolæ ducem pronunciarunt, & exinde regnum Colchidis Trapezuntem contraxit. Ex eo inde tempore hei c regnantes, ad noſtra uſque tempora durarunt, exiſtentes Græci, mores linguam que Græcorum retinentes. Affinitatem iunxerunt cum barbaris finitimis, quos Albos Probatantes nominant. Etiam cum Temiris nepotibus, qui nati erant ab Tzokijs & Caraiſuphis liberis, affinitas interceſſit, ne regio illorum ab his euaſtaretur. Fecere & affinitatem cum Græcis, qui Byzantij morabantur: inter cætera cum etiam filiam ſuam elocaſſet Alexius rex Comnenus Ioanni Byzantio regi. Huiuſmodi autem quid poſtea accidit. Suſpectus factus eſt regi Ioanni propter matrem, quæ Cantacuzena erat, quaſi Protobeſtiarius cum ea concumberet. Ira igitur accenſus, Protobeſtiarium necauit: patrem matremq; in cubiculo concluſit, ut eos interficeret. Verùm ciues ſupplices fiebant Ioanni, ne hoc faceret: & eum compeſcentes, dimiſerunt in partes Iberię. Verùm propter iniuſtitiam Ioannis rex Alexius filium ſuum nomine Scantarium regem ſecundò declarauit. Eidem uxorem dedit filiam Galiuzis, qui Mitylenis erat eò miſ-

sus ab rege. Ioannes abiens in Iberiam, uxorem habuit regis Alexandri fi-
liam. Postea hinc profectus, abijt Capham, quærens aliquem, cui esset navi-
cula, qua ueheretur Trapezuntem, gesturus bellum cum patre suo Alexio.
Inuenit autem isthei c uirum Ianuensem, cui navicula satis magna erat, qua ar-
ma omnis generis ferebat. Hunc primum belli ducem constituit. Apparan-
tes igitur nauiculam, quemadmodum necessitas monere uidebatur, profecti
sunt Trapezuntem, bellumq; ipse patri suo intulit. Egressos in terram locus
sancti Phocæ excepit, & in eius sacello tentoria fixerunt, cum iam antè oc-
cultè sibi parassent auxiliatores Cabazitanas, qui regem prodiderunt. Hi e-
nim agentes custodam regis in Achantæ suburbio, quo ipse tentoria sua con-
tulerat, cum curribus & belli machinis oppositi erant Ioanni: qui conce-
dentes hosti tutum ad Alexium iter, effecere ut Ioannis principes eum circa
noctis medium, nihil tale suspicantem, ui interficerent. Cæterùm Ioannes suis
mandarat, ne patrem necarent: uerùm operam darent, ut captum ad se addu-
cerent uiuum. Hi regis mandata parum curantes, existimabant se rem multo
gratiorem ipsi facturos, si patrem interimerẽt: proinde eum peremerunt. Ve-
rùm deinceps Ioannes quosdam ex illorum numero oculis priuauit: quorun
dam etiam manus præcidit, ut testaretur se nolle patrem esse interfectum: ue-
rùm magis affectasse ut uiuus in suam potestatem uenisset. Ioannes cum in
hunc modum paternum adeptus esset regnum, patri magnificè iusta fecit, se-
peliens eum in uenerabili templo: quamuis eum postea in metropolim tran-
stulerit. Nec multo tempore interposito, Zyches nomine Artabiles bellum
contra Trapezuntem mouit, conscribens undique exercitus ab Oriente, ab
Meridie, & à Samo, nec non ab alijs quibusdam oppidis. His copijs instru-
ctus, accessit Trapezuntem, uolens eam urbem capere, et destruere. Etiam rex
Ioannes comparans exercitum, terra mariq; uenit usque ad sancti Phocæ
templum, quod Cordyla nuncupatur, unà cum Pansebasto siue Augusto, &
suis. Congregans igitur Pansebastus siue Augustus suos & regis milites,
pergebat simul cum exercitu suo per mare, copiam prælij facturus, ubicun-
que Zychen indeptus foret. Nam Zyches Artabiles insederat locum, qui
Meliare dicitur, præoccupatis Meliaris faucibus, quæ Capanium nomi-
nantur. Venientes itaque Pansebasti milites, & ipse, inuenerunt Zychem
præoccupasse angustias siue fauces Capanij. Properanter igitur contra illum
profecti, sperabant naualis prælij hostem copiam facturum: siquidem clas-
sis ibi parata erat, ut impetum daret in Zychis exercitum. Verùm tempus
haud satis prælio opportunũ pugnam inhibuit. Nam cum uenti procella per
tinacius mari incumberet, nauales copiæ non egressæ sunt, ut subsidium fer-
rent classi. Verùm cum hei c & alibi hinc inde ancoris firmatæ hærerent, im-
peditæ sunt naues, quo minus cum naualibus copijs pergerent in hostem, ad
quem usum comparatæ erant. Zychis milites hanc occasionem non omit-
tentes, irruerunt in Pansebastum, & eius exercitum, & confecerunt Pansebas-
stum & filium eius, & alios quoque circiter triginta. Cæteri in fugam effusi,
uenerunt ad regem Ioannem, qui & ipse naui fugit, & unà cum alijs Trape-
zuntem peruenit: quorum alij mari, alij uerò terra fugientes, exitium euasere.
Zyches castra sua locauit in monasterio Phocæ, ubi sua castra antea Ioan-
nes habuerat. Plurimos quoque cepit uiuos, quorum de numero aliquos oc-
cidit. Nactus est uirum eum cui nomen erat Maurocastas, qui equorum
regiorum curator, seu domitor, & ueredarius regis erat. Hunc in urbis
conspectu leto dedit Zyches. Postea, cum triduum ibi mansisset, abijt, quasi
dimicaturus in Mesochaldio, ceu id teneret Pansebastus siue Augustus. Ac-
cidit autem Zychi hoc ea nocte, qua primùm in monasterium Cordyla ue-
nerat.

A nerat. Mulier quædam Armena, timens ne fortè Zyches exterius castrum caperet, cum lanificio suo, ex quo se alebat, profecta est in magnum castrum Trapezuntis, quasi ibi tutius actura. Hæc accipiens ea quibus quotidianum uictum suum tolerabat, noctu portauit in castrum magnum. Et fortè, quia nox erat, incendit fila & lanificium suum. Ipsa uerò manebat in magno castro, ignara quid nam accidisset. Factum igitur est incendium magnum in eius domo: & non ea domo se tenuit incendium, sed in uicina omnia euagatum est. Noctis autem erat medium, cum incendium illud sæuiret. Qui erant in urbe, putabant proditionem esse, quam subornassent illi qui gratificandum censebant Zychi. Proinde omnes magistratus, nec non subditi, continuò fugam ingressi sunt, relicto Ioanne solo, cum quibusdam circiter quinquaginta. Rex igitur tota ea nocte obibat diligenter uigilias, & considerabat portas. Manè uenit Zyches ut urbem illicò in suam ditionem redigeret. Verùm re infecta abijt, pergens in Mesochaldiam. Fuga igitur sibi consuluerunt omnes magistratus urbis, quidam mari, quidam uerò terra, ut uenirent in Iberiam. Qui cum reuerterentur tandem Trapezuntem, abeunte Zyche, opprobrijs replebantur ab rege, qui eos identidem uocabat muliebres, molles, imbelles, & patriæ suæ proditores. Hæc quidem facta sunt Trapezunte. At Amasiæ præfectus, Chiteres nomine, expeditionem ingressus, subitò Trapezuntem oppressit: & eos qui in foro & urbis uicis erant, circiter bis mille comprehendit. Cum autem urbs iam esset propemodum deserta, cuius caussa erat sæuissima pestilentia, iámque expectarent, si modò hostis accederet, se captum iri, rex urbis Ioannes opibus effecit, ut rex Mechmetis urbem eam tributariam acciperet, & captiuos, quos Chiterempes abduxerat, redderet. Ioannes uerò promittebat se deinceps nullum initurum bellum, uerùm bona fide quotannis
B duo millia aureorum tributi nomine pensurum. Ioannes rex fratrem suum Dauidem Despotam ad regem misit, ut fœdus prædictis conditionibus pangerent, quod & factum est, uerùm ut Ioannes annuatim tributi nomine solueret tria millia aureorum. Iberia finitima est Colchidis regioni, eiusq; reges haud sunt instrenui & ingenerosi. Porrigitur autem ab eo loco qui Bythius siue profundum dicitur, & ab Phasi de fluuio usq; Chaltzichi, quæ pertinet ad ditionem Gurguri, Corij, Cachetij, & Typhlisij. Vrbes hæ propinquę sunt Samachio, quam urbem tenent & incolunt Turci. sub quorum potestate degunt seperatim infra Cachetum urbem in regione maritima, Sebastopolis Minceliorum Dadianni metropolis, Mamia, Samantaula, Gurij, & aliæ urbes maritimæ. Nam urbibus superioris Iberiæ contermini sunt Alani, Vni, & Enboi. Verùm Alani ad Caucasum usque se extendunt, qui præ reliquis habentur uiri fortissimi, & bellicarum rerum peritissimi. Hi conficiunt loricas optimas. Sequuntur religionem Domini nostri Iesu Christi. Lingua utuntur peculiari. Arma habent, quæ ex ære parant, & Alanica nominantur. Quin & ipsi Iberi sunt. Vnde autem in istam regionem profecti uenerint, an ab Iberis occidentalibus, aut aliunde, coniectando assequi non possum. Magnam breui sibi pararunt potentiam: etiam opes plurimas nacti sunt. Fidem uerò Christianam ex Constantinopoli hauserunt. Nam mulier quæ eò proficisci consuerat, ut ueram fidem & sacrosanctam addisceret, etiam Iberos, abnegata sua superstitione, ad sanctissimam & miraculorum effectricem fidem adduxit: eosq; Christianos declarauit, cum se Christianos esse confiterentur. Temporibus multis post Scythæ finitimi his bellum intulere: & ingressi regionem Iberiæ, eam planissimè corrumpebant, & euastabant. Viros qui præstò erant, captos in mancipiorum numerum retulerunt. Iberorum uerò reges confugerant in montes, ut in ijs seruarentur. Postea cum Scythæ ex regione excessissent, reuersi ad sua, etiam Iberi ex mõtibus ad sua descenderunt,

& regi deinceps Scytharum quotannis tributum ferentes, in regno suo manserunt. Breui autem tempore interiecto, postquam pugnauit Scytharum rex contra Alanos, etiam Vnos & Sasos bello petijt: de quibus quatenus comperi, eatenus memorabo. Asanes ubi ad regem accessit, quid in Peloponneso euenisset, enarrauit. Percunctabatur quoq; de Achmata Peloponnesi principe, quia eius frater decreuerat manere in ea regione, quamuis hostilibus armis à fratre peteretur. Continuò eum donauit insulis in Aegeo mari sitis, Lemno, Imbro, Thasso, & Samothrace. Has quidem donauit ante captum Byzantium. Capto autem Byzantio, Lesbi principatum, Lemnum & Aenum, defuncto Palamide, filius eius Ntorias urbē occupauit. Rex autem accedens hostili animo, Aenum continuò in deditionem accepit, dedentibus se illico ijs qui in urbe erant. Missus est & Ionuzes Calliopolis præfectus, ut insulas reciperet. Imbrus & Lemnus continuò deditionem fecerunt. Qua facta, continuò regis præsidia insulis imponebantur. Postea cum audirent Turci classem, cuius dux foret Cardinalis, ab Italia aduenire, & etiam alia ab Italia expectarēt classis, præsidia ex insulis decedebant. Turci uerò eas tutabātur. Lemnus, quam primum classis ad eam appulisset, in ditionem uenit. Similiter Imbrus, Thassus, & Samothrace in ditionem acceptæ sunt. Nec multo pòst cum ea classis attigisset Rhodum, Ismaelita præfectus regius adnauigans, Imbrum & Lemnum recuperauit. Viros Italos, qui in hac erant, captos ad regem transmisit. quos omnes, cum in conspectum regis adducti essent, interfecit. Ea tempestate rex Philippopoli uersabatur. Nam regni sedem reliquerat propter pestem, quæ in ea crudeliter grassabatur. Thassus autem & Samothrace seipsas dedidere imprudenter. Nam cum haud multo pòst Zoganus abegisset Ismaelitem, & declaratus esset præfectus Calliopolis, nauibus aduenies, Samothracem & Thassum in ditionem redegit, easq; penitus diripuit. Incolas eorum Byzantium, ut ibi habitarent, traduxit. Insulas uerò & quotquot confugerant in montes, ne captiui abducerentur * Asanes cum copijs ingressus est Peloponnesum, & Thomam iuxta Leontarium in fugam egit. Ipse uerò fugientem insequutus, parumper eum obsedit. Cum autem premeretur ab aduersarijs, discessit, & ad regem reuersus est, petiturus auxilium. Fuit huic acris contentio cum Omare Thessaliæ præfecto. Cum autem studijs inter se grauiter dissentirēt, ipse ea dissensione motus, ad regem profectus est. Nec multo pòst rex Omarem se principatu abdicare coegit. Eum autem principatum commisit Zogano, qui eo tempore Calliopolis erat præfectus. Zoganus iste breui ad maximam claritatem euasit inter cætera, quòd etiam Morezniam, qui potentissimus in mari nostro erat pirata, cępit. Hinc non modica uiro illi accessit gloria. Hic igitur Thessaliæ principatu inito, & Peloponneso ab rege accepta, cum exercitu Achaiam hostiliter ingressus est. Græcorum autem exercitus, accedente Zogano, & arcem oppugnante, diffugit. Itali, quos accersiri iusserat Thomas, iam aderant eò loci, ut suppetias ferrent Græcis, profecti Mediolano ut subsidio uenirent Græcis. Græci parauerant bombardam qua urbem feriebant. Verùm parum proficiebant. Haud enim peritum habebant bombardarium. Nec etiam alius machinarum apparatus sufficiebat ad istam expugnationem. Græci igitur mouentes ab ista urbe, profecti sunt Naupactum, atq; hęic se tenuere. Thomas cum exercitu superueniens, Laconiam subigebat, & Calamatam Messenæ urbem. Mantineam quoque obsidione circumuenit. Nec tamen quicquam ea obsidio succedebat, ut urbe potiretur. Interea misit Thomas legationem ad regem, ut eius animum tentaret, an uellet secum pacem componere. Rex, cum eo tempore nunciatum esset quid in Asia moliretur Chasanes Longus, pacem dare haud abnuit, ut posset liberius arma inferre Chasani, & Ismaeli Sinopes prin-

Deest aliquid exēplari Græco.

A principi, cui familiaritas cũ Chasane interceſſerat. Cęterùm rex his conditionibus pacem cõuenire poſſe, reſpondit, ſi exercitus abduceret ab regis arcib. ſi reſtitueret oppida quę ademiſſet, ſi illicò tributi nomine numeraret tria millia ſtaterum aureorum. Adeſſe autem deberet intra dies uiginti Corinthi, donec eò ueniret regius legatus. Hæc ubi nunciata ſunt principi, pacis conditiones oblatas haud aſpernatus eſt. Cum autem admodum imprudenter in tranſuerſum agerentur principis ſubditi, factum eſt, ut non poſſet regi pendere quemadmodum imperauerat tributum. Hinc ira exardens rex, expeditionem aduerſus Thomam ſumpſit, & bellum contra Chaſanem reiecit in futuram æſtatem, & contra Peloponneſum accingebatur. Cum ueniſſet Corinthum, aderat Aſanes ab Demetrio principe, ducturus contra hoſtes regis exercitum. Vbi peruenit Tegeam, Aſanem in carcerem coniecit: etiam fautores qui eum ſequuti fuerant, uinctos detinens, profectus eſt contra Spartam. Primò quidem Machumetes habens equites, & Europæum exercitum, ſummis uiribus contra Spartam contendit. Huc cum iam acceſſiſſet, & urbem oppugnare occœpiſſet, ſenſit principem in ea eſſe. Princeps autem ſpe, quam ſibi in rege ſitam putabat, deiectus, obſidebatur, & conabatur per urbis arcem aſcendens euadere. Vbi uerò intellexit in carcere teneri uxoris ſuæ fratrem Aſanem, & in eam neceſſitatem ab rege eſſe detruſum, exceſſit urbe: & ueniens in caſtra, prodijt in regis conſpectum. Rex aduenientem magnificè tractauit, & plurimum honorauit. Præterea eum conſolatus eſt, ut bonum animum gereret: ſe nolle delictorum pœnas exigere. Promittebat ſe ei datu-
rum opulentam regionem aliam, nullius rei egentem, pro Sparta. Attamen eum in cuſtodia aſſeruans, detinuit. Supra Spartam in radice Taugeti ſita eſt,
B urbs Græca, opibus florens. Diſtat à Palæopoli & ab Eurota, ſtadijs fermè decem & octo. Hanc rex in ditionem accepit, & præſidium metropoli impoſuit: eiq; principem dedit Chazanem Zenebiſam Machumetis miniſtrum. Hinc profectus eſt Caſtoriam urbem, quæ remota eſt à prædicta urbe ſtadijs octoginta, eamq; oppugnabat. Nam uiri pariter & mulieres cum eſſent incluſi in loco munitiſſimo, confidentes locorum difficultati, parabant ſeſe, ut reſiſterent exercitui regis adeunti. At pereregrini ubi ſignum irruptioni datum eſt, confeſtim aggreſſi ſunt urbem: & ſuperantes murum exteriorem, uiros pariter & mulieres cæperunt: locumq; in quo fuerant, deſtruxerunt. Vrbe capta, perrexerunt contra arcem, quæ admodum excelſa erat. Nam altitudo eius complectebatur circiter quatuor ſtadia. Aſcẽſus autem erat arduus, & ſuperatu difficilis. Ad loci difficultatem accedebat acclíuitas & inæqualitas. Præterea in arcem aſcendere difficile erat, propter eos qui aditu aduenientes prohibebant. Verùm regij milites uiolenter aggrediebantur iter, cum alius alium prœuenire cuperet. Plurimi in iſto aſcenſu, cum alij in alios incíderent, per præceps uoluebantur, & peregrini complures ibi cadebant. Reliqui tamen uicta itineris difficultate, ſubierant ad arcem, & in eam impetum dedere: Græci, quòd tempore longo pugnaſſent, non amplius regijs militibus, cum noui & recentes uſq; ſuccederent, reſiſtere potuerunt. Fatigati igitur, dedidere ſe regi. Hos omnes, ubi primùm arcem occupauit, in unum locum contractos occidit. Numero autem erant trecenti. Ducem horum die poſtero in duas ſecuit partes. Hinc profectionem inſtituit per Leontarium: & caſtris poſitis, cum accepiſſet quòd uxorem & liberos collocaſſent in urbem quandam munitam nomine Cardiciam, confeſtim eò pergens, ibi caſtra metatus eſt. Die poſtero urbem oppugnare ſtatuebat ab arce, murumq; una cum peregrinis proruere uolebat. Azapides iuſſit irruptionem facere eò loci ubi palatium regium eſt, & inde in hoſtem deſcendere. Azapides con-

festim, ut imperatum erat, irrumpentes, Græcos uicerunt, & in fugam abire A compulerunt. Interim reliqui unà cum prædictis infundebantur in urbem: & trucidabant, nemini parcentes, uiros, mulieres, iumenta, & pecora. Etiam hi qui arcem tenebant, cõtinuò deditionem fecerunt. Mpochales autem cum suis propinquis urbem istam regebat. Rex illicò per præconem in castris edici iubet, si quis mancipium abduxerit, si non illicò accedat, id secum adducens, mancipium dominum interficiat: postea interficiatur & mancipium. Hoc edicto promulgato, nihil rarius erat in castris, q̃ mancipia urbis istius. Abducta erant inde mancipia mille & † trecenta. Hæc iussit in unum locum congregari, & omnia necari. Atque adeò in mancipia sæuium est, ut nullus Leontarij ciuis relictus sit, neque uir, neque mulier. Audiui postmodum ex finitimis, cadauera hominum fuisse circiter sex mille, & iumenta plurima. Cum cæteræ Peloponnesi urbes hoc crudele regis factum accepissent, confestim metu in potestatem regis concessere, mittentes legatos ad regem. Inter cętera Salbarium et Arcadia, nauale eius regionis, ex aduerso Pyli situm, urbs munitissima, regi se tradidere. Vrbem hanc ubi suscepit rex, uiros & mulieres ciuitatis in carcerem misit. Hi congregati, seu in unam summam collecti erant decem mille, quos se interfecturum rex simulabat. Tandem eos transportauit in Byzantij regionem, ut in Byzantij suburbanis degerent. Ducem siue principem Demetrium circumduxit secum usque ad aditum. Eodem principe monente, misit rex Iesum Isaaci filium, ut reciperet Epidaurum, & principis uxorem & filiam, quam rex se uxorem ducturum dicebat, secum inde adduceret. Græcorum princeps de suis ducem misit, qui persuaderet Epidauri incolis, ut urbem traderent regi, & paterentur principis tum uxorem, cùm fi- B liam inde abduci. Iesus Græcorum robore profectus est Epidaurum. Cum uenisset ad urbem ciuitatis iudex, suadentibus id & alijs ciuibus, deficit à principe. Nec in se esse situm respondit, ut urbem regi traderet. Verùm Græcorum principis cùm uxorem, tum filiam passus est exire urbe. Has, ubi egressæ erant, accipientes, rediere in castra. Rex ubi intellexit ut singula circa Epidaurum accidissent, principis uxorem & filiam ex Peloponneso rectà in Bœotiam subduci iussit, addito in custodiam uirginis eunucho. Nec multo post etiam principem ab Peloponneso ad uxorem pergere iubet. Rex illicò capta Garditia, profectus est contra Venetorum urbes. Venit uisurus Coronam. Zoganus Peloponnesi præfectus, cui mandatum erat, ut in deditionem regis redigeret Achaiam & Elidis regionem plurimam, necnon mediterranea Elidis, accipiens Thessaliæ exercitum, & regium equitatum, subiugauit Calabritarum urbem, quam tradebat Doxas, qui inter Albanos facile primas ferebat. Ipse cum necessarijs suis continuò in ditionem regis concessit, Zogano urbem dedens. Omnes tamen hos deinceps, cum sic imperaret rex, trucidauit. Postea profectus est contra Grebenum urbem munitissimam, & hanc oppugnare instituit: uerùm loci difficultate impeditus, eam expugnare nequiuit. Tentabat deinde & reliquas Albanorum urbes, inter quas & Santanierium: in quam urbem plurimi regionis eius opulenti diuitias & opes contulerant, & ibi seruabantur. Euocantes autem Zoganum ad colloquium, fœdus pepigerunt, & eidem arcem dederunt. Hac accepta, dolo circumuenit omnes. Nam immisso exercitu, omnes cępit, & in mancipiorum conditionem traduxit: plurimos eorum etiam occidit. Hæc ubi fama pertulit ad cæteras Albanorum urbes, nullam amplius spem salutis sibi in rege cernebant. Quapropter singuli in suis urbibus hosti resistere parabant, nec ullum amplius oppidulum deditionem facere uolebat. Et Zoganus quidem cum talia faceret, maximam

† Alij legũt ducenta.

calamo

calamitatem Santanierio inuexit. Cæterùm non multo post, & ipse suo offi-
cio excidit. Rex interea Corona relicta, profectus est Pylum, & ibi castra
ponebat. Aderat ibidem & Thomas cum naui: quam conscendens, solue-
bat, expectaturus quónam res Peloponnesi essent euasuræ. Huc cum ap-
pulissent naues Venetorum, edixerunt ut hinc decederet, nec in ipsorum por-
tu resistere regi institueret. Ille quidem, ubi castra metatum esse audierat
regem, abibat, committens pelago nauem. Venetorum autem legati acce-
dentes huc ad regem, fœdera inita confirmarunt, & hospitalitatem, bene-
uolentiam que maximam regi exhibebant. Nihilominus tamen regij e-
quites incursionem in Pylum facientes, haud paucos Albanos, qui in ea re-
gione agebant, cæperunt, & finitimos necauerunt. Equitatus regis dein-
de pergebat Methonam, ut uideret, qui nam urbe essent egressi, ut semeti-
psos dederent regi. Verùm quidam ab equitibus perempti sunt. Rex col-
lectis omnibus, Pylo decedens, Græcorum principem recta in Bœotiam
procedere iussit, ut in ditionem redigat mediterraneam, quæ ibi est, regio-
nem, sicuti supra docuimus. Ipse uerò cum hæreret in Achaiæ regione, &
loca quæ ibi erant, in ditionem accipiens, dedentibus sese principibus, ue-
nit in Achaiam, uehens secum Asanem, uxoris quam princeps habebat, fra-
trem. Huc ueniens, accepit miserabilem calamitatem, quæ contigisset San-
tanierio. Grauiter, ea audita, succensuit Zogano. Nam merito indigna-
batur. Si quidem propter errorem siue crudelitatem Zogani in Græcos,
reliquæ urbes cunctabantur ad deditionem spectare. Iussit igitur rex per
præconem in castris edici, ut mancipia Santanierij conquirerentur; omnia
quæ in castris reperiebantur, libertatem pristinam recipiebant. Plurima ante-
quam id fieret, transcenderant ab Achaia in Aetoliam. Zoganus quoque
plurimos captiuos in mancipiorum numerum relatos, domum transmiserat.
Vrbem dehinc Grebenum, misso Iesu Scopiorum præside, cæpit: & tertiam
hominum, qui in ea urbe erant: partem ad mancipiorum miserabilem for-
tunam deduxit. Hinc ipse eligens pulcherrimum quodque mancipium, ea
auferebat. Etiam antequam hæc euenirent, Patrarum præfectus nomine Iso-
cales oppidula quædam finitima subegerat. Nam Græci ubi intellexerunt
regem populari mediterraneam regionem, & necare plurimos, ibi tum sin-
gulæ ciuitates contendebant summis studijs, ut se traderent regi, priusquam
ipse aduenies urbes diruere: quasdam in mancipiorum numerum redige-
ret, & alios leto daret. Turci igitur urbes susceperunt, & eligentes pul-
cherrima mancipia, quæ in ijs erant, sibi conseruabant. Vrbes quidem mi-
nores fœdè diripiebant, at maiores in ditionem accipiebant, eligentes sibi
ea quæ in urbibus erant pulcherrima. Quemadmodum in oues à pastori-
bus destitutas irruunt lupi, nec cæde unquam satiantur, uerùm miserè lupo-
rum sæuitia oues pereunt. sic ea tempestate Peloponnesus crudelissimè in-
teribat, uastata & corrupta ab regijs militibus, cum alij hic, alij alibi mise-
randum in modum occumberent. Rex cum aduenisset Patras Achaiæ,
castra communiuit, & Castramentum urbem in deditionem accepit. Misit
quoque præconem ad Salmenicam, qui iuberet eos urbem dedere. Ve-
rùm hi responderunt se nondum satis paratos esse ut deditionem facerent.
Scire enim se, si deditionem facerent, se idem quod accidisset reliquis Græ-
cis, passuros. Hæc ut relata sunt ad regem, postero die omnibus collectis uenit
Salmenicam. Vrbs hæc sita est in cacumine montium excelsorum: loci que natu-
ra est munitissima. Arx præterea urbis exædificata est in præcipitio montis,

erigens se supra urbem. In hac seruabantur, putantes se tutos fore ab immi- A
nenti discrimine finitimorũ Græcorum & Albanorum plurimi cum uxori-
bus, & liberis. Rex ubi ad eam urbem accessit, bombardas expediri iussit,
quibus murum, qui firmissimus erat, nec bombardis cedebat, quassauit. Tan-
dem in alijs locis periculum fecit, siquid promouere posset. Quamuis ta-
men omnia tentaret, urbem capere nequibat, nec quicquam tanto appara-
tu dignum efficiebat. Bombardarij interim haud paucos oppidanos uulne-
rabant globulis. Cum autem urbem diebus septem obsidione urgeret, &
peregrini milites aquam fluminis, unde obsessi aquam hauriebant, obtinuis-
sent, nec multo post siti expugnati oppidani, semetipsos regi dediderunt. Hos
igitur ad miserandam mancipiorum fortunam redactos, rex in omnes exer-
citus sui proceres partitur. Inde quoque elegit pueros circiter nongentos,
quos in peregrinorum ordinem transtulit. Reliquum uulgus uænijt in pu-
blico foro. Is autem qui arci præerat, erat dux Græcorum, nomine Palęolo-
gus. Indicabat regi se arcem traditurum, si ipse hinc profectus, miliare u-
num castra posuisset. Rex conditionem hanc haud abnuit: acceptisque in rei
fidem obsidibus, inde digressus est: & ueniens Aegium castra locauit, reli-
cto illic Chamuze Peloponnesi & Thessaliæ præfecto. Hunc Peloponneso
& Thessalię præfecerat rex, cum ex ea dignitate expulisset Zoganum pro-
pter Santa merij calamitatem. Ille autem iussus manere, ut arcem in dedi-
tionem caperet, postero die moratus est, nihil faciens. Græci autem pericu-
lum facturi, num satis omnia tuta sint, quosdam eorum qui in arce fuerant,
dimiserunt, ut abirent portantes suam supellectilem in continentem, quæ ex
aduerso Peloponnesi erat. Nam inde cogitabant transire ad Venetos. Hac
enim conditione fœdus ictum erat. Hos igitur egressos urbe, & ad abitum B
instructos comprehendit Chamuzes, & ad mancipiorum conditionem eos
trahens, auctor fuit ijs qui in arce erant, non tradendæ arcis. Literis enim
missis significarunt regi ducis imprudentiam & insciti am, quòd illicò fœde-
ra regis uiolauerit. Rex quid actum esset, ubi resciuit, Chamuzam officio suo
eiecit: Zoganum uerò iterum præfectum Peloponnesi, & ducem Thessaliæ
constituit. Cum huic regiones istas commisisset, iter fecit per Phæacum.
Huc cum uenisset, præconem dimisit per oppidula finitima, qui diceret: Re-
gem præteritorum ueniam dare, & iubere, ut descendentes in castra, suis mi-
litibus commeatum uendant. Quidam igitur dicto audientes fuere, & ue-
nientes in castra, admiscebantur Turcis. Rex congregans Ianuarum mili-
tes, quotquot præstò erant, & equites, eos emisit in Albanos, quasi omnes ra-
pturus. Quotquot præconis uoci paruerant, in hunc modum occumbebant:
& iumenta pecora que, hac occasione usi, abigentes, aduenere Corinthum.
Pari fraude usus, etiam in Phliuntis regionem incursionem fecit. Nam Al-
bani incolentes loca ista munitissima, Græcorum res agebant, & ferebant. Re-
liqui Albani, qui habitabant in inferiore Peloponnesi regione, accedebant
prędictis Albanis auxiliares, & sequebantur quocunque bellum auertissent.
Itaque rex decreuit loca ista reddere infirma. Albanos præterea hinc digres-
sos noluit amplius quid in sua regione rex innouare. Nam plerunque Alba-
nos, quemadmodum modò diximus, defectionem fecisse aiunt, & reliquos
defectionis socios traxisse. In hunc modum in ditionem regis redijt Pelopon
nesus. Rex autem ueniens Athenas, obambulans hinc inde, ueterem illam ur
bem & portus spectabat. Interea quidam peregrini, qui in arce erant, expo-
nunt regi, quosdam Athenienses coniurationem fecisse, ut proderent urbem
Franco Bœotię principi, qui antea princeps Athenienſiũ extiterat. Sic urbs
& Athenienses in magnum discrimen uenere. Nam rex huic indicio fidem

dans

dans, capit ciues decem opulentissimos: eosq; inde abducens, deportauit Byzantiũ, ut ibi habitarent. Rediens autem domũ, præcones misit, iubens Demetrium ducem præcedere cum uxore. Ipse uerò per ociũ sequebatur. Duci quidem tradidit urbem Aenũ, et uectigal quod ab salinis istius urbis soluebatur. Præterea à Ianuis regis accipiebat circiter sexaginta myriades argenti. Francum Antonij filiũ, quo per amorẽ abusus fuerat, (ut fertur) eiq; crediderat Athenienſium arcem, cum, inquam misit ad Zoganum Peloponesi prę fectum, quem occidi iussit. Zoganus inuitans istum in tentorium suum, cum eo collo quutus est usq; ad noctẽ. Postea autem cum abiret Francus, pergens ad suum tentoriũ, ibi interfectus est à Zogano, cũ ut ibi necaret, precibus impetrasset. Franci mors talis fuit. Rex autem per ocium reuertebatur domũ. Cum aduenisset Pherras, diem ibi moratus est. Nam fama erat, Pannones cum exercitu accedere ad Istrum. Vbi autem cognitum est, famam hanc esse falsam, nõ multo pòst Adrianopolim peruenit, ducens secum Gręcorũ regis fratrem Demetrium cum uxore. Vbi processit in regiã sedem, misso nuncio eunuchũ abduxit à custodia filiæ ducis. Zoganus, qui relictus fuerat in Peloponeso, habens sub se Thessaliæ exercitum, equitibus exceptis, res Peloponnesi circumiens componebat. Plurimum lucri tum huic, nec non Peloponnesi ducibus accedebat ab mancipijs, quę clàm ferentes transmiserãt in Thessaliam. Peloponnesiaci quoq; plurima munera in istum uirũ cõgerebant. Salmenicã quoq; exercitu circũsedit: & æquas conditiones, quibus oppidani urbem dederent, obtulit. Cæterũ oppidani eas conditiones respuere, nec ijs obtemperare uoluerunt. Contigit autem postmodũ ut impunè & illæsus exiret ab arce ista Græcorũ dux, qui per annum ibi manserat, quàm fortissimè & generosissimè sustinens bellũ quod ab rege inferebat. Nam Machmetes regię domus princeps de isto uiro talem sententiã protulit: Veni in Peloponnesum, quæ admodum magna regio est, & mancipia reperi plurima: nullum uerò uirũ præter istum. Rex ea tempestate in regia sede uersabatur. Thomas ab Peloponneso profectus, & Epidaurũ assumens, accessit ad Corcyram: & eiectis inde mulieribus & liberis, nauigabat in Italiam ad Romanum Pontificem. Misit quoq; legatum ad regem, periculũ facturus num reddere sibi uellet pro Epidauro, quam tradere uolebat, regionem omnem Europæ maritimã. Rex legatũ istum comprehendi, & in uincula duci iubet. Nec tamen multo pòst eũ inuiolatũ & illæsum dimisit. Thomas ueniens ad Romanũ Pontificẽ, apud eum uictũ habuit, & quotannis sex mille stateres † argenti. Insequenti æstate, ubi apparuit uer, expeditionem sumpsit Mechmetes cõtra Castmonæ & Sinopæ principem. Huic dabat crimini amicitiam, quam fecerat cum Chasane Longo. Præterea quod parabat, Chasani adiunctus, incursionẽ facere in suam regionẽ, unà cum eo hostiliter accedens. Ferunt & alia, uidelicet Amarles frater agens in Ianuis regis, regi non cessauit suadere, ut fratri suo bellum indiceret. Implens igitur rex naues & triremes circiter quinquaginta & centum, eam classem mari profectionem facere iussit. Ipse uerò transiens in Asiam itinere pedestri, per continentem incedebat. Classis regia Asiæ oram tenebat, donec ueniret Sinopam. At rex iter faciens per Castmonam urbem cum exercitu, tandem peruenit Sinopam. Vrbs hęc præiacet Euxino Ponto. extendit se, cum sit Cherſonesus, in mare stadijs uigintiseptem: & in Isthmo sita est. Hortis & arboribus abundat. Plantas & arbores producit omnigenas tam mansuetas quàm syluestres. Nomen eius est Pordapas. Sunt ibi damularum & leporum uiuaria. Nec desunt aliæ feræ, quas uenari solemus. Vrbs admodum munita est. Nam utrinq; mari cingitur, cum sit speciosa & pulchra. Ab continente uergit urbs ea in locum arenosum. Ea uerò regio, quæ in Cherſonesum porrigitur, campestris est, et hinc facilè urbis mœnia aggredi licet. Machmetes

† Alij legũt auri.

profectus

profectus ad urbem istam, ante aduentum regis in Turcorum castra, huiusmodi A
di orationem cum Ismaele habuisse fertur: O fili Scenderis, tu quidem ex
illustri † Tyriorum genere natus es. Pręterea nec te fugit, etiam regem ex isto
genere prodijsse, & contra Mechmetæ hostes haud cessat bellũ gerere. Quid
igitur non pacem & tranquillitatem amplecteris, & fratri tuo medium prin-
cipatum concedens, medio principatui imperare non uis? Sed spolias fratrem
media principatus parte, & totum gubernas, nec interim abstinens iniurijs,
aduersum te prouocare regem. Nunc igitur, ut res tuæ meliore sint loco, con-
sulo ut egressus ad regem, teipsum & principatũ ei tradas. Nec ingratum ex-
periare regem. Proinde ne cuncteris huiusmodi beneficio tibi regem deuin-
cire. Nam satis scio, aliam accipies ab rege regionem tua nequaquam mino-
rem, & beatè secureq; uiues: nec ulla tibi interueniet tristitia. Nec negocia
tibi erunt deinceps aut cum nostris, aut cum tuis hostibus. Etiam ab fratre
tuo tutus eris. Nec erit hostis qui principatui tuo insidietur. Ipse igitur profer,
quem tibi ab rege in Europa principatum dari uelis, eumq; tibi apud regem
impetrabo. Hæc quidẽ loquutus est Machumetes dux, filius Michaelis. At
Ismaeles respondens inquit: Verùm oportebat, ô Machmeta, regem bellola
cessere Mechmetæ Heroi hostes: nec nos bello affligere, qui eiusdem & na-
tionis & fidei sumus. Haud enim fas censetur, ut bellum moueat contra tui-
rum eiusdem nationis, & in fœdus susceptum: præterea qui non prior iniu-
rias fecerit, & eum è medio tollere statuat. Nos quidem iniuria nulla affeci-
mus regem, nec fœdera uiolauimus. Sin autem rex nobis succenset, quòd
Chasanem coluerim, agè in hunc belli molem auertat. Ergo si hanc regionem
rex sibi tradi postulat, pro ea nobis tribuat Philippopolim: at ita, ne eam tri-
butariam, uerùm immunitate recepta, possideã. Quod si fecerit, ad regem pe-
gemus, eius æquitati fidem habentes. Videtis ne, quàm egregiè urbs munita
sit loci natura, & armis instructa? Bombardæ in circuitu positæ sunt quadrin-
gentæ. Bõbardarij iaculatores adsunt circiter bis mille. Habet supra decẽ mil
lia uirorũ hæc urbs. Hinc datur nobis q̃ tutissimè resistere, & hostes grauissi-
mè lędere. His auditis, Machumetes plurimũ delectatus est Ismaelis oratio-
ne: & processit ad regẽ, ut ei persuaderet, qui urbem istã in ditionẽ acciperet.
Rex ubi singula, quę cõmemorasset Ismaeles, intellexit, paratus erat pacem
cõponere his conditionib. quas obtulisset Ismaeles. Proinde Philippopolim
ei prębuit. Ismaeles uniuersas suas opes ferens excedebat urbe, & proficisce-
batur in eam Europę regionem quam ei rex assignauerat. Rex cũ in ditionem
accepisset urbẽ, & Ismaelem in Europã ablegasset, etiã reliqua quæ ad istum
principatũ pertinebant, in regis ditionẽ deuenere. Et sanè Castmona urbs erat
opulẽta, & inprimis munita. In hanc princeps collocauerat uxorẽ & liberos.
Ipse uerò obsidionem Sinopę tolerare uolebat. Regio autem Ismaelis incipit
ab urbe Ponti Heraclia, quæ regis est. porrigit se per Pontũ usq; ad Paphla-
goniã, & ad Turgetis regionem. Cum aũt opibus per se sit florentissima, attra-
mẽ redditũ habet annuũ, qui præbet circiter uiginti myriades staterũ † argen-
teorũ. Sola ista Asiæ regio æs fert, ut alibi annotauimus. Aes aũt hoc secun-
dum Iberię æs optimũ perhibetur. Ex eo quotãnis tributi nomine accipit rex
quinque myriades staterũ auri. Naues plurimę stabãt in portu Sinopẽsi, inter
quas erat rotunda, quã extruxerat Ismaeles. Ea habebat fundos nonin gentos.
Hãc Byzantiũ abduxit. Etiam rex parauerat nauẽ, quæ ea tẽpestate, exceptis
Venetorum nauibus, & Alphonsi Tarraconensium regis naui, maxima erat.
Alphõsus etenim primus fabricauit nauem fundorum quatuor milliũ. Vene-
torum urbs deinde, ubi pax cum Ligurię tyrãno interuenit, naues ædificauit.
Etiam Taraconensium rex composuit naues duas, quæ magnitudine ante-
cessere naues omnes quæ unquam fuere. At Taraconensium regis naues, in

† Alij legunt Turcorum.

† Alij legunt, aureorum.

sese

A seſe incidentes, prę magnitudine in portu confractæ ſunt, nec in mare deduci potuere. Rex Turcorum hæc audiens, & ipſe fabricauit nauem fundorum tria millia. Nec multo pòſt interijt propter mali magnitudinem. Nam poſtquam in nauem adaptatus eſt, & quidam eam haurirent tempore longo, tandem ubi exhauſta eſt à quadringentis, quibus id negocij datum erat, in ipſo portu ſubmerſa & mari obtecta eſt. Nauis autem gubernator aufugit, timens regem Mechmetem. Sed hæc quidem ſuccedenti tempore acciderunt. Rex igitur ſub idem tempus occupans regionem Iſmaelis, qui Spendere patre natus erat, rectà profectus eſt contra Chaſanem Longum, & contra Colchida, ut debellaret regem Trapezuntis, qui erat amicus et familiaris Chaſanis. Inprimis autem eo familiariter utebatur frater eius Ioannes. Ipſe quoque rex Dauid ſuam conſobrinam, quæ erat Ioannis filia, Chaſani Longo in matrimonium collocauit. Rex Dauid rogauit Chaſanem, ut ſibi efficeret apud regem, ne in poſterum tributum ferre cogeretur ad ipſum Trapezuntis, ſed magis quærebat gratificari Chaſani rex Mechmetes. Cæterum Chaſanis legati cum ueniſſent ad regem, inter cætera loquebantur faſtuoſa: poſtulabant quoque ſibi remitti & Colchidis tributum. Rex hos dimiſit minitando: Haud multo pòſt ueſtro periculo experiemini quid ab rege petendum ſit. Sub idem tempus cum iter per Cappadociam faceret, filius eius natu maximus, qui Amaſiam imperio moderabatur, accedebat, munera maxima patri offerens: cúmque in terram procumbens, ut mos gentis eſt, adorauit. Hic adijt ad regem, nec non ſocer eius Turiutes, cuius filiam uxorem duxerat rex, quam plurimum diligebat, eáque ſecunda poſt mulieres, quas in cubiculo ſuo tenebat, utebatur. Fratrem uxoris iuſſit, qui ad ipſum adierat, & in Ianuis a-

B gebat, ſequi quócunque profectionem inſtituiſſet. Tunc igitur in militiam proficiſcenti regi occurrit filius, munera quàm maxima ferens. Vbi autem tranſiuit Sebaſtiam, irruptionem fecit in Chaſanis regionem, urbémque occupauit nomine * Rex cum ulterius pergeret, obuiam habuit Chaſanis matrem, munera ampliſſima portantem, & nomine filij legatione apud regem fungentem. Progreſſa autem in conſpectum regis, ſic infit: O rex O tomanidarum, fili Amuratis, me quidem miſit Chaſanes filius meus, qui admodum rebus tuis fauet, nec inuidet felicitati tuæ, nec recuſat tibi gratificari in omnibus quæcunque imperaueris. Quæ autem nunc ſequuntur, ex memetipſa profero, uir diuine. Quid nos, qui eiuſdem tecum gentis ſumus, idémque populus, bello perſequeris? Aut ignoras Paiazitem Lęlapa, Amuratis filium, qui cum circa hæc eadem erraret, & plurimum delinqueret in gentis ſuæ homines, tandem ſenſit ultionem? Nam iuſtitia accedens, eíq; manus injiciens, effecit ut trucidaretur ab Temire rege. Tibi quidem hactenus, quia manſuetè & clementer tractaſti tuæ gentis homines, nec cuiquam intoleranda feciſti, Deus maximam & copioſam largitus eſt felicitatem, auctore Heroe. Prętera prębet amplam & opulentam regionem, urbes & reges, qui omnes tuum imperium agnoſcunt, & contremiſcunt. Certè haud te clàm eſt, fore ſi contumelijs & iniurijs laceſſiueris homines qui Heroa colunt, ut nequeas amplius hoſtes tuos uincere. Quamuis quidam natura & animo malè feriati homines, & impudentiſſimi cenſeant iuſticiam nullibi terrarum homines punire, uerùm caſu quodam ſiue fortuitò res humanas gubernari. Nec ad quodcunque ſe contulerit, qui libet ſiue rex, ſiue tyrannus, fas iuſtúmque eſt: ſed ſi iuſtitia acceſſerit. Verùm enimuero cernimus Parcas utramque ſortem, bonam & malam, diſtribuere: & in utramque hanc fecernunt homines, qui in terram aduenerint. Quibus melior ſors in hoc ſeculo à Parcis fuerit attributa, hi poſt mortem uincti pœnis ſubijciuntur.

Deeſt nomẽ exemplari Græco.

Solet

Solet aurem aliàs numen sedulò id procurare, ut quod quis intercedente iu- A
reiurando pactus fuerit, præstet. Sin preuaricatur, præuaricantem illico com-
minuit. Tu quidem maximam consequutus es felicitatem, adeò ut nullus
omnium qui in orbe sunt, regum tibi sit conferendus. Caussa uerò in prom-
ptu est. Nam paruisti Heroi, & solennia quæ semel uisa sunt, non es transgres-
sus: & in posterum imperabis, si sic perrexeris agere. Pactis autem omni-
bus quæ quis fecerit, siue cum Heroe, siue cum Deo, donec moriaris, standum
est. Verùm non honestè nobiscum agis, qui sumus de tua natione, & serui He-
rois. Nam etiam Parca tecum pacta est. Satis scio, hæc nos non despiciet, nec
nos contumelijs & iniurijs abs te affectos aberrare uagos sinet. Hæc loquuta
est. Rex autem in hunc modum respõdit: O mulier, non eo inficias quin iusta
sint quæ commemorasti omnia: uerùm haud te clàm est, pactum conuentum
amplius quidpiam quàm priuato, gratificari regi, & tyranno. Id autem rerum
experientia demonstrare consueuit. Nam si quis in eiusdem nationis homi-
nes peccare apparet, eius rei testimonijs fides accipienda est. Deinde acceden
tem oportet ultionem exigere. Hoc à nobis factum est. Siquidem prædixi-
mus filio tuo, nos nolle amplius ei nostram prębere regionem. At non acquie
uit nostro imperio, nec regione nostra abstinuit: uerùm nostra intertur bare
accedens non cessauit. Cæterùm, utut hæc facta sunt, tamen filio tuo hæc nun
ciamus: quæ si fecerit, ab eius regione exercitum abducemus. Det operam
ne in nostram regionem incursiones faciat, nec auxilio ueniat regi Trapezun
tis, ut simul cum ipso capessat bellum. Hæc ubi enarrauit rex, mulier pacisce-
batur, & pacem componebat. Qua conuenta, rex duxit rectà Trapezuntem
contra regem Dauidem: qui defuncto rege Ioanne fratre suo, & relicto nepo-
te uno, congregans Cabazitianos, qui imperant Mesochaldijs circa Trape-
zuntem regnum inuasit, eóque potitus est regnans, cum iniuria affecisset fra-
tris filium tunc demum quatuor annos natum. Classis autem soluens à Syno-
pa, postquam eam subegerant, tendebat Trapezuntem: dextra Cappadociam
tenens, & ueniens Trapezuntem, suburbana incendit, & diebus trigintà
duobus urbem obsedit. Posteà etiam rex cum exercitu accessit. Machumetes
autem dux præcesserat regem, & ante hunc uenerat Trapezuntem. Castris
positis ibi in eo loco, qui Scylolimne dicitur, in colloquium ueniens cum
Georgio Protobestiario patruele eius, iussit ut sic alloquatur regem Trapezun
tis Dauidem: Regij Gręcorum generis rex magnus hęc dicit. Cernis, quàm
longum iter, & quàm longam regionem emensus sit rex, postquam expedi-
tionem sumpsit contra te ut huc ueniret? Si igitur illico urbem regis permi-
seris arbitrio, ne dubites, præbebit aliam, ut Demetrio Græcorum principi,
qui Peloponnesum rexerat. Donauit uerò hunc opibus plurimis, insulisque.
Eidem & urbem opibus florentem Aenum tradidit. Is igitur nunc omni
metu uacuus, securus uiuit, maxima felicitate fruens. Si autem non obtempe-
raueris, uerùm regis uires experiri uolueris, scito urbem tuam breui direptio
ni obnoxiam fore. Nec enim prius ab oppugnatione desistet, quàm urbem cæ
perit, & uos omnes ignominiosissimæ morti subiecerit. His dictis ab Me-
chumete, respondit rex Colchidis, in hunc modum: Verùm enimuero nos
cum haud dum fœderum fidem uiolassemus, fratrem regis mittentes, prom-
pti & parati eramus, quócunque iussisset rex, obedientes ire. Etiam regiæ
classis Duci loquuti sumus, rogantes ne regionem nostram populationi-
bus afflígeret. Paratos enim nos esse, ubi primùm aduenerit rex, dedi-
tionem facere. Hæc dicens, rogabat ut pax inter se & regem conueniret.
Hac tamen conditione, ut rex ipsius filiam uxorem duceret, & regio-
nem redderet, ex qua æqualem redditum huic, qui ex Colchide ueniret,

quotan-

A quotãnis acciperet. His expositis, pacem orabat. Machumetes reuersus in castra, occurrit regi: & quæ ex urbe cognita haberet, enarrat. Cæterùm rex elatus his sermonibus, urbem ui capere & diripere nitebatur. Aegrè enim ferebat, uxorem regis, priusquam appulisset classis, uenisse ad suum generum Mamiam, & urbe egressum esse. Postea cum consultatio proponeretur quid agendum foret, uisum est ut congressus fieret utrorumque, & iuramento interposito, in deditionem susciperentur. Iusiurandum itaque regis interuenit. Quo facto, peregrini milites regis urbem, sicuti imperauerat rex, susceperũt. Regem Trapezuntis nauem conscendere, cum suis liberis, & filia, cognatisque, qui præstò erant, iussit: & soluentes, iussi sunt nauigare Byzantium, quasi & ipse breui affuturus sit, iter facturus per continentem. Vrbem autem eam commisit regiæ classis imperatori, qui Calliopolis præfectus erat. Peregrinorum præsidio arcem muniuit. Vrbi uerò præsidium Azapidum imposuit. Postea misit Chetirem Amasiæ præfectum, qui regis iussu, loca urbi et Mpesochaldio finitima occupauit. Hæc autem fuerant in ditione Cabæzitæorum, qui erant præfecti Pansebasti, siue Augusti, & filij eius. Singula ista loca in regis ditionem, deditione facta, concessere. Rex autem relicto præsidio peregrinorum & Azapidum, iter fecit per continentem. Proficiscebatur per Tzapnidarum regionem: quam, quia admodum munita erat, haud facilè transire poterat. Veniens deinde Byzantium, curauit ut rex Trapezuntius Adrianopolim subueheretur. Nec multo pòst & ipse eòdem peruenit. In hunc modum capta est Trapezus urbs, & uniuersa Colchidis regio, deuenítq; in potestatem regis. Antea fuerat principatus, quem regebant Græci, moresque & uictus rationem Græcorum maximè imitabatur. Verùm Græci & Græcorum principes, breui admodum tempore bello domiti sunt. primò quidem
B rex potitus est Byzantio: postea arma tulit in Peloponnesum: dehinc Trapezuntis regem unà cum regione nactus est. Hæc quidem hactenus contigere. Trapezuntios in partes distribuit: partem unam retinuit ipse, ex qua fecit Silictarios, & Spathoglanos. hos in Ianuis tenebat, eorum que ministerio utebatur, necnon ipsis nefario amore raptus abutebatur. Partem autem aliam Byzantium transmisit. Porrò ex alia Ianitzarios elegit. Quosdam constituit seruos, qui in tabernaculis seruirent. pueros ex omnibus elegit octingentos, eosq; in peregrinorum cohortem submisit. Filiam regis Dauidis non, quem admodum rex heic petierat, uxorem duxit. Haud tamen multo pòst, eam in suum cubiculum accersiuit, perempto rege Dauide. Nepotem autem huius, qui fuerat filius adhuc infans prioris regis, apud se habuit Crato. Regis autem filius iunior, nomine Georgius, cum Adrianopolim uenisset, ad Mechmetæ religionẽ conuersus est. Assumptis Turcorum moribus nõ multo pòst captus est ab rege, unà cum patre & fratribus. Nam missis literis, consobrina regis uxor Zuchanis, uocabat aut regis filium, aut patruelem eius, Alexium Comnenum ex Mitylena. Et literas quidem, quibus significabatur, ut unus ex filijs regis, aut patruelis eius (ut dictum est) ueniret, ad dominam, quæ uxor erat Chasanis Longi, tradiderant regi: nam literas istas dedit Protobestiarius Georgius curatori, moribus cætera non improbo, ut appareret regi talis, quali fidendum esset in quibusuis. Præterea ne innotesceret quomodo protobestiarius rem hanc celasset, timens Authẽtem, siue Imperatorem magnum, & Pasiam Mechmetem, ne re cognita pœnas daret Authenti magno protobestiarius. Quapropter literas magno Authenti obtulit. Rex, literis acceptis & lectis, nihil boni suspicabatur. Comprehendi itaque iussit Dauidem regem, & filios eius, unà cum patruele, quos omnes in custodiam dedit. Cæterùm filiam in suum cubiculum accersibat. Cum autem eos aliquanto tempore in custodia asseruasset, tandem abductos Byzantium necauit. Pueros

quidem ex urbe, & ab locis urbi finitimis allectos, in peregrinorum album conscribens, ad suum cubiculum ordinabat. Quosdam præterea tradidit in disciplinam, ut Turcorum studijs imbuerentur. Reliquis filijs suis & satrapis dono dedit uirgines: quasdam quoque per sua cubicula dispossuit, quasdam amicis donauit, quasdam uerò filijs suis misit, necnon quasdam breui tempore maritis coniunxit. Ea autem quæ sequebatur hyeme, in regni sede manens, uocabat Bladum, Draculis filium, ducem Daciæ. Nam huius fratrem iuniorem apud se habebat, eoq; per amorem turpiter abutebatur, & in suum cõuictum adhibebat. Discordia autem uehemens inter regem & puerum istum exorta est, cum primò eum sibi turpi amore flagranti obnoxium esse uellet. Nam cum primùm uenisset in regiam, ablegatus est ad Caramanum, quia regem propemodum interfecerat. Cum enim amore ardens puerum uocaret ad coitum, eumque illecebris & præbibendo delinire satageret, postremò in cubiculum accersitus est. Puer cum putaret se nihil huiuscemodi ab rege passurum, præter spem cernit regem in turpe hoc facinus uelle prorumpere. Verùm puer reluctabatur, nec regem admittebat. Rex uerò oscula figebat repugnanti & inuito puero. Puer igitur uagina gladiũ extrahit: regis femur graniter uulnerat: & celeri fuga continuò sibi consuluit. Chirurgi aũt uulnus regis curabant. Puer uerò conscensa arbore ibidem occultabatur. Vt autem rex collectis omnibus discesserat, etiam puer descendens ex arbore, & iter faciens, non multo pòst rediit in Ianuas regis, eiusq; cõcubinus factus est. Rex nec etiam ijs abstinet qui suam religionem sequuntur. Nam cum his semper diu noctuq; cõuersatur. Cæterùm alienigenis non multum utitur rex. Verùm haud multo pòst pueri huius fratri, quem Bladum nominant, Daciæ principatum rex permisit. Opera igitur regis adiutus, accedens Bladus, Draculis filius, principatum Daciæ occupauit. Vbi primùm in principatum promotus est, hastatos delegit: quos in conuictum adhibens, corporis sui custodes designauit. Deinde uocans singulos, qui in ea regione dignitate excellere uidebantur, quósque putabat, si dux mutandus esset, proditionis consilia agitaturos: hos inquam omnes cum tota familia letho dedit, & palis affixit, nec liberis, uxoribus, famulisque eorum parcens. Adeò uir ille maximam omnium, quos nouimus, cædem & stragem hominum fecit. Nam ut sibi constabiliret Daciæ principatum, fertur occidisse breui tempore circiter uiginti millia virorum, & mulierum, puerorumque. Cum autem pulchros & egregios quosdam delegisset milites & satellites, eos donabat opibus & diuitijs, necnon reliqua felicitate, quam ex cæde illorum acquisiuisset. Itaque breui tempore uir ille innouationem & mutationem Daciæ rebus induxit maximam. Præterea Pannones non paucos, quorum interesse putabat ut res Daciæ quoquo modo bene haberent, nulli parcens, tributo maximo onerabat. Cum crederet Daciæ principatum iam satis firmum & tutum esse, consilium capiebat, quomodo ab rege descisceret. Sententia autem Dacorum graniter Bladum angebat. Timebat enim, si ipse confirmato nunc Daciæ principatu quid contra regem molitus fuisset, ut negocia sibi facesserent, adducentes Pannones socios & auxiliares. Hæc quidem in hunc modum acta sunt. Ea autem hyeme ut nunciatum est regi, Bladum nouarum rerum esse cupidum, & deliberare qua ratione à se deficeret, & conuersum ad Pannones, cum ijs fœdere interposito societatem coiuisse, hæc inquam accipiens, ualde uiro indignatus est. Misit itaq; uirum satis spectatum Ianuarum scribam, uirum Græcum, ad Bladum, qui hunc moneret, ut ad Ianuas accederet. Quod si ueniret, fore ut maximam gratiam iniret apud regem: Præterea bona plurima ferẽs, nũquam beneficijs regem superare poterit, si rebus regis fauere pergeret. Cum huiusmodi mandatis Catabolinum scribam Ianuarum ad Bladum proficisci iubet. Chamuze

A muzę uerò, quem Hieracophorum nominabãt, qui apud Istrum latuit, ut administraret suo imperio regionem non modicam, & Bidiniæ præesset, præcepit ut clàm, si dolo posset, Bladum ad se perduceret. Addebat, se ei gratificaturum uel maximè, seu dolo, seu alio quouis modo istum uirum cæpisset. Chamuzes igitur unà cum scriba consilia tractabat, qua ratione imperata opportunè ad rem conferrent. Visum igitur est hoc esse consultissimum, ut comitanti Blado scribam in sua regione insidias ponerent, eúmque hoc modo per insidias exciperent. Sed conuenit, ut scriba, quando uelit redire, ad regem digressus à Blado, significaret. Scriba quemadmodum conclusum erat, fecit: & horam, qua abiturus esset ad regem, comitante Blado, indicauit. Quapropter insidias, eò loci quoi profecturus erat, Blado struxit Chamuzes. Bladus itaque armatus cum suis prosequens scribam & Ianuarum ducem, in insidias præcipitatus est. Quas ubi cognouit, suos illicò exhortatione firmauit, & ministros capit. Chamuzes autem accedens, pugnauit perquàm fortiter. Tandem Chamuzem in fugam uersum capit: & reliquis fugientibus, euenit ut nõ multi perirent. Hos igitur omnes, quos uiuos comprehenderat, abduxit, & palis adfixit. cæterùm antequam capitali supplicio subderentẽ, mutilati sunt, extremis corporis partibus præcisis. Chamuzem altiori quàm reliquos cruci affixit. Hoc autem ideo factum est à Blado, ut suis exemplum proponeret, ne quando similia tentarẽt, quasi similia passuri. His ita gestis, exercitum conscripsit quàm potuit maximum, & illicò ad Istrum raptim agmẽ duxit: quem trajciens, uenit in loca Istro finitima, & in regionem regis: quam uno impetu, cæsis liberis & mulieribus, miserè euastauit. Domos uillasque incendit, ubicunque potuit ignem injiciens. Cum autem cædem fecisset maximam, tandem reuersus est in Daciam. Hæc ut allata sunt ad regem Mechmetem, nem-
B pe legatos suos fœdè à Blado Daciæ duce peremptos, & Chamuzem, uirum inter Ianuas primarium, adeò contemptim & ignominiosè perijsse, dolorem & mœrorem regi mouerunt, quemadmodum uerisimile est. Illud autem longè grauissimum ducebat, si despiceret uiros tantos talesque quos amisisset, nec ultionem exigeret, præsertim cum eò iniuriarũ & cõtumeliæ processisset Bladus, ut nec ab legatis uiolandis abstinuerit. Dolebat præterea regi, Bladum Istro transmisso, magna manu suam regionem incendisse: & magna suorum cæde edita, in Daciam redijsse. Verùm quòd tãta crudelitate legatos suos tractasset, reliquis maius & atrocius iudicabat. Itaq; edixit, annuncians optimatibus suis, & alijs, ut quàm pulcherrimè armis instructi, cum exercitibus adueniant, atq; unà cum eo in militiam proficiscantur. Et quidem hoc pacto expeditionem contra Dacos suscepit rex. Ferunt præterea Mechmetem ducem, antequam cædes legatorum & Chamuzis præfecti, & regionis incendium nunciaretur, indicasse regi quæ fecissent Daci uiris regijs. Quibus auditis, grauiter indignatus est: etiã uiro qui hęc exposuerat, uerbera inflixit. Nec enim turpe habetur in Ianuis regis, flagris cædere eos quos ex mancipiorum numero, nec de Turcorum filijs, in regnum suum transtulerit. Rex igitur per uniuersum regnum dimittens pręcones, edixit, ut exercitus bene instructi & armati ad se adueniant: equites præterea omnes ad hanc expeditionem conciuit. Præcones regij, qui regis uoluntatem per uniuersam regionem nunciãt, & nuncijs, si quid nouarum rerum inciderit, ad Ianuas regis festinant, & citissimo gradu intra paucos dies maximos cursus peragunt. Si quis ex eorũ numero in itinere equum cernit, equitem confestim ex eo deponit: cõscendensque ipse equum, iter maturat, impellens equum quantum potest. Deinde si alium inuenerit, eundem similiter conscendit, & equum fatigatum isti homini tradit. Et in hunc modum equos quieti tradentes, maximos cõficiunt cursus. Corpus totum cingunt, ne doleat uel ægrotet corpus quãdo currunt. Ex Po-

loponneſo Adrianopolim ſcimus regios præcones ueniſſe intra quinque dies. Hoc iter intra decem & quinque dies eques ægrè peragere poteſt, etſi maximè feſtinet: hi præcones nominantur Vlacides. Copiæ uniuerſæ regis cum inſtructæ conueniſſent, primo uere profectus eſt contra Daciam. Tradunt hunc exercitum regis fuiſſe maximum, & ſecundum magnitudine ei quem contra Byzantium ductarat iſte rex. Verùm conſtat illum exercitum fuiſſe reliquis pulchriorem, & plurimum momenti tum in armis, cùm in reliquo belli apparatu habuiſſe. Eo autem tempore in armis habuit rex circiter uigintiquinque myriades hominum. Huius numeri facilè iniri poteſt ratio ex Iſtri traiectu. Nam publicani Iſtri traiectum emerant a rege, numerantes triginta myriades aureorum ſtaterum: interim tamen conſtat, eos opes maximas eſſe lucratos. Per continentem deinde exercitus profectus eſt, ab Philippopoli. Implens uerò triremes circiter uigintiquinque, et naues circiter centum et quinquaginta, mari rectà ſubuectus eſt ad Iſtrum, quaſi iter facturus per Bidenam. Iuſſit tamen ut iſtæ naues per Euxinum pontum ad Iſtrum contenderent. Et quidem claſſis quemadmodum præceperat rex, per Pontum ferebatur in Iſtri oſtium. Vbi Iſtri oram attigit, adueſſo flumine nauigauit Bidenam: ubicunque egrediebantur nauibus, incendebant ædificia, & comburebant. Praſlabum urbem Dacorum, quæ totius Daciæ forum erat celeberrimum, iniecto igne concremarunt. Pleraque autem iſtius regionis ædificia lignea ſunt: hinc fit ut facilè ignem admittant. Daci ubi acceperunt regem cum copijs aduerſum ſe pergere, liberos & uxores collocarunt quaſdam in montem Proſabam, quaſdam in oppidulum nomine * quod circulo ueluti circumiens muniebat & cuſtodiebat. Etiam palus ſiue lacus paluſtris id oppidulum uel inprimis & tutiſsimum & munitiſſimum præſtabat. Quaſdam præterea abdidere in querceta regionis, quæ tranſire difficile eſt uiro peregrino, qui non ſit indigena. Denſiſſima enim ſunt: & arboribus conſita denſis, plerunque inacceſſa & inuia ſunt. Mulieres quidem & liberos, quemadmodum dixi, in loca tuta contraxere. Viri uerò in unum collecti, ſequebantur Bladum ducem: qui ſecernens uniuerſum exercitum in duas partes, alteram quidem ipſe detinuit, alteram uerò ire iuſsit contra Nigræ Pogdaniæ principem: ut ſi is conaretur in Daciã irruere, fortiter reſiſterent, nec omitterent in eius regionem hoſtilem incurſionem facere. Nam inimicitiæ interceſſerant inter Nigræ Pogdaniæ principem, & Bladum. Quapropter bellum inter ipſos ardebat. Cuius hæc cauſſa perhibetur. Princeps Nigræ Pogdaniæ miſsis legatis, hortabatur regem Mechmetem ad bellum inferendum Blado: quem quo magis moueret, pollicebatur ſe ſuas copias eius copijs iuncturum. Regi grata erant quæ princeps iſte afferebat. Proinde iuſsit ut promiſſa ad rem conferat, & exercitum ſuum adderet Nauarcho prope flumen, & iuncto Marte obſiderent Celium urbem Bladi ſic dictam, & in ora fluminis ſitam. At princeps ille, ubi animum regis intellexit, conſcripto exercitu de regione ſua, pergebat ad claſſem regis, ut prope Celium urbem adiungeretur regio Nauarcho. Quo facto, uterq; urbem eam oppugnabant. Cum eam capere annitì eſſent diebus ſanè plurimis, tandem repulſi ſunt, inde amiſsis paucis. Cum urbis oppugnatio parum procederet, uterque abijt. Niger Pogdanus proficiſcebatur quaſi populaturus Dacorum regionem. Verùm inhibitus eſt ab ea exercitus parte, quæ oppoſita ei fuerat, ut defenderet regionem, ne hoſtilia ab Pogdano pateretur. Bladus cum maiore exercitus parte iter faciebat per ſyluas glandiferas, exploraturus quánam contenderet regis exercitus. Rex cum traieciſſet copias Iſtrum, Dacorum regionem ingreſſo eſt: nec tamen eam populationibus urebat. Nam ne id fieret, prohibuerat. Cęterùm inſtructo

Deeſt nomẽ exemplari Græco.

structo et composito agmine ibat ad eam urbem: in quam Daci exponentes liberos & uxores, sequebantur regem per querceta. Si qui longius ab agmine regis fuerant progressi, ab Dacis excipiebantur, & extemplò periebant. Rex, cum nunciaret nemínem accedere qui prælij potestatem faceret, præterea nec à Pannonibus Blado auxilij quicquam esse, hostem contemnebat, et uallo communire castra negligebat, quamuis ea in patente campo locasset. Bladus, ubi accepit ex nuncijs, hostes accedere infesto agmine, nuncium misit ad Pannones talia dicentem: O uiri Pannones, uos, non dubito, scitis, regionem nostram uestræ esse finitimam, & utrique habitamus affusi Istro. Nunc autem, ni fallor, accepistis Turcorum regem magna manu accedere, ut arma nobis inferat. Si nunc Daciam uastarit, sibi que subegerit, scitote, haud cessabit tanto cardine rerum, uerùm continuò arma hostilia ad uos circumferet. Nec dubito, quin maxima hinc pericula uestram regionem incolentibus immineant. Tempus igitur nunc postulat, ut nobis auxilio sitis, ut exercitum hostilem quamprimùm è regione propulsemus. Nec expectandum censeo, donec regionem nostram contuderit, & penitus euastarit, & gentem nostram sibi subiugarit. Etiam ducis nostri fratrem maiorem rex habet: hunc principem Blachiæ constituit. At opera danda est, ne ei singula ex sententia succedant. Nam Bladi fratrem iuniorem, cum arma contra Daciam uibraret, rex maximis studijs coluit, magnis que honoribus affecit. Opibus & uestitu precioso multo eum uirum donauit, hunc iussit sermones serere cum Dacorum proceribus, ut ipse tandem potiretur rerum summa. Quapropter cum breui in magnam felicitatem sit promotus, ut parêret regi, imperata fecit, & Daciæ proceres tentauit. Nec tamen quicquam adhuc efficere potuit: uerùm repulsus est. Pannones cum hæc audirent ex nuncio, dictis obtemperarunt, & prompti erant omnes, ut Dacis suppetias ferrent, & hosti quàm fortissimè resisterent. Delectu igitur habito, conscripserunt exercitum. Circa hæc quidem Pannones erant occupati. Rex autem hostili animo cum exercitu procedens, quacunq; proficiscebatur, uicos incendebat, pecora diripiebat, quæcunque casus obtulisset. Equites regij mancipia pauca in castra ducebant: uerùm magis ipsi interibant, si quando ab agmine incautius auulsi fuerant. Ferunt, Bladum ipsum in regis castra speculatorem uenisse, & singula præsentem considerasse. Non tamen mihi uerisimile uidetur, Bladum uoluisse tanto se committere periculo, cum plurimis potuerit, qui præstò erant, uti speculatoribus. Sed forsitan id confictum est, ut uiri audacia insignior ostentaretur. Veruntamen Bladus interdiu accedebat quàm proximè ad hostilia castra: & tentoria militum, regis que, nec non forum contemplabatur. Bladus habebat equites pauciores quàm decem mille. Sunt tamen qui tradunt, eum non plures quàm septem mille equites ductasse. His confisus, sub primam noctis uigiliam aduenit, & in regia castra impetum dedit. Primò terror ingens in castris obortus est. Nam regij milites putabant exercitum magnum & alienigenam peregrinum que sibi incumbere. Idem credebat & rex. Proinde præsentem intentabant uiris omnia mortem: adeò magnum inopina illa & improuisa oppressio incusserat terrorem. Lampades enim & cornua irruptionem significabant. Verùm regia castra non aliò translata sunt, sed in eo loco quem occuparant primò, immota manere; Turcis enim consuetudo est, ut nocturno tempore castra nequaquam moueant: uerùm in eo loco, quem castris muniendis ceperunt, persistũt, siue fur ingressus, sit in castra, siue aliquid aliud noui ingruerit. Eo tempore Turci in maximũ terrorem coniecti, in suis tentorijs quieti manserunt.

ſerunt. Regij præcones per uniuerſa caſtra incedentes, clamabant, ne quis A
loco quem tenuiſſet, moueretur. Bladum mox, qui irruptionem fecerit in ca
ſtra, regis marte caſurum. Præcones quidem ut territis animum adderent,
iuſſerunt ſingulos in eo loco manere, in quem collocati fuiſſent, dicentes:
Viri Mulſumani, durate breue tempus. cernetis enim hoſtem regis admo
dum citò in caſtris obiturum mortem, dantem pœnas ſcelerum, quæ in re
gem perpetrare auſus fuit. Alia plura his ſimilia expromebant, etiam hoc
addentes: Quòd ſi exercitus immobilis ſteterit, bellum citò definet: ſin lo
co motus fuerit, omnes peribitis: rex enim uos omnes necabit, priuſquàm
ille fugere poſſit. Blado irruenti in regia caſtra, primò occurrit exercitus A
ſiaticus, & prælium non admodum longum ibi commiſſum eſt. Nam Aſia
ni in fugam coniecti, paulatim in cohortes conglobati, recedebant, ut ſerua
rentur. Bladus autem habens lampades ardentes & ignes, agmine ſtipato
pergens contra regis copias, primò Ianuas regis affectabat. Cæterùm Bla
di milites aberrarunt à prætorio regis, & inciderunt in tentoria regiorum
ducum Machumetis, uidelicet & Iſaaci: & ibi fortiter pugnabant, trucidan
tes camelos, mulos, & alia iumenta. Cum autem pugnam facerent, in ordi
nes collecti & conſtipati, nihil ſanè memoratu dignum paſſi ſunt. Verùm ſi
qui paulò longius ab ordinibus erant euecti, ex templò Turcorum mani
bus cadebãt. Pedites qui apud Mechumetem erant, cum eſſent uiri fortes,
præliabantur admodum memorabiliter. Tandem omnes, quotquot erant
de exercitu regio, præter Ianuæ milites, aſcenderunt in equos. prælium eò
loci diu feruebat. Hinc conuerſi, maturabant iter ad regis Iãuarum milites.
Cum autem inſtructos & armatos inuenirent, breui tempore pugnarunt. B
Deinde amiſſo prælio, uertuntur in forum caſtrorum: quod diripientes, &
ſi quem fortè ibi inuenerãt occidentes, tandem cum aurora appropinquaret
& luceſceret, egreſſi ſunt caſtris, amiſſis paucis admodũ ea nocte. Etiã pau
ci, ut fertur, de regio exercitu deſiderati ſunt. Vbi primùm dies illuxit, rex
eligens optimos quoſq, qui ſub tribunis degebant, & Haliem Michaelis
filium ducem iſtis præponens, iuſſit ut citato agmine Dacos cedentes in
ſequerentur. Halies aſſumpto exercitu, profectus eſt ſumma celeritate adhi
bita, contra Bladum: & ſummis uiribus abeuntis ueſtigia ſequutus, Bladi
exercitum aſſequutus eſt. Subitò autem in hoſtilem exercitum irruens, in
terfecit plurimos: captoſque Dacos circiter mille, in regia caſtra abduxit.
Quos interfici omnes rex curauit. Etiam noctu quendam comprehende
runt de Bladi militibus Turci: hunc deduxerũt ad Mechumetem, qui eum
interrogauit, qui ſnam & cuiàs ſit, & unde ueniat. Qui ubi ad ſingula, quę
admodum interrogatus erat, reſpondit, tandem iuſſus eſt dicere, ſi ſciret
ubinam Bladus Daciæ princeps nunc moraretur? is reſpondit, ſe quidem
quæ ſcire expetant, exactè noſſe: uerùm ſe nunquam enunciaturum horum
quicquam, adeò metuere ſe dicebat uirum illum. Illi autem minantes, di
xerunt, niſi, quæ ſciſcitarentur, continuò expromeret, periturũ. Qui reſpon
dit, ſe quidem mortem perpeti paratum eſſe, ſe uerò non audere quicquam
eorum quæ ſcire cuperent, profari. Machumetes admiratus uiri reſpõſum,
eum continuò necauit, dicens, quòd ſi uir ille exercitum haberet memorabi
bilem, non dubito quin breui ad magnam claritatem euaderet. Hæc qui
dem hactenus facta ſunt. Rex hinc decedens, rectà contendebat ad urbem
in qua regiam ſedem Bladus habebat. Singulis noctibus, ubicunque ma
nebat, per circuitum caſtra uallo circundabat, & munitionibus admodũ di
ligenter caſtra emuniebat. Vigilias præterea ſolito maiores deducebat:
exercitumque diu noctuque in armis tenebat. Agmine autem compoſi
to pro

A to proficiſcens, in Daciam peruenit: & acceſſit ad eam urbem, in qua Blado regia ſedes erat. Daci quidem ſe parabant, quaſi ab rege obſidendi. Portas itaq; aperuerunt, & parati erant ſuſcipere regem cum exercitu aduenientem. Rex præter urbem uectus, cum uirum nullum in muris conſpicaretur, nec etiam bombardarios qui in exercitũ eiacularent, nec caſtra metatus, nec urbem obſidere aggreſſus eſt. Progreſsi igitur, ut ſuos patibulis & palis affixos uiderunt, iter promouerunt ad ſtadia circiter uiginti ſeptem. Exercitus quidem regis incidit in patibula & palos, occupantes locum, cuius longitudo extendit ſe ad ſtadia decem & ſeptem. Latitudo uerò continet ſtadia ſeptem. Patibula & pali apparebant maximi, quibus affixi conſpiciebantur uiri, mulieres, & pueri. Horum miſerè peremptorũ numerus complectebat uiginti millia hominum. Profectò horrendum & miſerabile ſpectaculum cum Turcis, tum regi. Rex admiratione defixus, dicebat: Haud poſſibile eſt eum uirum qui adeò magna fecerit, regione ſua ſpoliari poſſe, præſertim cũ adeò mirabiliter tum principatu, cùm ſubditis uti norit. Verũtamen addebat, eum uirũ qui tanta patrauerit, haud multi faciendũ eſſe. Reliqui Turci aſpicientes multitudinẽ hominũ in patibulis & palis hærẽtes, ſtupebant. Erant namq; patibulis & palis affixi infantes è matrũ gremio rapti. Volucres nidos fecerãt in inferioribus eorũ. Cum aũt rex inſequereẽ, Bladus agmen regiũ uſq; carpebat, interficiẽs equites, et azapides, ſi quãdo imprudentius ab exercitu regio fuerant euagati. Bladus animũ intendebat aduerſus Nigræ Pogdaniæ principem, qui quemadmodũ nunciatũ erat, obſidione circũuenerat Cellium urbem Bladi. Relinquẽs autem exercitũ, qui cõtinebat circiter ſex millia hominũ, eos iuſſit per querceta ſequi regem: &
B ſi quis paululũ modò digreſſus fuerit ab regio agmine, eum truncare iuſsit cõtinuò accurrentes. Ipſe uero rectà ducebat contra Nigræ Pogdaniæ principem. Exercitus autem Bladi, cum ipſe abiiſſet, abitu principis admodum gaudebat: & rectà pergens in hoſtem, putabãt ſe magnam gloriam inuenturos, ſi hoſtem ſubitò oppreſsiſſent. Cum nuncius ueniſſet ad uigilum ſtationem quæ ibi erat, indicabat hoſtes aduentare. ſinguli igitur, præter regis Januas, ad arma proſiliebãt. Mechumetes præcepit Ioſephi, ut præcedens hoſtem ad præliũ eliciat. Mechumetes quidẽ cum uniuerſo exercitu in armis erat. Ioſephes ubi uenit ad hoſtem, cõtinuò uictus eſt: & fugiens, feſtinabat in caſtra regis. Omares, Turachanis filius, qui et ipſe ordinatus erat ab Mechumete, ut cominus pugnaretur cum hoſte, ad pugnam proficiſcẽs, occurrit Ioſephi fugienti, eumq; blaſphemando et maledicendo ſic alloquitur: O miſer quò abis? an ignoras regem quomodo te fugientem ſit excepturus? An non crudelius ab rege quàm ab hoſtibus tractaberis? An non ignominiſsimæ morti te tradet, ubi te fugam iniiſſe ſenſerit? His dictis hominem commouit, ut conuerſus unà cum Omare Turachanis filio rediret in prelium, & pugnaret fortiſsimè. Nec multo pòſt Dacos in fugam effuſos perſequentes, occiderunt plurimos, nulli parcentes. Cæſi ſunt circiter bis mille. Præfigentes autem Turci haſtis capita Dacorum, reuerſi ſunt ad regem in caſtra. Omarem rex donauit Theſſaliæ principatu. Mazales autem adhuc ſupererat, & ſequebatur regem, ducens uiros fortiſsimos. Dacorũ audacia, qui ſecundam in regia caſtra irruptionẽ fecere, hunc euentum ſortita eſt. Rex ex Dacorũ regione mancipiorũ prędas agebat nõ modicas. Nam immiſſo equitatu, regionis partẽ percurrebat nõ modicã. Equites capientes mãcipia plurima, maximas ſibi peperere opes. Etiã iumenta plurima nacti ſunt. Exercitus regis agens ultra uiginti myriades equorum & boum, uenit ad Iſtrũ. Caſtra regia terrebãt Dacos, quamuis magnã

audaciam oſtentantes. Turci autem ſumma celeritate adhibita, tranſgreſſi A
ſunt Iſtrum. Rex Haliem, Machalis filium, à tergo ſubſequi iuſſit, cum ca-
ſtra ad Iſtrum poſuiſſet. Draculem, fratrem Bladi principis, ibidem in regi-
one reliquit: præcipiens, ut colloqueretur cum Dacis, & regionem eam
ſubigeret: præterea ſtrenuè adiuuaret iſtorum locorum præfectum. His ita
geſtis, ipſe rectà in regni ſedem abiit. Dracules quidem, quemadmodum
præceperat rex, unumquenq; uocabat, dicens: Viri Daci, quid putatis de-
inceps de uobis futurum? neſcitis quantas copias rex habet? præterea igno
ratis quòd regię copię expectantur? quæ ubi primùm acceſſerint, regionem
ueſtram populabuntur: & ſi quid reſidui fuerit, auferent. quî fit, quòd recu
ſatis regis amicitiam? Efficiamini amici regis, & finis erit malorum, quan-
tum ad regionem & ad ædificia attinet. Scitis enim, uobis inpræſentia-
rum neque animal, neque iumentum ullum relictum eſſe. Hæc omnia gra-
uiſſima paſſi eſtis, auctore fratre meo, cui morem geſſiſtis, uiro impiiſſimo,
qui Daciam affecit clade maxima. Huiuſcemodi cladem nec per uniuer-
ſum terrarum orbem factam eſſe audiuimus. Hæc cum nunciaret Dacis,
per eos qui ad mancipia redimenda conuenerant, eos facilè in ſuam ſenten
tiam pertraxit. Reliquis dici iuſſit, ut confidentes, nec quicquam mali me
tuentes, ad ſe tranſirent. Hi igitur in unum congregati, decreuerunt utilius
eſſe & conſultius, obtemperare Draculi potius, quàm Blado principi. E-
untes igitur paulatim ad Draculem, iuniorem Bladi fratrem, colligeban-
tur. Quod ubi acceperunt reliqui, & ipſi ad fratrem eius Draculem tranſi-
tionem fecere. Exinde contracto exercitu haud contemnendo, & adducto
ſimul regio exercitu, ducatum & regionem in ditionem regis redigebat.

Bladus cognito Dacos ad fratrem confugiſſe, & ſciret omnia fruſtra B
tentari, quòd tantam antea ſuorum feciſſet cædem, in
Pannoniam abiit.

LIBER DECIMVS.

EXPEDITIO regis in Dacos hũc finem habuit. Bladus, fratre Dracule accedente, & Daciam ſubigente, ad Pan
nones ſe recepit. Pãnones, quorũ propinquos & conſan
guineos in Dacia crudeliter peremerat, capitis eum co-
ram ſuo rege Choniatis filio anquiſiuerunt. Cum ſenten
tiam contra ipſum protuliſſent grauiſſimam, ut qui præ
ter ius & fas homines occidiſſet, Bellogradum ductus,
ibi in carcerem impactus eſt. Rex eadem adhuc æſtate, cum autumnus ad-
ueniſſet, nuncium miſit in Lesbum, qui imperabat ut pararent claſſem, &
conuenirent in loca maritima. Ipſe quidem ducens Ianuæ milites, cum pau
ca Europæorũ militum manu expeditionem ſuſcipiebat, tranſiens in A-
ſiam. Rex terra, claſſis uerò mari proficiſcebant. Expeditionis regiæ contra
Lesbum hanc cauſam aſſignant. Lesbi princeps beneficio regis tenebat
iſtam regionem tributariam, numerans quotannis circiter bis mille ſtate-
res, iam inde ex eo tempore quo Paitogles Calliopolis præfectus, imperan-
te Amurate iuniore, claſſe aduenies, in Lesbum incurſionem hoſti-
lem fecerat, abductis inde mancipijs plurimis: nec non capta Callona, Le-
sbi urbe opulentiſsima, quam deuaſtans domum reuerſus eſt. Etiam
antea reges inſulam hanc tributariam habuere, nec non Chium, tempo-
re Amuratis quem genuit Orchanes. Sub eo rege inter cæteros & Ionu-
zes electus ab Ianuarum militibus, profectus eſt in Lesbum; & ob-
ſidio-

A sidione circumueniens Molibum, nihil efficere potuit sanè eorum quorum gratia aduenerat. Causa autem quare rex Lesbo arma inferebat, talis erat. Rex Lesbio crimini dabat, quòd Tarraconnẽses piratas portu excepissent, & mancipia plurima ab ijs emissent, quæ uenerant ab regione regis, ex quibus nõ parum lucri Lesbius princeps acceperat. Nam Tarracõnenses ab Lesbo procursantes ad maritima latrocinia, nec non hi qui degebant in insulis Cycladibus idem uiuendi institutum occipientes, regis regionem diripiebant. Deinde reuertentes onusti mancipiorum præda in Lesbum, ea inter sese partiebantur, assignantes Lesbio duci partem magnam, & neutiquam contemnendam. Hæc cum nunciarentur regi, motus est ad bellum inferendum Lesbio principi. At Lesbi princeps Dominicus, quem Græci Cyriacum uocant, frater iunior existẽs, seniorem qui à patre Lesbi principatum acceperat, eúmque tempore longo administrarat, insidijs circumuentum cæpit, & Baptistæ uiro Ianuensi, quo usus fuerat auxiliatore in insidijs, tradidit. Nec sanè longo interiecto tempore, fratrem obtruncat, atque solus principatu potitur, pendens regi tributum quotannis circiter duo millia staterum. Genus principum illorum, qui Lesbum regebant, & Catelluizi nuncupabantur, appparet ab Ianuensibus deduci. Nam uenientes auxilio Græcorum regi, qui Byzantium tenebat, & eam insulam imperio temperabat, strenuè eum adiutarunt, atque magna effecerunt. Rex igitur Byzantius, ut uirorum illorum uirtutem aliquo modo ueneraretur, ijs concessit insulæ huius principatum. Qui tenentes eam insulam, tandem inde progressi sunt, ut occuparent Aenum urbem Thraciæ, iuxta flumen Eurum. Nam ciues eius urbis aduersabantur Harmostæ: & ut sibi uires pararent, uocabant ab Lesbo Catelluizorum genus. Catelluizi urbem eam occuparunt, & fortiter retinuere, cum plerunque
B intestinis seditionibus & odijs exagitarentur Græcorum reges. Videtur autem ista insula iam olim sub Catelluizis Ianuensibus extitisse, & paruisse Phociam in Asia administranti, cui nomen fuit Catanes. Verùm ex insidijs insulam hanc occupauit Catanes. Cui bellum inferens Græcorum rex, etiam Mitylenas suo imperio iunxit, nec bellum gerere contra Phociam abstinuit. Exinde cum Catelluizi impigrè subsidio uenissent Byzantio regi, beneficio eius insulæ dominium consequuti sunt. Hanc tempore longo tenuere: eius principes etiam nostra attigere tempora. Iungentes autem connubia cum Trapezuntijs regibus, & Græcorum ducibus, necnon cum ijs qui apud Grecos præstare uidebantur, insulam eam rexerunt saluberrimis legibus fundatam. Ab ea continente, quæ Asiam spectat, excurrit ad stadia circiter octoginta. Cæterùm & iam olim in potestate Ioannitarum fuit Chius, nec tamen armis est capta. Verùm cum Græcorum reges pecunię inopia laborarent propter bellum quod ea tempestate gerebant cum Medis & Tryballis, magnã pecuniæ uim mutuò acceperunt à Martino eius insulæ rectore. Græci tandẽ eam insulam receperunt, cum ęs alienum, quo erant obligati Martino, persoluissent. Deindè uenit insula hæc in Ianuensium ditionem: qui cum non multum temporis interuenisset, aduenerunt cum triremibus, ut urbem eam caperent. Hi nec populi, nec magistratus consensu & uoluntate missi erant, ut insulam eam in ditionem reciperent, uerùm sua sponte, cum essent nouem familiarũ uiri principes, ab domo profecti, insulam eam subegere. Ex eo tempore communi consilio magna concordia urbem gubernarunt, cum ubique ipsorũ in rebus gerendis modestia eluceret. Tandem urbis & insulæ partes emerunt uiri Ianuenses, qui plurimum pollebant opibus, propter Mastyris redditum & prouentum. Insula namque ista in mari Aegeo sita, Mastyris fructum reddit uberrimum: & qui huic operi sunt intenti, lucra multa ferunt. Hæc autem minus remota ab Asia est quàm prædicta. Siquidem stadijs maxímè

ximè quinquagintaſeptem ab ea diſſita eſt. Gubernatur ab principibus illis A
nouem, qui primò eam inſulam ſui iuris fecerunt: necnon ab alijs, qui poſtmo
dum patrias urbes in ea inſula ab Græcorum regibus redemerũt. Metropo
lis Chij optimis regitur legibus, nec ulli omnium urbium, quæ in iſtis inſu
lis frequentantur, diſciplinæ ſanctitate inferior eſt. Redditus habet largiſſi
mos, qui incredibile eſt dictu, quantas opes ſuppeditent ijs qui eam regunt.
At Mechmetes Amuratis filius hoſtilia arma intulit Lesbo his de cauſſis,
quas ſuprà memorauimus. Accedebat præter ſocietatem, quam cum pira
tis inierat Lesbi princeps, etiam fratris mors: cuius culpam in eum princi
pem rex transferebat, & ulciſci fratris manes in animum induxerat. Rex qui
dem itinere pedeſtri in Aſiam tranſiens ferebatur: at claſſem, quæ comple
ctebatur triremes uigintiquinque, & naues minores centum, per mare ſe
qui iubet. Bombardas per mare in inſulam eam tranſportauit: necnon la
pides, quibus onerarentur, circiter bis mille. Belli quidem inſtrumenta &
machinas mari ad eam inſulam ſubuehi curauit. Ipſe uerò ueniens Eſſipe
pedum, ſiue in planiciem, pedeſtri itinere ad inſulam accedebat, ducens la
nuarum milites, & quoſdam Europæos circiter bis mille. Nam cum dimi
ſiſſet exercitus, rediens ab Dacia, continuò bellum mouebat contra iſtam in
ſulam. Copiæ ubi in continentem ſunt expoſitæ, illicò incurſionem fecerunt
in inſulam, eamque populati ſunt. Verùm pauca inde abſtulerunt mancipia.
Mox legatum ad Lesbi ducem miſit, qui iuſſu regis diceret principi ſeu du
ci, ut urbem dederet. Quod ſi faceret, fore ut ab rege acciperet aliam & admo
dum magnam regionẽ. Princeps Lesbi neſcio quo genio malo in tranſuer
ſum abſtractus, pacem regis aſpernatus eſt. Rex itaque bombardas ſiſtens,
& contra urbem dirigens, in continentẽ pergebat conſilio Machumetis, qui
eum adhortabatur, ne in inſula moraretur. Machumetes accepto exercitu,
urbem oppugnabat, diſtribuens copias uniuerſas in turmas, & manipulos.
Murum bombardis arietabat diebus uigintiſeptem, urbisque partem non
modicam ſtrauit. Habuit bombardas, quæ in ſublime globum torquent,
quas mortaria nominant, quibus urbem grauiſſimè afflixit. Oppidanorum
copiæ in arctum cogebantur. Oppidani tamen, cum fortè etiam quidam
de piratarum numero præſtò eſſent, egreſſi urbe, manus cum hoſte conſe
rebant. Res uerò eorum nequaquam proſperè ſuccedebat. Nam Turci la
ceſſiti ab oppidanis, accurrebant ad murum: & magna audacia freti, eum ſu
perare nitebantur. Oppidanis in grauiſſimo periculo uerſantibus, ſiquidem
hoſtis multitudine ſuperior erat, princeps inſulæ legatos miſit, qui nuncia
rent regi, ſe paratum eſſe dedere urbem, & reliqua urbis oppidula. Se tamen
petere, ut ſibi à rege aſſignetur regio alia, æquales huic redditus habens. Pol
licebatur quoq; ſe ſtrenuè imperata facturum, quocunq; tamen in militiam
eductus fuerit regio iuſſu. Machumetes, cum intellexiſſet principis & oppi
danorum ſententiam, reſpondit, ſe nuncios miſſurum in continentem ad re
gem, qui haſce principis conditiones ei exponant. Vbi hæc ad regem relata
ſunt, uidelicet quæ promittebat inſulæ Princeps, continuò in gaudium effun
ditur, & in inſulam traiecit, lubentique animo admittit principis, quas
præſcribebat, conditiones: aitque ſe hiſce conditionibus inſulæ principi
fœdus & pacem daturum. Cum iam res utrinque deciſa, & fides fœde
ris, iureiurando utrinque interpoſito, accepta eſſet, urbe egrediebatur
inſulæ princeps: & ueniens ad regem, eum adorat, & huiuſcemodi ora
tionem exordítur. Noſti, ô rex, ex quo inſulam iſtam regere occœpi, me iu
riſiurandi religionem temeraſſe nũquam. Quòd autem mancipia ex regione
tua ui prædonum abſtracta nõ receptauerim, ſciri poterit ab ijs qui heic Aſiæ

loca

A loca incolunt. Nam mancipia, quamprimùm capiebantur à tua regione, cõtinuò à me dominis suis reddebantur. Præterea maximum mihi fuit studium, ut, si cubi uestra mancipia quis esset nactus, ea statim dominis suis restitueren-
tur. Quòd piratas suscepi, ea gratia factum est, ne prædas ex mea regione agerent, eam'que uastando corrumperent. Nec ulli horum unquam uel occasionem præbui, uel consilium dedi, ut adnauigantes quicquam damni regioni tuæ importarent. Nunc autem ad te uenio, urbem atque adeò uniuersam insulam tibi tradens. Supplex uerò te oro, ut quemadmodum hactenus rebus tuis plurimũ beneuolentię præstiti, ita nobis gratias referat rex. Hæc quidem fatus est, & lachrymæ cadebant obortæ, dicens, inscitia oppidanorum factum esse, quòd non statim ab initio, cum bona ab rege nunciarentur, uenerit. Rex exprobrans ei suam inscitiam & imprudentiam, postremò consolationem adhibuit, iubens eum esse bono animo, nihil eum mali propter id quòd primò non paruerit edicto regis, passurum. His ultrò citroq; dictis, urbem rex in ditionem accepit: principemq; etiam in reliquas insulæ urbes ire iubet, ut earum arces se dederent. Qui impigrè iussa regis capessens, unà cum regijs præfectis urbes adijt, eas'que regi tradidit. Rex continuò, ne qua innouatio exoriretur, urbes in ditionem acceptas præsidijs firmat. Mitylenarum ciues in tres distribuit partes. Vulgi inutilem partem ibi reliquit: alteram peregrinis concessit: tertiam, quæ genere & opibus principatum facilè obtinebat, Byzantium deportauit. Piratas trecentos in unum locum extra urbem contractos occidit. Et quo crudelius perirent, corpora eorum media dissecuit. Nam
B placuit regi Turcorum hoc mortis genere in hostes uti, ut maiore crudelitate interirent, dissectis corporibus medijs, gladio diaphragmati adacto. Nam qui in hunc modum cæditur, diu mortis dolores amarissimos experitur. Huic autem urbi, ne quam defectionem molirentur incolæ, ducentos de peregrinorum corpore, & trecentos Azapides imposuit. His ducem constituit Samaliatis filium, uirum illustrem, cuius pater in regis Ianuis iudicis officio functus est, & litigantes summa diligentia & attentione audiuit, & sententiam summa æquitate adhibita dixit, adeò, ut facilè primas inter omnes Ianuarum iudices ferret. Ius enim iustissimè dixit. & facilis clemens'que omnino fuit in inueniendo pœnas, quibus damnati subdendi essent. Lesbi ducem eam urbem relinquere, & omnia sua Byzantium transferre iubet. Ipse uerò reuersus est domum, èligens sibi optimatum Lesbi pueros, filios & filias circiter octingentas. Triremes quoque abduxit, relictis tamen nauigijs minoribus in insula. Sororem ducis, quam etiam antea rex cæperat in Colchidis regione, uxorem Alexij Comneni, qui rex erat Trapezuntis, induxit in gynæceum: siquidem forma antecedere credebatur eo tempore omnes, quotquot ob formæ elegantiam commendabantur. Maritus eius præmortuus erat Trapezunte: ipsa'que uidua erat, relicto filiolo unico. Rex capta Trapezunte, puerum hunc abduxit, & præ cæteris post puerum Byzantium, Amuratis fratrem, in Ianuis benignissimè tractauit. Filiam Trapezuntij regis Annam nomine, & Christianam custoditam pro arbitrio uictoris connubio iunxit Zogano inferioris Macedoniæ præfecto. Ex quo autem eum Peloponnesi imperio expulit, eam Albanis filio, cui Iyon nomen erat, tradidit, quamuis eam deinceps acceperit uincens, coegerit'que suam religionem assumere. Haud multum intercessit temporis, & Lesbio duci nescio quod crimen impegit, captum'que in uincula dedit. Ego quidem audiui, eum in carcerem raptum, quòd displiceret regi, & iam olim ipsi fuerit inuisus propter multa & intoleranda mala, quibus regiam familiam affecisset. Verùm, ut alij perhibent, hanc, quòd in carcerem coniectus sit, accipio esse causam. Ferunt, puerum quendam fugientem Ianuas regis, uenisse ad hunc Lesbi

ducem. Quem ubi Christianæ religionis fide imbuit, non dubitauit turpissimo amore polluere. Occupata autem Lesbo, cum princeps Byzantium abisset, pueri oblitus est. Eum inter munera quædam missum ad regem, regij pueri agnouerunt, remq; regi significarũt. Rex puerum quidem retinuit: ducem cæpit, & in carcerem duxit, unà cum consobrino eius Lucio, Aeni principe: qui cum fuisset puer, Lesbi principem in necando fratre & parando principatu strenuè adiutarat. Nec multo pòst Lesbum captam in hanc miseram prouoluti sunt necessitatem. Cum in summo uitæ essent ambo discrimine, dubij quò se uerterent, pronunciarunt se Turcorum religionem assumpturos. Rex quidem donans eos uestitu, & tiara, eos quoque circuncidit, & impunitos è carcere dimisit. Nec tamen diu hoc gaudio illibato usi sunt. Nam breui tempore pòst, eos iterum in carcerem condi iussit: & diligenti custodia tamdiu asseruauit, donec inde abductos capitali supplicio afficeret. Isto anno rex bis in militiam profectus est: semel contra Dacos, iterum contra Lesbum. & utraque bella confecit eodem anno: hyems q; aduenerat, antequam domum redire posset. Ea igitur hyeme uersatus Byzantij, classem adornabat. Extruebat templa, ædificabat regalia palatia, urbemq; eam sibi accommodam ad naualia præli a reddere in animo constituerat: ut posset, si quando usus postularet, memorabilem classem inde in mare deducere. His cogitationibus intentus, inuenit se facilè posse superiorem esse hostibus, si mare solus obtineat. Animo concepérat extruere, & aliam memorabilem, post Propontidis Lęmocopiam, arcem Byzantij mirabilem: quam exædificauit iuxta portas quas aureas nuncupabant. Excitauit & turres maximas, & spectaculo dignas, necnon interiora regiæ, & turrim quæ uergit ad Scopiorum pontem, quo iungitur Axius fluuius. Etiam regiam sedem Adrianopoli ultra Tæarum, quà Eurũ illabitur, emuniuit. Vrbẽ quoq; in Asia iuxta Maditũ, ubi Hellespontũ angustissimũ cernimus, condidit: necnõ aliã in Europa e regione eius urbis, quæ in Asia cõspicitur, ædificauit. Hę urbes cõditę sunt ad defensionẽ Byzãtij, & Euxini maris. Præterea non mediocriter tutabant urbes in Hellesponto sitas, præbentes classem haud aspernandam. In hunc modũ terrorem Asianis & Europæis incutiens, qui eum augeret, in utramq; urbem bombardas inuexit circiter trigin ta maximas, et alias non paucas. Ad hæc cum portum ibi parassent Turci, nulli intrare Hellespontum concedebant, nisi prius descendissent nauibus, & se loci prefecto exhibuissent uisendum. Opera hęc haud dubiè fecit propter bellum quod gesturus erat cum Venetis, ad quod se præparabat: ut si ingrueret, quàm tutissimè isti se committeret. At quæ commemorauimus opera omnia iam erant absoluta, & ad finem perducta, cum bellum aduersus Venetos susciperet. Aestate autem ea quæ sequebatur, bello lacessebat Illyricos, & Illyricorum regem. Genus hoc hominum antiquum est, & regionem uersus Ionium spectantem incolẽs, plerunq; ad magnam claritatem accessisse perhibetur. Vulgo nunc Bosni uocantur. Verùm Dalmatæ, Mysij, Tryballi, etiã Sarmatæ, eadem ferè utuntur lingua, aut non multum dissimili, ut non difficulter se mutuò intelligant. Verisimile tamen est, illos profectos ab regione quę uersus Ionium patet, cum pauci numero existerent, & ubiq; rebus fortiter gestis inclarescerent, Thraciam perdomuisse: & Istro transmisso, Sarmatiæ regionem inhabitasse. Sunt uerò qui tradunt, eos à Scythis pulsos transijsse in regionem quæ ultra Istrum colitur: & subacta Thracia, ad sinum eum uenisse, ibique sedes fixisse. Miror autem, quòd quidam sint qui censent Illyricos, Albanos esse: quasi Illyrij, qui tenent sinum Ionij, processerint in Epirum, & Aetoliam, & Thessaliæ regionem. Cæterùm uniuersa illa regio ab Epidamno usq; ad Carnerium sinum complectitur spacium ter mille stadiorum. Hanc regionem tenet hominum genus unum eadem lingua utens. Porrigit ad me-

diterranea

A diterranea se extendẽs usq; ad Istrum, attingens Sãdalis regionem & regnis finitimis circà undiq; Tryballis & Mysijs. Hęc autẽ dico, maximè hanc coniecturam sequutus, quòd constet Illyrios ad magnam potentiam deuenisse, & in multa loca per Thraciam esse dispersos. Proinde magis credo, eos potius Illyrios quàm Albanos dicendos esse. Assentior pręterea & illis, qui Illyrios nomen ab regione traxisse asseuerant. Nam inter se diuisi, alij aliam in usu linguam habent. Itaque cum plurima hominum genera ibi habitent linguæ usu inter se diuersa, reor istos id nominis esse sortitos, ut dicantur Illyrici. Sed hæc hactenus annotata de ista gente sufficiant: etsi quidam putent nominis rationem haud rectam me assignasse. Verùm propter regionem, quam colunt, meritò, ut mihi uidetur, Illyrici appellantẽ. Nec tamen inuidia me comitetur in hunc modum de his sentientem. Nam Albanos potius Macedonibus adnumerari existimo, quàm alij in terrarum orbe genti. At de his satis. Illyricos igitur eam gentem nomino, quæ iuxta Ionium habitet usq; ad summam Istriam sic dictam regionem, quæ ad sinum excurrit in pelagus. Qui uerò mediterraneam regionem ibi tenent, Illyrici sunto. Aduersus horum regem arma capiebat Mechmetes, quia tributum amplius ferre recusabat. Nam regius præco ad hunc accesserat, iubens ut quamprimùm mora omni posita, tributum in Ianuas inferret. Illyricorum rex colligens tributum, quod continebat quinque myriades staterum, idq; præconi ostendens, dicebat: Tributum quidem collectum et paratum in promptu est. Nec tamen mihi cordi est mittere regi tantas opes, & me planissimè his priuare. Verùm si bellum ab rege impenderit, bello me committam felicius, si tanta pecuniæ affluerit uis. Prętera si ea necessitas me apprehenderit, ut mihi in aliam sit migrandum regionem, fretus istis opibus, uitam commodius exigere potero.

B Regius audiens istos sermones, respondisse fertur in hũc modũ: Et quidem pulchrum & honestum erat opes istas in tuo dominio permanere, si non interim fœderum religionem impiè transgrediendo temerares: sin cupidine harum opum ductus, fœdera uiolare institeris, & inde tibi nescio quam felicitatem pollicitus fueris, uereor profectò ut contrarium eueniat. Nam auctore Deo possidere istas opes, neutiquã malum duxero. Præterea ijsdem opibus auctore Deo exui, longè optimum iudico potius, quàm contumelijs & iniurijs afficere eum cuius præsidio eas acquisieris. His dictis, præco ad regem reuertitur: exponensq; quæ acceperit a b Illyricorũ rege, regem cõmouit, ut contra ambos bellum susciperet. Nam eodem tempore etiam ei bellum fuit cum Daciæ principe, qui iniuriam maximam regiæ familiæ fecerat, legatis eius uiolatis, & interfectis. Cæterùm sub idem tempus quo Dacos bello lacessebat, Illyrici regem ulcisci nequiuit. Verùm isto demum anno cum exercitus ab Europa & Asia Adrianopolim forent collecti, primo uere in Illyricos mouit, in animo agitans & in Sandalis regionẽ irruere. Hic rex fuerat filius illegitimus eius regis qui prius imperio temperauerat Illyricos: Et cum discordię atroces inter ipsum & fratres eius qui ad ducatũ aspirabant, exarsissent, miserũt legatos ad regẽ, eiusq; arbitrio rem totã trãsigendã permiserũt, qui hũc regonis regẽ declarauit. Isaaco Scopiorũ prefecto, qui finitimus erat Illyricis, istũ adiutare iubet in acquirẽdo principatu. hic exercitũ præbens cõtra fratres, eorũ regionẽ euastabat, plurimis inde abstractis mãcipijs. Illo igitur rege pronunciato, bellum gerebat cum fratribus, & cum Illyriorũ rege. Turci qui finitimã circà tenebant regionẽ, plurima nanciscebãtur mancipia. Cum autem prædas agerent mancipiorum ex omnibus, quas scimus, urbibus, ea continuò in Europam & Asiam transmittebant. Et ex quo rex coloniam in Scopiorum urbem deduxit, & Iesus Isaaci filius regis nomine eam administrauit, plurima ab Illyrico mãcipia sunt abducta, & in Europam A-

siamq; translata, quorum numerus maior erat, quàm quis sperare potuisset ab A
ea regione. Audio eam regionem, si quis longitudinem consideret, ab Tryballorum regione & Dorobica fluuio se extendere usq; ad Sandalis regionem et ad Ionium sinum stadijs octingentis. Latitudo uerò regionis, qua excurrit ad Pannones & Tryballos, complectitur duo millia stadiorum. A Tryballis incipit regio Isaaci. hanc excipit deinde Pauli regio, cuius urbes seporrigunt usq; in hanc regis Illyrioriorum regionem. Hi quidem iam antè bellum gesserant cum rege, nunc quidem Tryballis, nunc uerò Pannonibus ad hæresce ntes: & cum adducerent Turcos, regionem Illyrico affusam populabant, bellumq; in Tryballos auertebant. Cæterùm Tryballorum princeps bellum cõtra hos suscipiẽs, urbes eorum obsidebat, & fœdera cum ijs pangens, tandem se pacatum exhibebat. Etiam Sandales hos antea bello appetiuerat, & accito regis exercitu, ipsorum agros euastabat. Cum autem hi soli perpetuis inter se dissiderent odijs, et regis peregrinum accerserent, proprię regioni plurimum calamitatis inuexerunt. Nam mancipia plurima belli iure subinde à militib. capiebantur, & deportabantur. Præterea & ea regio uel maximam experiebatur uastationem. Eadem tempestate Isaacus & Paulus societatem facientes auxilium pollicebantur Illyriorum regi. Nam constituerant & ipsi bellũ indicere regi, si Pannones aliquid noui contra Turcos molirent. Rex in militiam profectus, traiecit Dorobicam fluuium, qui Tryballos & Illyrios dirimit. Progressus deinde, uenit ad Illyrissum fluuium nauigabilem, quem superauit pedestri exercitu transuecto nauib. quas ibidem fabricare iusserat. Equos autem in flumine reliquit, donec copias trãsportaret. Tum temporis in armis habuisse creditur rex quindecim myriades equitum, præter peregrinos & Azapides pedestre robur, qui eum in id bellum sequebantur. Aderat & alia hominum multitudo inutilis ad arma: quæ propterea comitabatur regia castra, ut si quid opus esset, militibus inseruiret. Reliquis interim exercitus equitibus constat. Nec tamen gens est, ut suprà edocuimus, quæ plura iumenta in expeditiones ducat. Trãsito Illyrisso, impetum in regionem hostilem dedit: & aggressus Dobobicam urbem, eam omni machinarũ genere oppugnabat. Vrbs hęc est sita in excelso mõte. Quapropter natura loci munitissima perhibetur. At rex expediens bombardas & mortaria, non cessabat terrorem inijcere oppidanis, & tandem urbe potitus est. Partem hominum, quos ibidem indeptus erat, in ea urbe reliquit: parte donauit Turcorum optimates: tertiam partem Byzantium transtulit. Mechumetem iussit delígere Europæ exercitus robur, atq; festinare citato agmine in eum locum in quo acceperat regem Illyriorũ morari, antequã regiam sibi subijceret. qui impigrè iussa capessens, summa celeritate adhibita, flumen transgressus est. Veniens Gaitiam, accepit regem proficiscí, traiecto flumine, in Clitiam urbem. Is igitur nihil remittens de cursu, transiuit fluuium quà eum in tres alueos diuisum cognouit. hoc superato, Clitiam uenit die secundo. Rex sublatis signis Gaitiam contendit regni sedem Illyrici. Quò ubi peruenit, urbs illicò conditionibus seu pactionibus in ditionem regis uenit. Nam ubi fama increbuit, Dobobicam esse captam à rege, quæ urbium totius regni longè erat munitissimima, reliquæ urbes illicò territæ, in diuersum abripiebantur, & quilibet pro se sedulò contendebat ut prior deditionem faceret, sperans se in hunc modum non paruam gratiam apud regem initurũ. Gaitię ciues cum appropinquasset rex, cõtinuò primores ciuitatis obuiam miserunt, dedentes sese & sua regi. Orabant autem regem, ut ipsis permitteret patrio & solito more rempub. administrare. Rex preces eorum non auersatus est. Verùm continuò, quod petiuerant, præstitit. Deinde etiam arcem in deditionem accepit, quam præsidio impositio suorum firmauit. Elegit sibi optimatum filios: dehinc quosdam delegit, quos donauit

ijs qui

A ijs qui secum erant. Vbi primùm ea urbs in dominium concessit regis, negocium datum est Machumeti Ianuarũ duci, ut accepto Europęo exercitu, summa celeritate pergeret aduersus Illyriorum regem. Nam audierat eum morari in ea urbe quæ distabat à Gaitia itinere maximè quinq; dierum, expectantem quo nam res Illyriorũ essent euasuræ. Eius autem urbis quæ regem tenebat, nomen erat Clitia. Etiam fratris eius filium agentem annum decimumtertium ibidem cum rege cõuersari nunciatum erat Machumeti. Hic assumens, ut iussus erat, exercitum, secũdo die attigit flumen cui nomen est * Is fluuius nauium erat patiens, & spem omnem in eo sitam habebat rex Illyriorum. Nam cum nullæ naues magnæ præsto essent, putabat regem nunquàm eò audacię progressurum, ut id transiret, quo secum bellum gereret. Vt autem cum copijs ad flumen Machumetes accessit mirè festinando, cohortari non abstitit exercitum, & exercitus duces, ut transgrederentur flumen, regique opus pulcherrimum efficerent, capientes uidelicet Illyriorum regem. Sic autem loquutus fertur: Viri Turci, nũc quilibet uestrũm faciuir fortis appareat, atq; pedes flumen hoc transeat. Neutiquã enim mihi dubium est, quin maxima & splendida munera maneant eum, quæ ab rege accipiet, qui primus flumen superarit. His dictis, regij milites maximo studio conabantur trãsgredi flumen. Ibi tum primus, ut traditũ, Omares Turachanis filius, Thessaliæ præfectus, cum suis irruit in flumen: qui paululum modò natantes, flumen superarunt. Hos sequutus est, pari successu usus, & reliquus exercitus. Egressi flumine, illico inuasere agros. Hinc rex Illyricorũ timens, ne si in fugam uerteretur, equitum aduentu oppressus, in maximum periculũ ueniret, se recepit, ut incolumis præsens discrimen euaderet, in urbem quandam eo loci sitam nomine Clitiam. Verùm Machumetes cum exercitu superueniB ens, eam urbem obsidione circundedit. Vrbis eius situs est in loco palustri, & in circuitu paludes uisuntur longè lateq; quæ urbem munitam, & aditu difficilem præbent. Eo tempore locus ille uniuersus solaribus radijs exustus exaruerat. Cæterùm, his nihil moti milites Machumetis, accedunt, eamq; obsidione circumueniunt. Arundinem, quę plurima ibi enata erat, excindentes, comportabant in fossam, ut igne deinde iniecto, uel ui tandem etiam inuitos oppidanos in ditionem redigerent. Hæc parari cernentes ciues urbis & Illyrij milites, crederentq; se non diu posse resistere uiribus Turcorum, legatos ad Machumetem mittere decernũt, orantes, ut in deditionem acciperentur: petentes præterea, ut regi ueniam daret, qui quoq; semetipsum dediturus sit, si iurisiurandi religio interueniat: qua intercedente, in spem erigatur, se nihil mali ab Turcis passurum. Machumetes Illyricij preces haud abnuit. Fœdus est ictum. iusiurandũ est datum quemadmodũ orauerant Illyrij. Tandem cum urbe egressus esset rex, urbem occupauit. Homines qui in urbe erant, in tres partes secreuit. unam ibidem morari iussit: alteram inter optimates suos distribuit: tertiam adduxit ad regem, & eidem dono dedit. In hunc modum Illyrici rex captus est Clitiæ unà cum fratris filio, qui haud dum impleuerat ætatis annum decimumtertiũ. Vxor regis iam antè se contulerat Ragusium, quæ est urbs iuxta Ionium, ut præsenti discrimini subtraheretur. Plurimas eò conuexerat opes consilio uiri. Eam urbem incolunt Illyrici uiri admodum illustres, qui eò conuenere. Et cum disciplinæ sanctitate animi ipsorum facile coalescerent, et discordia omnis submota foret, eam admodum emunierunt ualidissimis undique obiectis muris. Et proficiscentes in Epirum & Ionium mercium gratia, breui urbem opibus haud contemnendis auxere. Habet, à quibus regitur, leges optimas & saluberrimas, & in aristocratiam uersa administratur. Ciues magnificis ædificijs urbem hanc exornarunt, quę quidem quamuis obscura fama feratur, tamen celebris habetur producendo

* Nomen fluuij deest exemplari Græco.

uiros prudentia insignes. Ea urbs finitima est Sandalis regioni. Cum hoc bellum urbi fuit. Verùm, ut mihi uidetur, discordiarum causſam parum iuſtè Sandales seminauit, coſque inuitos arma capere coegit. Nam uxor Sandalis unà cum filio adolescente propter mariti improbitatem Rhagusium confugerat. Sandales Rhagusios missis legatis rogarat, ut redderent uxorem, & filium: quibus non admittentibus preces, bellum indixit. Rhagusij filium Sandalis communi sententia ad id bellum imperatorem eligunt, suggerentes que magnam pecuniæ uim, fortiter bellum ab Sandale illatum propulsare ſategerunt. Cauſſam, quæ impulit matrem & filium, ut Rhagusium ſe reciperent, hanc tradunt. Mulier quædam excellenti forma, cæterùm laſciuior, quàm par erat, in Sandalis regionem ab Florentia Italię uenerat. Cum autem audiuiſſet Sandales, mulieres Florentinas tum formæ uenuſtate, cùm prudentia facilè inter omnes primas eſſe, eius mulieris uiſendæ cupidus, eam ad ſe uocari iubet. Quæ ubi in conſpectum uenit, & pulcherrima eſſet, Sandales uxoris amore ſatiatus, eam ſpreuit. Nec multo pòſt amore peregrinæ amens & ardens, cum ea concubuit, plurimum amore æſtuans. Adhæreſcens autem peregrinæ mulieri, uxori admodum moleſtus erat: quam deſpiciebat, & prorſus negligebat. Mulier autem illa erat mercatorum Florentinorũ, & in hanc regionem appulerat. Conuerſans itaque plurimum cum hac muliere, infenſus & moleſtus erat ſuæ uxori. Vxor non ferens amplius haſce indignitates, maximè propter filium ſuum adoleſcentem, unà cum eo clàm Rhagusium profugit. Sandales miſsis legatis uxorem rogabat, ut reuerteretur in ſuam regionem, nec in aliena degeret, uulgãs opprobrium ſuum in homines. At uxor non obtemperabat uerbis mariti, ſed in hunc modum reſpondit: Se non redituram, niſi dimittat mulierem illãm Florentinam. Quod ſi facere omiſerit, fruatur peregrina muliere ad libitum. Hæc quidem ad eum modum cõtigiſſe memorant. Filius inimicitias gerens cum patre, & belli dux à Rhagusijs pronunciatus, bello adortus eſt patrem, prælioq; inito patrem fugam arripere compulit, plurimis de exercitu in fuga cæſis. Certè in patrem impia & nefaria auſus, mittebat is frequenter legatos ad regem, conſulens ut iunctis copijs Illyriorum regem debellarent. Tandem monendo & conſulendo tantum profecit, ut Turcorum exercitus aduenìret, & regionem regis grauiter populando corrumperet. Sub idem tempus cum fama uolaret, regis copias accedere contra Illyriorum regem, nec ipſe ſe parare intermiſit, ut regium exercitum, ſi in ſuam regionem populabundus ingrederetur, ſi quid poſſet armis, à populationibus prohiberet, eumq; propulſaret. Nunc eò redire libet, unde in hunc ſermonem digreſſus ſum, poſtquam regem Illyriorum Machumetes Michaelis filius in ditionem accepit, cum eò circumiens etiam cæteras urbes regi Turcorum ſubijciebat. Et quidem circa hæc uerſabatur Machumetes. Omarem autem Turachanis filium iubebat cum exercitu pergere contra cæteras Illyriorum urbes, cæterùm ipſe in regia contendebat caſtra. Rex Turcorum diſcruciabatur animi, propter iuramentum Illyriorum regi præſtitum ab Machumete. Grauiter quoq; Machumeti indignabatur, ut qui parum opportunè huic regi ſalutis ſpem, interpoſita iuriſiurandi religione, obtuliſſet. Regem quidem Illyrium uinculis illigatum circumduxit, peragrans Sandalis regionem. Nam Illyrios partim quidem ipſe, partim uerò Machumetis & Omaris marte perdomuit. Omares ſummo ſtudio annitebatur, ut eam regionem, quæ nondum ſubiecta erat, cogeret regis ſuſcipere imperium. Hic, cum fortitudine facilè ſuperaret omnes, quotquot in lanuis fortitudinis prærogatiua gauderent, præclara militaris uirtutis edebat opera, cum cæterà quoq; ſatis ſpectatus regi exiſteret. Hæc hactenus ab rege Illyriorum urbes ſubiugante, geſta ſunt, quibus peractis, legatos ire, iubet

Rhaguzium

A Rhaguzium urbem, quæsitum regis uxorem. Hæc regem anteuertens, ex-
cesserat urbem, & in Italiam abierat. Nam cum fama captæ regionis ad i-
psam allata esset, omni mora posita, relinquebat urbem, & in Italiam pro-
perabat. Legati cum eam haud reperissent in ista urbe, abierunt re infecta.
Rex omnibus in unum contractis copijs, inuasit Sandalis regionem, quam
miserè euastauit. Nam equites per uniuersam regionem grassantes, eam
grauiter afflixere. Inde nec oppidis abstinuit: quæ accedens, obsidere haud
omisit. Sandalis milites, qui in montium iugis se tenebant, montibus di-
gressi, insidiabantur cubiculo siue tentorio regis. Et cum quę dam inde diri
puissent, illicò retrò in montes, unde uenerant, se receperunt. Regio hæc nõ
secus ac Illyriorum deserta & uasta est. Rex castra mouens ad Sandalis ur-
bem, eam diebus aliquot obsidebat. Cum uerò urbis oppugnatio non suc-
cederet ex animi sententia, abijt, ducens exercitum per Stantis, Caraici, &
Pauli, qui principes erant, regiones. Ad hos præcones dimisit, qui iube-
rent, ut suam singuli regionem regi traderent. quod si facerent, fore ut sin-
guli aliam regionem in Europa ab rege acciperent. Principes illi persuasi
præconum uerbis, semetipsos & regionem regi manciparunt. Cogitabant
enim impossibile fore, ut in posterum regionem suam defendere & tutari
possent, cum undique cingerentur regis regione, quasi in medio habitan
tes. Verùm profecti in Ianuas regis, hac conditione adducti, deditio-
nem faciunt, ut alia regione pro sua ab rege donarentur. Nec multo pòst
hos compedibus compeditos abduxit domum, simul etiam exercitum di-
misit. Regem Illyricorum manè cum in castris quiesceret, & abitum
moliretur, accersiuit in conspectum suum. Qui cum intelligeret, se pa-
rum fauore regis uocari, tenens manu literas, quibus continebatur ius-
B iurandum ab Machumete datum, prodibat in conspectum regis. Vt in
conspectum regis uenit, rege imperante caput eius præcisum est. Tra-
dunt regem propinasse interficiendum Illyriorum regem Persæ præce-
ptori suo. Sunt, qui referunt coquum regium istum uirum, nescio quod cri
men in eum intendentem confecisse. Nam is, cum plurimum dissideret à
sententia Mechumetis, filij Michaelis, regis iussu Illyriorum regem leto
dedit. In hunc modum memorię proditum est, occidisse Illyriorum regem,
occupato regno eius ab rege Turcorum. Veneti & Pannones cognito re-
gionem Illyriorum in ditionem uenisse regis, regemq; Illyrium captum ab
Turco occubuisse, prętera reliquos regionis principes miserandam in uin
culis agere uitam, hæc neutiquam diutius ferenda esse censuerunt: formidi-
ne magna tentabantur, cum animis reputarent, breui fore ut idem exitium
parum feliciter experirentur. Veneti grauiter ferebant, prętectos regios con-
tra ipsos insurgere, & subditis eorum molestos & intolerandos esse. In-
terim tamen fœderum sanctitatem bona fide coluerunt, suspensi expectatio
ne euentus rerum. Iesus Albanis filius regis prętectus, Argos in Pelopon
neso per proditionem sacerdotis, qui ea in urbe morabatur, nactus est, & ex
aperto iam bellum gerebat. Omares Turachanis filius, incursionem in Nau
pactum fecit, nec etiam ab regione in Peloponneso Venetorum circa Me-
thonam, regij ius belli abstinuerunt. His accensi Veneti, haud amplius cun
ctandum & ferendum rati, ad consultandum quid agerent potissimum, con
ueniebant, sententijs in utramque partem probè penticulatis, cum iam sæ-
pius cõsultassent senatores qui Vocati dicuntur. Victor de familia Capella
larum, uir dignitijs & dignitate præcellens, quique urbem regere optimus
censebatur, adductis in suam sententiam propinquis & cognatis, conscen-

dens tribunal, talem orationem habuisse fertur: Viri Veneti, sæpius aliàs cognoui certis experimentis, huius ciuitatis incolas nequaquam cedere animis, si quando instituant rerum necessariarum, quæ ad rempublicam pertinent, consultationem. Quapropter paucis uos cõpellandos existimaui, cum uideam etiam inuitis & arma detrectantibus belli necessitatem imponi. Nam uidemini mihi rempublicam planissimè prodere, dum cunctamini arma inpræsentiarum aduersus barbarum capere. Siquidem hi qui apud uos non pauci primas tenent, monent, ne temerè et odiosè de rebus adeò arduis consultetis, uerùm censent legatos mittendos ad barbarum super fœdere expostulantes, ut qui iniustè agat, fœderum & iurisiurandi religionem abrumpens: monendum quoq; esse, ut pacem, quemadmodũ conuenerit, obseruet, si uerbis potius quàm armis à cœptis eum deterrere possimus. Quod si his nihil apud barbarum effectum fuerit, tum demum necessaria erit oratio quę ad bellum barbaro inferendum nos in suffragia mittet. Oportet sanè eos qui pericula reputant, ea inter se cõparare: & quæ minora apparuerint, eligere. Eum qui suffragium fert, circa singula hanc sententiam tenere conuenit. Nam aduersarij nostri aiunt, si bellum mouerimus, urbes nostræ in continente, quæ spectat Ionium & Peloponnesum, nec non reliquæ cõtinentis urbes, haud habebunt quibus se sustentent ad breue admodum tempus. Verùm necessaria eos destituent, & peribunt, si periculum aliquod ingruerit. Præterea si prædicta regio mercibus fuerit exhausta, & despoliata, etiam deinceps & in nos damna maxima redundabunt. Quapropter bellum prolatandum est, & legatio mittenda, quæ ista efficiet. De legatione primò uerba faciam. Nam cum legati nostri uiri prudentes & intelligentes ad eum conuenissent, eorum nullam rationem habuit: uerùm fraudulentis & dolosis sermonibus usus, contraria, quàm nos existimauimus, fecisse apparuit. Nõ itaq; satis apud me constat, quid nam principalissimũ eorum super quibus ad eum uenerant, coram eo expromere debeant, si denuò legationem susceperint, quàm illud, nos, cum non suppetant uires ad bellum, uelle legationibus rem gerere, & ad hunc modum iniurias propulsare, & crimina dissoluere: adeò nos esse promptos et paratos pro ipsius arbitrio cum ipso agere. Hęc quidem honesta ratio est, dici possent, si nõ occupato Argo iam ex aperto nobis bellũ intenta ret. Animos profectò nostros in hunc modum pertentat, quam diu tandem ista perpeti uelimus. Si patimur, etiam ad reliqua confidenter & audacter procedet. Sin restiteremus fortiter, recedet quò per nos elicuerit: & in triuio (quod aiunt) constitutus, bellum posthac omittet. Si secus fecerimus, uereor seram aliquando pœnitentiam uenturam. Ferunt barbarum, ubi primùm in Peloponnesum peruenisset, etiam Euboiam accessisse, uisurum Euripi urbem. Egressus iterum Peloponneso, profectus est, ut tentaret transitum, uenitque in conspectum urbis eo animo, ut eam hostiliter aggrederetur. Et quidem ipse equo transiectus Euripum, speculabatur quà commodè cum copijs transire, & urbem oppugnare posset. Hęc profectò manifesta belli sunt signa, ex quibus satis quis probare potest, eum iam dudum decreuisse satis præparatum aduersus adeò decenter deliberantes pugnare. Eo in bello, quod nunciatur iamdudum aduersus nos sumpsisse, strenuè perget, quędam sibi subigens, nobis que auferens: quædam, præfectos culpans, subijciet, & commodissima quæque sectabitur. Mox isti nemo se opposuerit, magna potentia succinctus, subitò, si poterit, imparatos opprimet. Nam magnas sibi cõflare poterit copias, cum nõ cesset plurimos suo domi nio

A nio usq; adiungere. Dicam igitur, nobis nõ fore bellũ cum rege? Quidam quod scio, uana spe semetipsos & alios lactant, dicentes eum nunquã in nos auersurũ belli tempestatẽ, neq; nos nostro deturbaturũ principatu, quamuis id ex facili posset. Quapropter à bello nobis temperemus, pacemq; & tranquillitatẽ apprehendamus, nihil interim rei necessariæ oscitanter omittentes. Verùm enimuero si ex prædictis iam planè apud omnes in confesso est, eum iamdudũ nobis bellum indixisse, utrum nobis conducibilius & eligibilius fore iudicatis, quietem'ne amplecti, & regionem nostrã nobis pati eripi, an ex aperto bellum inferentes, ostendere barbaro, quanta etiam nostra sit potentia, quanteq; uires? Nam in manifestum si descenderimus bellum, eum eiusq; insidias cauere poterimus armati, & satis instructi in omnem euentum, sedulò obseruantes quem'nã castris locum capiat. An'non is pro hoste tandem habendus est, qui insidijs regionem nostrã prę ripere tentat, & duobus his excellit? Si felice & prospero rex utatur rerum successu, barbaris homines credunt se, ut amicos nonnihil lucri inde percepturos: sin autem mali nihil inde redundarit in barbarum * Si itaq; hæc reliquis præstantiora sunt, quis adeò est cæcus, ut non cernat ea esse eligenda? sin secus, meliora habentes, quietem amplecti oportet. Illa namq; nobis eligibiliora iudico. Cunctationem aio multum multis per orbem damnosam esse: & nobis plurimum damni dedit prodentes principatum, Græcos & Gręcorũ regem, quando barbarus infestos arietes Constantinopoli admouebat. Nam merces nostræ plurimum ab Græcis iuuabantur & augebantur. Deinde contempsimus & auersati sumus preces ducum Peloponnesiacorum, qui impensissimis precibus auxilium nostrum implorabant. Etiam per nostram socordiam uidimus & Pelopõnesum ab isto rege deuictam. Nuper admodum, cum Illyriorum rex nostrum auxilium supplex oraret, & lati auxilij non mediocrem gratiam se relaturum promitteret, eum ab Turcis crudeliter necari passi sumus. His sigillatim in hunc modum à nobis proditis, non possumus infamiam apud reliquas per Europã gentes effugere, quin dicant, nos mercaturę & turpis lucri a uidos neglexisse gentes eorundẽ nobiscum morum, eiusdemq; religionis, et quasi spectasse, ut caderent Turcorum marte. Proinde, ut ad pauca redeam, si adiuncti Pãnonijs arma arripuerimus, nostris nobis frui licebit. Quod si cunctati et quietem sequuti fuerimus, breui uidebimus eum imparatos oppressurum, & extorturũ nobis regionem nostram, quà ei finitima est. Consulo igitur, ut legatos cum magna pecuniæ ui ire iubeamus ad Pannones. Præterea, ut præter naues, quę nobis præstò sunt, etiam alias quotquot possumus, impleamus militibus. Nec etiam prętereundus est Pontifex maximus, qui quoquo modo fieri potest, in belli societatem adhibendus, & totius belli dux declarandus est. Ad hæc opera danda est, ut Peloponnesus ad defectionem solicitetur. Et id quidem in procliui est. si enim alterum de ducum numero, qui desciuit ab rege, tenuem agentem uitam Pelopõnesiaci sequuti sunt, cum quidam desererent urbes, alij uerò in summa uenirent pericula, quid futurum creditis, si uiderint tantas copias terra mariq; aduersus barbarum aduentare? Censeo insuper equites & armatos Italicos bis mille mittendos in Pelopõnesum. Cretensib. quoq; uenia et criminũ abolitio danda est. Hęc ubi nos agere uiderint, continuò ad nos transitionẽ facient, et Pelopõnesum subijcient, unde licebit negocia regi facessere. Nam ab Pelopõneso cõmodius in eius regionẽ dabitur accessus. Si igitur societatem coiuerimus cum Pãnonibus, Pãnones ab Istro, nos ab Pelopõneso

*Deest aliquid exemplari Græco.

Barbari regionem populabuntur. Nec pressis, quod aiunt, sedentes manibus, negligemus regionem nostram uastari, & subditos nostros, Turcorum mancipia fieri. Verùm his tandem auctores erimus, ut aliquando aliud consilium captent, & armis barbaro fortiter resistere instituant. Victor huiuscemodi oratione habita, plurimos in suam sententiam traxit. Calculi autem cum propemodum utrinque essent æquales numero, uicere tamen, quia aliquanto plures erant qui bellum nunciabant. Secundum hæc decretum factum est, ut legati abirent ad Pontificem magnum, & alij porrò ad Pannones ablegarentur cum magna pecuniæ ui. Legati uenientes ad Pontificem maximum, dixerunt quæ Venetos dicere æquum erat, uidelicet tempus nunc instare, & monere, ut unà cum ipsis bellum aduersus barbaros capesseret, quemadmodum Mantuæ conuenisset. Pontifex respondens, inquit: Necesse est ut prius impium & sceleratum minorem'que barbarum è medio tollam. Deinde dijs bene monentibus proficiscar contra magnum barbarum. At intelligebat Ariminí ducem, cum quo bellum ea tempestate gerebat. Verùm caussam eius belli nunc omisisse satius est. Legati, qui ad Pannonum animos conciliandos, ut prompti sequerentur in Turcicam expeditionem, missi erant, prodeuntes in conspectum regis, in frequenti senatu huiuscemodi orationem exorsi sunt: Viri Pannones, utique cernitis Turcorum regis potentiam quò euaserit. Eos qui in orbe Christiano eiusdem nobiscum & fidei & gentis sunt, suum imperium suscipere coegit. Ex regionibus nostris prædas agens, Asiam & Europam mancipijs nostris repleuit. Istrum præterea frequenter transgrediens, regionem populatur, agrosq; urit. Itaque si nos audieritis, barbarus non amplius traijciet Istrum, ut uestram regionem impugnet. Nam manifestum esse reor omnibus, si modò uires intellectus seu mentis intenderint, fore, si uos Istrum transmiseritis, & in eius regionem hostili animo fueritis ingressi, ut maximum tumultum in eius regione concitetis, res'que eius planissimè conturbetis. Turcus, ut liquidò constat, Græcos debellauit, & eorum regionem suo dominio adiecit. Tryballorum regionem, & uniuersam Peloponnesum sui iuris fecit. Trapezuntium regem domuit, eius'que regione potitus est. Daciæ ducem dedit. Illyricorum regionem miserè euastauit: eorum'que regem, uirum æquum & modestum cæpit. Eum igitur, qui breui admodum tempore tot principatus & potentatus demolitus est, quid porrò facturum creditis? Haud quieti & ignauiæ se corrumpendum tradet, uerùm finitimos armis appetet, eorum'que regiones suæ adiunget. Nec moras nectendo, sedebit: uerùm illico in finitimos arma uibrabit. Nunc igitur nec uobis bellum parcet. Nam conabitur, uniuersis suis copijs fretus, in regionem uestram impetum dare, & ex ea hominum aliarum'que rerum prædas agere, principes uestros turpissimæ neci tradere haud cunctabitur. Nam animus eius semper est implacabilis erga nostros, & erga omnes eos qui Christianæ religioni acquiescunt. Præterea parum pacatum animũ gerit erga eum qui se beneuolum & benignũ offert. Haud enim uos præterit, quid fecerit Ladislao principi uestro. Verùm enimuero ueniam hic meretur Turcus: siquidem Ladislaus in prælio captus interijt. Sed quid mali passus est, aut quam' nam iniuriam accepit ab Dauide Trapezuntis rege, & ab Illyriorum & Lesbi duce, nec nõ ab reliquis quos omnes crudeliter necauit? si itaque cõtractis copijs in eius regionem irrueritis, certè breui spiritus eius generosos, quos contra Pannoniã concepit,

A pit, contuderitis. Sin autem patienter quæ ab rege inferuntur, sustinueritis, transgredietur is uniuersi exercitus robore ad uos. Vereor quod si deinde semel aberraueritis, & parum feliciter contra eum pugnaueritis, ut uniuersa Pānonia in eius ditionem cedat, & uos crudelissimè perdat. Venetis, cum dicendi finem fecissent, in hunc modum respondit Pannonum rex: Viri Veneti, certè (ut dicitur) uidemini in plurimis esse uiri nō admodum imprudentes, nec solum in ijs quæ ad quotidianæ uitæ usum spectant, uerùm & in ijs quæ publicam aliquando de rebus necessarijs consultationem postulant. Parum autem recordamini, ut uidere uideor, quòd sæpius uos cohortati sumus, ut unà nobiscum expeditionem sumeretis contra Turcos: uerùm cohortationem nostram admittere recusastis, quamuis ad eandem rem etiam Pontifex Maximus uos cohortaretur. Fœdus pepegistis cum barbaro, nostríque nullum respectum egistis. Ad hæc uestra oratio erat, nos parum honestè agere, iubentes uos arma contra barbarum arripere, cum nullæ tamen eius in uos extent iniuriæ. Nos igitur sæpius traiecimus Istrum, & maximas clades accepimus. primò quidem Ladislaus rex noster in expeditione Turcica occubuit, cum fuisset uir optimus. Deinde iterum multi et boni uiri in Cosobo regionis Tryballorum, partim cæsi, partim capti sunt ab Turcis. Hæc quidē hactenus uobis exprobrare libuit. Cæterùm parati & prompti sumus unà uobiscum suscipere bellum continuò transeuntes Istrum: & quantum possumus, euastantes regionē barbari. Appetente uere bellum indicemus regi: quod quantum Deus nobis opis dederit, summa fortitudine geremus. Cæterùm & uos simul irrumpere in Peloponnesum, & molestos esse quantum licuerit, regi oportet, ut in hunc modum ab utraque regione negocia ei facessamus, & pari animo utrique bellum aggrediamur. His dictis, accipie-
B bat uigintiquinque millia aureorum. Quibus acceptis, accingebatur ad bellum, comparans exercitum qui complectebatur uigintiquinque millia uirorum. Transgressus que Istrum, regis regionem populabatur. Sabatines murum Mpelogradæ abiecerat, quo tutior esset cum ex Pannonia prædas ageret: in quo relinquens præsidium uirorum de lanuis, abijt. Hunc igitur murum quàm proximè ad urbem accedens oppugnauit. Dehinc incursionem faciens in regis regionem usque ad Sauum, & mancipiorum prædas agens, pulsis Tryballis & Turcis, domum reuersus est, uehens circiter uiginti millia mancipiorum. In hoc statu res Pannonum erant. Veneti, cum Pannones in belli societatem ueniissent, impleuerunt triremes triginta quinque, & naues alias duodecim: quibus confisi, contenderunt in Peloponnesum. Italos armatos & equites bis mille imposuere in naues altas, & transfretarunt in Peloponnesum. Ad id bellum crearunt ducem uirum illustrem de familia Lauredanorum, cui etiam imperium in maritimas regiones dederunt, uidelicet in eos quæ Ionium & Aegeum respiciunt. Huic plenam rerum gerendarum potestatem permittunt, nempe ut ad eum modum bello utatur, quo sibi res Venetorum optimè habere uidebuntur. Edictum missum est in Creta ad eos qui capitalibus criminibus irretiti, ad ea loca confugerant, ut auctoratam nihil metuentes, in hanc expeditionem uenirent. Hi erant numero in unum collecti quater mille: & in Peloponnesum traiecerunt, ut Peloponnesiacos ad defectionem ab rege impellerent. Verùm Peloponnesiaci magna in formidine constituti inter se uaria colloquuti, statuerunt Isthmum muro circumuenire, ut eo modo peregrinos regis, qui in urbibus erant, intercipe-
rent. Peregrini namq; iam desperarāt (ut qui semetipsos proditos crederent) se posse illæsos & saluos præsentem necessitatem effugere. Laconia, quicq; Tænarū, & † Epidamnum tenebant, nec nō finitimi illicò accedentibus Venetis, ab rege defciuerunt. Hos sequuti sunt Arcades & Pelenes. Pelopōne-

† Alij legūt Epidarum.

si præ-

si præfectus in Leontia Megalopolis moratus, expectabat rei euentum. Nunciũ ad regem dimisit, qui nunciaret, Venetos in armis esse, & regionem ad defectionẽ solicitare. Veneti terra mariq; ab Nauplio properabãt Argos: quã urbem aggressi, oppugnabãt. oppidani conabantẽ transitionẽ facere. Erãt in ea urbe peregrini milites regis quinquaginta, unà cum duce suo: qui conditionibus quibusdam intercedẽtibus, se Venetis dedidere: quos passi sunt abire inuiolatos & incolumes. Hoc modo isti exitium imminens euaserunt. Veneti Argo urbi, quę in ditionem uenerat, præsidiũ imposuerunt, relicto ibidem & duce. Vbi huiusmodi casus Venetis accidit. Vt enim potiti sunt Argo, submiserũt auxiliũ duce Hieronymo de familia Bernardorum: cui præceptum erat, ut per litus auxiliares ducens, pergeret Argos. Is contempto imperio magistratus, auxiliare agmen ducit per mediterraneam regionem, iter faciens per radicem montis. Ibi tum Turci locum insidijs præoccupantes in itinere quod fert Argos, submittentesque uiros centum, expectarunt, si qua occasio daretur ulciscendi Argiuos. Vt conspicati sunt Hieronymum iter metiri per mediteraneam regionem, præuenerunt montis radicem: & occupantes litus, Venetorum auxiliares in medio concluserẽ. Hinc ex insidijs exurgentes, Venetos continuò in fugam coniecere, cęsis ducentis, totidemq; captis. Hieronymus fuga euasit impendens discrimen. Ingressus autem nauem, quæ fortè eò appulerat, dicebat se ab duce aduenisse, ut proficisceretur in Aeginam. Vt in Aeginam uenit, nautam nauem soluere, & cursum in Euboiam dirigere iubet. Dehinc egressus est in Atticam, & inde ad regem iter flexit. Is haud multo pòst reuersus ad Venetos, graues pœnas spreti & contempti imperij dedit. Græci, qui erant in Peloponneso, & Albani, nec non Rhasicus, & Petrus Claudus, haud cessabant cõsulere Venetis, ut Isthmũ muro includerent. Hoc enim facto, aiebant Peloponnesiacos illico defecturos ab rege, & ad Venetos transitionem facturos. Nam plurimum momenti ad defectionem rem eam habere. Visum est igitur ut cum uniuersis copijs opus aggrederentur, Isthmumq; obstruerent, an uel isto modo ad defectionem inclinaturi sint Peloponnesiacorum animi. Aduenientes ad opus prædictum, lapides & saxa congerebant, opusq; incredibilem in morem breui crescebat. Et tentantes animos Peloponnesiacorum, periculum faciebant, si & Corinthum ad defectionem accendere possent. Quod si contingeret, reliquas Peloponnesi urbes statim transitionem facturas. Isthmi muro exædificato, arreptis armis pergebant contra Corinthum. Præeuntibus quibusdam Corinthijs, ostendentibus ubi nam urbem aggredi deberent, bombardas ponebant ex aduerso arcis, urbisq; oppugnationem aggrediebantur, certantes magna cum gloria. Verùm hyems frigoribus intoleranda, eos ab obsidenda urbe abduxit. Quapropter discedentes nihil tanto apparatu dignum effecere. Itaq; Veneti hyemis iniquitate pressi, animo iniquo moram in Isthmo ferebant. Nec Corinthus transitionem fecit, nec Achaia desciuit, quamuis ad eos missus foret uir Græcus nomine Rales: qui ab Turcis egredientibus & resistentibus interfectus est. Nec reliquæ urbes, præter eos qui Spartam incolebant, deditionem faciebant. Nam Spartanis impositum erat ab iuuene Græco nomine Gritza. Venetis iam omnis mora in Isthmo intoleranda erat, cum uiderent se nequicquam laborare, ut Peloponnesus subijceretur. Nunciabatur interea Machumetes regius præfectus magnis copijs instructus, in Isthmum contendere, spirans cædes Venetorũ. Etiam fama ferebatur, regem cum exercitu Machumetem, ut ei subsidio uenire posset, si res postularet, subsequi. Decreuerunt itaque magno consensu Isthmum deserere, ut cuius paruus inpræsentiarũ esset usus. Digressi Isthmo cõtendebant in urbes, quas præsidijs munimentisq; alijs firmabãt, ut regis et Machumetis uim, si accederent, propul-

sare possent. Rex ubi cognouit Venetos muro circumueniſſe Iſthmũ, et impleſſe triremes quadraginta, & naues altas duodecim, præterea armatos Italos adduxiſſe, & ab Creta alium exercitũ, quibus omnibus freti, id unicum ſpectarent, ut Pelopõneſum ſubigerent: haud amplius cunctandũ ratus, Machumetem iuſsit accipere Europæ exercitũ, præter eum qui Pãnonibus oppoſitus erat, & rectà proficiſci in Pelopõneſum. Præterea imperat, ſi quid poſſet efficere in bello contra Venetos, eniteret deſtruere Iſthmũ, & deinde irruptionẽ in Pelopõneſum facere. Quod ſi hæc parum procederent, ſe ſuccenturiatum fore: & ſi quid renunciaret, continuò in ijſdem ueſtigijs ſubſequuturum. Machumetes Ianuarum dux cum Europæ exercitu profectus eſt in Theſſaliã uſq; ad † Peineũ, et caſtra prope Lariſſam urbem poſuit. Eo in bello cõſiliario utebatur Omare Theſſaliæ præfecto, qui Machumeti conſulebat, ut ſubſiſteret, nec ulterius moueret: ſed regi ſignificaret, belli molem maiorem impendere, quàm cui regius dux ſufficere uel par eſſe poſſit. Nam cum paulo antè quàm proximè ad Iſthmum ſpeculator acceſsiſſet, bombardas conſpicatus eſt plures quàm bis mille, præterea bombardarios quadringentos: necnon ſagittarios & ſcutigeros uidit, qui haud facile cuiquam cõceſſuri ſint caſtra in Iſthmo locare. Hęc cum accepiſſet regis dux, uiſum eſt regi indicare, ut Pelopõneſum opprimeret: ſe uerò profectionem ulterius facturos Lebadiam uſq;. Nuncius igitur ad regem uenit, qui nunciabat apparatum belli eſſe magnum & mẽmorabilem. Literę etiam ab Pelopõneſo allatæ ſunt, quibus incitabatur, ut cum copijs accedere maturaret. Venetos enim eius aduentum nequaq; expectaturos. Literas has ad eum pertulit uir quidam B Albanus, qui ab Corintho noctu ſoluens, ſcapha traiecit mare, obſeruãs maris tranquillitatẽ, & uentos ſecundos, & Bœotiam appulit. Hinc egreſſus naui uenit ad Machumetem in Theſſaliã. Machumetes cum literas legiſſet, & denuò clauſiſſet, in Pelopõneſum abire ſtatuit. Vbi uenit in loca Bœotiæ propinqua, acceſſit nuncius qui referebat, Venetos relicto Iſthmo, fuga dilabi. Collectis itaq; omnibus, ab Platęarũ regione Citheronẽ ueniens, quem noctu ſuperauit, prima luce in Iſthmo erat: & Venetorum naues in mare deductas contemplabat. Inueniens autem Iſthmum ab Venetis deſertum, ingreſſus ibidem caſtra metatus eſt. Deinde per Corinthum profectus eſt Argos. Eam urbem defenſabãt & tenebant Venetorum præſidiarij milites, quos omnes oppugnans cæpit: & uinctos, cum numero forent ſeptuaginta, ad regem miſit. Cæterùm rex conſilium abeundi in Pelopõneſum abiecerat. Nolebat enim, cum accepiſſet Iſthmum occupatum eſſe, in Pelopõneſum contendere, parcens exercitui, ne nimium & fruſtra defatigaretur: ſed retro in regiam abijt. Machumetes regius dux per Tegææ regionem iter faciens, Leontariũ uenit, ubi & caſtra cõmuniuit. Inde mittit Zoganum, quem principem Pelopõneſo conſtituit, eiecto ex eo magiſtratu Ieſu Albanis filio, Patras Achaiæ, & in alias finitimas urbes, ut arces frumẽto & munitionib. bellicis firmaret. Omarẽ iubet aſſumere exercitũ, qui cõtinebat uiginti millia militũ, & incurſiones facere in Venetorũ regionẽ. Is imperata impigrè faciens, cum exercitu uenit in loca Methonæ finitima: captoq; ibidẽ oppidulo, oppidanos omnes ad ducẽ Machumetẽ abduxit, eiq; tradidit. Hi omnes, cũ numero forent quingenti, exinde ad regẽ perducti crudeliter in duas partes diſſecti, occubuere. Fama conſtans habet, cum cadauera peremptorũ Byzantij eo loci eſſent proiecta, quo rex iuſſerat in duas partes cõſciſſa exponi, bouem quendã in eum locum egreſſum, & uiſis cadaueribus flebilem in modũ uocem mugiendo edidiſſe, poſtea medietatẽ unam cadaueris ſuſtuliſſe. Deinde reuerſum etiã alteram cadaueris medietatem abſtuliſſe, & ambas medietates deinceps cõpoſuiſſe. Stupentib. autem & mirantibus bouis factũ, qui in eo loco erant, euenit

† Alij legũt Pindum.

nit ut eius rei rumor etiã ad regem uolaret Mechmetẽ. Qui ubi rei ueritatem ex ijs qui præstò fuerant, cõperit, cadaueris medietates ad eum locum ex quo eas tulerat bos, reportauit, & à se inuicem diſsitas collocauit, periculũ facturus, an bos rediturus sit. At bos iterũ in eum locum ueniẽs, ubi abesse medietates cadaueris & remotas sensit, magno clamore redit ad cadauera: fragmenta cadaueris diligenter cõquirit, et ab reliquis separatim ponit. Rex rei miraculo obstupefactus, cadaueris medietates sepulturæ tradi mãdauit. Bos in regiam ductus, optimè habitus est. Quidam tradũt cadauer illud fuisse Veneti cuiusdã. quidam Illyrij fuisse docent. Cæterũ apparet id quasi esse omen maximæ felicitatis, quæ apprehensura sit eam gentem, ex quo illud cadauer descendit. Hoc quidem Byzantij contigisse audiuimus. Ianuarum dux ubi animaduertit parũ opportunũ esse urbes oppugnare, in Sparta reliquit Omarẽ et Asanẽ, ut colloquiũ haberent cum Spartanis. Hi em̃, ubi intellexerant Venetos Isthmo decessisse, ab Tęnaro et Epidauro et ab alijs locis ad sua reuersi conabant sua defendere. At illi ueniẽtes in Spartã, sermonẽ cum Spartanis habuere, quibusdã etiam, qui in locis munitissimis se tenebant, persuasere, ut redirent in urbem. Cęterũ mittẽs Asanes ad eos qui uersabant in Tænaro & Laconia, sic eos adhortatus est: Viri Spartani, uidetis nimirũ, nisi cæci estis, quo loci Venetorũ res redactę sunt, ex quo bellũ regi indixerũt, et maximã potẽtiæ suæ partem in Peloponeso ostentarũt. præterea haud uos fugit, quid in Isthmo, & in reliqua Peloponesi regione ijs acciderit, quamuis regis copiæ q̃ longissimè fuerint remotæ, & ipsi quammaximè in unũ collecti. Si regiũ seruum hostiliter adeuntem sustinere nequiuerũt, quid futurũ erat, si rex ipse una cum Ianuis in Peloponesum impetum dedisset? profectò nullus locus in Peloponeso fuisset relictus, qui ab belli iure mansisset intactus, uerùm belli tempestas omnia fœdissimè dissipasset. Rex, ut Thermopylas attigit, audiuit Venetos, relicto Isthmo, abijsse, ut appetẽte uere redirẽt in Euboiã, et ista loca omnia in ditionẽ acciperent. Nũc si ueniam, ad quam uobis tutus receptus est, eorum quę cõmisistis turpiter, decepti à pessimis Peloponesiacis, qui nihil sani regioni isti cõsuluere, amplexi fueritis, scio (sic enim præcepit rex) uos nihil mali passuros: nec ad mancipiorũ miserandã conditionẽ deducemini, nec aliud quic̃q̃ mali experiemini. Proinde si placet ueniã oblatã admittere, singuli ad sua reuertant̃. Quod si oblatã ueniã respueritis, profectò rex uos, quẽadmodũ & Venetos, hostiũ loco habebit. His cognitis, quidã eorũ qui in regem deliquerant, ueniam nõ sunt aspernati: & clàm deficientes à Venetis, ad sua sunt dilapsi. Quidã uerò, qui grauiter obsidebant̃ in Tęnaro, miserũt nuncios, ut quid parerent Pãnones, audirent. Nã Veneti cõsolari haud cessabant Peloponesiacos, et alios, dicẽtes ubi primũ Pãnones ab Istro fuerint progressi, nos cũ classe in Hellespontũ reuertemur. Regius dux cum abijsset, Venetorũ triremes appulerũt in Lemnũ, impulsu Comneni uiri optimi, qui ibidẽ in Lemno arcem tenebat. Veniẽtes autem Lemni primores colloquuti sunt inter se, ut locũ eum pecunia emerent. Cęterũ Veneti pręuenerũt occupantes arcem, & uirum hunc optimũ accersiuerũt in Isthmũ: quo consulente, nauigarunt denuò in Lemnum. Et cum ipse ab continente cum copijs proficisceret, singuli deserentes oppida, in quibus manserant, unà inde soluerũt nauib. impositi. Occuparũt & urbem Cercidã: & dimisso inde magistratu, quem azimplacos nominabãt, eam pręsidio impositio muniuere. Conuehentes frumentum, & necessaria tum sibi, cùm Peloponnesiacis oppidis, ibant pergentes in Peloponnesum. Hæc quidem ea hyeme in Peloponneso sunt gesta.

FINIS DECIMI ET VLTIMI LIBRI HISTORIARVM TVRCICARVM, quas conscripsit Laonicus Atheniensis, interprete Conrado Clauser o Tigurino. Nouembr. 1. Anno salutis 1544.

THEODORI GAZAE DE ORIGINE TVRCIORVM EPISTOLA, SEBASTIANO Caſtalione interprete.

THEODORVS FRANCISCO *Philelpho* S.

A DE TVRCIS, cuiuſnam ſint gentis, & unde originem ducentes, occupauerint quam nunc tenent regionem, non facile eſt dicere: propterea quòd, qui ante nos de his dixerũt, inter ſe nõ cõſentiunt. Efficit enim ſæpe aliorum diſſenſio, ut in cõtrouerſiã uocent etiã quæ manifeſta ſint, nedũ quæ habent dubitationem aliquam. Scylax quidem (is qui generalium Imperatorum geſta conſcripſit, à Nicephoro uſque ad Iſacum Comninum, ſub quo etiam ipſe erat, uir mentis quidem non contemnendæ, ſed dictione data opera plebeius) Turcos gentem unicam eſſe dicit: habitare autem eas partes Caucaſi montis, quæ uergũt ad Septentriones. Cumq; Arabes bonam partem Aſiæ ſub poteſtatem ſuam redegiſſent, deinde in plures principatus diſſediſſent, Moametem Imbraeli filium, Perſiæ principem, Baſilio Romano Romanorũ Imperatore, bellantem cum Babyloniis & Indis, belloq; uictum, miſiſſe legatos ad ducem Turcorum, qui peterent auxilium. Illum uerò miſiſſe tria millia ſagittariorum, duce Tancrolipice, Miceeli filio. His aſſumptis, Moametem unà cum ſuis inuaſiſſe Piſſarium Arabiæ principem: commiſſoq; prælio, in fugam egregiè uertiſſe. Inde reuerſum paraſſe aduerſus Babylonios & Indos exercitum cum iiſdem auxiliis. Atq; illis profectionem detrectantibus, & ſibi domum diſceſſionem cõ-
B cedi poſtulantibus, illum inſtare perrexiſſe, & ui abducturum præ ſe tuliſſe. Illos uerò in ſententia perſeuerantes, & ſimul ne quid mali nõ obediendo paterentur ueritos, defeciſſe: ſeq; in Carbonitim, deſertam terram recepiſſe, & inde excurſionibus faciendis ac depopulationibus, multum incommodare cœpiſſe. Moametem uerò miſiſſe aduerſus eos circiter uiginti millia militũ & duces decem ex illuſtriſſimis. Hos poſtquam illò perueniſſent, ueritos in ſolitudinem intrare, propter aquæ cibariorumq; penuriam, prope caſtra, feciſſe, et quid faciendum eſſet, conſiderare cœpiſſe. Hoc cognito, Tancrolipicem, quamuis procul caſtra habentem, confecto celeriter tridui itinere, aduerſarios noctu inopinantes & negligentes adortum, facile in fugam uertiſſe: multis q; equis, armis, pecuniis potitum fuiſſe. Ac deinceps non iam transfugarum latronumq; ritu incurſiones clàm facere, ſed apertè & compoſitè militare, auctum acceſſione multorũ incolarum, tum perfugarum, tum latronum, & eorum qui ſunt alioquin rerum nouarum cupidi: adeò, ut breui conuenerint ad eum militum millia circiter quinquaginta. Moametem uerò illo caſu iratum duces occidiſſe. militum uerò eos qui fugerant, ſtatuiſſe ignominia notare, circumducendo in ueſtitu muliebri. Sed illos hoc cognito uniuerſos ad Tancrolipicem defeciſſe: atque ita magnas habentem copias Tancrolipicem, inuaſiſſe Moametem, properando de ſumma rerum decertare. Atque hunc cum illo congreſſum eſſe, agentem militum circiter quinquaginta millia. Commiſſo prælio apud Aſpochanum Perſiæ, multos utrinq; cecidiſſe, & in iis etiam ipſum regem Moametem. Audacius enim extra ordines equitantem, & ſuos animantem, collapſo equo cõcidiſſe, collumq; fregiſſe. Hoc mortuo, multitudinem pacem feciſſe cum hoſtibus, & Tãcrolipicem ab omnib. proclamatum eſſe regem Perſarum: Turcos que, iam prohibente nemine, ingreſſos eſſe Perſiam. ſublatis q; Perſis, & illarum regionum Arabibus, potitos imperio, ac Tancrolipicem cognominaſſe Sultanum, tanquam omnium

Imperatorem & principem. Deinde etiam Babylonia potitos esse, & Arabia & Atropatina Media, quæ parebat adhuc Romanis, aliasq; multas regiones imperij Romani obtinuisse. Turci igitur, auctore Scylace, à Caucasijs montibus oriundi, imperio potiti sunt, sublatis Arabibus, deinde Romanis. Vocat autem eosdem etiam Curtos idem Scylax. Ait enim Amermomnem dixisse filio decem millia Curtorum, & omnem Armeniorum exercitū, adueniente Theophilo Imperatore. Et alibi dicit, Basiliū ex Mesopotamia accepisse nunciū de adductis eis captiuis multis tum Curtis, tum Saracenis.

Gemistus uerò cognomẽto Pletho, qui uir uidetur omniū nostri temporis hominū maximè historiam tractasse, Paropamisadas esse Turcos tradit, & ab Alexandro Philippi filio, eius q; successorib. Græcis per insidias oppressos fuisse obiter in illa expeditione Indica, cuius acceptæ iniuriæ pœnas multiplices nunc tanto post Græcis irrogent. Itaq; multum hi duo discrepant inter sese, cum alter à Caucaso, alter à Paropamiso dicat originem duxisse Turcos. Certum est enim à Scylace Caucasum nominari, non eum qui à Macedonibus falso dictus est Caucasus apud Indiam, qui pars est Tauri montis: sed montem illū utriq; mari, uidelicet Pontico et Caspio, imminentẽ, qui Isthmū à quo dirimunt illa maria, obsepit, distatq; ab India plusquam triginta millia stadiorū. hunc uocat Scylax Caucasum. Paropamisus uerò pars est Tauri apud Imaum & Indiam, unde Macedonas in Indiã profectos dixit Aristobulus. Videntur autem hæc à Plethone nulla ratione dicta, & admirabiliter magis q; uerè. Neq; enim uocauit eius antecessorum ullus gentem ullã Paropamisadarū Turcos, aut alio quopiã nomine q̃d huic affine esset, nec usquã alio unde migrasse in Paropamisum Turcos dixit. Quid ne illum quidem uerisimile est, Moametem Persarū principem, cum Babyloniis & Indis belligerantem, legatos de auxilio misisse ad Paropamisadas Indis finitimos, si modò Scylaci credendū est hãc Moametis legationẽ tradenti. Credibilius est eum ab ijs qui inter Tanaim & Hyrcaniū mare habitant, auxiliū petijsse, atq; obtinuisse. Quod si putat Pletho Scylacem hæc ignorare & mentiri, undenam ea scit ipse, ut uerum dicere uideatur, cum superiorū nullus dixerit Paropamisadas esse Turcos? Qua tandem ratione ei patefacta est ueritas, qui quadringentis annis fuerit post Scylacem? Enimuero si credibilius est eos qui tempore fuere rebus gestis propiores, uerè loqui, magis credendū est Scylaci, qui quadringẽtis annis Plethonem antecesserit. Habet aũt mirum quiddã Plethonis oratio, si oppressi olim insidijs ab Alexandro Paropamisadæ, nunc demũ millesimo octingentesimo post anno, iniuriæ pœnas capiunt de Græcis. Iusticiã enim quandam & prouidentiã diuinitus ineſſe rebus humanis, ostendit ratio. Nónne igitur Persarū magis intererat, qui imperio Asiæ priuati fuissent, pœnas ab ijs à quibus priuati fuissent, repetere, & Paropamisadarū? Adde quod antiquũ Turcorũ nomen, quod in Persis est, probabiliorem Plethoni fecisset orationẽ, si eis hoc tribuisset. Incolebãt eñ Persiã gentes q; Patischerenses dicebant, & Achęmenidæ & Magi, ij qui uenerabilẽ quandã uitã degebant, & Cyrtij, & Marai latrones. Quod si dicet Pletho, Persas, q; prius iniuriã Græcis intulissent, meritò illa à Græcis uicissim passos fuisse, quærã cur nõ Bactrianis potius, & Sogdianis, & Arijs hoc tribuat, alijsq; plurimis gentibus, cordatioribus. q̃ sunt Paropamisadæ: quas quidẽ gentes Alexãder euertit, nulla prius orta ab eis in Græcos iniuria. Quænã uerò fuerũt uel Alexãdri, uel eius successorũ in Paropamisadas insidiæ, quę sint cęteris insidijs frãdibusq; bellicis memorabiliores? Trãsisse eñ Paropamisum in tractus septentrionales & Bactrianã, Alexandrũ perhibẽtq; eius gesta cõscripserunt: euersis q; cũctis quæ illic erãt subiecta Persis, nec nõ pluribus alijs, tum demũ etiã Indiã appetiuisse. Insidias quidem nemo dixit quæ quidẽ obseruatu dignæ sint & indicatu. Mihi

quidem

A quidē longè uerisimiliora dixisse uidetur Scylax, & ijs quæ à Strabone geographo dicunt, cōsonantiora. Dicit enim Strabo, septentrionales Atropatinę Medię regiones montanas & asperas, atq; duras, habitationē esse Cadusiorū montanorū, et Amardorū, & Tapyrorū, et Cyrtiorū, & huius generis aliorū. Atq; hos uagos esse, & latrocinijs uiuētes. etem Zagrum & Niphatē sparsas habere gentes illas: & Persiæ Cyrtios & Amardos, & eos qui sunt in Armenia, eiusdem esse generis. Cyrtij igitur, etiā Strabone auctore, nō solum ad mōtana Atropatinæ Mediæ, sed etiā in Armenia habitāt. Sunt aūt ꝓcessus quidam Caucasi mōtis ad meridiem ꝓtumentes, qui Iberiā cōprehendunt media, Armeniorūq; montib. cōiungunt. Itaq; credibile est eos Cyrtios, qui tunc erāt in Armenia, hos esse quos Scylax Curtos & Turcos nominans, incolere dicit septentrionalia Caucasi. Videt aūt mihi etiā Vnorū nomen sumptum esse ab Aeneanis, qui & ipsi accolę sunt maris Hyrcanij, corrupto à barbaris hoc nomine, sicut & in alijs multis accidit: & credibile est accolas Istri Turcos, Romanorū imperatore Leone, huc migrasse, à Caucasijs montibus, traiecto eo qui Cimericus Bosphorus appellat, nō à Paropamiso. Nam & in Pānonia Turcos Istri accolas tradit Scylax, & apertè Turcarū alios in Asia, alios in Europa collocat, et Leonem Romani regni imperatorē tradit auxiliū à Turcis & Vggris, trans Istrum incolentib. accepisse cōtra Bulgaros. Quòd aūt Curtos appellat Cyrtios, u non y scribens, nihil habet absurditatis. A Romanis enim mutuatus est hoc nomen, qui multa quæ apud Græcos per y scribunt, in u uertunt, ut tute scis. ut dum Cymā Cumam, & Dyo Duo appellāt: quemadmodū & Mus & Sus, à Mys & Sys. Sic & quos Strabo Cyrtios nuncupat, Romani Curtios, & contracto uocabulo Curtos dixere, & eosdē Turcos trāspositis cōsonantibus: uel quia mollius nomen hoc usum est, uel quia
B ab ipsa gente nomē hoc exactius cognouerūt, crescente in dies cōmercio atq; cōsuetudine, ut qui Græcis Cyrtij uocant, Turcios nō Cyrtios, appellarint. Et nos hisce de causis modò Turcios, modò cōtracto ubi uidetur nomine Turcos scribimus, & eos esse putamus quos Strabo Cyrtios, uagos & latrones esse dicit apud Mediam & Armeniam, nō Paropamisadas, ut Pletho opinatur. In quo quidem an erremus, tuum esto iudicium. Vale.

IOANNES BAPTISTA EGNATIVS VENETVS

De origine Turcarum.

TVRCAE, partim Caspio mari proximi, qui Asiā orientēq; uastarunt. Caucasiq; ueteres incolæ, qua parte ad Arctū uergit, partim inter Scythicas gentes relati, & Hūnici sanguinis, qui postea Vngari dicti sunt, existimati, q̄d ex Græcis autoribus, & Latinis aliquot colligas: ueteres scriptores (quod sciam) de his nihil, præter Melā & Plinius. ille præter nudum Turcarū nomē in Scythiæ relatione nihil aliud addidit. Siue igitur ueteres illi à Mela relati, siue recens aliquod genus hominū, eorum certè qui Caspij maris accolæ fuere, tenuissima memorantur primordia, & ut cæterarū gentiū planè obscura. nam septingentesimū ab hinc annum natali solo relicto, in Persidem atq; Asiā minorem primū impetum fecere: sed nec unus dux illis, nec certū imperiū: uagi dispalatiq; quoue cuiq; sors affuit, latrocinantes magis q̄ belligerantes, ꝓuincias uastarūt. prima stipendia Basilio Macedone imperāte sub Muchumetio Saracenorū principe meruere, q̄rū præcipuè opera Babylonios Indosq; ille uicerit. Sed peperit his uirtus inuidiā: prohibitiq; ad sua redire, indignati primò secedūt: inde uno alteroq; prælio Tangrolipicis Mucalecij ducis eorum auspicijs feliciter aduersus Saracenos gesto, tandem egregiè uincunt, Muchumetiumq; proflitatum acie obtruncant, ex quo res Turcica ad Tangrolipicem delata. Is alijs Turcis ad seaccersitis Cucumetū nepotem aduersus Arabas, cum paratissimis copijs

misit: qui prælio ab his victus, cum à patruo per summũ contemptũ exceptus esset, eius iracundiã uerítus, ab illo deficit, & Pasara Chorasmiorũ urbe munitíssima sese includit. Tangrolipix interea prælio genti funestíssimo in Medię finibus cum Romanis Asani alterius nepotis ductu conflixit. Quo victo misit, qui egregiã uictoriam capto Liparite Græcorũ duce & cæsis etiam Iberis Romanorũ socijs retulit: sed cum Liparitem primũ, mox & dona à principe missa facile Turca redidisset, nec præstarent Romani quod promiserant, ingentibus copijs accinctus Tangrolipix Asiam omnem ad Euxinum mare aut uastat, aut subigit. Variatum deinde in gente factionibus exortis ad Gallorum usque memorabilẽ illam expeditionem, qua fracti ab his sæpius, magna etiam imperij parte mulctati sunt, donec Othomanus ab hoc Selino, qui rerum nũc potitur nonus, ueterem gentis gloriam asserere ausus est. Is obscuro loco & parentibus agrarijs natus, uirtute ac calliditate singulari, cõflata per seditionem manu, circunferre Turcica cœpit arma, in suæ gentis hominis nõ minus infestus quàm in nostros. Paulatimq; rerum successu, & imperandi libidine inflammatus, casteilum quod Othomanum de suo nomine appellari uoluit, cepit: distabat id à Prusia Trapezuntem uersus itinere dierum sex. agebatur autem annus salutis nostræ millesimus trecentesimus, preeratq; in Bationæ sede Bonifacius octauus, circa exitum Michaelis Palæologi & Andronici nepotis initia: quo tempore Germanis Albertus imperabat. Othomanus igitur his auspicijs intra octo et uiginti annos, quibus rerũ potitus est, incredibile dictu quantum rem suam auxerit: magnã certè Bithyniæ partem breui subegit, oppidaq; ad Euxinum posita nõ pauca cæpit: qui moriens Orchani filio regnum per manus tradidit: sub quo dissidio Græcorum Cantacuzeno & Palæologis contendentibus, adeò res Othomanica creuit, ut Prusiam Græcis ademerit. & dum Cantacuzeno magis q; Palæologis fauet, primus in Europam ab eo accersitus traiecit. Caramanũ etiam, perfidia in illum usus, cuius filiam in uxorem duxerat, interfecto eius filio adolescente, nõ exigua principatus parte exuit. Qui post XXII. imperij annum Ammuratem filium hæredem reliquit. Is auitam paternãq; felicitatem æmulatus, in Caramanum auum maternũ non minus infestus q; pater fuit: mox ab imperatore Palæologo solicitatus in Bulgaros, fratremq; Peloponnesi principem, qui bellum mouerant, XII. Turcarũ milibus in Europã transportatis, egregiè Bulgaros, hostesq; imperatoris ultus est. hinc Europeis opibus illectus, dum ulciscí imperij hostes simulat, usus Genuensium nauibus, Hellespontũ ad Abydum superat, Callipolimq; cum alijs oppidis occupat. Is fuit annus millesimus CCC. LXIII. nec multo post Seruiã Bulgariãq; ingressus, cum Hadrianopolim prius occupasset, occurrentes sibi cum paratíssimis copijs hostes ingenti cæde profligat, Lazaro Seruiæ principe in acie cæso: sed mox à seruo in domini uindictã Ammurates occiditur, cum annos XXIII. imperium tenuisset, Paiazite et Solimano liberis superstitibus. Paiazites interfecto per insidias fratre, patris mortem ulturus, Marcum Craieuicitũ Bulgarorũ principem prelio superat, & interficit: inde magnam Bulgarię partem sibi subiecit: nec tanto rerum successu quietus, Bosinam, Croatiã, ulteriores q; Illyrici partes uastat. Constantinopolim annos octo obsidet, facileq; obsessam iam tunc expugnasset, nisi Vngarorũ Gallorumq; aduentũ formidans, quibus ad Nicopolim occurrit, memorabili prelio nostros superasset, ceęis captis q; magna ex parte Gallorũ ducib. in primis Iohãne Burgundię duce, & Sigismũdo Vngariæ tunc rege tumultuaria pugna fuso, qui facile in hostis potestatẽ uenisset, nisi Venetę classis occurrsu seruatus è fuga esset, cui tum Thomas Mocenicus, qui postea Michaeli Steno succesit, preerat. inde ad Cõstantinopolitanã obsidionem spei plenus regrediens, cum eam biennio obsessam tenuisset, trepidissimis Tamberlanis Scythæ nuntijs, qui infinita penè multitudine Turcarum

A rum terras inuaserat, excitus, illi ad Stellam montem congredi ẽ, in Galatiæ Bithyniæq; confinio. Cæsa sunt in ea acie Turcarũ ducenta millia. uiuus ipse Paiazites in hostis potestatẽ uenit, qui aureis catenis caueæ uinctus, ad mortem usq; à Tamberlane circumductus est. incidit hæc clades Turcis in annũ millesimũ CCC.XCVII. salutis nostræ, Bonifacio nono põtifice Ro. Huic duo fuere liberi mares, Orchanes, quem alij Calepinũ: & Maometes, quem nostri Moysen magno, uti uideo, errore dicunt. Orchane intra biennĩ per insidias à fratre interfecto, Maometes rem Turcarũ solus occupat. qui Turcia auito regno Asiæ recepto per Tamberlanis interitũ, Bulgaros & Valachos prędis et cladibus afflixit: Adrianopoliq; recepta, regiã ibi sedem statuit. ipso post annos septem & decem mortuo, Ammurates filius regnũ init, Iohanne XXIII. Barionæ sedem tenente. hic maiorũ gloriã nõ solum æquauit, uerumetiã longe superauit. Prima illi expeditio in Mysorũ principem qui nũc Serui dicuntur, fuit, de quibus Scopiã & Nouemontũ post longã obsidionẽ cepit. Duos Reguli filios captos oculis priuat: postea sororem eorũ uxorem sibi ascisc it: restituto q; per has nuptias Nouemonto, in Valachos, Vngaros, & Germanos incursiones graues facit: inde in Epeirũ deflectens, Croiã expugnat. Venetorum arma in se solicitat, Thessalonica his per uim adempta. Interim una ab Vngaris ingenti pugna uictus, inducijsq; ab his decennalib. impetratis, iterũ ab ijsdem Vngaris præter iurisiurãdi fidem Eugenij pontificis hortatu bello petitur: quos duplici prælio ducum nostrorũ discordia & ambitione uicit. in altero ad Varnã Ladislaus rex Polonię, & Iulianus Cardinalis obiere: in altero ad Basilia uictus Hunniades, cæsiq; principes Vngari nõ pauci, præter gregariũ militem, qui ad internecionẽ occubuit. Nec moratus, Peloponnesum fratrũ discordia iniuriæ obnoxiã in ditionem redegit. exinde reputans

B animo regni molestias, & fortunæ inconstantiã animo agitans, in Asiã abijt, solitariã uiã secutus, & Maomethæ filio cura rerum demandata sub Calibasę tutela: quã nõ multo pòst repetere suasus (ætas em̃ filij nõ satis idonea rei administrandæ adhuc uidebat) Epeirũ ingenti exercitu repetit (defecerat enim ferè uniuersa Scanderbecchio autore) & Croia frustra per aliquot menses oppugnata, mœrore animi obijt, cum annos quatuor & XXX. regnasset. Longũ esset, si Maomethis eius filij res gestas explicem: quæ quantæ fuerint, nouũ Othomanicæ familiæ magni cognomentũ ab eo quæsitũ, & in hæredes iam transmissum arguat. Is em̃ duo Christianorũ imperia, Cõstantinopolitanũ, & Trapezuntiũ subuertit: regna duodecim nobis ademit, ducentas urbes Christianam pietatem secutas cepit, & in his Chalcidem insulã armis & Scodram deditione Venetis extorsit: bellũ maritimũ per multos annos cum maioríb. nostris gessit. Capham ponticã urbẽ expugnauit. Rhodon insulã frustra tentauit. Italiæ capto Hydrunte arma intulit: & dum plusq; ciuile bellũ in maiorem filium meditat, cum annũ unum & XXX. præfuisset, obijt anno salutis nostræ M.CCCC.LXXXI. quinto Non. Maij. Quo mortuo res Turcica ciuilibus armis aliquandiu iactata est. Sed minore fratre uicto & fugato, solus imperiũ Paiazites obtinuit: qui Valachię castella quædam cum expugnasset, inde in Sultanum Aegyptiũ copias eduxit, à quo sæpe uicti Turcę tandẽ pacem fœdusq; iniere. Cæterũ cum ocij appetentior à natura uideret, nec tamen persuorum hominũ ferociam feriari à re bellica posset, paratis terra mariq; ingentib. copijs anno M.CCCC.XCII. Cerauniorũ montium accolas inuadit: tractumq; illum liberarũ semper ad eam diem gentiũ Turcicæ seruituti subdit. inde septimo pòst anno terribilis classis apparatu Venetis Methonem, Naupactumq;, mox inde & Dyrrhachium adimit. Quin & in Foroiulienſi agro trepidatum, Turcis fœde terrã eam magno nostrorũ damno uastantibus. Nec multo pòst pax secuta Andreę Griti patritij clarissimi opera, post quã nõ diu superstes Paiazites fuit regno à Selino filio pulsus, qui rerũ nũc potitur, ex quo annos ferme triginta imperitasset.

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS TVRCARVM LIBER I. NICOLAO EVBOIco Saguntino Episcopo autore.

 VRCARVM gens ab annis sexcentis & suprà, à Scythicis (qui trans Tanaim Asiam uersus, nulla stabili sede, nullis urbibus, nullis certis aut perpetuis domicilijs, campos patentes uagè passim q̃ incolere soliti sunt) originẽ traxit, & ueluti riuulus quidã è fonte inde emanasse uidet. Huic argumento esse potest, q̃ primò per Pontum & Cappadociam transgressi, ad reliquas inde finitimas partes sensim ilapsi sunt. Accedit uitæ morum q̃ similitudo, habitus cultus q̃ corporis, equitandi sagittandiq̃ ratio, & omnino rei militaris cõmunis quædam & patria disciplina: & quod sine ulla dubitatione cuiq̃ probari possit, linguæ ipsius ac usus loquẽdi cognatio. Hi parua manu primò latronũ more, clandestinis quibusdã excursionibus, uires sibi uendicare conati, cõfluente subinde, ut fit, huiusce modi generis hominũ multitudine, occupatis opportunis quibusdã mõtibus clausturisq̃, unde per occasionẽ facilè irruptiones fieri possent, usq̃ adeò emerserunt ac sublati sunt animis, ut palàm iam ac pari marte aduersus finitimos de agrorũ possessionibus certare nõ uererentur. Deniq̃ procedente tempore, siue negligentia Græcorum, quorum de re agebatur, siue fatali quadã necessitate ac rerum humanarum uarietate, siue permissu deorum iam aliter de huiusmodi imperio præscribentiũ, ita celeri succreuêre cursu, ut opinione omnium citius nõ modò Pontum & Cappadociam, uerùm etiam Galatiã, Bythyniam, Pamphyliã, Persiã, utramq̃ Phrygiã, Cilices, Cares, & eam Asiam quæ minor uocatur, ad oras usq̃ Ioniæ, & littora Græci nuncupati maris occuparint, & in suam potestatem redegerint: nec unum quendam Principem, sed alios alij duces, & uaria auspicia, quasi per factiones secuti. Ex hac itaque gente quinquagesimum abhinc & centesimum circiter annum, Othomanus quidam exigui tantũ census, & obscuri inter priuatos nominis, ex collectitio quodam & gregario milite, nõ exigua manu propter seditionem cõflata, grassari passim, & quo uastare posset, prædabundus inuadere, neq̃ reliquos Christianos solùm uexare atq̃ prosternere, uerùm etiam homines ipsos suæ gentis sine ullo discrimine armis infestis petere, & quà daretur populari, & sibi subdere occœpit. Iam enim Turcarũ ipsi duces ac principes dominandi cupiditate, & plura habendi libidine cõmoti, sese inuicem infestare cœperunt: & eousq̃ superandi studio ac uires hostiliter exercendi promoti sunt, ut bellum domesticum, intestinumq̃ omnibus uiribus gerere uiderentur. Hanc Othomanus ille nactus occasionem, quæ moribus utiq̃ & libidini suæ congrueret, ac idoneam uideretur posse suppeditare materiam, ascitis undiq̃ omnibus, qui pro ingenio prædæ rapinarumq̃ percupidi essent, quiue studio quouis opprimendi spoliandiq̃ flagrarent, auctoritatem breui adeptus est. Oppida quædam per opportunitatem aggressus, alia ui cæpit, alia deditione subegit, nonnulla (ut metum incuteret) diripuit atq̃ euertit, ut hinc futuri incrementi non admodum aspernanda iecisse uideretur fundamẽta. Et cum è uita decessisset, Orchanes successit filius, qui ambitione & audacia patri non erat absimilis, cæterùm rei militatis disciplina lõgè peritior, copijs apparatuq̃ opulentior & instructior. nam liberalitate animi, facilitate morũ, dexteritate quadã ingenij, felicitate benè, pbeq̃ imperãdi, cõmoditatis opinione, ingentẽ sibi undiq̃ multitudinẽ cõparauit, q̃rũ animos semel ad sequendũ allectos atq̃ conciliatos, populari deinceps facilitate quadã, comitate, cõsuetudine atq̃ largitionibus

nibus mirũ in modũ in officio retinebat. q̃ factũ est, ut rẽ inchoatã à patre suapte ipse industria, diligentia, studio, cura, prudẽtia, cõmodè, pſecutus auxerit, & lõgè euexerit, ac propagarit. Eum mortuũ Amurathes filius secutus est, uir sanè robore animi, laborũ tolerantia, disciplina rei militaris, industria & ambitione superioribus haud inferior. Porrò uafritie quadã & calliditate longè superior: quippe qui simulandi dissimulandiq; egregius esset artifex, & fallendi magister. Fortè ea tempestate inter Græcos ingens erat orta dissensio, & intestinæ acriter agitabant discordiæ. Duo em̃ fuêre, qui tametsi diuersis auctoribus, p̃creati ortiq; essent, uterq; tamen ea stirpe se natũ asserebat, ut ad se ius imperij spectare & sibi cõpetere affirmaret. Horũ utrunq; cęteri pro suo quisque studio & amore secuti, pugnaciter dimicabãt: tum alter q; se uictum superatumq; iri arbitrarẽt, temeritati & studio suo obsecutus (adeò enim mulciscendi libidine cæcus, in præceps transuersusq; uisus est agitari, ut honesténe et ex re sua, an secus id faceret, minimè cogitaret) Amurathem ad partes suas tutandas, precio pollicitationeq; facilè illectũ ex Asia accersiuit. neq; enim magni fuit negotij ei persuadere, qui sponte sua ad hoc, p̃nior iam diu inhiaret, totoq; pectore, p̃pendêret. Hunc itaq; & copias eius maturè in Thraciam per Hellespontũ traduxit ea cõditione, ut cõsummato perfectoq; bello, nauigio rursus domũ per Hellespontũ reuerteretẽ: hoc pacto Turcarũ gens Amurathe principe, Græcorũ ductu & opera in Thraciã ex Asia tum armis traiecit: sed quid sibi posset cõducere, animo uoluere, sagaciterq; longè prospicere, cõsulto bellum protrahere, & in dies causando differre & p̃crastinare cœpit: ratus hinc fore, ut Grecorũ uirib. diuturnitate belli, & discordiarũ atrocitate utrinq; consumptis eneruatis'que, ipse integer fractos iam & defessos illos adortus, facilè opprimeret. Vbi igitur diuturno bello mutuisq; contentionib. deficere Græcos animaduertit, domesticis deniq; opibus penitus iam exhaustis nutare, & sibi parum subsistere sensit, extemplò uersis (ut aiũt) proris, arma in eos sine ullo discrimine per occasionem cõuertit. Occupato autem Calliopoli oppido, peropportunè in Chersoneso ad Hellespontũ fretum sita, cætera Græca oppida armis infestis petere, agros uastare, prædã agere, cuncta passim inuadere, nec iam amplius dissimulanter rem gerere, sed galeàm sibi & posteris Græcorũ imperiũ polliceri, & ad occupandũ omnes cogitationes, cõsilia, opes, & neruos intẽdere. Hinc effectũ est, ut nullis fermè obsistere audentib. facilè & sine ullo negocio magnam Thraciæ partẽ ditioni suæ subiecerit. Is uita defunctus, duos reliquit filios ad capessendam rerũ administrationẽ, patrię q; expeditionis reliquias exequẽdas, tum ętate, tũ disciplina & ingenio peridoneos: quorũ alteri Solmanus, alteri Baiazetes nomen erat. At Solmano extincto, res uniuersa ad Baiazetẽ uenit, qui procaci fuit ingenio, & rerum maximarũ percupidus. in rebus arduis capessendis audax, in aduersis solers, in laborib. perferendis infatigabilis, in occasionibus prospiciendis acutus &, sagax, in exequendis celer, animo fortis, corpore strennus, bellia appetens, quietis impatiens, gloriæ auidus, in periculis obeundis promptus, in hostib. fallendis mirè uersutus, in dolis instruendis & hoste insidijs opprimendo percallidus: cõtrà in hisce præsagiendis euitandisq;, ac hostiũ consilijs præuertendis cautus ac prouidus. In omni renouanda præsentia animi, laborũ tolerantia, usu, exercitatione, cõsilio mirificè instructus, atq; imperio natus: hoc ingenio, hac disciplina, hoc usu, his moribus, prosperos præterea fortunę afflatus adeptus, usq; adeò nouelli regni fines breui temporis spacio produxit & extulit, ut Thraciã uniuersam, Thessaliam, Macedoniã, Phociden, Bœotiam, Atticam occupauerit, & sui iuris fecerit: Mysios quoq;, Illyricos, Tryballos, assiduis excursionibus, oppugnationibus, ac prælijs deiecerit atq; infirmarit: & alios quidem subegerit, alijs tributa quotannis exigenda indixerit: nonnullos, ut ad præscri

ptum milites & arma darent, coegerit: & tot tãtas q̃ opulentas prouincias patrio & auito regno adiecerit. Byzantium deniq̃ urbem regiam adeò omni agro suburbanis q̃ delicijs spoliauit, tam lõga & perdifficili obsidione uexauit, ut iam Imperator ipse cum omnib. fermè ciuitatis principibus auxilia fidelium emendicaturus, profectus peregrè in Italiã, etusq̃ in superiorem Galliam accesserit. Reliqui uerò ciues omni præsidio destituti, fame ualida supra modũ urgente, & bello atrocissimo indies acrius ingruente, & hostib. undiq̃ frementibus, desperata salute, de deditione agere cœperunt: perissentq̃ nimirum, ac in hostis sæuissimi potestatem ueniissent, ni Tamerlanus ille Scytharũ præpotens rex, instar torrentis ipso in cursu ac impetu cuncta prosternendo atq̃ uastando, Baiazetem ipsum omni apparatu & copijs occurrere & reluctari conantem, in Asiam reuocasset: ubi instructa acie, collatis signis, celeberrima illa pugna utrinq̃ fortiter dimicatũ est. At Baiazetes ipse impar profectò uiribus, etsi animus minus deerat, infeliciter præliatus est: ingenti strage superatus, captus, tandẽ dimissus, paulo pòst diem obijt. Post hanc cladem acceptã omnes penè filij eius, qui complures erant, in potestatem & manus Græcorũ uenêre. Cum enim ex Asia ob calamitatẽ patris, periculũ euasuri, in Thraciã trajicere cõtenderent, in naues Græcorũ inciderunt, quibus tum fretum et transitum custodiebant. Calepinus itaq̃ cæteris natu maior, emissus à Græcis, patrium regnũ obtinuit. aduersus quem, rebus iam Turcarũ cassatis ac penè fractis, Sigismundus, inclytus eo tempore Pannoniæ superioris rex, post uerò diademate & corona pro more à Pontifice maximo insignitus Imperator, ingenti conflato exercitu, Danubiũ amnem traiecit. Verùm priusquàm uniuersis copijs, instructa ex ordine acie, signis collatis cum hoste iam pauitante prælium iniret, leuitate petulantia q̃ Gallorum, & præripiendæ pugnæ insolenti cupiditate, tumultuose fusus, castra & impedimẽta reliquit: & hostib. acriter insequentibus, in fugã cõuersus, uix per Danubiũ lachrymãda rei Chrstianæ calamitate paruo nauigio turpem sibi salutẽ inuenit. Hæc tam ingens clades, tam grandis nota, tã tetra ignominia, magnas profectò uires & ingẽs robur hostiũ animis uisa est addidisse: & hinc instauratis uiribus, audaciores efficaciores q̃ effecti, ad maiora patranda induxerũt animũ. Calepino post hęc mortuo, Orchane filio tenella ætate adolescentulo quorundã principũ ductu, regnum occupare conanti, Moyses patruus, armis infestis ad Hebrũ fluuiũ occurrit: & magis, pditione q̃ pugna adolescentẽ oppressum extinxit. Haud multo pòst & ipse, nullo superstite filio, desideratus est. Hunc Mahumetes frater subsequit, regnũ incruentè adeptus. Is tũ armis & diligentia, tum dolo & astu regnũ terra mariq̃ nõ modò incolume tenuit, uerùm etiã auxit uehementer. Flaccijs ferocissimis & bellicosissimis gentib. trãs Danubiũ, uersus mare Euxinũ latè dominantibus, bello prius & crebris incursionib. labefactatis atq̃ attritis, tributa grauia imperauit: nõnullos regulos Turcos, in Asia ui armis q̃ oppressos regnis penitùs spoliauit. Eo exinde mortuo, Amurathem filiũ, qui per id tempus in Asia morabat, cum patris audita morte per Hellespontũ in Thraciã trajicere conaret, reliquũ regnum occupaturus, Imperator Græcorũ triremib. & maritimo apparatu diu prohibuit. Mustaphã q̃q̃ reliquũ ex Baiazete filiũ, ut eorum potiret, emisit, & summa ope eum, pfecutus est. At pugna superato Mustapha, ac interempto, Amurathes uictor, uniuersum regnũ iam cõsecutus, patrijs fretus opibus, fortuna quoq̃ propicia usus, omnia incepta eius mirificè secundante, clara facinora edidit. Thessalonicã illustrẽ Græcię ciuitatẽ, antiqtate, amplitudine, autoritate, pulchritudine, amęnitate, religione, opib. opportunitate situs tũ terra, tũ mari, celebritate populi, pręstãtia, dignitate q̃ ciuiũ in primis insignẽ, ui captã, oppugnatã q̃ penitus diripuit. Tẽpla pulcherrima & ditissima expilauit, sacra, pfanauit, opes ornamenta q̃ peranti

qua

qua exhausit. Hac tantæ urbis uictoria auctus, Epirũ & Aetoliam nõ obscuras prouincias in deditionem suã redegit, & reliquo regno addidit. Illyriorũ agros uastauit, oppida multa ui cæpit & expugnauit, alia in deditionem cõpulit, quæ dã funditus euertit, Triballos penè subegit: aduersus Pãnonios (quos nostra ætate Hungaros uocãt) sæpe acie instructa cõflixit: & dum primis copiarum cõgressib. facilè uictus ipse uideret & fusus, quo pacto nescio uictor demùm euadere poterat in calamitosa illa Varnensi pugna, rege inclyto Ladislao Christianũ ducente exercitũ. fusæ prius fugato Amurathe sunt copiæ, ne primũ quidem Hungarorũ impetũ sustinere potuerunt: ubi uerò rex ipse castra & Amurathis iam exercitũ non regno modò, sed uitæ quoq; ipsi timentem optimatũ ac procerũ agmen mouens, utpote uictor, intrudere, penitusq; opprimere perrexit, damno sui capitis & Christianę rei ingenti iactura & uulnere, manu ipse hostili oppressus & interemptus est. Victis iam debellatisq; hostibus, neq; sibi ullã futurã salutem sperantibus, improuisam & illustrẽ uictoriam præbuit. Paulo pòst Amurathes Corinthiacum Isthmũ summa ui penitus expugnauit & diruit. Peloponnesum inde ingressus, ingentẽ ac detestabilem calamitatẽ Gręcis inuexit, oppida multa cępit, cõcessitq; militi diripienda, prædã maximã egit: muros Isthmi funditus demolitus, ingressum patefecit, & Peloponesum ipsam peninsulã terrestrib. copijs illac inuadendã peruiã fecit: proinde Græcis uix tolerandã pecuniã imperauit, pacisq; cõditiones illis ex sententia præscripsit: demũ inde reuersus, nauales copias & maritimos apparatus exauxit, domesticũ cultũ, et regiã supellectilẽ ampliorẽ latioremq; reddidit: uita denicq; defunctus, subditis atq; genti pertriste sui desideriũ reliquit. Mahumetus subinde filius, qui in præsentia rerũ potitur, gubernacula imperij ex uoto adeptus, instituta totius regni pro ingenio correxit. Leges ipse suas domi foris q; attulit, ærariũ locupletauit, noua uectigalia excogitauit, copias auxit. In proceres & aulicos sęuire cõtumeliariq; cœpit, expeditionẽ aduersus Constantinopolin diu animo uoluens, castellũ iuxta litus ad ostiũ Bosphori paulo ab urbe remotius, aliud simulans, incredibili celeritate extruxit, atq; muniuit. Bellum inde urbi nõ indixit, sed contra inita fœdera, contra iusiurandum, simul atq; intulit & gerere cœpit. Innumeris demùm penè coactis undiq; copijs, mirabili apparatu, formidoloso animi impetu, terra mariq; aggressus eam cuniculis, ac latentibus fossis altissimè actis, aggere latè edito, ponte (quia mare uersus Peram oppidum muros alluit urbis) longitudine ad duo millia passuum raptim extructo, turribus ligneis, eò usq; erectis, ut muros urbis qui altissimi erant, excederent: machinarum tormentorumq; multiplici adhibito genere, pòst quartũ & quinquagesimũ diem summa ui et extrema pugna cepit, penitusq; diripuit. Imperatore ipso ingressu hostiũ consosso atq; extincto, principes optimatesq; captos crudelis & sanguinarius carnifex fœdè miserecq; iugulari iussit. Quis satis pro dignitate tantæ urbis casum, tantopere deflendam calamitatẽ, tot tantaq; ab hoste rabido in sacra atq; profana, in uiros ac mulieres per immanitatem ac scelus passim patrata facinora uel memorare uerbis, uel lachrymis prosequi, uel oratione cõplecti quęat. Peram subinde illustre è regione urbis oppositæ situm oppidũ opulentissimũ, & Claram Ianuensiũ coloniam, tantæ urbis clade, tam improuisa calamitate, tam uicino excidio, territam & dejectam per deditionem cæpit: eius q; demolitus pulcherrimos muros, templa spoliari, sancta uiolari, reliquũ ornamentum ciuitati adimi, ciues alioq; tetrè et indignè uexari permisit. Quibus ad hãc diem, pròh scelus, nequiter ac nefariè dominatur. hac felicitate, hoc prospero rerum cursu uehementer elatus, magna aduersus Christianos moliri uidetur, magna uersare animo, formidãda minari, nefanda appetere, permagna denicq; sibi & genti suæ pmittere nõ uerebitur, suæq; audacię & impotenti cupiditati,

nisi

nisi Christiani nostri peculiari et domestica grauitate, autoritate illustri, singu
lari prudentia, freti, armis, cõsilio, opibus, terra mariq; præpropere occurrere
animum induxerint, uehementer utiq; dubitandum est, & rebus (horret ani
mus dicere) timendũ summopere. Quid enim per immortalem Deum nõ as
sequet dominandi libidine, & ambitione inflatus iuuenis gloriæ & nouarũ
rerum percupidus animus, fortuna, armis, opibus domesticis, & quidem nõ
facilè cõtemnendis fretus, si ignauos insuper, si inertes, sopori & desidię dedi
tos, si saluti suæ minus, pspicientes hostes offenderit? Quid enim non fuerit fa
cilè aggredi, & sine magno negocio uincere, penitusq; opprimere, nemine re
pugnante? Sed de his hactenus. neq; enim de istis mihi differendũ proposui,
& satis superq; iam à pleris q; grauiter & prudenter oratũ est. Quotidie enim
hac de re pulcherrima uerba fiunt, quibus uel qui natura hebetes & languidi
sunt, excitari protinus debeant, & ad arma præcipites haud iniuria procurre
re. Verùm iam nõ uerborũ egemus, nec oratione amplius, sed facto opus est.
Quid enim attinet in uerbis aptè struẽdis, & expolienda oratione tempus ne
quicquam consumere, ubi res ipsa acriter urgere uidetur, ubi circũstrepentia
hostis arma adeò instãt, ut stimulos nobis injcere & faces quodammodo ad
mouere debeant: quibus uehementissimè lacessitis, exurgere animis ad ope
ram nauandã, ad arma capienda, ad uires exercendas, opes effundendas, uitam
deniq; ipsam fortiter exponendam & quibusuis periculis obiectandam de
beremus: ubi uidelicet ceruicib. impendens calamitas, argutius garrire, diu
tius agere, uerbis indulgentius insistere, non permittit: ubi hostis ipsius acer
rimum studium, assidua meditatio, uehemens q; cupiditas, magis indies ad
uersus nos molientis, excogitantis, struentis, fabricantis, periculi futuri nos
commonefacere, & sopore alto q; somno pressos expergefacere posset, nisi uec
cordes prorsus aut stolidi simus, & insania penitùs atraq; bile laboremus. Dij
talem pestem auertite terris. Equidem Pater reuerendissime, ut tibi obseque
rer, & uoluntati tuæ gererem morẽ, ut tuis tandem mandatis obtemperarem,
mearum partium munus exile quidem, incõptum ac tenue fateor, & te tuis q;
auribus parum dignũ, libenter tamen atq; impigrè sum executus. Hinc itaq;
facilè percipi potest, q; celeri cursu, quàm breui rerum curriculo execranda et
barbara ista gens, Otthomano principe obscuris peregrinisq; exorta primor
dijs, quorsum tandem euaserit, quot quantasq; res apprehenderit, quos teneat
occupetq;, quibus indignè ac spurcissimè dominetur, quibus immineat, quò
iam ire, quò se insinuare impudentissimè pergat. Verùm si ab Othomano do
mus huius auctore incipere uis, his omissis q nullo hærede superstite, decesse
re, reliquos ordine recensendo Orchanẽ inuenies secundũ, Amurathẽ maio
rem, tertium: Baiazetem, quartum: Mahumetum superiorem, quintũ: Amu
rathem minorem, sextum: & Mahumetum hunc postremũ, septimum: qui u
tinam & postremus & ultimus sit omnium, néue pestis hæc ulterius serpere,
néue tetra colluuione aut lue reliquias decoris ac pulchritudinis Christianæ
fœdare ac inquinare possit. Qui utinam cruce triumphali, uiribus fidelium ac
uirtute oppressus prosternatur & extinguatur, & ut horrendum monstrum de
testandum & exitiale prodigium Christi nostri Saluatoris & Dei ueri
insuperabili auxilio tollatur funditus, & radicitus extir
petur. Vale ex Neapoli, 20. Iul.
An. 1476.

DE

RERVM TVRCICARVM LIBER SECVNDVS,

Ioanne Ramo autore.

VIVO adhuc patre Amurathe, qui se ingraueſcente ætate quieti & religionibus dediderat, Mahumetus nondũ uicesimum annum egressus, in regno collocat: cuius omnes magistratus, præfecturas, procurationes, munerũ functiones, in quibus erat aliquid cõmodi aut dignitatis, nouis hominibus demandauit: & quod ei maximo malo extitit, ueteranis militibus ductoribusq; ordinum exauctoratis, omnes ubiq; suo beneficio dignitates teneri uoluit: quanquam alias funestissima sibi regni exordia constituerit, eodem penè momento quo pater expirabat, fratre in cunis interfecto, regium id esse dictitans. Quod factum cum mater ira & dolore exacerbata reprehenderet, ille se maiorũ suorum morem et deorum exemplũ secutum respondit, quorũ fastigio id maximè uisum esset cõuenire, ut nõ plures, sed singuli regnarent: ideoq; se æmuli impatientẽ fratrem sustulisse, & regnum magno discordiarum metu liberasse. Quo sanguine polluto ad Athenas ueteris philosophiæ disciplinarumq; omniũ scholam abolendam festinauit: in quam literarũ odio tam impotẽter grassatus est, ut ne fundamenta quidẽ impunè ferre debere existimauerit, q; honestis disciplinis ministerium fecissent: quæ undiq; euerti deformariq; præcepit, monumentis omnibus, si qua reperissent, in cloacas & id genus loca fœdissima coniectis: ut interea taceam, q; turpibus cõmercijs, quamq; nefandis libidinib. castissimã illam Musarũ officinam uiolauerit, q; diris supplicijs honestissimos quosq; & optimos ciuium affecerit, quos tantę ciuitatis casum miserari intellexerat. Posthæc ad Constantinopolim (quam alij Byzantium uocant) expugnandã omnes uires sibi conferendas ratus, ex omnib. undiq; terris regias legiones adesse iubet: ac insuper in agris delectu egentium & perditorũ habito, breui tempore ad trecenta hominum millia coegit: quibus copijs in Thraciã profectus, ad Byzantiũ prius castra collocauit, q; quid ab hostib. ageret oppidani cognoscerent, eo q bellum apertè nõ indixerat: quam uis à longè sagacioribus quibusdam hæc suboleuissent, qui omnem casum in quem incidere res poterat, animo prospicientes, alij alio concesserant. Constantinus aũt Imperator, ne scio an fato, an negligentia minus rebus suis consulens, paucis Genuensium & Venetorum auxilijs, & loci fiducia contentus, hostem diebus plus minus quinquaginta sustinuit ex urbe natura & situ munitissima, quæq; ad ducendũ bellum multas & magnas habere uidebatur opportunitates, utpote quæ hinc mari, illinc uallo fossaq; profundissima ad arcendũ oppugnatorẽ satis superque esset custodita. Mahumetus aũt rebus omnibus ad tantæ urbis obsidionem necessarijs procuratis, ingẽtes ante urbem, qua intermissa à mari habet accessum, machinas & aggeres tanta altitudine constituit, ut longè supra muros ciuitatis eminerent, unde facile sterni propugnacula & munitiones possent. Quod cũ fieri ab hostib. cœptũ esset, & iam lati deiectis muris introitus paterent, nec nõ calones repletis fossis ascensoribus planiciem strauissent, constanter utrinq; hinc oppugnatur, illinc defendit ciuitas. nihil alterutra ex parte omittitur, neq; cõsilij, neque industriæ, neq; audaciæ. trahitur per dies (ut antè diximus) aliquot oppugnatio, donec nocturnis ignibus cœlitus in obsessam ciuitatẽ prolapsis, rursumq; paulo pòst unde uenerant reuolantib. Turca admoneret, destitutã esse superũ auxilio ciuitatem, & nõ dubiã penes ipsum uictoriam, si obsidionem urgeret, futuram. Ideoq; cœlestem hanc ignium significationem secutus maiore ui, quàm antea nunquam, oppidanos adoritur. Cæsar cõtrà se suosq;, quoad Fortuna nõ inuidit, tutatus est: à qua cum deseri se intellexit, & perire omnino mallet, q; uiuus in hostiũ potestatem incidere, abiecto paludamento, regijsque insignibus, inter gregarios pugnans interfectus est.

ctus est. quem cum sui occubuisse non ignorarent, aliis alia uia salutẽ quęrentibus, nullo ferè nisi qui cum rege hostib. se obtulerant resistente, urbs quarto & quinquagesimo die, à quo die primũ hostes eam obsessum uenerãt, omnib. passim arma ferentib. trucidatis, occupat: capta nobilitate & senatu, pueris q̃, matronis ac uirginibus, in quibus aliquę libidinũ illecebrę apparebãt, ad fœdissima cõmercia reseruatis. omnes captæ urbis angulos, aut Christiano sanguine funestos, aut turpissimarũ uoluptatũ libidine detestabiles fecerant. Et quotquot naturę reuerentia ab obsequio tantorũ scelerũ abhorrere uidebant, mox pro cuiusq̃ arbitrio, quibus permissu Mahumeti toto triduo nihil in ea ciuitate illicitũ erat, supplicijs afficiebant. Iugulabant alios, alios uerubus affixos torrebant, quosdã detracta cute exuuijs de humero suspẽsis, fame & inedia cõsumi patiebant. nonnullorũ uulnera saliebant, ut diutissimè cruciatib. torquerent. In summa, quisq̃ cõtra alterũ alijs atq̃ alijs tormentorũ generib. excogitatis contendebat, in quibus cõmemorandis multo prius q̃ argumentum uires & uerba etiam eloquentissimo deficiant: tam crudelibus omnia supplicijs impleuerãt, ut tota urbs nõ sedes imperij (ut antè) sed unum quasi Christianorum macellũ & carnificina uideret. Dumq̃ hæc aguntur, & hostes cadauera ex ciuitate ejcerent, inuentum & agnitũ inter cætera Cõstantini corpus, cuius caput Mahumetus iussit ut per uniuersam ciuitatem in hasta circumferretur, militumq̃ conuicijs incessendum, deridendũ, & cœno oblimandum præberet. Et ut paulatim numerus captiuorũ q̃ maximus erat minueret, nunquam à mensa discedebat, quin sanguine iuxtà ac uino ebrius nobiliũ aliquot uirorũ supplicijs æstuantem furore animũ expleuisset. quod tam diu ut fieret præcepit, donec aliquis ex nobilitũ captiuorũ numero superesset. Erant autem (ut quidam mihi retulerunt, qui se id à maioribus accepisse dictitabant) plures q̃ trecenti, in quos (ita ut dixi) certo numero quotidie animaduertebat. Cæteros gregarijs militibus concesserat, ut in eos quisq̃ quibus uellet contumelijs & supplicijs grassaret. Cumq̃ apud ciues pecuniæ atq̃ opum minus q̃ sperauerat inuenisset, suspicatus id quod erat, abditos à potentioribus thesauros, & defossam in terra preciosissimarũ rerum supellectilem esse: quare omnibus ubiq̃ locis aperiri terrã & ædificiorũ fundamenta examinari iussit. Vnde cum incredibiles diuitias eruisset, potuit ne, inquit, hic locus unq̃ sine præsidio aut custodibus esse, qui tot opibus & rerũ omnium copia abundaret? Sed ne rem omniũ indignissimam & Christianis aurib. teterrimã prętermittã, templũ Sophię augustissimũ, Iustiniani Cęsaris monumentũ, omni sacra supellectile spoliauit, & Christi crucifixi imaginem, addito in fronte titulo, Hic est Christianorũ Deus, militũ suorum conuicijs obiecit: & per pręconem præeunte tympano, exercitui conspuendã, omniq̃ contumeliarũ genere afficiendã, ppinauit. Quæ iniuria cum in auctorẽ nostræ ꝓfessionis atq̃ adeò totius orbis conditorem dirigatur, uideãt quęso Christiani principes an nõ eam pro sua ducere, et uelut ad se pertinentem suscipere cõueniat? Sed hęc aliàs, ne à ꝓposito abducamur. Est oppidũ quoddã angusto tantũ maris sinu, qui portũ in medio utriq̃ ciuitati efficit, à Cõstantinopoli diuisum, cui Perę nomen est. Quò cum fama perlatũ est, captã esse imperij arcem, & micantem incendio ciuitatem eminus cõspexissent, primores illicò ad Mahumetum legatos mittunt, qui doceant, neq̃ à se auxilia Byzantijs missa, neq̃ se infestos peregrino exercitui fecisse: quare petunt atq̃ orant, ut se in deditionem recipiat, & ut sibi parcat, ne communi eius regionis odio nocentes cum innocentibus pœnas pendant. Mahumetus etsi non ignoraret timore perculsos ad deditionem uenire, & nocituros, si potuissent, fuisse: legatorum supplicationem, ut tum uidebat, recepit. Verùm cum ab eis intra mœnia missus à Mahumeto legatus introduceret, exercitum subsequi, & unà secum introire ciuitatem

A tem uoluit. quod etsi suspectum esset ciuibus, nihil tamen ausi contrà hiscere, permiserunt. Quo facto, suis indicium dedit, ut mandata exequerẽtur: tũ uno omnes impetu aliàs ad mœnia, aliàs ad interiora ciuitatis, uolant, muros deijciũt, sacra & profana omnia diripiũt, eadẽq; qua Byzantij libidinũ intemperantia grassantur, præterq; q; à cædibus abstinẽt. Mox etiã eodẽ die per literas Mahumeti iussus est nulli parcere, & ad unũ omnes quotquot essent interficere, quod cũ ei, quia se dedidissent, atrocius uideret, paululũ modò donec adueſperascet cunctatus est, interea ad se reuersus Mahumetus (quem ebrietas à iudicio & ratione abduxerat) secũdis literis priores reuocat, ueritus potius ne quã ea res infamiã sibi apud posteros cõciliaret, q; innocentissimorũ ciuiũ miſertus, qui omnia potius q; misericordiã didicerat. Quibus uictorijs ut omnẽ maiorum suorum gloriam obscurauit: ita quoq; ferocior animosiorq; factus, indignũ fore credidit si ibi cõsisteret. Ideoq; ulterius progressus, Belgradum exercitu quadringentorum millium aggrediẽ. Contra quem Hunniades copijs quidem nõ cõtemnendis, at præ Turcarũ multitudine exiguis uenit, et nescio quo fortunæ successu etiam uicit: fortè quia melius disciplina rei militaris inter paucos, q; in tanta multitudine, custodita est: utcunq; sit, sic saltem accidit ut uinceret, & Mahumetũ sub dextro brachio bombarda ictũ, cum omnibus suis copijs in fugã cogeret, magnãq; fugiẽtib. à nouissimo agmine stragẽ inferret, quo prælio (ut postea ex captiuis rescitũ est) cũ postridie suos Turca recenseret, plusquam quadraginta millia desiderati sunt. Impedimẽta quoq; omnia, quorũ necesse erat pro tanto exercitu maximũ esse numerũ, nostri ut in castris depositi erãt retinuerũt, hostibus fugæ studio omnia deserentibus. Cuius calamitatis uindictam in aliud tẽpus reseruans, contra Persas proficiscitẽ. cũ quibus ad Euphratẽ cõflixit, primũ 10. millibus amissis superatus est: deinde ab ijs
B dem secundo prælio uictor reuertitẽ. Nec multo pòst Corinthũ & Mitylenem Græcis ademit. & Trapezuntino subacto imperio, illius sedis regem cũ tota nobilitate Constantinopolin, ut de eis suppliciũ sumereẽ, trãsmisit, ne in posterũ ulla recuperandi dominatus libidine inflãmati, nouis eũ difficultatibus & molestijs implicarẽt. Et ne quid in eo tractu esset quod sibi armis non subdidisset, & Mœsia ferè sola supereſſet, quę omnes omnium propinquorũ affinitates recusaret potius, quàm ultrò (quod plerique fecerant) deditũ se Turcarũ tyranno ueniret. Quã ob causam Mahumetus ut de illis sine sanguine trium pharet, Principem eius gentis ad se euocari iubet, uelle se cũ eo de rebus quæ ad utriusq; salutem pertinerent, cõmunicare. Quod cũ ei Mœsiæ rex sine pudore recusare non posset, uenit tanquã de cõmunibus cũ eo negotijs acturus. Mahumetus autem cum rem eò quò uolebat perduxisset, comprehensum illi eo regem immanissimis supplicijs affectũ lacerauit: & Mœsiam inuolans, in omnes propinquos eius et affines eodẽ ferè pacto desæuijt. Sic per fraudem occupata Mœsia, rursus q; in alterũ cõtinentem transiliens, Epirũ & uicina in ambitu loca omnia (quę paulo antè in pristinam libertatem sese asseruerãt) cędibus & rapinis impleuisset, nisi Georgij Schanderbechi auxilio defensa, cuius uirtutem & fortunã Turcæ inprimis metuebãt, infestũ hostẽ tergiuersari coegissent. Inde cõparata classe, ad Isthmũ Corinthiacã perrũpendam proficiscitẽ, quam Veneti paulo antè magna celeritate & incredibili sumptu cõmuniuerant, sed frustrà. nam ea expugnata, totã uno quodãmodo spiritu Peloponesum absorpsit. & ex Attica strato põte in Euboiã cũ exercitu trãsmisit. Calchidẽq; firmissimã eo tẽpore Gręcorũ ciuitatẽ diebus 30. obsessam maxima suorum clade superauit. Memorabile est q; in hac ciuitate masculi animi mulieres cũ deficere militũ suorũ uires & inclinare spem salutis percepissẽt, armatæ in mœnib. constiterunt, & uires nihilo perturbatiores hostẽ, quãdiu fortuna nõ inuidit, remoratę sunt. Cũ Hũgaris post hæc uario sæpe euẽtu & instabili

fortuna dimicauit:uariísq; in Stiriam, Dalmatiam & Forumiulium factis incursionib. maximas sæpe hominũ pecorũq; prędas egit. Persas quoq;, ut aliàs sępe, ita eo prędio quo secundùm eos aggressus est, maximis cladibus afflixit. unde cum rectà cursum in Italiã dirigere, ibiq; bellũ facere constituisset, noua (ut fit) Venetorũ cũ Hũgaris societate deterritus, consiliũ mutauit: & per Dalmatiã uolentib. in interiora Græciæ irrũpere, omnibus copiis occurrit. Inq; ipso cursu Capham Genuensiũ coloniã ciuiũ proditione in fidẽ recepit: et Scodrã in Albania tam importuna obsidione fatigauit, & omni cõmeatu interclusit, ut legatos ad eũ ultrò de deditione mitterent. Legionibusq; aliquot Omario duce contra Hungaros missis, ipse ad mare proficiscitur, quod omnibus itinerib. Venetis infestũ reddit: ratus fore ut eo incõmodo cõpulsi ab Hũgarorum societate discederẽt. neq; hæc eũ fefellit opinio. Nã cũ Veneti difficultate nauigationis maximo se affici detrimẽto uiderẽt, ingenti pecunia nauigãdi securitatẽ redemerũt. Post hęc Turca ut remotius se Italię insinuaret, Acomathũ misit, qui Hydruntũ seu arte seu uiribus expugnatũ sibi redderet, omnibq; quos in ciuitate reperisset trucidatis. qui dicto audiens, Hydruntũ expugnat: nemini parcit, armato inermiue. Mahumetus interea Leucadiã, Neritum, Cephaleniam, Zacynthũ insulas celeberrimas superiorib. uictoriis addidit. Et Rhodũ, de qua postremũ triumphare constituerat, frustra trimestri obsidione fatigauit. quę res cum animũ eius uehementer ureret, nec ferre posset tot editas ab se & tantarũ ciuitatum regnorumq; uictorias, tam fœdè unius insulæ pertinacia cõtaminari, morbo correptus expirauit. Princeps certè nulli maiorũ suorum fortunæ splendore & rerũ gestarũ magnitudine inferior, cuiq; Christiani nominis delẽdi maior cupiditas affuerit, adeò ut præ illa solicitudine Oriẽtales etiam & Persicas iniurias haud difficulter contẽneret. Omnium primus Turcarũ Imperator appellatus est, utpote qui pręter regna duodecim et ducentas ciuitates, quas maiorum suorum opibus adiecerat, duo insuper Christianorũ per Orientem Imperia, Cõstantinopolitanũ & Trapezuntinũ armis subiugasset. Hunc Baiazetes secutus est, cuius uario in imperio fortuna fuit: et ante omnia q; ad externas res gerẽdas conferre animum & uires posset, prius ei priuatæ dissensiones quas cũ Zizimo fratre de imperio habebat, explicandæ uidebanẽ. quas quia cõmodissimè historiatũ lib. 10. Paulus Aemilius tractauit, uisum fuit ex eo ad uerbum huc transferre.

Byzantij, inquit, morte Mahumetis tumultuatum est, ac in partes cõtrarias itum. alij Baiazetem stirpis maximum, patre nondum Imperatore, alij Zizimum iura dante natũ, ad Imperiũ uocabant. Pater procul trans Taurum decesserat, & uterq; filiorũ aberat. Interea Baiazetani, aduersarijs pulsis, Baiazetis filium in regia sede locant uice patris tantisper functurũ: qui re allata cõtinuò aduolauit. Imperator salutatus, fratrem ad Prusiam Bithyniæ cruento prędio uictũ insecutus, procul eijcit: pulsus, in Syriã, atq; inde per Arabiæ deserta in Aegyptũ se contulit, fidẽ Sultani implorans. Nõ bellò, sed legatione agebat Aegyptius: nõ ut uniuersi imperij æqua parte consors minor à maiore recipe retur, sed ut eodẽ patre, pcreatus, prouincia sedeq; aliqua digna paterni nominis maiestate donaretẽ. Ferox erat minor, ac patri ingentis spiritus Imperatori q; fratri indole similior: quiq; de uniuerso imperio fortunam semel expertus, si in partẽ reciperet, mox uel parẽ dedignaturus, uel superiorẽ nõ laturus uidere tur. Qui circũcolũt satrapias Turcarũ reges, à Mahumete magna parte regnorũ spoliati, hi fraterno bello læti Zizimũ ad se uocãt, à se ingentia auxilia polliceri: & spes iniecta, aliquos fratris satrapas ad eũ defecturos. Vbi uerò in Syriã rediit, & Amanũ mõtem superauit, ac multo spe minora à socijs regibus auxilia cõuenerant, nec fratrẽ in æquũ certamẽ descendere uidet, nec ad se aliquã transitionem fieri, sed loca circà occupari, ut ne fugæ quidẽ locus pateret,

antea

antequam omni parte circumuentus intercluderetur, in maritima Cilicię descendit: fideq; publica à Rhodijs accepta, ad illos transmisit. Soluens antequã altũ teneret, lagittã epistola alligata in proximũ litus misit ad fratrem, se eius coactu, non cõtemptu gẽtilis religionis ad unicã quã sibi reliquã fecisset opẽ Christianos trãsire. Rhodij honorificẽtissimè exceptũ in Franciã transuexere. Hactenus ille. A Gallis ad Innocentiũ Pontificem Romanũ uenit, & rursus ab hoc ad Fridericũ tertiũ, apud quẽ aliquandiu bene liberaliterq; habitus, & tutissimo hospitij iure usus, fato concedit. Baiazetes interea opes quas pater ei decedens reliquerat, haud pari dignitate et amplitudine, qua à Mahumeto acceperat, ad successores transmisit: quod ijs plerunq; accidere solet, qui in locũ multarũ uictoriarũ inuidia grauatũ succedũt, quẽ uictoris auctoritas & metus dum uixit in pace cõtinuit. at cum is uita defunctus est, illicò erumpit odiũ, & inassuetũ imperio successorẽ, uno omnes tumultu uictę gẽtes aggrediũt, quas si cõpescere armis et cõtinere nequeat, illę se ilico in pristinã libertatẽ recipiũt. Sic Neapolitani Hydruntũ, sic Scanderbegus Epirũ, & Aetoliam: sic Veneti Aeginam, Zacynthũ, Leucadem, Neritũ, Cephaleniã, & Naupliũ: sic denique Hungari superiorem Mœsiã ante annos aliquot Turcicis incursionibus desolatã recuperarũt: & eo amplius Sabatro (quod Mahumetus cõtra subitos uicinorũ omniũ motus cõmuniuerat) expugnato, securũ sibi regnũ et omni ferè Turcico metu uacuũ effecerunt. Post quas iniurias Baiazetes primùm se contra Hungaros uindicandũ ratus, Valachiã aggreditur, quòd eam sibi ad irritandos Pannonios opportunã fore animaduerteret: quam cum expugnasset, relicto ibi præsidio, & assignatis urbibus, unde exercitui de re frumentaria prouideretur, annis aliquot respirans, ne assiduis bellis intentus citò deficeret, tandem Epirũ infestis copijs inuadit. cuius aliqua parte superata, maximis itineribus Cadumo duce Macedoniã & Mœsiã trãsiliens, in Hunniadẽ Hungarorũ regẽ traducit exercitũ. cui cum maximã cladẽ intulisset, & Imperatori (qui id tẽporis Cõstantinopoli erat) indubitatã uictoriæ significationẽ facere uellet, cæsis hostiũ cadauerib. nasos abscidit, & Constantinopolim plenis uehiculis transmisit. Venetis quoq;, ne impunè superiorũ uictoriarũ licentiã se tulisse gloriarent, terrores maximos, Modona & Corona, Pelopõnesiacis ciuitatibus expugnatis, incussit: maioresq; facturus erat, nisi à Persarũ rege in Asiã fuisset reuocatus, qui maximis cladibus omnes illarũ ditionũ fines afflixerat. Hunc Baiazetes nec quicquã eijcere cogitans, omni ferè multitudine quã secũ habebat amissa retrocessit: & illuc unde exierat reuersus, Methonem Venetorum ciuitatem expugnat: nec ulli parcit: quo facinore etsi infinita illa animi ferocientis libido non omnino fuerit expleta, ingrauescenti tamen ætate cessit: nec ultrà nisi cum Gallogræcis pugnauit: Zelimum que filium, quanquam inuitus, ante obitũ successorem sibi sumpsit. Ipse interea annis plenus, non sine maxima ueneni suspicione (quod à Zelimo dispositum credebatur) mortem acerbissimam moritur. Cui ilico Zelimus successit, princeps in ipsis statim imperij principijs turpissima facinorum scelerum que audacia inquinatissimus, nihil non audebat ut regnum paternum, quod rapere maluit quàm expectare, firmum sibi & tranquillum constitueret. In patrem primùm uenenо, in fratres & nepotes armis, in amicos etiam & necessarios alijs atque alijs insidijs grassari, nullis parcere, ne illis quidem quos ipse sibi ante imperiũ proximos cõiunctissimosq; habuerat: ueritus, ne ab his aliquãdo cicũueniretur, quibus animi sui motus perspectos exploratosq; esse cognouerat. Cũq; hanc immanitatẽ uicio sibi dari à uicinis regib. intelexit, ecce quàm beluina uoce suum peccatum defenderit: Nihil, inquit, dulcius est aut suauius, quàm sine affinium timore ac suspicione regnare.

Domi magistratus, foris militiæ præfectos, si cubi rem infeliciter gessissent,

eo capite mulctabat. Nullius consiliũ nisi qui pro sua libidine loqueretur admittebat. Fidebat nemini, omnia insidijs plena, & ut ipse erat, suspecta habebat. Qui aliquando interrogatus, quare exemplo sui patris barbam non promitteret, respõdisse fertur: Ne pro libidine subditorum huc illucq; inuitus abduceretur. Denicq; ut omnia uno uerbo cõplectar, scelere partam potestatem non melius egit quàm acquisierat. Solimanũ filium quem habebat unicum, ueritus ne sibi absenti imperiũ (quemadmodũ ipse Baiazethi patri) adimeret, cœpit cogitare quo potissimũ pacto posset extinguere, ne populus id factũ intelligeret: post multa id placuit, ut filio interula diris simis uenenis inquinata dono mitteretur, quæ occultis paulatim doloribus nihil tale timentem consumeret: quod factũ quidẽ est, uerũ maximo totius Europę malo successum non habuit. Operæ preciũ quoq; est audire ut in patrem et fratres grassatus sit. Nam cum fratrũ minimus esset, & iure se exclusum regno cognosceret, ut occasionẽ imperij per iniuriã occupãdi haberet, fugit ad Tartaros: unde affinitate cũ rege cõtracta, exercitũ contra patrẽ educit: quẽ eousq; tum ui tũ insidijs fatigat, donec molestiarũ pertęsus, & deteriora metuẽs, imperiũ maiorib. natu filijs duobus posthabitis, minimo cedere coactus est. qui cũ aliquãdiu id administrasset & pater exhaustũ ab eo ærarium, & preciosissimã imperij supellectilem luxu minutã atq; adeò cõsumptã intelligeret, deos deasq; omnes in scelerati filij perniciem testatus, in Natoliã ad natu maximũ filiũ cum ueteris thesauri reliquijs clàm per angustias itinerũ fugere tentat. Quod cum filius Zelimus intellexit, Noli (inquit) mi pater per angustias egredi, qui per amplas urbis portas in hoc imperiũ receptus es. Si regnare uis, regna: per me licet, dũmodo mihi in præsens nomen, et in posterũ indubitatam successionem reserues. finem uitæ tuæ (quæ utinam lõgissima sit) libenter expectabo. Alijs quoq; quamplurimis id genus blanditijs demulso parenti regias dapes, sed ueneno imbutas, apponi iussit. Quibus gustatis, sensit pater attactũ ueneno sanguinẽ, exilijsq; è regia sede, quam ei filius pro tempore cõcesserat: Egrediar, inquit (ut iubes) per amplas urbis portas, ut cuncti me sponte potius exulatum ire quàm à filio pulsum esse & extinctum arbitrentur.

Vixq; portis egressus, cũ se uenenum uis ad interiora pectoris insinuasset, ex quo delapsus expirauit, cuius mortẽ exterius quidẽ luxit filius, uerũ animo de patre triũphans, consiliũ capit de fratribus quoq; per occasionem opprimendis: quorũ alterũ qui se speluncis ac mõtibus fratris metu abdiderat, à familiari proditũ strangulauit: & alterum, sed inhonestius. Nam cum nullum sibi locum quo tegi posset relictũ, & fortunam satis aduersari intelligeret, matri obsecutus ab ense suo consiliũ petiuit, quo sibi aut summũ aut infimũ locũ factum esset. Cõscripto itaq; in Bithynia exercitu, cõtra fratrem Zelimũ profectus scit. cuius uiribus cũ Acomati fratris exercitu se superari sensit, terga Zelimo uertit, pertracto secũ Acomate, qui cũ equo à suis impositus aliquoties in fuga excidisset (erat enim obesus corpore, & equitatui inidoneus) & sui eum tertiò imponere sellæ conarẽtur: Sinite, inquit, satis iam fato sum reluctatus: hic fratrẽ expectabo. Cæteris q; magna cõtentione fugientib. solus Acomates fratrem hostẽ & mortem operitur, in quem ut ante alios quidã militiæ fraternæ præfectus incidit: Salue, inquit, Acomates Imperator: dictoq; citius honorem ei solis Imperatorib. deferri solitũ exhibuit.

Cui Acomates: Desine, inquit. nimis superbũ mihi pro tempore & fortuna nomẽ dedisti. Annulisq; quos in digitis habebat detractis, uade (inquit) et apud fratrẽ ut moderato indulgentiq; mortis genere me afficiat intercedas. Verùm Zelimus cõspecto Acomate, nihilo mitior factus, carnifices mittit, qui eum propositis etiã præmijs indignitate quãta possent maxima afficerent, & insuper fune strãgularent. Hoc supplicij genere in regiũ plerunq; sanguinem

grassã-

grassabant, q̃ si terra imbuta esset, pro piaculo maximo ducebat. Hæc ei initia rerũ gestarũ, hę illi uictoriarũ primitię fuerũt, quibus tranquillũ sibi regnũ & nec ullius propinquitate formidabile cõstituit. Moxq; cũ Venetis & Hungaris pace facta, Persarũ regẽ Euphratẽ Armeniamq; præteruolans, infestis armis aggressus, uicit, & in fugã couertit. Fugientẽq; à lõge secutus, ciuitates alias ui, alias in deditionẽ recepit, uectigalia imperauit: & multũ undiquaq; flãmis ferroq; populatus, nõ prius furoris finem fecit, quàm Sultanum quoq; Aegyptium, quia Persis cõtra eum auxilia miserat, haud procul Damasco ingenti multitudine comitatũ interfecit. Cuius locũ cõmuni omniũ Mamelucho-rũ suffragio & uolũtate Taumũberus præfectus Alexandriæ occupauit, ꝓpterea quòd cæteris omnib. crederet plurimũ opibus & potentia anteire: ac futurũ sperarẽt, ut facile illo ꝓpugnatore contra quaslibet Turcarũ iniurias protegerent. Verũ Zelimus prioris uictoriæ uestigijs immoratus, Aegyptũ, quam multis annis. à maiorib. suis magnopere expetitã audierat, infestis armis non cessat impetere: multisq; post alias ciuitatib. potitus de Alepo, Damasco, Tripoli, Sidone, Ptolemaide triũphauit: eoq; magis, quòd nõ Aegyptũ tantũ, sed & finitima quoq; omnia armorũ fastu et potẽtia sic concusserat, ut plurimi Syriæ & Phœniciæ populi legatos ad eum de deditione mitterent, quiq; ei ciuitatum nomine de tot uictorijs gratularent: ut interea non dicam, quòd in eius potestatem Hierosolyma & Gaza, celeberrima per uniuersum terrarũ orbem loca peruenerint: quæ tantũ ei apud finitimos omnes potentiæ opinionem pepererunt, ut deinceps nullum per ea loca habiturus repugnatorem uideretur, si unicum adhuc Sultanum tot debellatis ditionibus superstitem conculcasset. cui cum per legatum certaminis diem constituisset, utrique maximis copijs
B dicta die in planiciem haud procul ab Alcairo processerunt. Cúmque Zelimus Sultanum in acie non Imperatoris tantum munera obeuntem, sed & militis officia præstantem, fortiter quedimicantem conspexisset: Hic est, inquit, ò Sultane locus, hæc est dies, quæ de controuersijs nostris & utriusque imperio iudicabit: simulq; impetũ in eum facturus, à suis ne periculo se offerre pergeret, retardatus est. Quę res Zelimi copijs tãtos ad pugnã spiritus addidit, ut non magno interposito spacio, cæsis ingẽti numero hostibus, Sultanus Alcairũ se reciperẽt ad uires restaurãdas. At quia post tot clades summa hominũ inopia laborabat, mancipiorũ ferè ad sex milia tumultuarie libertate donata cõtra Zelimũ armare coactus est: quas copias cum uincendi cõsuetudine animo si Turcæ cecidissent, Zelimus ut omnẽ reparandarũ uiriũ spẽ Sultano adimeret, Alcairũ duarum dierũ & noctiũ obsidione fatigatam capit & spoliat: & castrũ in ꝓpinquo sitũ, quo Taumõberus sui tegendi gratia se receperat, cultu & elegãtia, incõparabile expugnat: unde Sultanus amicorũ quorundam beneficio clàm eductus in Arabiam, ꝓfugiebat. ubi cum imploraret auxilium, & sic illi fauerent Arabes, ut nullum pro eius salute periculũ recusarent, eo quòd in ipso (si supereset) summam salutis suæ constare arbitrabantur, & quod huiusmodi casus in se quoque recidere posse intelligebant, omnino futurum erat, ut resumptis iterum uiribus hosti se Sultanus obuium faceret: sed interuentu Zelimi impeditus, in abditissimas speluncas se præcipitem dedit, ubi ad umbilicum usque cœno paludibusque immersus delituit, donec eum corrupti pecunia familiares Zelimo ꝓdiderunt, à quo ad publicas priuatasque contumelias illinc abstractus, laqueo tandem in porta ciuitatis, qua frequentissimus erat hominum trãsitus, suspenditur. His auctus triumphis Zelimus, in Thraciam reuertitur: & priusquam septenniũ in Imperio cõpleuisset, grauissimo renũ dolore diu uexatus interijt. Hac laude præcipuè insignis, quòd militaris rei peritia haud mediocriter excelleret, qua tam angusto tẽpore suorum maiorũ gloriã tantũ non superauerat. Excepit Zelimum Solimanus, cui

præcipuè in ipsis regni exordijs, quæ plerisque insolentissima esse solent, ma ior æqui bonique cura fuit, q̃ superiorũ cuiquam: etsi postea partim uectigaliũ urbium perfidia, partim etiam dominandi libidine ad fines sui imperij profe rendos incitatus, nunc in hos, nũc in illos arma per occasionem sumpserit. Et primùm Gazelles homo infeliciter audax, quem Zelimus Syriæ præfecerat, morte Imperatoris elatior factus, ad Syriam sibi uendicandam animũ adiecit.

Quam rem postq̃ cũ Caierbio Aegyptio (cuius auxilio omnia sperabat) occultè per legatos cõmunicauit, non tantũ spe potiundæ prouinciæ excidit, sed & uita priuatus est. Nã Caierbius fœderis religiõe admonitus Solimano consiliũ hominis audacissimi primo quoq̃ tẽpore detexit, qui Faratem Bas sam cum ingenti exercitu contra Gazellem misit. At ipse utpote uirib. lõgè inferior, omnia prius q̃ arma tentauit: ad extremũ cum omni spe amissa arripe re pugnam cogeret, inter primos haud segniter pugnans confodit. Post hæc Turca plura audere, & manus in Europam extendere cœpit. Belgradũ fortissi mum Rom. imperij atq̃ adeò totius Christianæ Reip. propugnaculũ magna manu aggressus est, & nostris principib. domi inter se ciuili bello dissidentiẽ bus opportunitatẽ nactus expugnauit. Illinc ut mare q̃q̃ securũ sibi cõstituee ret, néue à tergo profundius in Europã quà cœperat excurrens, Adriatica clas se impediret, operę precium putauit, si speculã aliquã nancisceretur, unde Chri stianos sibi à tergo imminentes prohiberet. Itaq̃ quadringentis quinquagin ta nauibus mari, & trecentis hominũ milibus Rhodũ potẽtissimã mediterra nei maris insulã attentat: cuius incolæ primũ fortiter resistere, nec ullũ pro sua atq̃ adeò Christianorũ omniũ salute periculũ recusare, ad extremũ tamen cum omniũ rerũ difficultate laborarent, & auxilia ab Hadriano, sexto Põtifice sub missa tempestatib. detinerentur, nec spem pręterea ullam in defensione haberẽt, eo quòd omnes ferè ad ciuitatẽ aditus hostes obtinerent, & optimi quiq̃ mili tum, aut interfecti, aut uulnerati iacerent: postquam semestrem obsidionẽ ma gno animo sustinuissent, legatum ad Turcam mittunt, qui insulam hac conditione dederet, ut ne cui ab intromisso exercitu noceret: & quemq̃ quantũ hua meris posset, auferre paterent. Quod cũ à Solimãno impetratũ esset, prę fectus Rhodiorũ militũ (quem ipsi magnũ magistrũ uocant) priusquam hostes intro mitteret, militibus Italis, Hispanis, Gallis, aut aliàs aliunde ad defendendam ciuitatẽ accersitis, naues assignat, quibus salui et incolumes, si possent, ad suos reuerterentur. Quo facto, ingressus Rhodum Solimannus, totius insulæ uic toria, quæ ei multo suorum sanguine constiterat, potitus est, unde uelut mo do uoti compos effectus, & toti Romano Imperio inhians, ad Hungariam re uertit: ubi pręter Ludouicum regem exiguis copijs Pontificis adiutum inue nit neminẽ, qui nescio an maiore prudentia q̃ audacia, impari longè armato rum numero minimaq̃ manu cum infinita Turcarum multitudine conflixit, cuius partes cũ ad extrema pugnãdo ueniissent, iamq̃ optimi & fortissimi in prælio occubuissent, ipse rex medios hostes quibus undiq̃ incluſus erat, qua potuit celeritate perrupit, & inconsulta fuga salutẽ quærens, in paluſtrem & limosam conuallẽ itinerum ignarus descendit, unde cum diu luctando emer gere conaretur, sub equo in ultimos pedes eleuatos supinus miserrimè suffo catur. Huius mors superstitib. adhuc Pannonijs Solimano alioquin obuiã itu ris spem omnẽ & animũ ademit, usq̃ adeò ut parùm omnino abfuerit, quin ul tro sese hosti dederent, præsertim modò Budã regiã sedem occupanti. Ferdinan dus tamen qui mortuo Ludouico Hungariæ successionẽ ad se pertinere arbi trabatur, eo quòd ipse & Ludouicus inuicem, si sine prole decederẽt, succesio res fecerant, omnibus modis Hungariã uindicãdam statuit, cùm ob eã quã di xi causam, tum quòd existimaret plurimũ Austrię, atq̃ adeò totius Germanię interesse, si Solimãnus à possessione Hungariæ excluderetur, & remotius à fi

nibus

A nibus Romani Imperij cõsedisset Ideoq; priusquam Turcarũ uires in Regis sede confirmarent, & ciuiũ animi haud sponte sceleratissimi Imperatoris libidine oppressi barbaris legibus cõsentientes fierent, ingentib. ex Hungaria, Bohemia, & Austria cõscriptis copijs, Budã cõtendit: ad quam expugnandã non minimũ pristina clementiæ & facilitatis opinione, pfecit. Nam cum ingens intra mœnia dissensio coorta esset, cui quisq; domino præ altero faueret, aliorũq; aliò sentẽtiæ inclinarẽt, uicit tandẽ eorũ factio qui Christianũ principẽ barbaro prę ferebãt: simulq; Ferdinãdus Budã dedentiũ repugnãtiumq; dissidijs flagrantẽ occupauit, & maximis præsidijs munitionibusq; cõtra nascentiũ q̃tidie nouorũ hominũ factiones cõmuniuit, optimorũ q̃rumq; ciuiũ, & præcipuè eorũ q̃ inter suos magnæ potentiæ & autoritatis erãt, animos humanitate & beneuolentia sibi obnoxios fecit, ut nõ armis tantũ, sed et populariũ erga se animorũ affectione regni potentiã cõtineret. Queis ita cõstitutis, in Bohemiã, ppter subitas quasdã, quę ibi in nobilitate coortæ erãt, dissensiones reuocat, quas plerique existimãt à Ioãne Vaiuoda maximi in Hungaria nominis & auctoritatis excitatas esse, ut oportunã suis fraudib. Budã efficeret. A` qua suspicione nõ abhorrẽt ea quę post discessũ Ferdinãdi haud dissimulãter perpetrauit, nam cum plurimũ opib. et industria polleret, primũ omniũ pecuniã (cuius in corrũpẽdis etiã optimorũ hominũ uolũtatib. magna sunt operæ precia) eos ad se attraxit, quos à se primos et potẽtissimos esse cognouerat. Ab his ad illos descẽdit, quib. sciebat ueteres simultates cũ illis intercedere, quos Ferdinandus discedens summæ rerũ præfecerat. Postea etiã infimorũ hominũ ordinib. sese insinuauit, multosq; alijs atq; alijs officiorũ generib. sibi deuinxit, ne in ullo usquã ordine, si eò quò uolebat peruenisset, incœpti sui prę coB nes & adiutores deessent. Postremò etiã exercitũ tumultuariè cõscribit, ratus nihil sibi tot amicitias & insinuationes, pfuturas, nisi etiã ingruentiũ armorũ trepidatione, cęteri, quorũ indifferẽs in utrãlibet factionem penderet animus, & aduersarij in unũ omnes suffragiũ & opinionem deducerent. Hac ratione istisq; omnino itineribus eò peruenit, ut excluso Ferdinandi præsidio, ipse illicò Rex faustis ciuiũ acclamationib. salutaretur. Nõ abest suspicio quin ad has tragœdias excitandas Solimani uoluntate & auxilio sit usus, cui etiam haud multo pòst expeditionem in Austriã paranti, & per Hungariã iter sine iniuria maleficio q̃ postulanti nihil excusans, nihil tergiuersatus cõcessit. Etsi Turca (ut aliàs ferè semper) pacti fœderis immemor, Varadunũ, Quinecclesias, aliaq; Hungariæ loca munitissima, in transitu præter cõuenta depopularet: cuius facti turpitudinẽ ut tegeret, mentiebat se ab istis ciuitatib. (per quæ trãsire nõ habebat necesse) nõ sine difficultate transitũ impetrasse, & propterea nocendi facultatem ademisse, quod q̃ sibi persuadeat, id factum usq; adeò Regi nõ displicere, ut etiam ipse debuerit, si sciuisset, uindicare. Sicq; paulatim progressus, Viennam contendit, quam ex omnibus Europæ ciuitatibus, uel solã obstare credebat, ne latius orbi terrarum imperaret. Ad hãc, ut dixi, per cõfinia Croatiæ & Stiriæ contendendum putauit, eo quòd illac ueniẽs eam citra Danubium esset inuenturus. Nam ab altera parte difficultate sternendi per flumẽ pontis laborasset, quod ciuitatem tribus brachijs plusquam trecẽtis passibus, qua arctissima sunt, patentibus præterlabitur, tegitq; eam urbis partem, quæ ad solem Occidentem & Septentriones pertinet. Eòdem spectabat cõmeatũ facilius supportari illac qua diximus posse, propterea quòd totum Hungariæ eius lateris tractum, iam tum obsequentem sibi fecerat, nec magni negocij futurũ sperabat, armis per Croatiam iter aperire, quæ haud facile tãtæ multitudini esset restituta, præsertim uicinis, socijs q̃ in circuitu omnibus suarum rerum satagentibus. Hac igitur longis ambagibus iter instituit. quo itinere tantam subitò omnibus ex locis Christianorum prędam fecit, ut ad triginta ferè capti

uorũ milia, prius q̃ ad conſpectũ Auſtriæ peruenisſet, ab eo in ſeruitutem redacta tenerentur. Nec cõtentus, magnã undiq; hominũ multitudinẽ abduxisſe, niſi inſuper, quacunq; audire poterat, populareť ac diriperet omnia, nullos uicos, nulla æ dificia præteriret, quę non aut ferro concuteret, aut flãmis abolere. Vnam tantũ inter cæteras ciuitatẽ, quam incolæ Bruck appellant, et ſi non ſatis firmam, opulentã tamen, rerũq; omniũ feraciſſimã ſine ullo maleficio ingreſſus in deditionẽ indulgẽtiſſimã accepit, propterea quòd eam magno ſibi uſui fore exiſtimabat, ad ſupportandũ exercitui cõmeatũ, cui locũ caſtris idoneũ haud ꝓcul inde metatores deſcripſerãt, ſub mediũ ferè itineris inter Neapolin & Viennam: quò ut perueniret exercitus, magnis itineribus feſtinabat: memor perpetuò illius, non eſſe à tergo relinquendũ quicquam ei qui uellet ſe curè in alienis finib. bellũ gerere. Ideoq; Altenburch caſtrũ paulo infrà egreſſiè natura et arte munitum prius expugnãdũ ſibi ratus eſt q̃ ꝓgrederetť eoq; multas ibi opes & magnũ militũ numerũ eſſe intellexerat. Cumq; diſpoſitis opportuno loco tormẽtis agitare turres & ꝓpugnacula cœpiſſet, mox q̃ intus erãt, neſcio qua effœminatione, legatũ ad hoſtes mittũt, qui omniũ nomine ſe ſuaq; uniuerſa in fidẽ atq; poteſtatẽ Imperatoris Conſtantinopolitani permittat, indicetq; omnes uelle imperata facere, patriæ conſilia detegere, & frumento cęteriſq; rebus quãtũ poſſent adiuuare. Moxq; intromiſſi Turcę, trecentos ibi in præſidijs Bohemos inueniũt, quos meliore paulo quàm captiuorũ cõditione ſequi caſtra iubẽt, ut ſicubi opus eſſet, eorũ indicio uteretť. Primũ aũt ex eis interrogãt quæ ciuitates quãtæq; in armis eſſent, & quid in bello pꝓſſent: quibus præſidijs Viẽna niteretť, quid & ubi rex ageret. Ad hæc dedititij: Paerũ ſpei in cæteris ciuitatib. eſſe, unã omnino Viennã qualemcũq; in re militari uſum habere, nec in ea eſſe ultra uiginti hominũ milia qui arma ferre poſſent: reliquas non Auſtriæ, ſed etiam ulterius ciuitates ſponte ſe deditũ uenturas, ſi hanc expugnaſſent: nec Viennã plus quàm bimeſtrẽ cõmeatũ habere. Regẽ in Bohemia quidẽ ante dies paucos fuiſſe, ut de rebus ad bellũ neceſſarijs Auſtrię, ꝓuideret: ſed neſcire ſe, an interea ut pollicitus erat Viennã rediſſet. Quibus rebus læti et alacres, ac ueluti certam animo uictoriã præcipiẽtes, diurnis nocturniſq; itinerib. Neapolin cõtendunt (quę non amplius octo paſſuũ milibus abeſt à Vienna) quã cũ ſemel ad deditionẽ fruſtra ſollicitaſſent, uiſum eſt eis ante omnia locũ caſtris aſſignatũ occupare: qui cũ minor q̃ pro exercitus multitudine quibuſdã uideretť, maiorẽ ampliorẽq; fecerũt, ut ad ſeptẽ ferè milia paſſuũ in circuitu pateret, ut eo ſpacio totus hoſtiũ numerus, qui multo maximus erat, includeretť: de quo etſi diſſentiãt opiniones, uulgatius tamen creditũ eſt, Turcarũ amplius q̃ ducẽta & 50. milia ea expeditione fuiſſe. Hinc mox in omnẽ Auſtriã populatores emiſerunt, qui per uniuerſa circa Viennã & Danubiũ, loca longè lateq; ꝓ libidine graſſarenť, & quę uellẽt in captos Chriſtianos exẽpla cruciatuũ exercerẽt. Exploratores quoq; iuſſerunt ad Danubium cõſidere, per quẽ audierat Solimanus ſubſidia Viennẽſibus & cõmeatũ ſolere ſupportari. Nam triduo anteq; hoſtes eò peruenisſent, deſcenderat Danubio Fridericus Comes Palatinus, Dux militiæ Auſtriacæ ab Imperio deſignatus cũ peditũ 14. milibus & ſelectiſſimo equitatu. Cõmeatũ quoq; quẽ hoſtes in eodẽ itinere eſſe intellexerant, aut intercipere, aut ſaltẽ ciuitate quoquo modo excludere cõſtituerãt: ad quã rẽ opportunũ uidebaťinter Tulnã & Milichiũ ex oppoſito Cremiſij, quod in aduerſa Danubij ripa decẽ milib. à Vienna ſitũ eſt Bauariã uerſus, inſidias collocare. Quod cũ noſtris frumẽtatorib. ſubleuit, nec temerè pugnãdũ ſibi putarẽt, utpote uirib. nimis imbecilles, nec cõmeatũ hoſtib. diripiẽdũ offerre cõſtituiſſent, quẽ aduerſo flumine retrorſũ in interiorẽ Germaniã trahere nõ poterãt, rates ipſi ſuas in altiſſimas fluminis uoragines pręcipitãt. Quo cõſilio Turcarũ q̃dẽ expectatio fruſtrata eſt, q̃ prędã

capta

A captabant: neceſſitati tamen eorũ ad quos hæ res mittebãtur, nihilo magis con
ſultũ, niſi q̃ ea perire ſatius fuerit, quam ab hoſte occupari. Palatinus interea
cum Guilhelmo Rogẽdorffio & Nicolao Comite à Salm, uiris ut antiquę no
bilitatis ſplendore, ita animi magnitudine & preſtantia eminentibus, quibus
præcipuè tuendæ ciuitatis negocium à Rep. cõmiſſum erat, inter ſe cõſultant
quid quaq̃ in re factu foret operæ preciũ, ut incolumis ciuitas cõtra hoſtes mo
do quo poſſet optimo ſeruaret. Quod ꝓpoſitũ Dei Opt. Max. potius q̃ mor
taliũ cuiuſquã inſtinctu & uoluntate proſequuti ſunt, ut qui in maxima rerum
omniũ difficultate & ſummis anguſtijs non deſperandũ prius ſibi duxerint,
q̃ hoſtẽ experirent, qui tanta multitudine ad oppugnandũ eã urbẽ uenerat, ut
caſtra quæ fumo atq̃ ignibus ſignificabant amplius milib. paſſuũ ſeptem in la
titudine paterẽt, ac iam tũ quæcũq̃ ex itinere loca, ſeu ui, ſeu alias adierant, ea
obſequentia ſibi & addicta ut haberent effecerant: unã omnino ex omnib. Ne
apolin priſtinæ uirtutis haud immemorẽ inuenere, ut quæ uno die ſepties ho
ſtibus ex muro reiectis, incredibili cõſtãtia oppugnationes grauiſſimas ſuſti
nuiſſet. Viennenſes q̃q̃ ut aduerſarijs omnẽ cõtra ſe opportunitatẽ minuerẽt,
cuncta in ambitu ciuitatis ædificia, quæ ueluti receptacula hoſtiliũ copiarũ &
latebrę futuræ uidebant, incẽdũt: ruſticos in ciuitatẽ cõuenire, pecora deduce
re, & ſua omnia ex agris in oppidũ cõferre iubẽt. Muros etiã qua parte infir
miores erãt reſarciũt, & turres inſup machinis ac ꝓpugnaculis, ſo abinuicẽ pe
dũ latitudine diſtãtib. incredibili celeritate cõmuniũt: unde immiſſos in ual
lum aſcẽſores haud difficulter reijcerẽt, & à bõbardarũ ictibus ꝓtegerent. Eã
quoq̃ urbis partẽ quæ Danubio alluit, ſumma diligẽtia cuſtodiũt, eo q̃ illa
omnino uia ſupereſſet, qua ſecurè recipi à Boemis auxilia & cõmeatus poſſet.
B Octo cohortes ad pontẽ & equitatũ in ꝓxima planicie, quę ad inſulæ morem
omni ex parte Danubio includit, diſponũt: qui ſi opus eſſet, traducerẽt quic
quid illac ad oppidanos mitteret: aut ſi hoſtes eò pertingerent (q̃ incolumi ci
uitate impoſſibile factu crediderim, cũ non remotius ſit à mœnib. q̃ quo lapi
de adijcias) põtibus interruptis ſuos reciperẽt, et illius loci fiducia tuerent, ac
ripas fluminis qua uado trãſiri poſſet, obtinerẽt, donec ad inſtaurãdas uires et
integrandũ cũ hoſtib. certamẽ auxilia ſubmitterẽt. Alijs deniq̃ rebus cõpluri
bus ad bellũ & ferendã obſidionẽ neceſſarijs, ꝓcuratis, militibus in muro ſta
tiones aſſignãt, & generatim in claſſes ſic diſtribuũt, ut nulla uſquã pars incu
ſtodita cerneret. Et priuſquã rectè cõſediſſet hoſtiũ exercitus D. de Rogen
dorff, portis identidẽ egreſſus equeſtrib. prelijs qd illi uirtute poſſent, et quid
ſui auderẽt periclitabat, nõ aliã fortaſſis ob cauſam, q̃ ut eis ſpem cõmittendi
certaminis inijceret, q̃ nõ minore ſtudio ab ipſis expectabat, q̃ noſtri propter
impares lõgè copias abhorrebãt: nec enim fugiebat Auſtriacos, nulla re magis
quam mora & cunctatione fatigari barbaros, nec poſſe diu propter difficulta
tẽ annonæ, quæ illis aduerſo flumine ſupportari à ſuis nequit, uno in loco cõ
morari. Vno autem ex omnibus cõgreſſu noſtri infeliciter hoſtẽ laceſſiuerũt: à
quo prius undiq̃ incluſi ſunt, ac circũuenti q̃ erigere ad dimicandũ arma po
tuere. nam cũ minimo ab hoſtib. ſpacio abeſſent, et ſeorſim (ut in excurſionib.
fit) paruã hoſtiũ manũ conſpexiſſent, eamq̃ admiſſis equis diſſipato errantiq̃
curſu fruſtra ſequerent, retrò ad portas reuerſuri, itinera impedita inueniũt, &
captis ſine cæde omnibus, tres in ciuitatẽ Solimãnus remiſit, qui oppidanis
eum quẽ in caſtris hoſtiũ apparatũ & alacritatẽ uiderãt, renunciarent, cæteris
in duriſſima ſeruitute ad cõtumelias & ſupplicia reſeruatis: quorũ etiã plero
que iam tũ priuſquã tres illos ſuis temiſiſſet, in conſpectu ſociorũ totiusq̃ ex
ercitus equis quadrifariam iunctis diſtraxerat, ut ſuis renunciarẽt quãta illos
ſupplicia manerent, ſi in hoſtium poteſtatẽ incidiſſent: ꝓſuaſus hoc pacto per
terrefactis omniũ animis paratiores eos ad deditionem futuros. Ac mox lega

tum

tum mittit, qui cum primoribꝫ agat, mallẽtne honestis conditionibus se dedere, quàm belli fortunam expectare: quòd si se dederent, indulgentẽr eos se habiturũ: sin pertinaces essent, & in armis spem haberẽt, armis se quoq; usurum, nec ulli ętati aut sexui, si uinceret, parciturum. Primores legato respõdent, sibi placere ut armis utat̃ Solimanus, si uelit: se suam ciuitatem & ciues, quoad poterũt, defensuros. belli fortunam ambiguam esse: & sępe usuuenire, prius eum qui intulit bellum, quàm cui infertur, fatigari: nec tam patriæ uirtutis esse immemores, ut non recordent̃ Germanos se appellari. quibus id perpetuò solenne fuit, ut primùm experirentur quid uirtute possent, nec temerè hostium arbitrio se permitterent. Quo responso accepto, legati ad suos reuertuntur, & quod iussi erant, renunciant.

Solimannus indignatus, omnia in circuitu lõca populari: uicos, ædificia & uillas flãmis depascere: fontium fluminumq; meatus quò adire poterat inficere: omnes ad ciuitatem aditus obsidere, ne quà cõmeatus importaretur, et summa rerum omnium difficultate oppidanos afficeret: ac tandem ut etiam contumeliose cum eis ageret, contemptimq;, unum ex dedititijs ad obsessos misit, qui interrogaret an milite opus haberent, se paratum esse trecentos illos Bohemos eis restituere. Cui Palatinus omnium nomine respondit, sibi plus militum intus esse quàm uelit. quo circa retineret illos qui se eius potestati permiserant, & afficeret quomodo sibi uideretur. Viennam facile detrimentũ tam exiguum contempturam. Interea dum hæc geruntur, nocte intempesta missus à Ferdinando ueredarius, silẽtio intra muros recipitur: qui hortatus est ciues, ut in fide permaneant, & hostiũ impetũ magno animo sustineant: nõ procul abesse Carolũ fratrẽ, maximis copijs & incredibili apparatu suppetias ferentẽ: totamq; armari Germaniã, ut uni Viennę succurrat̃. Quibus uocib. cõfirmati ciuiũ animi, magis indies magisq; contemnere hostẽ, & exercitũ multitudinẽq; qualẽ neq; uiderãt antè neq; etiã ꝓpemodũ audiuerãt, ꝓ nihilo ducere, donec locũ suburbanũ & exteriora mœnia cultu ędificiorũq; splendore interioribꝫ haudquaq̃ cedẽtia assiduis bõbardarũ ictibus hostes superassent: moxq; interius ueluti cute ꝓforata ad euiscerandã ciuitatẽ ꝓgressurus uideret̃. q̃ res quia sine negocio & ueluti momẽto ab eo cõfecta est, metũ uniuersis incussit, ne simili aut etiã maiore uiolẽtia & celeritate oppidanorũ deliberationes anteueteret, priusquã bene ex isto metu cõualuissent. Et certè eodẽ tẽpore feruẽtibꝫ recẽti uictoria suorũ animis fuisset ꝓgressus, nisi eius diei tẽpore excluſus, in posterã lucẽ oppugnationẽ differre debuisset. Ne tamẽ ea nocte ullã ciuitati quietem daret, tormẽta ꝓpius urbẽ admouit uersus eam partẽ qua infirmiora ꝓpugnacula & deiectis muris ualles ascẽsum minus difficilẽ habituræ essent, nimirũ ad portã quam incolæ turrim Scotorũ, ab eius nominis monasterio intra urbem proximo, appellauerũt. Vnde prima insequẽtis diei luce insilientẽ hostẽ bis tãta clade depulerũt, ut nullæ aut perexiguæ infra planitiẽ fossæ ciuitatis apparerẽt, primisq; nouissimi insisterent, atq; ex eorũ corporib. pugnarẽt. qua calamitate nõnihil hostiũ impetus tardatus est, & mox per portã Salinariam, quæ huic à dextris proxima est & infra mõtem sita, in quo pars copiarũ hostilium sine ordine dispersa uagabat̃, cohors Prętoria iunctis duabus legionib. repentè eruptionẽ facit, & nihil tale timẽtes inuadit, pugnãq; facit magis ut natura loci, deiectusq; collis, & necessitas tẽporis, q̃ rei militaris ratio & disciplina postulabat. Turcę multis uulneribus eo certamine affecti, paulatim cedunt, & interuallis quantis possunt maximis præliantur, donec idoneã nacti planitiem, nihil sibi ad fugam reliqui faciunt: alijsq; alibi periculum uitantibꝫ nostri à tergo imminent. quasdam interficiunt, capiunt alios: pleroſque retrò ad flumen pulsos, nando ad ulteriorem ripam contendentes, telis & lapidibus obruunt, ac se rursus in ciuitatẽ recipiunt. Cuius uelitationis princeps & auctor

A ctor Guilhelmus Rogendorffius more suo collaudatis militibus, iam tum hostibus formidabilis esse cœperat, quib. hoc prelio incredibilē calamitatē intulerat. Nam ut postea per captinos cognitum est, ex trecentis equitibus non plures quàm 60. et hominū milibus quinq;, uix octingenti illęsi euaserunt. Cuius rei iniuria commotus Solimanus, alia uia propositum suum efficere instituit. Traducit illinc suas copias uersus portam regiam, ubi uineis actis & aggere extructo bōbardas ex ordine disponit: moxq; tāta ui & glandiū frequētia muros cōcutit, ut defensorib. omnia nudarētur, & in propugnaculis cōsistendi potestas esset nemini: & simulac duos introitus patefactos uidit, militē densissima globorū nube & fumo circū fusum ascēdere iubet: moxq; alios priorū uestigijs inhærentes, ut si quà possent, introirent, uimq; quantā possent maximam ab sua parte facerent, totumq; belli pondus & necessitatem ad se traherent. interea alios ad turrim Scotorū ut antè in insidijs futuros: qui si opportunitatem essent nacti, nullā turbādę intus ciuitatis occasionē prætermitterēt. Itaq; urbē hinc & illinc inuadūt. nostri primò integris adhuc uiribus haud segniter resistere: & ut quęq; murorū pars nudata defensorib. laborare uidebat, recētes submittere et auxiliū ferre. quo pacto cū iam amplius horis sex cōtinenter pugnatum esset, ac nostris nō solū uires, recētesq; qui saucijs succederent, uerūetiā animis, ppemodū deficeret, resq; omnino ad extremū perducta casum esset, D. de Rogēd. uir maximi animi et summæ prudentiæ, ad cohortādos milites, quos sciebat in angusto esse, accurrit, et cū tēpore tā pręcipiti lōgiore uti oratione, prohiberēt, nō aliud inculcauit q; uti pristinę suę uirtutis memoriā retinerēt, nec pturbarent animo, hostiūq; impetū fortiter sustinerent, pręstò adesse auxilia à Ferdinādo missa: quę mox, si aliquādiu barbaros morarent, in, ppugnaculis essent cōspecturi, tantūmodo tela missa exciperent, & hostes introitu, phiberēt.

B nō minori in discrimine res erat circa turrim Scotorū ubi Comes à Salm quāta poterat solicitudine suos in officio cōtinebat, eo q; magno apparatu scalis, falcib. alijsq; id genus machinis ab hac parte hostes terrorē ciuitati inferre nihil ocij, nec obsessis dare, nec sibi sumere, usq; adeò, ut nisi spe obtinendę ciuitatis tāta multitudine accurrissēt, ut sibi ipsis ad pugnā essent impedimēto: & se ita in uallo cōstipassent, ut primis ultimi recessum nō darēt, actū erat de Viēna. uerū ut primū signū in ciuitate factū est, acsi iam ad arma recētes milites uocarentur, illico & nostris studiū propugnādi accessit, & hostibus spes potiūdi oppidi diminuta est. Vt itaq; Solimanus suos iterū excluſos uidit, nec se quicquam proficere, omniaq; quibus utebat cōsilia etsi pro rerū cōditione non reprehendenda, incommodè tamen accidere, cœpit cuniculos ad portā Carinthiā agere, cuius rei periissimi sunt Illyrij (quorum maximū numerū apud se habebat) propterea quòd multis locis apud eos secturæ sunt ærariæ. Cumq; ad arcis fundamenta peruenissent, et ad ea perfringenda, non tam arte quàm uiribus opus esset, nonnulli in ciuitate qui taliū rerū ac militiæ usu pollebant, senserunt euiscerari sub pedibus terrā, & statim ab sua parte contrà moliri instituunt: ac deinde meatus quos aperuerant puluere tormētario suffartos ruderibus obstruūt, ut cum appositi ad mensurā ignes puluerem attigissent, per hostiū secturas erūperent. Quo facto, ingens repentè ab imo uis exaudita est, qua & turris tantū non dissilijt: & quotquot erant in cuniculis agendis intēti fossores, ad unum omnes sub ruina suffocati sunt. Erāt autē, ut postea compertū est, ad octo ferè milia: quorum etiamnū adhuc hodie circa eum locum erutæ incredibili multitudine uisuntur caluariæ. Cū hic quoq; se operam lusisse sensit Solimanus, & audisset supinius negligentiusq; custodiri mœnia ad Stubarū portam, facilioremq; aditum habere, decem cohortes, quæ integrę adhuc à labore erāt, remotius circū ductæ, ne ab oppidanis uideri possent, omniū opinione celerius cò quò iā dixi perduxit, priusq; ferè omnis generis rebus fossas impleue-

runt,

runt,& in ſummis munitionibus conſpiciebantur,q̃ noſtri quid ageretur in-
telligerent,eisq̃ parata eſſet rebus tã neceſſarijs defenſio. Nam etſi ſatis militũ
in urbe haberent,quia tamen totum belli pondus ſe ad duas arces,quarũ ante
meminimus,tranſtulerat,nec facile ab eo numero ullæ cohortes deduci poſ-
ſent,ſubitò Prætorianos milites (qui,ut moris eſt,ad interiora ciuitatis defen-
denda & ad ſubitos tumultus coercendos reſeruabãtur,nec niſi tẽpore admo
dũ pręcipiti educi extra mœnia aut in munitiones poterãt) placuit contra hos
euocari: quorũ aduentu pauci qui hoſtem hactenus magno periculo ſuſtinue-
rant,ſaucij & exanimes quieſcere iuſſi ſunt: hac conſolatione, ut ſi conualeſce
rent,inter armaturas duplares aſcriberentur. Non prius tamen ciuitas hoc me-
tu & difficultate liberata eſt,quàm nox ſuperueniens cæcam ubiq̃ pugnam fe
ciſſet: & non tam utriſq̃ ab alteris quàm à ſuis eſſet metuendum. Sub noctem
recẽſito in caſtris exercitu, hoſtes ſuorum pluſquam quinque millia eo die de
ſiderauerunt. Dominus de Rogendorff ſuis collaudatis, propugnacula qua
parte hoſtiũ telis & irruptionibus patuerãt,reſarcit: omniaq̃ quæ ad proximę
diei oppugnationes ſuſtinendas neceſſaria fore uidebanť,procurauit: moxq̃
ut diluxit,circumſpectos omnes eſſe iubet,ne ſub nebula,qua tunc cœlũ impe
ditum,proſpiciendi facultatem ademerat,Turcę opinione celeriùs ad ſummas
munitiones euaderent: quod non læua mens (ut accidit) præſagiebat futu-
rum. Sed quid me difficultatum huius & trium inſequentium dierum com-
memoratione fatigem? quibus nil nec ad premẽdam ciuitatem hoſtes, nec ad
defendendam oppidani reliqui ſibi fecerunt, nihil uſquam ocij, nulla requies
aut intermiſſio fuit. Nam cum armamentorum omnis generis copiam quàm
maximam haberent,tam aſſidua bombardarũ tempeſtate muros uerberabãt,
ut in ciuitatem glandiũ uelut imbres impluere uiderentur: & identidem miſ-
ſæ ad oppugnationẽ cohortes tanto numero & frequentia aduolabant, ut nul-
la globorũ ſegete non modò nõ prohiberi,ſed nec minui quidem impetus aut
multitudo uideretť,donec ad extremũ milites hoſtilis exercitus cũ nihil ſe pro
ficere uiderent,& fruſtra toties ad eadẽ pericula & difficultates mitterentť, ne
ſcio qua inter ipſos diſſenſione coorta tergiuerſari, ſuosq̃ duces ac tribunos
calũniari cœperunt,ac ſi omnino eis eſſet imputandum,ſtare adhuc ciuitatẽ,in
qua oppugnanda militibus nihil nec uirium nec uoluntatis defuiſſet. Ideòque
cum Solimanus iam poſtremùm atq̃ adeò acriùs quàm antea nũquam aggre
di ciuitatem conſtituiſſet,& milites quiduis potius perpeti in animũ induxiſ
ſent,q̃ denuò eòdem unde toties repulſi erãt reuertenť, maximi in caſtris mo
tus,alijs detrectãtibus,alijs,ut timoris ſuſpicionẽ uitarẽt alia cauſantib. exci
tati ſunt: cuius rei fama cũ per magiſtrũ equitũ ad Solimanũ delata eſt, Bithy-
nię prefectũ, quo plerũq̃ in difficilibus rebus cõſultore utebať, cuiusq̃ ſum
ma erat in caſtris autoritas,mittit,ut omnes in fide & officio retineat: aut ſi (ut
ſæpe pertinaces ſunt barbari,in ſententia permanerẽt, inuitos ad complendũ
iuſiurandũ adigat. Moxita q̃ ut ad eos uenit quorũ pręcipuè in caſtris audie-
banť querelæ,breuiter exponit,nõ temere negligendas eſſe præſentis tẽporis
rei bene gerendę opportunitates: & non ſine maxima fieri poſſe ignominia,ſi
incœptã oppugnationem tam leui occaſione reliquiſſent. & uno tantum certa
mine ab eis effici poſſe,ut ciuitate potiãtur: exhauſtos eſſe oppidanos, & ſum
ma cũ difficultate poſtremã oppugnationẽ ſuſtinuiſſe: exanimatos eſſe inedia,
& inteſtinis diſſidijs ſe obſeſſoribus propinare. quocirca non dubitarent, ſi de
nuò priſtinæ uirtutis memores aſcenſum ad munitiones urgerent, & ciuitatẽ
expugnarent, illorũ fore prædam qui aſcendiſſent: & illis reſeruatũ iri omnia
quæ in ciuitate inuenirenť: inſuper & a pud Imperatorem perpetuã gratiã, ma
gnũq̃ beneficiorũ aditũ ac beneuolentiæ cauſam præcipuã habituros. Qua
oratione cum Scythica illa barbaries nihilo magis accenderetť, & omnes per-
tinaci

A tinaciter ut antè in ſententia perſiſterent, ilico eis à tergo equites appo ſiti ſunt qui impellerent: aut ſi pergerent tergiuerſari, tormento aut ſagitta traĩcerent. Qua neceſſitate cum ſe urgeri uiderẽt, nec minus periculi ſi quieſcerẽt fore q̃ ſi oppidanis iugulandos ſe offerrent, tamen nõ prius ꝓceſſerunt q̃ ex eis anteſignanus deos cõteſtatus, ut ea res fœliciter eueniret, præceſſit. Deſerite, inquiens, ſocĩj fidem & iuſiurandũ & Imperatorẽ Conſtantinopolitanũ Chriſtianis prodite, ſi uultis: ego profectò meũ Reip. & Imperatori officiũ pręſtitero. Dictoq; citius uexillũ erigit, & ad uallũ ciuitatis cõtendit: quẽ ut alĩj atq; alĩj paulatim ſubſecuti ſunt, tandem integri etiã irruentiũ manipuli ſecundũ eum in mœnib. prius ferè à noſtris interfecti ſunt, q̃ quid actum eſſet, intelligeret. Alĩj (ut in tanta multitudine ſæpe accidit) auctoritate maiorũ & ſociorũ exẽplo nihilo animoſiores facti, ordinem declinabãt, & per uitiferos colles erabundi in caſtra reuertebantur. Sicq; factũ eſt ut decreſcentib. quotidie hoſtiũ uiribus, minus minusq; eis potiundę ciuitatis ſpei relinqueret. Nã oppidani præter innumeras clades in mœnib. editas, pabulatores etiã frumentatoresq; hoſtiũ aſſiduè obſeruabant, diſperſoſq; per occaſionẽ adoriebant, & magno ſępe incõmodo afficiebãt, uſq; adeò ut interdum totius legionis decima uix pars incolumis ad ſuos reuerteret: quod tũ præcipuè uſuueniebat, cũ & longius à caſtris proceſſiſſent, & nõ tã facilẽ eis receptũ ad ſuos loci iniquitas permitteret. Quibus rebus fractis aduerſariorũ animis, incredibilis ſubitò fortunatũ cõmutatio accidit: & quo maiores ſpiritus fiducia rei benæ gerendæ noſtris acceſſerunt, hoc magis langueſcere aduerſarĩj, & rebus ſuis diffidere uiſi ſunt: nec poſthac uallũ caſtrorũ prætergreſſi, ullam præteriti furoris ſpeciẽ ediderunt, niſi cum ſubinde uelitationib. paruis q; prælĩjs pugnãdi languorẽ cõ-
B teſtati à noſtris uſq; ad caſtra eorũ intrepidè prędã agentib. ad certamen prouocabant. Cumq; omnia in circuitu loca partim ab incolis deſerta, partim à Solimãno fœdiſſima populatiõe uaſtata eſſent, & molita in aliquot ſeptima nas cibaria (quę patrio more ſecũ ferre in militiã cõſueuerũt) planè cõſumpſiſſent, nec pauci fame et inedia periſſent: periculũq; eſſet, ut niſi alicũde eis ſubueniret, breui ad unũ omnes extinguerent: ſuadebãt pleriq; quorũ apud Imperatorẽ magna erat gratia, ut rebus ſuis q̃quo modo cõſuleret. Eodem accedebat q; ſuorũ pluſq; 80. millia amiſiſſet, & ex his quos adhuc habebat, alĩj uulneribus, alĩj laboris & inedię impatientia elanguerãt: tum etiã quia eo anno plus quàm pro tẽpore hyems maturabat, & iam acre in ipſo brumę introitu frigus ſæuiebat, & plurimos ſuorũ temporis iniuria amiſerat, ſtatuit maturè priuſq; omnes ad internecionẽ irent, diſcedere. Ad quã ſententiã cum reliquis cauſis hoc quoq; eum impulit, q; Fridericũ Palatinũ maximis copĩjs Ratisbonam appuliſſe audierat, atq; adeò iam tum maximo ſuo incõmodo ſenſerat. Nam cum plurimi adhuc Turcici exercitus populatores liberius uaſtandi prædandiq; cauſa ſe ſupra Lintiũ in Bauarorũ fines effunderẽt, & identidem ex ſiluis (quæ ibi uaſtiſſimæ ſunt) erumperent, ac rurſus eodem ſe maximis illatis detrimentis reciperent, Fridericus Palatinus (quòd nõ procul illinc abeſſet) uirum quendã rei militaris callentiſſimũ celerrimis expeditiſq; copĩjs præmiſit, q; eos à tergo per ambages circumueniret, et receptu ad ſuos intercluderet. q̃d neſcio an dexterius à quoquã mortaliũ q̃ factũ eſt effici potuerit. Primũ id conatus eſt ut eam ſiluę partẽ obtineret, qua illis ad ſuos redeundũ eſſe cognouerat, quam mox crebris ſucciſis arboribus humi que diſpoſitis ſic impediuit, ut rami inuicẽ tanquã uepres inhærerent, mox q; relictis ibi armatis aliq̃t qui expectarẽt dum hoſtes ſe ex ſilua eĩjcerẽt, ad frontẽ reuertĩt, & ingenti uocifera tione adeſſe teſtatus, cum interiora ſiluæ ſubire nõ auderet, ſuos q̃ſq; porrecta & aperta loca patebãt cædentes, progredi iuſſit, donec hoſtes in angu-
ſtas nemoris reliquias & exiguum latendi ſpacium cõpulſi, illac erumperent

qua catenatis, ut diximus, humi arboribꝫ noſtri obſtaculꝫ fecerant. unde cum eluctari nõ poſſent, & multitudine à noſtris uincerentᵉ, abiectis armis rogare cœperũt ut uitæ ſuæ parcereᵗ: captiuos, ſi uellent, quacũq; cõditione abducerent. At noſtri recenti uictoria feroces, ad unũ omnes interficiunt. cuius rei fama cum ad Solimannũ peruenit, & uenturũ inſuper cum toto exercitu Palatinum audiſſet, quiduis potius q̃ eouſq; expectandũ ſibi ratus eſt, donec illius copijs uires ciuitatis augerentᵉ. mox magna impedimentorũ parte præmiſſa, maiore ſtrepitu & tumultu q̃ Turcarũ fert conſuetudo, diſceſſit: iuſſitq; ut cæteri quo quiſq; uellet tempore aut ordine ſequereᵗ. Quæ res effecit ut omnibus æquè maturantib. cõſimilis fugę profectio uidereᵗ. quę res cum ſub ambiguo ad oppidanos eſſet delata, incitabãt inuicẽ ne hoſtem ſic dimitterent: longum eſſe, perterritis & fugientib. Turcis Palatini aduentũ expectare. Vix cõtineri potuerunt, quin cõfeſtim erũperent, ut hoſti, de quo maiores animo triumphos ferre cõceperant, inſignem aliquam & memorabilem calamitatẽ inferrent: donec per ſpeculatores eius rei gratia à Philippo Palatino emiſſos fugere hoſtes renunciaretur. Nam ſimulatq; id pro indubitato habitum eſt, magnam ſubitò equitum multitudinem emiſerunt, ut celeritate qua poſſent maxima fugiẽtibus imminerent: & ſi aſſequi primos nequirent, quos poſſent tamen aut captos, aut cęſos hoſtilib. reliquis adimerent. ad quã rem cum omniũ æquè flagrarent animi, & quantulacunq; cunctatione ſemper aliquã rei bene gerendę opportunitatẽ amitteret, ilicò incitatis ad curſum equis, fugiẽtes perſequi inſtituũt: & caſtris præteritis (eo q̃ nõ magnũ ibi ſe operæpreciũ facturos exiſtimabant) ad nouiſſimũ hoſtiũ agmen peruenerunt, ubi tantã ſubitò multitudinẽ cæcidêre, tamq; fertilẽ poſt ſe cadauerũ ſegetẽ reliquêre, ut nullũ fruſtra telũ quiſquã direxiſſe uidereᵗ. Nam cum diſperſi (ut in fuga fit) eſſent hoſtes, nec primi ultimis ſubſidio uenirent, ꝓpterea q̃ ſe procul à periculo abeſſe crederẽt, facilimũ fuit noſtris, ingentẽ ſtragẽ fugientib. inferre. Verũ longius ꝓgreſſi, cũ nulla uſq; impedimenta, quę tardius & plerũq; in ultimo agmine ſequunᵗ, offenderẽt, ſuſpicati id quod erat, retrò adhuc haud exiguã hoſtiliũ copiarũ manũ circa impedimẽta in inſidijs abditã eſſe, q̃ ne à tergo inopinãtes inuaderet, & receptu ad ſuos ꝓhiberet, ſubueriti: inter ſe cõſultant & ab his qui rerũ uſu plurimũ ſapiebãt, ſententias exquirũt, quid quiſq; optimũ factu iudicaret. aliijs q̃ aliud adferentib. placuit quorundã ſentẽtia exiſtimantiũ unũ omnino optimũ & factu neceſſariũ eſſe, mittẽ dos uidelicet exploratores qui renunciarẽt, quo in loco & quãto numero hoſtes ſe abdidiſſent: et interea ne timoris ſuſpicione fugientib. redeũdi occaſionẽ patefacerẽt, eadẽ quidẽ fallacia hoſti ut antè imminendũ eſſe, ſed diſſimulanter & minori cum feſtinatione: idq; duas ob cauſas, ut & hoſtes longius abacti, ſuis, ſi nobiſcũ cõfligerent, auxiliũ ferre nõ poſſent: & ut noſtri accerſitis ex ciuitate copijs, ſi opus eſſet, maturè ſe iungerẽt: & infeſti exercitus reliquias facta undiquaq; irruptione, ita opprimerẽt, ut nullus, qui poſtremã eius belli cataſtrophen ad ſuos deferret, relinqueretᵉ: & quæ dixi antè, facta ſunt omnia celeriter. miſſi exploratores, qui renunciãt in caſtris latêre hoſtes. miſſi & ad ciuitatẽ nuncij, ſocios ſe cum circa hoſtiũ caſtra deducũt: & ij qui fugientib. inſtiterãt, relictis paucis q̃ fines cuſtodirẽt, obuiã ſuis ad caſtra oppugnanda reuerſi ſunt. In itinere duos capiunt, genere, ut poſtea compertũ eſt, non ignobili, qui à noſtris uitã pacti, omnia ſuorum conſilia ꝓdiderunt: nimirum aliter multo quàm rati eſſent ceciniſſe. Nam cum ſoluendę obſidionis ſimulatione oppidanos eijcere, et duab. utrinq; copijs incluſos cogere ad præliũ cõmittendum conſtituiſſent, præter omnium opinionem, ſimulationẽ in neceſſitatẽ conuerſam, magnum ſuis detrimentum, rerumq; omnium deſperationem attuliſſe. Sed cum his qui in inſidijs relicti erant, nihil ſpei in fuga ſupereſſet, & neceſſe eſſet eis aut pugnando

uiam

uiam ad eruptionem patefacere, aut nostrorũ oppugnationem expectare, nec utrumlibet horũ satis tutũ factu arbitrarentẽ, eo ꝙ nulla agri pars, qua aliqua sperari euasio posset, præsidio careret, & uiribus ac militũ numero longè infra nos essent, subitũ tamen ex tempore consiliũ capiunt: & castra quæ latiora ꝙ pro suorum militũ paucitate essent, incredibili celeritate angustiora faciũt, & uallo pedum 13. & fossa 17. pedũ altitudine cõmuniunt: ac insuper omnia quæ deesse operi uidebantẽ, perficiunt: statuuntꝙ potius aliquantula sedulitate oppidanos morari, ꝙ in certissimã perniciem se conĩcere, propterea ꝙ in altero aliqua melioris spei conditio appareret: posse nimirum fieri ut interea à suis, quos nondũ tam procul abactos credebant, subsidiũ mitteretẽ. Ad quam rem etiam peropportunũ erat legationibus ultrò citroꝙ factis tempus consumere. Itaꝙ primum omniũ Imbriuascha harum copiarũ præfectus, Mameluchum quendam natione Italum ad Palatinũ & proceres misit, qui diceret Solimannum Turcarũ Imperatorem nunquam tam diuturna obsidione Viennã solicitaturũ fuisse, nisi credidisset maximas in ciuitate copias esse, atꝙ adeò regem Ferdinandum, cum quo ut prælio contenderet, finibus suis excessisse, nõ tam dominandi libidine, quàm ut de iniurijs quas ab eo accepisset, se ulciscereturNec unquam ciuitati, si uicisset, absente rege contumeliam facturum fuisse. Cũ hac legatione, cuius, ut diximus princeps erat Mameluchus, duos captiuos remittit, alterũ nobili genere, alterũ de plebe natum. Quos cum ciuitas recepisset, totidem remittit. et proceres legato respõdent, se regias iniurias ꝙ suis ducere: et si quid in eius maiestatẽ iniquius molirentẽ, putare id omnino ad se pertinere: et quòd nõ crederent, sibi nociturum nõ fuisse, si succubuissent. quare eos nũc ut antea semper pro hostib. ducerẽt: nec posthac purgationes ullas aut legationes admittere constituissent, ipsi suis rebus modo quo possent optimo cõsulerent. Quę respõsa etsi hostes facile intelligerẽt, eò tendere quòd minimè uolebant: & nulla res maiorem eis hoc rerum casu difficultatẽ adferret, quàm necessariorũ omniũ defectus, obstinatè tamen omnia potius ferre, ꝙ ultrò aduersariorũ cotumelijs se præbere constituerunt. Mittuntẽ inprimis ad Solimãnũ literę magnis propositis pręmijs, qui eas pertulissent: uerũ omnib. uijs obsessis, missi intercipiuntẽ, & nostri maximis copijs castra oppugnãt, illi resistunt. Idem deinceps cum sæpius à nostris iteraretẽ, & hostes nullũ ne nocturni quidem temporis laborem intermitterent, tandem deficiũt: & uix nostrorum incursum sustinentes, inter spem metũꝙ ambigui, per eam castrorũ partem quæ ad Septentriones pertinebat, eo ꝙ diuersa ab hostib. & præ alijs fugæ opportuna magis esset, ingẽti clamore erumpũt: rati melius esse, cum omni spe salutis destituerentẽ, experiri quid fortuna, quæ subinde desperatis rebus afflictos respicit, largiretẽ. Nostri uenientes excipiũt, & maximã partem interficiũt, pręter paucos qui elapsi ex prælio, cuius ubiꝙ tristissima facies & formidabile spectaculũ apparebat, incertis itineribus ad suos euaserunt. Impedimenta omnia quæ hostes in castris reliquerant, inter milites diuisa sunt, ijs tantum usui publico reseruatis, & in armamentariũ Senatus populiꝙ redactis, quæ & publicè prodesse, & sine magno cõmodo à singulis possideri poterant. Sic tandẽ Dei Opt. Max. beneficio Austria ab hostili trepidatione liberata est, & ij quorũ præcipuè uirtus in hoc periculo enituerat, maximis prę-
mijs & honoribus à Repub. affecti æternã sibi famã & uirtutis opinionem immortalem pepererunt.

At Solimannus cum se capiendæ istius ciuitatis spe decidisse, nec quicquã nisi ut instauratis uiribus eôdem reuerteretẽ ad pristinã belli gloriam retinendam, superesse intelligeret: aliquandiu respirãs, donec ex postrema hac calamitate cõualuissetiterũ in Hungariã non minorib. ꝙ antea copijs proficiscit, & Gunsium Hungariæ exiguo intus pręsidio custoditum, factis aliquot oppu-

gnationibus eò redegit, ut missis ad eum de deditione legatis, etiam iniquissimas cõditiones sibi præscribi pateret. Quod factũ, cum ad Carolũ v. & Ferdinandum fratres delatũ esset, qui id temporis Ratisbonæ comitia de rebus imperij contra Turcarum uiolentiã conseruandis agitabant, subitò ex omnibus Germanicę militiæ ordinib. exercitu coacto, in Austriam nullo tempore intermisso cõtenderunt: hostemq; qui iam longè lateq; per Hungariã & Austriam grassatus, ingentes prædas fecerat, Belgradũ usq; unde exierat retrocedere, & nostri exercitus furorem declinare cõpulerunt. Habebant eo tempore Christiani maiorẽ fortioremq; exercitum, q; antea nunquam à Constantini usq; tempore Romanum Imperiũ sub signis militarib. eduxerat. Turca armatorum ducenta millia, Christiani peditũ millia octoginta: equitũ galeatorũ ex Germanis, Italis, & Hispanis præter scutatos Hungaros ad 30. ferè millia coegisse dicebant; quas copias si fortuna semel cõmisisset, nõ dubiũ est quin aut Turcæ Christianis, aut Christiani Turcis fuerint imperaturi. Sed quia uel sic necesse erat, uel id mores nostri magis indies magisq; degeneres meruisse uidebant, uitauit cõfligendi opportunitatem Solimannus, ut maioribus posthea nos ureret calamitatibus, ad quas haud cõtemnendos sibi fecit introitus, cum Principũ nostrorũ inter se dissensiones opportunã prædæ Hungariã effecissent, quarũ custos oculatissimus Solimãnus singula ponè momenta, ne uel minimã benè gerendæ rei occasionem amitteret, obseruabat. Et denuò Budam Hungariæ sedem, de qua cum monacho regij infantis tutore Ferdinandus cõtendebat, utroq; repulso occupauit: q̃d paulo altius ab ipsis initijs operę preciũ est, repetere. Ioannes Vaiuoda, de quo antè diximus, ut Ferdinando Budam, aliaq; Hungariæ loca munitissima per fraudes extorserit, is cõfirmatis in hoc regno uiribus Budam annis non paucis inter duos hostes in pace continuit, sic tamen ut non absit suspicio quin quotidianis apud Solimannũ deprecatoribus institerit, ut eam ciuitatem in pace haberet. Moriens, filio infanti, quia per ætatem rerum administrationi non erat idoneus, Georgium monachum testamento tutorem scripsit, qui statim Transyluaniã totam, Budam, Pestam, & quod reliquũ in Hungaria Vaiuodæ patri paruerat, ut puero quoq; fidem daret, sacramento adegit. Cuius rei fama cum ad Ferdinandum delata est, qui id tẽporis Haganoæ fratris nomine cum potentissimis Germaniæ procerib. comitia habebat, posthabitis omnib. conscripto q; extemplò exercitu, in Hungariam proficiscit priusquã aucta monachi potentia & auctoritate omni spe recuperandi regni excluderet, Budam obsidet. Mittit ad eum legatos monachus, dictitans habere se quæ ad utriusq; dignitatem & salutem conseruandam pertinerent, & cupere de ijs colloqui, diemq; quam uellet ei rei constitueret. Accipit conditionem Ferdinanddus eo lubentius, quòd crederet monachum redijsse ad sanitatem, & sine sanguine hanc ciuitatem restituere uelle, quam tanta iniuria tantaq; armorum pertinacia pater contra se defendisset.

Cum dies colloquio dictus aduenit, egreditur cum suis Monachus, quibus (si quid accidisset) salutem suam & defensionem commendauerat, iussitq; aliquantulo interuallo ab hostium castris subsistere, ipse in æquam planiciem parí ferè spacio à copijs utriusque constitit. Processit & ex altera parte Ferdinandi, legatus. uix adinuicem porrecta utrinque hasta cõuenerunt, cum mox soluta spõtè inter nostros bombarda detonuit, quæ solis (ut creditũ est) feruore calefacta in manibus sclopiarij exarserat. quã cum monachus in se dirigi existimaret, retrocedens: Abi perfide, inquit, & ad tuos reuertere. mox scies quid sit hostes per fidem in colloquio circumuenire: eductoq; ense, Per Deum, inquit, iuro, nunquam posthac apud me fides Christianorum ualitura est. Et sic re infecta utriq; ad suos reuerterunt.

Monachus Legatum ad Turcas continuò mittit, qui ab eo auxilium contra

A tra Christianos petat, promittit se illi liberam Hungariæ possessionem daturum, si Ferdinandi copias, quæ tum Budam obsidione tenebant, afflixisset, & confecisset. Mox aduolat cum incredibili multitudine Solimānus: & Ferdinandi copias, maxima tamen suorum clade, fundit fugatq; : nec satis scio an aliàs funesta magis uictoria potitus sit. Budam rursus occupat, & Pestam ex altera Danubij ripa sitam arcem, firmissimumq; propugnaculum expugnat, ubi ingentem inuenit armatorum omnis generis supellectilem. Stridonium, Quinqueclesias, aliaq; loca & arte & natura munita tam celeriter occupauit, ut auditu ferè sit incredibile. monachū cum infante & uidua Vaiuodæ matre infantis in Transyluaniam misit, ut illam prouinciā, quantum in se esset, omni metu solicitudineq; uacui possiderent. Hactenus incredibili ab. nostra parte auctus uictorijs, ut apud cæteras quoq; gentes illustre sibi nomen & quoquouersus formidabile compararet, primùm in Aphricā, magna ad eam rem classe instructa, transmittit: & Tunetanum regem iam tum nihil hostile timentem aggredit, & regno exturbat, omnibus in ppinquo locis cędibus, rapinis & incendijs desolatis, infinitam hominum multitudinem sub iugum mittit, et durissimam more suo seruitutem seruire coegit, donec Carolus v. Romanorū Imperator indignissima istius regis fortuna & iustis querelis excitatus, quia Romanorū societatem multis annis sanctissimè coluerat, eodem quoq; expor tu Siculo maxima potentia traiecit, & regem regno, plebemq; afflictissimā pristinæ libertati restituit: & tam firmis ea loca contra Turcarum uiolentiam & irruptiones præsidijs communiuit, ut tanquam desperata in posterū ab ea parte uictoria, & Germanorum potentię cedentes ad Persas usq; diffugerint: cum quibus ambigua diu fortuna conflictantes, semel uictores, occupata Tauro ciuitate, euaserunt. qua uictoria cum insolenter uterentur, nec cogitarent q;
B antea sæpe factum audierāt, tantas esse Persarum opes, tantamq; apud eos hominū copiam, ut si quid in bello detrimenti accepissent, nō modò idbreui tempore sarcire, sed etiam maioribus adaugere copijs celeriter consueuissent. Oppressi itaq; in eadem ciuitate Turcæ Persarū disciplina & celeritate omnē Imperij supellectilem, & pręcipuas regalis fastus diuitias amiserunt. Illinc rursus in Greciā reuersus, Zacynthū, Cythera, Parum, Aeginam, Naxū, totā deniq; Tyrrheni maris oram deprędat, & Styriam undiq; latrocinijs infestā facit. Dalmatiam quoq; quæ præsidijs Hispanicis, qua adiri ab hostibus poterat, defendebatur, incurrit: & Castellū Nouum expoliat, omnibus intus armatis inermibusq; trucidatis, eo quòd dededitione legatos mittere neglexissent, priusquam certa penes hostem uictoria constitisset. Ex hoc propugnaculo q̄tidianis excursionibus Turcæ longè lateq; Christianos impunè lacessere, & maximo subinde incōmodo poterant afficere, propterea q; introrsus situ brachijs utrinq; nostrarum terrarū circunsideretur. Quæ quia rarius incoluntur, haud facilè, quamuis exiguis hostium copijs & incursionibus resistūt. Sic ueluti imperium per Dalmatiam, Styriam, Carinthiam & Hungariā, omniaq; Europæ extrema consecuti sunt: eoq; potentię paucis retrò remporibus euaserunt, ut uideantur omnes cōtra se Christianorum conatus facilè cum uolent, parua resistentium manu ludificaturi.

Cuius rei exemplū annis superioribus ediderunt, cum Ioachimus Brandeburgensis ab Imperio contra Turcos incredibili ex omnibus undiq; nationibus & terris coacto exercitu ad Budam Hungarię sedem recuperandam emissus est: quem furentē primò, & uelut armis omnia subacturum ita cōpescuerunt, ut infecta re, contentus fuerit, priusquam etiam calamitate afficeretur, ab armis discedere, & maximo pudore ad suos reuerti. Quod cum eum facturū intelligerent hostes, aliquā omnino de illo uictoriam priusq; discederet aufe-rendam rati, in dextrā exercitus nostri alam, quā ferè totam Belgæ obtinebāt,

irruptionem fecere, undequingentos uel amplius uiros fortissimos abduxe- A
runt, quos nõ interfecere, sed inauditis & tristissimis mutilationib. deforma-
tos, in uniuersam Græciã dimiserunt, ut fama recentis uictoriæ per omnes is-
lico terras et populos diuulgaret. Supplicij aũt genere uno in omnes usi sunt.
Primùm candenti ferro dextrum brachiũ traijcientes, effecerũt, ut posthac (si
unquam ad suos reuerterent) inutiles essent operi & militiæ. Deinde uerticẽ
capitis ad caluariã usq; detonderunt ea ferè latitudine, qua plerunq; monachi
regulares coronas gestant. Ac tertiò penem ex ordine omnibus execuêre. q̃d
uulnus ut maximæ eorũ parti lætale extitit, ita paucis qui ei malo superfuêre,
quauis morte duriorem acerbioremq; uitam reliquerunt. Et ne quis cõmen-
titium hoc, aut leui auditione ad nos peruenisse existimet, annis superioribus
cum Viennę in Austria degerem, datũ est mihi unum ex istis uidere, qui fortè
elapsus Viennã peruenerat, & ulterius in Belgas Bruxellã usq;, ubi uxorem
& liberos discedens reliquerat, reuertisset, nisi putasset (ita ut erat) amissis uiri
libus se minimè gratum uxori affuturum.

Sed ad Solimannũ reuertor, qui fœdera subinde cum Christianis pepigit,
quibus tamen obligari se haud diutius credidit, q̃ non magnũ aliquod ad ea
uiolanda operæ precium esset cõsecutus. Sic Venetis insulas aliquot & ditio-
nes eripuit, sic ingentes egit per Siciliæ & Cãpaniæ litora prædas: magnãq;
hominũ frequentiã, qui se inducias fide tutissimos esse credebãt, in seruitu-
tem abstraxit: et contra Persas pugnans, in prima semper acie, ut suis parceret,
cõstitit: nec referre arbitrat, uirtute ne an scelere & perfidia uincat, dum no-
stras decrescere opes & minui potentiã intelligat modò. Verùm cum fic à su-
peris comparatũ sit, ut aliquousq; impune suis libidinib. fruant homines, et re-
rum præsentiũ opportunitatib. incitati, nihil nõ audeãt sceleris & flagitij per-
petrare, donec ad extremũ erumpat uindicta, & una calamitas superiorũ anno B
rum omnium ulciscat licentiã: sic Solimannus tot & tantis uictorijs elatus, &
tam multis supplicioru generibus in Christianũ sanguinẽ longè lateq; grassa-
tus, fœderis toties & inducias pacta prætergressus, Mustaphã filiũ natu in-
ter cęteros maiorẽ amisit, maximis, ppositis præmijs, si quis amissũ filiũ seu ui
nũ, seu aliàs q̃modocũq; posset indicasset: cumq; nullus ꝓdiret q̃ inuentũ à se
testaret, uereri cœpit Solimannus ne sibi, quod pleriscq; maiorũ suorum acci
disse intellexerat, eueniret: ꝓpterea quòd eum animo esse feroci, & ad regnan
dum cupidissimo nõ ignoraret. augebant prętera suspicionem nutricis que-
relæ, quæ sibi nõ semel ab ipso imperatũ confitebat, ut fratrem natu secundũ
quem à parentib. prę se dilĩgi ægrè ferebat, interficeret. Nec multo pòst auditũ
est, Persas maiore q̃ antea nunquã exercitu in Armeniã incumbere, ipsumq;
cum hostilib., copijs Mustaphã tam crudeliter paterni imperij fines affligere,
ut omnia illico, nisi maturè obuiã iret, eius furori cessura uiderent. Nam priu-
quam Solimãnus se probè rebus omnib. ad tam magnã militiã ineundã cõpa-
ratis instruxisset, iam filius ei duodecim potentissimas ciuitates & agros fru
gum omniũ abundantia lętissimos ademerat. quæ calamitas sic eum affecit, ut
multis posthac temporib. à cõcepta totius in Christianos expeditione absti-
nuerit, donec anno superiore Christianorũ inter se dissensionib. experrectus,
prius cõsilio et insidijs q̃ bello tentare cœpit, num q̃d posset in Trãsiluania ꝓfi
cere. quæ fratris Georgij Monachi & Petri Vuisco ęmulationib. perturbata,
facile admissura nouũ dominũ uidebat. Verũ cum res ab hac parte succesſu ca
ruisset, et monachus à Ferdinãdi regis militib. eo q̃ regẽ cũ exercitu, ꝓdere ho
stib. cõstituerat, nocte intẽpesta obtrũcatus esset, hinc in Aphricã trãsiliens (q̃
maxima distãtia est) Tripolim Christianorũ aduersus barbaros in Aphrica-
no litore ꝓpugnaculum eò angustiarũ redegit, ut dedere se hosti etiã iniquis-
simis conditionib. cogeret, quod tunc accidit, cum Galliarum rex Henricus

Carolum

A Carolum Quintũ Ro. Imperatorem ad Parmam distineret, nec satis maturè obsessis submitti auxilia possent, propter ingentes tumultuationes, quibus eo tempore tota undiq; flagrabat Italia, & præcipuè Neapolis, omnium ferè inter duos potẽtissimos orbis monarchas discordiarũ seminariũ. quæ cum magis indies magis'que glisceret, & non facile ab armis discessuri uiderentur, priusquam alterum alter supplantasset: Turca nunquam sui immemor, terra mariq; Christianos lacessere, & intolerandis fraudibus quacunq; occasione circumuenire, præsertim in finibus Hungariæ, ne Carolus & Ferdinandus fratres Imperatores plenis uiribus cõtra Gallum iungerentur, quo ipse sibi iam tum, ut fama est, arctissimo amicitię fœdere deuincto utebatur. etsi non ieuem quoq; ab ipsis Hungaris rei bene gerendę opportunitatem accepisse uideretur. Inter quos alij qui loca aliquot præsidijs prouincialibus infesta per iniuriam occupauerant: alij qui regia castra oppignorata minimo precio possident, Turcam indies sollicitauerint, ut opportunitate præsentis temporis utatur, & modò Hungariam Christianis inter se ciuili discordia diffidentibus inuadat, non dubium fore quin tota illico sine difficultate potiturus sit. Id autem propterea hortantur, ne loca, quæ (ut antè diximus) exigua pecunia habent oppignorata, quæ mox redemptum iri intellexerunt, restituere Ferdinando cogantur. Et certè omnino his opportunitatibus usus erat Solimanus, nisi eum domesticæ calamitates quamplurimæ & maximæ à proposito reuocassent. Nam cum ex omnibus undique terris maximas copias numerum'que militum incredibilem coëgissent, & iam in procinctu esset, ingens illicò pestis & contagio inuasit exercitum: qui cum diu uno in loco contineri non posset, & omnia in circuitu corrupti aeris contagione implerentur, eò tandem scabies militaris progressa est, ut totam ferè Thraciam, Macedo-
B niam, Bithyniam & Hungariam uno quasi funere & tumulo polluerit. Imò etiam in ipsam Austriam hoc malum se tam latè & crudeliter insinuauit, ut ferè necesse sit nouis alicunde deductis colonijs uacuas mortuorum sedes mansiones'que occupari. Et hæc fuit causa quouis bello detestabilior, quæ Rempub. à summa armorum expectatione in ocium & tranquillitatem conuertit. etsi hac calamitate non ita resederint animi hostium, quin aliquãdo speciem aliquam intermissi furoris ostendant, factis subinde excursionibus, & quà ad nostros tutum habent accessum, pecoribus abactis. segnius tamen negligentiusq; quàm antea, eo quòd fama sit Moldauiæ Despotam, regulum potentissimum, & hactenus multis annis Turcæ addictum, ad nostras partes defecisse, & Germanorum amicitiam deinceps sanctissimè colere constituisse. Idem de Podolia futurum promittunt, crebri ad Ferdinandum missi nuncij, qui grauiter de Solimanni iniurijs conqueruntur, nec ultrà uidentur iniquissimi principis societatẽ toleraturi. Quid dicam de Moscouita & magno Prussiæ Domino, qui non obscurè sui animi & uoluntatis significationem qualis sit declarauerunt, cum anno superiore ad Ferdinandum cum minimè barbara auri argentiq; supellectile legatos miserunt: quorum mandata etsi uulgo ignorentur, non dubium tamen est, quin aliquam conspirationem in communis hostis perniciem conceperint, ut Christiani principes cum barbaris illis regibus in unum fœdus & societatem coalescant. Quod si fiat (ut speramus) quid restat nisi ut ab Oriente in ultimas Occidentis angustias superbum illud & minax Turcarum genus deposito supercilio profligetur, & sentiat non posse perpetuum aut stabile esse imperium, quod per scelus & proditiones occupauerit.

RERVM TVRCICARVM LI

BER III. QVI CONTINET BREVITER RES TVR

cicas in annos singulos distributas, eodem Ioanne Ramo autore.

OTTHOMANNVS.

HIc tertius liber nihil diuersum à superioribus continet, & quòd ea quæ tum à Secundino tum à nobis latius sunt exposita, hic in angustum, memoriæ confirmandæ gratia, reuocata sint, cum fideli ac dilucida temporum & annorum supputatione, ut ne quis ignoret, quid eorum quæ antè dicta sunt, quóue tempore aut ordine contigerunt. Cõtrà ruresum, quæ ab ipso Secundino nimio subinde compendio omissa uidebãtur, seorsim hoc tertio libro suppleuimus, ne uetustissimi & tersissimi autoris opusculo tenebras offunderemus, qui debebat aut omnino nõ, aut sanè castus & incorruptus è nostris manibus in publicum proficisci. Et ut ab ipsis rudimentis rerum Turcicarum historia cognoscatur, non potest hoc prætermitti, quòd imperãte apud Romanos Heraclio, anno post natum Christum sexcentesimo Mahumetus apud Saracenos suę sectæ fundamenta ac seminaria fecerit: quæ indies magis magis q̃ aucta, non finitimas tantum & Arabiæ attributas prouincias, sed maxima & remotissima regna imbuerũt, Aegyptum, Syriam, Asiam, & Aphricam: in quibus cũ præcipuè uirtute & opibus Turcæ à Scythis oriundi eminerent, & Mahumeticis institutis legibúsque uterentur, ut auspicia quædam prorogandi nominis sui facerẽt, fatali quadam ambitione de se Turcicum regnũ, quod antè Mahumeti nomine insigne erat, appellauerunt. In quo ueteris nobilitatis indole & gloria exolescente, nouorum hominum familiæ quatuor sunt exortæ, quæ plus cæteris rerum gestarum excellentia pollebant circa annum 1280. Asambaci, Cãdelori, Caramini, Othomani, qui (ut plerunq̃ fit) rati melius esse solidũ penes unum quàm in tot capita distractũ esse imperiũ, mutuis inuicem dissensionib. deleuerunt, sola post alias Othomano rũ familia ab Othomano Zichi filio nomẽ adepta superstite, qui (ut diximus) regulis Turcicis passim trucidatis, & excusso Caliphe Sultani iugo, regem se constituit Turcarum. Bithyniam, Cappadociam, cæteraq̃ Ponto Euxino propinqua loca imperio suo adiecit. In quo summa uicinorũ omniũ iniuria annis octo & uiginti uersatus est. Alberto Austriaco Imperium, & Bonifacio octauo Pontificatum gerente, circiter annum 1300.

ORCHANES.

HVic filius Orchanes anno 1328. successit. Qui Mysios, Lycaonas, Cares, Phrygas, cæteraq̃ ad Hellespontum usq̃ loca longè lateq̃ subiugauit, & à Cãtacuzeno, contra Palęologos de summa rerum inter se contendentes, in Græciã accersitus, Prusiam amplissimã urbẽ (de qua ferè omnis inter Grę cos erat controuersia) sibi uendicauit, ibiq̃ regiã paterni imperij sedem constituit: qui locus adhuc hodie sepultura Turcarum celebris est. Caramanũ quoque generum suum maximis contumelijs affecit: cui prærer pacta & conuentiones ademit ciuitates quãplurimas, filiumq̃ etiamnũ impuberem & uixdũ decennẽ per insidias trucidauit, ne si unquã adolesceret, paternas iniurias ulciscereturꝰ. Tandem cõtra Tartaros infeliciter pugnans occiditur: etsi alij existiment ex uulnere ad Prusiam accepto interijsse: utcunq̃ sit, parũ refert, dũmodo meminerimus ne à recta temporũ supputatione abducamur. Regnauit enim communi omnium calculo annis duobus & uiginti, quo tempore Ludouicus Bauarus Romanorum imperium administrabat, quos si superioribus addas, efficient 1350. annos.

AMVRASES.

AMurates Orchanem patrem mox in regno secutus est, & à Caiacusino, cui cum alio contouersia de imperio Constantinopolitano exorta erat, in Euro

A in Europã ex Asia uocatur, ut ei auxilium contra competitorem ferret. quod bellũ de industria trahens Amurates, per speciẽ maioris auxilij ex Asia transportandi, Callipolin ad fauces Hellesponti ac Bessos, Tribalos, Rhodopen, Orbelum, aliasq; circà ciuitates occupauit. longiusq; progressus, nõ paruam Thraciæ partem sibi subiecit, latosq; in ea fines multitudini ad incolendum descripsit. Adrianopolin regiæ sedẽ cepit anno 1363. cumq; magnas per Bulgariam, Seruiam et Mysiam superiorẽ prędas ageret, Lazarum Seruię Despotam in campis Cassouijs obuium & rebellantem cępit. quẽ quia cõtumeliose ac parum humaniter habebat, à ministro domini sui iniurias molestè ferente, Amurates pugione confoditur, anno Christi 1373. Regnauit igitur annis 23. temporibus Caroli Quarti, & Georgio undecimo Pontificem agente: relictis duobus à se filijs, Solimanno seniore, & Baiazete natu secundo.

BAIAZETES.

CAede Amuratis diebus aliquot interregnum fuit, nimirum rixantibus inter se de successione fratribus, quorum alter qui iunior erat, cum iure destitueretur, alterum per insidias sustulit, persuasus flagitium non esse quod quisq; regnandi causa faceret. Marcum Craienicum Bulgarorum regem eodem quo regnum ingressus est anno, cum uniuersa ipsius nobilitate prelio superatum interfecit: eaq; uictoria ferocior, illico ad Thraciam, Thessaliã, Macedoniã, Phocidem, Bœotiam, & Atticam regiones potentissimas fructuosissimasq; occupandas animũ adiecit. quod propositũ cũ celerius quàm pro terrarũ magnitudine impleuisset, finitimis ppinquisq; omnibus tantũ timoris incussit, ut undiq; legati ad eum à regulis mitterentur, qui se in eius societatem et clientelã insinuarẽt. Cęteros autẽ qui id facere neglexissent, armis eousq; fatigabat, donec ultrò suarũ rerũ angustijs et difficultatib. eo impellerent. Inter
B quos Mysij, Croate, Illyrici, Albani, Valachi fuisse cõmemorant, quos (quia bellicosiores sunt & egregius q; Medi, Persæ, aut Phocides iugum recipiũt) ita excursionib. populationibusq; cõtriuit, ut erigere se ad repugnandũ nequirent, anno (ut creditur) 1379. à quo tẽpore usq; ad annũ 1389. Imperatoriã affectãs sublimitatẽ, Cõstantinopolin obsedit: quæ cũ pertinaciter resisteret & ipse aliijs alibi necessitatibus armisq; premeret, coactus est ab ea, re infecta, discedere, imminentib. nimirũ à tergo Scythis, quorũ Tamberlanus interfectis Turcis ad ducẽta ferè milia regem quoq; ipsum Baiazetem captiuum è prælio abduxit, tantisq; insuper contumelijs affecit, ut equum ex eius dorso plerunq; conscenderet. Medos ei & Armenios abstulit. Totamq; Aegyptum tam fœdè populationibus & rapinis maculauit, ut nullo unquam tempore sui simílis futura uideretur. qui rerum status Turcicum regnum ab anno 89. ad 97. usqueannum afflixit.

CALEPINVS.

CAlepinus Baiazeti filius, cæteris fratribus, quos complures habebat, apud Scythas captis solus euasit, & regnum paternum adeptus est, quod non amplius annis sex administrans, iuuenis admodum uita defungitur anno 1404. Huic noster Secundinus memorabilem illam Turcarum contra Christianos ad Nicopolin uictoriam attribuit, cum ab aliijs ferè ad patrem Baiazetem referatur. utcunq; sit, damnosa admodum Christianis fuit. quam quia pulchrè Paulus Aemilius libro historiarum decimo de rebus gestis Francorũ recensuit, operępreciũ mihi facturus uidebar, si eam inde ad uerbũ huc transferrem. Ceperat, inquit, nobilẽ urbẽ (eodẽ quo & in Epiro & in Asia aliæ sunt nomine) Nicopolin Burgũdio iã Budã peruenerat, copiasq; cũ Sigismũdo iunxerat. Ibi consiliũ de ratione belli gerẽdi habitũ. Placuit primo quoq; tẽpore in hostẽ mouere, & uti ardore militũ pugnã & hostẽ poscẽtiũ, Danubiũ trã seũt.

Vbi

Vbi in Bulgariam atq; hosticũ uentum est, ignobilia oppida præsidijs Turcarum insessa expugnant. Sui fiducia ac hostiũ contẽptus indies augetur. Vno etiam satis magno prælio Franci victores captiuos interemêre, nullius uirtuti, nullius nobilitati parcentes: ac quasi certa uniuersi belli victoria in omnẽ luxum, lasciuiã, libidinẽq; effundunt. Auditas etiam apud nostros eorũ uoces, Ioãnes Hungarus scribit, illis hastis quæ in Turcas ferrent, non modò hominem nõ metuendũ, sed & cœlũ ruens sustineri ac fulciri posse. quã dicti uecordiam uindex cœlestiũ uis magna piorũ cęde ulta est. Ad Nicopolin castra nostra castris hostiũ collata sunt. Sigismũdo placebat ut Hungari Turcicarũ rerum periti prima in acie cõsisterẽt, Frãci agmen clauderẽt. Id ignominiosum sibi ratus Audacis filius Audax, in Turcas cum suis ruit, priusq; concurrit q̃ è castris Sigismũdus signa efferret. pugnauerũt tamẽ Frãci egregiè, cumq; hostiũ sagittis equi cõfoderent, ipsi cataphracti ex equis desiliũt. plures q̃ pro suorũ numero occidũt hostiũ. Nec dubia victoria erat, si secũdæ Turcarũ acieirecenti integræq; Hungari & ipsi recentib. illibatisq; uiribus occurrissent. Sed Frãcorũ equi uacui ut strati frenatiq; erãt, in castra cõsternati reuertẽtes errorẽ iniecere. Rati enim Hũgari cæsos socios amicosq;, sese fugæ mandarunt, quã victor mox hostis infestã cruentãq; illis reddidit. Captus Ioannes Burgũdio cũ multis suorũ. Sigismũdus ex effuso cursu nauim in Danubio nactus cõscẽdes, nõ prius fugę finẽ, q̃ in Euxinũ Pontũ delatus, fecit. hactenus Aemilius.

MOYSES.

MOyses Orchanem ex fratre Calepino nepotẽ, ad quem iure regnũ pertinebat, suspendio affectũ humanis exemisse, & regios fasces sibi uendicasse existimatur anno 1405.

MAHVMETVS.

MAhumetus, ab Otthomãno regum Turcicorum septimus Baiazeti filius, annis decem & quatuor regnauit, nimirũ à quinto usq; ad annum decimumnonum. Paternas opes in Asia Europaq; fractas pristinæ dignitati restituit. Daciam, Seruiam, Valachiam, & Bosnam superiorem partim Græcorum Imperatoribus, partim Hungariæ regibus attributas & uectigales prouincias ademit, anno, supra millesimũ quadringentesimum, octauo. Primusq; omnium ex Bithynia in Thraciam iussit ut regia sedes transportaretur, Prusię Adrianopolin pręferẽs, anno ut suprà undecimo. Nec multo pòst cum Sigismundo Romanorum Imperatore Turcarum omnium primus Danubium transgressus, certamen fecit, quem armamentorũ omnis generis supellectile & impedimentis spoliatum in fugam compulit: tantamq; fugienti stragem intulit, ut pluisse de cœlo cadauera uideretur, quæ anno à superiore proximo cõtigerunt. Vnde plenos uictriciũ armorũ fastu spiritus in Macedoniã & totum maris Ionij tractum subiugãdum conuertit. Quibus bellis annis aliquot prosperrimè usus uitam finiuit, anno pro superiorum ratione decimono no, opesq; filio Amurati non auctas, sed sartas & quæ maiorum negligentia perierant, restitutas tradidit.

AMVRATES II.

AMurates annis triginta maiorũ suorũ locũ & dignitatem retinẽs, augustiorem quàm acceperat effecit. Mustapham patruum anno regnorum suorum primo 1419. quia contra eum Græcorum Imperium susceperat defendũ, prælio superatum interfecit: & Græcos (quia patruũ in ipsum concitauerant, armisq; iuuerant) tanta tyrannide uictor affecit, ut plurimę ex propinquo ciuitates ultrò se deditũ uenirent. Seruiã annis octo infestis armis, multis in ea direptis expugnatisq; ciuitatib. deformauit. Nec ulli usquã sexui, ętati, autordini parcẽs, uaria passim cruciatuũ et supplicíorũ exẽpla in captiuos edidit. Ipsosq; Despotæ filios, adolescẽtes supra omnẽ fidẽ pulcherimos oculis effos-

A effossis & exectis pudendis armis & masculis functionibus fecit inutiles, ne possent unquam de paternis iniurijs uindictam facere. Quæ dum ab eo foris geruntur, & domi regnum pacatis in circuitu finibus quietum sibi constituit, anni decem & nouem prætereunt. Insequenti anno 1438. Thessalonicam Venetæ ditionis ciuitatem diripuit. Illinc expedito per continentē itinere, Belgradum usq; (quę maxima distantia est) euagat: quam ciuitatem cum non exiguo suorum detrimento mensibus septem obsedisset, ne nihil egisse uideret, Hungariam, quę se intestinorū motuū gratia, ppinare hosti uidebatur, populari, maximas q; ex agris hominū pecorūq; prædas facere, donec à Ioanne Hunniade haud procul à Sauiripis in fugam cōpulsus est, anno 1439. Quod dedecus anno ab hoc quinto in Christianos retorsit, quorum ad septuaginta ferè triremes angustijs Hellesponti inclusas, armis & tempestatibus afflixit: factoq; ad Varnam prælio, plusquā triginta hominū milia, imò & regē ipsum Vladislaū, & Iulianū Cæsarinū Cardinalē belli suasorem interfecit: præter hos qui periculi uitandi gratia fugientes in plaudibus uulgo locisq; ignotis suffocati sunt. Eodem tempore ueteribus nouisq; subitò cōiunctis copijs, declarauit quid Turcarū in bello disciplina atq; opes possent: q; pulsus ex Isthmo Corinthi Græcorum præsidijs, cęsoq; Imperatoris fratre, totā Peloponesum obtinuit, omnesq; ferè aduersi cōtinētis prouincias, ut in quā q; primò incidit, occupauit, an. 1445. Insequenti anno rursus Hungaria Polonicis auxilijs adiuta in Amuratē exarsit, cū quo aliquandiu uario euentu bellū gerens tam difficilē ei & funestā uictoriā reliquit, ut dixisse Amurates memoret, nolle se tam sæua mercede sępe uincere. Biennio pòst, ad idem ab Hungaris duce Hunniade reditū est, cōtra quos Amurates initio proficisci nō cōstituerat, ppterea q rebus omnibus, langueſcēte indies per ętatē ualetudine, defunctus, filio regni administrationē de
B mādauerat: qa tamē operę preciū se facturū existimabat, si semel se suos q; Hungarico metu liberaret, maximis copijs cōtra eos, pfectus, uicit q dē, sed nō sine fœdissima suorū clade, Hūgaris omnib. interfectis, paucissimis fuga sibi cōsulētib. mox summa rerū filio restituta Prusiā principē Bithynię ciuitatē, reuersus, decessit anno 1450. imperāte apud Rom. Friderico III. et Eugenio Pōtifice.

MAHVMETVS.

CVm se Baiazetes regno abdicasset, Mahumetus à factiosis assumptus est anno 1450. qui primū patre, deinde etiā fratrib. duobus interfectis, summa mortaliū omniū admiratione, breui duo in Oriēte Imperia occupauit, Cōstantinopolitanū an. 1453. quarto Calēd. Maias: & Trapezūtinū an. 1460. de quibus etiā Imperator (quod maiorū suorū nemini acciderat) à suis salutatus est. Athenas expugnauit & incendit anno 1452. Belgradū nō minore ferè potentia q; Cōstantinopolin afflixit: & certè expugnasset, nisi Hunniadis superuentu fuisset impeditus. An. 56. Epirū et Mysiā partim ui, partim dolo cepit. Annis 64. 65. 66. in Syria et Aegypto deuictis aliquot ciuitatib. ingētes clades edidit. An 68. Euboiam insulam, an. 1460 pluribus suorū q; 40. hominū milib. amissis ui occupauit. Illyricū ferè totā eodē hoc anno maiorū suorū uictorijs adiecit, & per Hungariā multas undiq; hominū pecorūq; prędas egit. Persas cùm sępe aliàs, tum præcipuè anno 1474 ad Euphratem fluuiū superauit, à quibus & ipse fuerat biennio antè maximis calamitatibus affectus. Infeliciter cum Stephano Valacho in Moldauia, anno 75. quatuor ducibus & triginta sex militaribus signis captis cōgressus est. Nec semper cū Venetis ei firma pax & concordia fuit, quibus præter alias calamitates q; plurimas Chalcidē & Scodram ciuitates, Leucadiā, Neritū, Cephaleniā, et Zacynthū insulas, rerum omniū ubertate abundātes eripuit, anno 1479. Biennio pòst quod ei supremū uitę fuit, Hydruntum amplissimā Apuliæ ciuitatem expugnat. Rhodū nequicquā obsidet, ac pòst ingenti (ut uixerat) iracundia æstuās mortem moritur anno 1481.

Regna-

Regnauit annis uno & triginta, Friderico tertio rem Romanam gubernante.

BAIAZETES II.

HVnc illico secutus est Baiazetes filius, qui paternum imperium uaria & ancipiti fortuna annis uno & triginta tenuit. Duos habuit fratres: Mustapham, qui uenereis rebus ac uenationib. nimis indulgens, in primo ætatis flore extinctus est: et Zizimũ, qui à fratre Baiazete natu minimo regno eiectus, peregrè uitam finiuit. Baiazetes autem (utantè diximus) posteaquam annis 31. imperium tenuisset, pharmaco uenenato, per filium Selimum dispositio sublatus est, anno 1512.

ZELIMVS.

ZElimi quoq; tẽpora etsi angustissima sint, nescio tamen an cuiuis superiorum temporum Imperatori rerum gestarum magnitudine & excellentia minora sint. Princeps alioqui impietatis & crudelitatis scelere notissimus. Regnauit annis septem, quibus præter alias uictorias Sultanum Aegypti bello aggressus superauit, eo quòd Persis contra se auxiliũ tulisset, eiq; Syriam totam & Hierosolymam ademit. Pòst quoq; duos alios Sultanos uicit, & occidit, totũq; imperiũ Aegypti & Arabiæ sibi uendicauit, anno 1516. Pòst dysenteria ac torminibus diu multumq; cruciatus interijt, anno 1519.

SOLIMANNVS.

MOrs Zelimi Solimãno filio locum fecit, qui mox in initijs imperij sui Gazelli in Syria factiones deleuit. Sequenti anno maius quiddam ausus, Belgradũ in Hungaria, ac post hunc proximo (qui erat 1522.) Rhodũ insulam ipso die Natalis Christi Christianis eripuit. Ludouicũ etiam Hungariæ regẽ impari longè armatorũ numero & iniquo loco cũ eo pugnantem amisimus anno post captã Rhodũ, ni fallor, quarto. Budã firmissimã ciuitatẽ Hungariæ metropolin captis obsidib. in deditionẽ recepit: unde, priusq; recẽtiũ uictoriarũ spiritus lãguescerẽt, Viennã q; q; Austriacorũ iniquissima obsidione sollicitat: à qua multis suorũ, et si uera est fama, plus q; 80 hominũ milib. amissis, re infecta, omniũ rerũ difficultate laborans, discedere coactus est, anno 1529. post quẽ tertio rursus anno Gũsiũ Hũgarię oppidulũ cũ in deditionẽ accepisset, et Carolũ v. ad se pperare p exploratores cognouit, relicto in dedititia ciuitate præsidio, ipse omnib. copijs ad interiora regni pfugit, nõ ausus festinantẽ ad se cum exercitu Imperatorẽ expectare. Quã infamiam ut nouo aliquo facinore deleret, Corradinũ Barbarossam in Aphricã misit, qui Tunetanũ regem regno eijceret, q̃d facinus iterũ susceptit Carolus, eũq; quẽ Solimãnus eiecerat ipse restituit, ut ostenderet ne in Aphrica quidẽ Turcas impunè si socios pop. Rom. offenderent, latituros. Qua uictoria annus trigesimusquintus supra millesimũ quingẽtesimũ illustris fuit. Verùm supra omnes præteritos, unũ trigesimumseptimũ annũ Christianis infestũ fecit. Corcyrã decẽ diebus, sed frustra obsedit. Zacynthũ & Cytheram fœdissimè populatus est. Aeginam, Parũ, & Naxum celeberrimas per Græciã insulas expugnauit: ingentiq; per Apuliã armatorũ multitudine grassatus, totum Tyrrheni maris tractũ cędibus, incendijs, populationibus q; fœdauit. Et ne ullã nobis requiẽ permitteret, mox insequenti anno immissis in Stiriã Martalosis, ingentẽ hominũ pecorũq; prędã abduxit. Hungarisq; ad pugnã prouocatis, Cassianeri ducis nostri exercitus (quẽ ipse pecunia corruperat) opportunitate perfidię usus, feliciter ad Sauum pugnauit. Posthęc transactis annis quibus pacẽ ab eo Veneti pepigerãt, rursum mare illis infestũ fecit, ut nouã annui uectigalis pecuniã emũgeret. Anno proximo eñ 1540. Castellũ nouũ Dalmatiæ oppidum Hispanico præsidio munitum omnibus intus trucidatis expugnat. Budam quoq; ne diutius Hungarici Regis titulo careret ab incolis deditã cõtra Christianos tuendã suscepit. Et Pestum ex aduerso in altera fluminis parte sitũ ui cæpit: propinquisq;

exor-

A exordine omnib. imminens à Stridonio & Quinquecclesijs exordium fecit, quas ciuitates sine ullo ferè negocio cõculcauit, quæ omnia unius tantũ anni sunt detrimẽta. Tres anni à quadragesimo septimo cõtinui, multũ ei calamitatum attulerunt. Mustaphã maximũ natu filiũ ad Persas trãsfugam, amisit: qui cõcitatis in patrẽ Aegyptiorũ, Persarũ et Tartarorũ animis, maximã cũ his pugnans Armeniæ partem & potentissimas bello ciuitates amisit, quas identidem instauratis copijs recuperare laborãs maximo suo incõmodo succubuit.

Cætera quæ huc pertinent, malim lectorem ex his quæ in secundo libro dicta sunt cognoscere.

DE ORIGINE REGVM TVRCARVM COMPENDIOSA QVAEDAM perioche, per Andream à Lacuna Secobiensem collecta.

De Ottomanno. Caput I.

TVrchæ à Scythis mari Caspio uicinis, quos nunc appellamus Tartaros, suã ducunt originem: id quod certè, quũ ex uultu & arrogãtia sermonis, tũ uel maximè ex ferino eorũ bellandi more liquidò cõstat. Qui quidẽ anno circiter noningẽtesimo ab orbe redẽpto, sub Solimano duce fortissimo, quẽ ipsi inter omneis elegerãt, natali solo relicto, inuaserunt Persidẽ, atq; itẽ Asiã minorẽ. Quarũ sanè regionũ B occuparunt maiorem partẽ, latrocinantes magis quàm iustum bellũ gerẽtes. Quia uerò ille dux Solimanus ex Troiana se progenie ortum iactabat, inde putant aliqui à Teucris (sic enim uocabantur Troiani) fuisse Turcarũ nomen, uoce iam corrupta, cõtractũ. Post Solimannũ extinctũ, duce aliquo insigni diu ipsi Turcę caruerunt. Quare pecudũ instar palãtes, modò huc, modò illuc, gregatim suas incursiones faciebant. Anno autẽ 1300. à Christo nato, cœpit Ottomãnus inter eos illustris fieri, nomineq; & auctoritate antecellere, uir ille qui dẽ humili loco natus, sed qui egregiè suũ postea genus nobilitauit. Is igit̃ ob singulares uirtutes animi & corporis, quibus cõspicuus erat, omniũ Imperator electus, breui magnã Bithynię partem subegit, nomenq; familiæ suæ, unà cũ regno, Turcarũ Imperatorib. indidit, qui ab eo per rectã omnes masculinã lineam oriuntur. Cæterùm ubi regni gubernacula gessit annos uigintiocto, excessit ad suum Mahometum, anno 1328. Pont. Benedicto XI.

De Orchane. Caput II.

OTtomãno successit Orchanes filius, industria et glorię cupiditate suo patri non cedens. Duxit in uxorem filiam Ciliciæ regis, quem postea magna regni parte spoliauit. Bellũ Imperatori Cõstantinopolitano primus omnium Turcarum molitus est, tandémque expugnauit Prusam, augustissimam illam regum Bithyniæ sedem. In cuius oppugnationis conflictu, letali uulnere accepto, cum morte coactus fuit conflictari. Imperauit annos xxij. obijtq; Clemente. VI. Pont.

De Ammurate I. Caput III.

HVic Ammurates filius successit, totius Græciæ magna pestis, lues & internicio. Is siquidem homo omnium fraudulentissimus, Imperatoris Constantinopolitani se uerum amicum simulans, anno 1363. numeroso milite instructus in Græciam uenit, ceu hostes ipsius Imperatoris profligaturus: ubi expugnauit Callipolim, Philippopolim, amplissimamq; Hadriano-

polim. Quanquã haud multo pòst tanti sceleris dedit pœnas cõdignas. Nam A
post 23. imperij sui annum, à seruo quodam Christiano, eodemq; animi inuicti,
cuius ipse herum Lazarum Seruiæ principem trucidauerat, pugione confos-
sus est anno 1373. Gregorio IX. Pont.

De Baiazeto I. Caput IIII.

POst Ammuratem Baiazetus filius imperij habenas suscepit, uir celeris &
acutissimi ingenij, sed magna augendæ ditionis suæ flagrãs libidine. Cu
ius etiam uotis fortuna se aliquando indulgentissimam præbuit. Quippe ubi
primùm regnare incepit, omneis ferè Bulgariæ ciuitates deuicit: Hungariæ,
Albaniæ & Daciæ plurimum fecit negotij. Anno 1395. obsedit Constantino-
polim: eamq; expugnasset facile, ni reuocatus à Zamberlano, qui infinita pe-
nè militum multitudine Turcarum fines inuaserat, coactus fuisset ipsam ob-
sidionem resoluere. Victus tandem à Zamberlano ponè montem Stellã, uin-
ctusq; aurea cathena, in ferreo corbe uitam miser absoluit, quem prius Græcia
uix continere potuerat. Obijt autem Bonifacio IX. Pont.

De Calepino. Caput V.

SIc Baiazeto sublato, continuò Calepinus filius regnum amplexus est, pro
utili studens paternæ mederi iacturæ: id quod satis illi feliciter cessit.
Nam quum Sigismũdum bello funditus deturbasset, postea recuperauit com
plura quæ à patre malè fuerant amissa. Cæterùm 6. imperij anno, præmatura
occupatus est morte, Alexandro V. Pont.

De Mahometo I. Caput VI.

POst Calepinũ patrem, dominatus est Mahometus uir militari industria
conspicuus, nec minus in agendis rebus consilio ualens. Qui quidem
ubi 14. annos regno potitus est, concessit fatis anno 1419. Martino V. Pont. B

De Ammurate II. Caput VII.

MAhometo successit ille strenuissimus ac immanissimus Ammurates,
uictorijs & rebus gestis gloriam maiorum suorum obscurans. Qui
quidem præter alia quę peregit feliciter, Scopiam & Nouemontum post lon
gam obsidionem recepit. Venetorum senatui Thessalonicam illam nobilem
ciuitatem eripuit. Ladislaum Poloniæ & Hungariæ regem anno 1444. cum
eoq; multos primores & principes superauit. Vastauit Peloponnesum, Va-
lonam insignem portum ui obtinuit: primusq; Turcarum regum instituit pe
destrem eorum ordinem militum, qui perfidi Christiani existũt, hodieq; Gian
nizari nominantur. Obijt autem Hadrianopoli anno 1450. mense Septembri.
Imperij sui anno 31. Nicolao V. Pont.

De Mahometo II. Caput VIII.

AMmurate uita iam functo, Mahometus II. magno applausu militum si-
bi regni coronam imposuit: iuuenis ut crudeli animo, sic liberalitate
ingenuissimus. Qua quidem continebat in officio atque fide uniuersos. Is igi
tur, fortuna auxiliante, Deo' que etiam ob nostra scelera id permittente, du-
centas urbes Christianam pietatem secutas, in suam potestatem redegit. Inter
quas sanè anno 1453. quarto Calendas Iunias, inuadens Cõstantinopolim, eam
occupauit. In cuius oppugnatione nullæ scelerum facies defuerunt. Non di-
gnitatis, non sexus, non ætatis habita ratio: stupra cædibus, cædes stupris ad-
ditæ. Ipsa diuorum templa diruta. Martyrum ossa canibus suibusq; proiecta.
Omnes Græciæ urbes subegit. Lemnũ insulam, & Mitylenem, haud multo
pòst bello obtinuit, expugnauitq; Eubœã, haud sine maxima Christianorum
strage. Subiugauit magnam Valachiæ partem, Caphã urbem Genuensiũ cę-
pit, Trapezuntij occupauit imperium, Dauidemq; miserũ neci dedit Impera-
torem Christianũ. Et qui multis sęuam mortem intulerat, acerbissimo dolore
colico è uita sublatus est, quinto Nonas Maij, anno 1481. Sixto. IIII. Pont.

De Ba-

De Baiazeto II. Caput IX.

POsteaquam Mahometus hac luce priuatus fuit, plures quidem aspirabāt ad regnum: qua ratione uniuersa Græcia multis dissidijs militum concutiebatur: illis quidem huic, his autem illi fauentib. Factum autem est tandem, ut potioris partis suffragio Baiazetus Mahometi filius, qui tum tēporis erat in Cappadocia, Imperator electus fuerit: uir exquisito iudicio, animoq; ad subeundos labores prompto. Is porrò tertio Imperij sui anno armis Valachiā impetens, ad ipsius Danubij fauces acriter expugnauit Lithostomon. Hungaris bellum cruentissimū intulit. Bellū in Venetos gerēs, eis Naupactum q; & Dyrrhachium abstulit, prorsusq; Dalmatiā depopulatus est. anno autem 1300. die S. Laurentij, Methonem illustrem urbem, ad Venetos similiter spectantem, Turcicę seruituti subdidit. Qua quidem expugnata, omnes præcipuos uiros, inter eosq; eiusdem ciuitatis pastorem, truculenter truncari iussit: cui tam miserando spectaculo scelerum spectatorem exhibuit, uir ut ferino animo sic Christiani sanguinis sitientissimus. Hoc imperante, Hysmael Sophinus cœpit in Persia florescere, qui quidem industria militari præcellens, ei plurimum negotij facessit. Baiazetus igitur iamiam ætate confectus, militum'que efflagitationibus pressus, atq; etiam interdum minis, ultimo filio suo Solino (qui liberalitate quadam insigni sibi omnium animos conciliauerat) primogenitum defraudans suo iure, in uita regno cessit inuitus. Cui quidem beneficio Solinus respondere studens, pharmaco propinato (ut imperaret liberius) illum è medio sustulit: nempe, ut qui orbis uenenum fuerat, ueneno etiam extingueretur. Vixit annos 74. ex quibus 31. egit Imperatorem. Obijt autem anno 1513. interim dum post obitum Julij II. Romæ uacaret Apostolica sedes.

B De Solino. Caput X.

SIc itaque patricida Solinus sibi usurpauit imperium, anno 1512. mense autem Aprili. Qui quidem patrem defunctum sepulchro magnifico ornauit, ut uana & simulata pietate nefandum obliteraret flagitium. Cæterùm in orbem Christianum fuit longè suis maioribus mitior, uir alioqui in suos crudelis, sæuus, inexorabilis. Totum etenim bellandi studium in uicinos Asianos conuertit. Cum Venetis pacem diu intermissam corroborauit. Bello superauit Sophinum. Cairum Aegypti urbem populosissimā, duobus interemptis Soltanis, Turcico imperio applicuit. Multos suæ aulę primores & principes, quorum habebat sibi fidem suspectam, atrociter obtruncauit, interim sanguini proprio non parcēs. Cætera uerò maximus fuit hominū studio sorū amator, grauis, iustus, prudens & temperans, nouarumq; rerū studiosissimus. Qui tandē pestilenti correptus febri, anno 1520. mense Septēb. interijt, Pont. Leone X. Vnicum filium suum Ottomānum Solimanum, unicam Christianorum internitionem, in Imperatorem relinquens.

De Ottomanno Solimano. Caput XI.

PAtre defuncto, Solimanus (qui hodie Turcarum est Imperator) uix pubertatem egressus (heu nimis citò) prouinciā imperandi suscepit, ut opprimeret Christianorum Rempublicā, eamq; tot saucíaret uulneribus. Qui quidem in primis imperij auspicijs omnium opinionem fefellit minimè fieri posse arbitrantium, ut sub agnina simplicitate, quam iunior præ se ferebat, animus immanissimus delitesceret. Quem diu tamen occultare non potuit. Nam ubi Syriam & uniuersam Aegyptum aliqua seditione commotas atque rebellionem molientes, confirmauit in fide & obsequio, Bellogradum, quæ & Taurorum, & Albam Græcam (quæ Germanis Griechisch Vuissenburg appellatur) suo annexuit imperio: haud quidem Hungariæ tantum, sed totius etiam plagæ Christianæ fortissimum propugnaculū. A qua sanè uicto ria obtenta, unum tantū respirans annum, ad oppugnandā illam augustissimā

Rhodon se accinxit, anno 1522. Iunio ipso iam inclinante. Quam quidem uarijs machinis bellicis atq; tormẽtis concussam, Rhodijs equitibus in deditionem receptis, sexto ferè obsidionis mense expugnauit, cum maxima gloria sua, & insigni principum Christianorum dedecore. Postea uerò in Hungariam mouens totam expeditionem, exercitum Ludouici Hungarorum regis infœliciſſimi, occurrentem, sed malè instructum, uastauit, anno 1526. tertio Caiendas Augusti. Quo in prælio acerbiſſimo Principes qui regem comitabantur, altis & progidiosis uulneribus ad unum omnes confecti sunt. Ipse autem infœlix Rex in quadam fossa stagnanti, quam fortè gratia recreandi æstuantẽ equum accesserat, sub ipso equo extinctus repertus est. Post quam Christianorum longè funeſtiſſimam cladem, exercitum uersus Salinum (quam hodie appellamus Budam) urbem Pannoniæ detorquens, Rhocam in ditionem recepit. Iuliobonam (quæ uulgò & Vienna dicitur) sæpius occupare conatus est, sed incassum tamen: quippe nostrorum uirtute semper cum pudore receſſit. Anno 1539. Castrum nouum per Barbarrhossum, Turcicæ classis præfectum, obtinuit non sine insigni ueteranorum militum cæde. Sequenti anno sibi usurpauit Budam, alioqui post obitum Regis Ioannis Vayuodæ, iure & lege cessuram Ferdinando Hungariæ regi inclitiſſimo. Postea uerò nihil dignum memoria est molitus: quanquam semper in perniciem principum Christianorum aliquid meditatur. Sibi siquidem persuadet, ipsum Romanũ imperium iure quodam hæreditario maximè ad se pertinere, nimirum ceu successorem Cæsaris Constantini, qui uidelicet sedem Imperatoriam ad urbem Constantinopolim transtulit. Quod attinet ad mores illius, maximè liberalis est (quanimirum uirtute continet in officio uniuersos) cæterùm cupidiſſimus gloriæ. Atque hactenus de origine Imperatorum Turcarum: quorum omnium hic Ottomanus Solimanus, ut impræsentiarum est, sic faxint superi semper etiam ultimus sit ultimus.

DE SARACENORVM ET TVRCORVM ORIGINE ET REBVS GESTIS

Chronicum Volfgangi Drechsleri.

567 NASCITVR Machometus patre Abdara, matre Emma ex gente Ismaelitarum temporibus Mauricij Imperatoris, & Gregorij pontificis Romani.

623 Machometus suo pernicioso dogmate instinctu et instructus Ioannis Antiocheni, & Sergij Italici monachi Alcoranum scripsit: & seducens Arabas, alioscq; Asiaticos populos, eos Saracenos nuncupauit.

637 Moritur Machometus, ipse ætatis agens annum quadragesimum. Sepultus in Mecha Persidis urbe.

638 Hierosolyma post biennalem obsidionem à Saracenis deuastata.

639 Tota Syria à Saracenis clade affecta est.

640 Saraceni ab Imperatore Romano defecerunt.

641 Antiochia à Saracenis euersa, Damascus capta, Phœnicia oppugnata, subacta Aegyptus.

648 Maximam partem Africæ Saraceni suo imperio subiugarunt.

655 Rhodus nobiliſſima insula à Saracenis oppugnata est: quam capientes plurimum ex ea auri auexerunt: & Colossum solis nobilem altum 110. ped. ex cuius ære Iudæis uendito, noningentos camelos oneraſſe dicuntur.

656 Aegeum mare piratica infestarunt, & Cycladibus insulis multa intulerunt damna.

663 Saraceni Olympiũ Italiæ Exarchũ in Sicilia cum toto exercitu fuderunt. Con-

A Constantinus IIII. cum Muchamodo rege Saracenorum hac conditione iniit pacem, ut Saraceni magnam uim auri Romanis exoluerent, cum insigni equo, & cum nobile puero. 668.

Irrupere Saraceni in Siciliam, & Syracusis captis, omnique terra deuastata, Alexandriam rediere. 672.

Obsessa est Constantinopolis à Saracenis: qua frustra sæpius oppugnata, cum nauibus conscensis, domum redire statuissent, maior eorum pars naufragijs periit. 675.

Romani Saracenos uicerunt, occisis triginta eorum millibus. 676.

Pax secundò inter Romanos ac Saracenos ad triginta annos hac lege facta est, ut Saraceni Romanis, tria millia librarum auri, quinquaginta captiuos nobiles cum totidem equis annuatim soluerent. 679

Saraceni rege Ammiratho Africam & Libyam inuaserunt, multis spoliijs ditati. 686.

Mortuo Constantino, Iustinianus eiusmodi conditionibus cũ Saracenis pacem iniit, ut Africa & Libya imperio restituta, per decem annos singulis diebus mille aureos, & equum cum nobile puero loco tributi penderent. 687.

Hoc fœdere rupto Iustinianus pugnam cum Saracenis iniens, plurimum damni ab ijs retulit. 688.

Fusis per Saracenos Romanis, nomen Saracenum creuit, dignitas Romanorum ualde imminuta est. 692.

Abimelech Saracenorum rex Africam inuadens, non diu uictoria gauisus est. 698.

Romani Syriam deprædantes, ducenta millia Saracenorum fuderunt. 700.

B Contentione de imperio inter Iustinianum et Leontium orta, Saraceni Africam rursus occupauerunt. 706.

Saraceni ex Libya nauigantes, primum intulerunt pedem Hispaniæ, uastantes Tarraconensem, Bethicam & Lusitaniam. 710.

Cum trecentis nauibus Saraceni Asiatici Constantinopolim appulere, & eam mari terraque acriter oppugnarunt. Eodem anno in Bulgaris duo & uiginti millia Saracenorum cæsa. 718.

Zulemon Saracenorum rex, in castris ante Constantinopolim moritur, sublato in eius locum Amiratho. 719.

In obsidione Constantinopolitanæ urbis multi ex Saracenis, fame, peste, & frigore interierunt. Superstites cum domum reuerti statuissent, exorta tempestate maris, & igne de cœlo cadente, partim igni, partim aquis, consumpti sunt, adeò ut ex classe trium millium nauium, quinque tantum naues euaserint. Durauit hæc obsidio totum biennium. Eodem anno Saraceni resarturi pessima mala, cum ingenti exercitu in Hispaniam irruunt, omnem terram excepta Gallicia depopulantes. 720.

Abidimarus Saracenorum Africanorũ dux Burdegalam Galliæ urbem, ui captam diripuit, & in Pictauos mouens à Carolo Martello repressus est. Abidimaro autem principe occiso, Saraceni aliquantulum ab armis quieuere. 721.

Saraceni deductis secum uxoribus, liberis, ac omni familia, Galliam incurrunt, quasi perpetuò ibi habitaturi. Cum ijs pugnã iniit Carolus Magnus Gallis in auxiliũ uocatis, & trecentis octuaginta millibus Saracenorũ interfectis, ipse tamen mille & quingentorum militum ex suis iacturam fecit. 730.

Carolus Francorum rex Auinionem, claram Galliæ urbem, à Saracenis dolo captam sua uirtute liberauit. 735.

Carolus multas alias ciuitates, expulsis Saracenis, paci ac libertati restituit, Amorreo altero eorum duce occiso, Athino altero fugato. 737.

738. Idem adiutus Luitprandi Lombardiæ regis auxilijs, ex tota Gallia Saracenos eiecit, atque expulit.

744. Constantinus Copronymos imperator Constantinopolitanus classem aduersus Saracenos Aegyptios duxit.

759. Saraceni in oriente suo imperio semper aliquid, quod Romanorum erat, subiecerunt, Romanis intestinis odijs dissidentibus, & in solos Galliarum reges intentis.

778. Carolus Magnus contra Saracenos pugnauit feliciter, in Hispania. Rolandus Saracenum Christianos sæpe prouocantem, duello uicit, eoq; strato suis faciliorem uictoriam præbuit.

780. Leo quartus Imperator in Saracenos Syriã inhabitantes incursionẽ fecit.

803. Aaron Saracenorum princeps cum trecentis millibus expeditis equitibus, Nicephorum regem Constantinopolitanum oppugnauit, eumq; tributarium reddidit, impositis legibus iniquissimis.

807. Sardinia & Corsica insulæ à Saracenis deprædatæ.

826. Saraceni Cretam insulam suæ ditioni subijciunt, Græcis duplici prælio superatis.

828. Saraceni Asiatici in Palæstinam, Africani in Siciliam irrumpunt.

830. Bonifacius Corsicæ Comes Christianorũ auxilio destitutus, exceptis Hetruscorum populis, traiecit in Africam, & inter Carthaginem & Vticam quatuor prelijs uictor extitit, et terrore nominis sui ex Sicilia Saracenos domum ire ad propria defendenda compulit.

836. Multis terris Saraceni maxima intulere damna, & metu ciuitates plurimę hinc inde ad eos defecerunt.

843. Saba rex Maurorum, Saracenorum dux, Siciliam & sinum Crotoniensem uastat, Tarentum capit, cui Theophilus Imperator, & Venetorum classes frustra restiterunt.

845. Saraceni inuadentes Hetruriam & Latium, Romam deprædati sunt: sed antequàm domum redirent, plurimi naufragijs deperiere.

846. Illyrio & Dalmatia uexata, Adriaticum mare transeuntes, Anconam Piceni urbem direptam incenderunt.

847. Leo quartus pontifex reliquias Saracenorum ex portu Ostiensi eiecit, & transtyberinam regionem contra eos muniuit.

867. Saraceni prędæ causa iterum irrupere in Italiam, & Beneuentanum agrum in Samnitibus igne ferroq; uastarunt: sed à Ludouico & Lothario regibus in fugam sunt conuersi.

870. Cum Persis Saraceni iterarunt bella. Persæ Turcico milite usi (montem Caucasum tum Turcæ habitabant, & uocabantur Tartari) illorum auxilijs uicerunt. Ab eo usque tempore Turcæ nunquam postea reliquerunt Asiam, & in Saracenicum tam regnum, quàm nomen transiuerunt.

878. Ex Sicilia Saraceni, quam septimum & quadragesimum annum tenebant, penitus expelluntur.

881. Carolus Crassus irrumpentes Saracenos Italia arcuit.

891. Nicetes dux Constantinopolitani Imperatoris, egregiam uictoriam de Saracenis reportauit.

910. Saraceni Apuliam & Calabriam inuadunt.

913. Ad Lyrim Campaniæ fluuium, Saraceni Romanorum ciuitates uastantes, uincuntur.

934. Saraceni Fraxineto irrumpentes, ad Aquas usque peruenerunt, ubi Sagittus dux eorum cum toto exercitu deletus est.

935. Genuam Liguriæ urbem Saraceni depopulati sunt: collectaq; ingenti præda, in Africam redierunt.

Hugo

Hugo Italiæ rex Fraxineto capto Saracenam classem exussit. 941.

Radamirus rex Gallicię maximũ exercitũ Saracenorũ fudit in Hispania. 944.

Saraceni Calabriam, Apuliam, Lucaniam cædibus & incendijs replentes, uirtute Alberici Hetrusci Marchionis repressi sunt, & in agro Mintur-nensi in Campania ad Lyrim fluuium superati, cum accessionem ad urbem Romam instituissent. 951.

Saraceni ex Gargano monte, in quem se contulerant, incursiones frequentes in finitimos faciunt. Beneuentum captum incendunt. 952.

Otho primus, Germanorum Imperator Saracenos Italia expulit, & Garganum montem recepit. 969.

Saraceni Cosentiã recuperarunt, ex qua paulo antè ab Vngaris eiecti erãt. 970.

Creta insula Saracenis erepta. 977.

Otho secundus, cum Saracenis, quibus cum socia arma ex fœdere Græci coniunxerant, in Calabria, magna sua clade conflixit, Idibus Iulij, fortissimis autem suorum interfectis, ipse fuga uix saluus euasit. 982.

Alphonsus Hispaniæ rex, Saracenorum præsidium quoddam, nomine Viseum, obsidens, sagitta percussus, uitam cum morte commutauit. 1000.

Saraceni duplici exercitu Italiam ingressi, Capuam ceperunt, Barum obsidione presserunt. 1007.

Saraceni Asiatici Hierosolymam occuparunt. 1009.

Henricus secundus Germanorum Imperator, Saracenos Capua expulit, & duces quosdam eorum partibus fauentes graui bello persecutus est. 1013.

Calyphas Aegypti præses Saracenico exercitu & Turcico (qui tum Persidem occupauerant) adiutus, templum Domini Hierosolymis diripuit, & spoliauit. 1028.

B

Calypha mortuo, Imperator Constantinopolitanus cum Dobire filio, & successore eius fœdus iniit, et eius permissu Dominicũ templũ instauratũ est. 1048.

Robertus Nortmannus Capuam à Saracenis obsessam liberat, & Græcos cum eis confœderatos Calabria eijcit, sacerdotibus tantum relictis. 1056.

Antiochiam & Cæsaream uexantes Saraceni repressi sunt. 1060.

Ad Cinitum oppidum ultra Bosphorum Thracium multi Christiani à Saracenis occisi sunt. 1095.

Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Dinia, Lotaringia, Alemania, Burgundia, Lombardia, Italia multi exercitus, contra Saracenos in unum confluxere, animo exturbandi illos ex Hierosolymis & tota terra sancta. 1096.

Prædicti exercitus apud Niceam urbem duabus stragibus Saracenos fuderunt. Receptæ quoq; sunt Eraclea & Tarsus. 1097.

Christiani ex Antiochia expulere Saracenos, quam obsederunt mensibus undecim. Hostium centena millia occisa, quod prælium commissum est quarto Cal. Iulij. 1098.

In agro Hierosolymitano bellum à Christianis cõtra Saracenos commissum est, & Dei beneuolentia Saraceni uicti, Hierosolyma à Christianis recuperata, Idibus Iulij mensis. 1099.

Gotfridus Bolionius Remensis, Lotharingiæ dux, qui primus muros ascenderat, rex Hierosolymorum à Christianis uictoribus creatur.

Eodem anno Saraceni duce Calypha Babylonio cum centenis millibus equitum, & quadringentis millibus peditum, contra Christianos parauerunt exercitum. Christiani autem quinq; millibus equitum & quindecim millib. uirorum occisis, & Hierosolymis conseruatis.

Gotfridus Ascalonem cepit, magnoq; auri pondere ibi potitus est. Eodem anno Gotfridus moritur, cui successit Balduinus frater. 1100.

Balduinus magna strage uincitur, & uix fuga incolumis euadit. Romæ 1102.

mœnia, in quam reliquiæ exercitus eius confugerant, ab hostibus diruuntur.

1103. Boemundus Apuliæ rex cum cæteris in expeditionem Hierosolymitanã profectus, à Saracenis capitur, & postea à Tancredo nepote suo liberatur.

1104. Christiani Aecaron ciuitatem Palæstinæ, quam alij Ptolemaida appellant, post uigesimum diem obsessionis capiunt.

1105. Magna pars Saracenorum à Christi fidelibus deleta est.

Eodem anno Alexius Imperator Constantinopolitanus conditiones pacis à Balduino oblatas, accipere cogitur.

1106. Balduinus Berythum & Sidonem, urbes maritimas subigit. Apud Carrhas seditio inter Christianos principes orta, maximo illis damno fuit. irruentibus enim in illos ex improuiso hostibus, quidam capti, quidam duces fugati sunt, exercitu miserè destituto. Hanc notam paulo post recenti de Saracenis uictoria emendauit Balduinus.

1113. Saraceni in regnum Hierosolymitanum ex Perside incurrentes, regis copias fortè oblatas fugant & cædunt.

1115. Tancredus, qui patruum suum à Saracenis liberauerat, ad montem regalem ab hostibus uincitur, & occiditur.

1117. Pisani inter Hetruscos nobiles populi, Saracenos ex Balearibus insulis armis eiecerunt.

1118. Balduino secundo Hierosolymorum rege mortuo, alter eiusdem nominis succedit, qui regem Persarum deuicit, atq; occidit. Damasci regem fugauit. Sed Parthorum rege sibi resistente, & illos ulcisci uolente, Balduinus capitur, & uinctus ultra Euphratem custodiæ demandatur.

1119. Balduinus post octauum & decimum mensem insidijs è carcere liberatus ad suos reuertitur.

1122. Venetorum classis in Syria Saracenis molesta fuit, Dominico Michaele duce. Fuerunt Venetis propter multa merita & uirtutem concessa magna priuilegia.

1125. Pugnatum contra Christianos est quadringentis millib. militum, quibus occurrerunt tribus millibus uirorum Christiani: & Dei benignitate, septem millibus hostium gladio cæsis, & quinque millibus aquis suffocatis, Christiani uictoriam consecuti sunt.

1127. In Syria Christiani duabus stragibus fudere Saracenos, ubi in prima pugna duo millia Saracenorũ, & quingenti desiderati. In altera, quamuis uterq; exercitus afflictus est, Christiani tamen uictores extitere.

1129. Rex Ascalonitarum à Balduino repressus, rex Damasci tribus prælijs uictus.

1130. Balduino tertio rege Hierosolymitano, è uiuis sublato, Fulco quartus rex constituitur.

1131. Tripolitanus comes proditus occiditur. Fulco rex ab hostibus fugatur, et iniquas conditiones, ut ex obsidione liberaretur, accepit.

1133. Christiani Aegyptijs felici Marte restiterunt.

1139. Ascalon à Christianis recuperatur.

1142. Fulco quartus rex in Hierosolymis, insequens leporem, & ex equo decidens, efflauit animam: cui successit Balduinus filius, qui quintus rex fuit.

1143. Vrbs Edissa, & tota ferè Mesopotamia à Saracenis & Alapho duce Turcarum, qui iam in Oriente magni nominis erant, deuicta est, multa & miserabili Christianorum strage edita, matronis in æde D. Ioannis Baptistæ sua pra altare stupratis.

1144. Baldduinus III. quintus rex Hierosolymorum Gaza & Ascalone Saracenos eiecit, & apud Hierichunta Noradinum Damascenæ militiæ principem quinq; millibus hostium interfectis, uicit & fugauit.

Emanuel

Emanuel Constantinopolitanus Imperator exercitus Christianorum contra Saracenos euntes, multis insidijs fatigauit, ne quid utile Christianæ Reip. efficerent. 1145.

Rogerius Sicilię & Normannorum rex, Saracenos, Africanos, rege ipsorum capto, ad triginta annos sibi tributarios reddidit. 1146.

Eo anno Conradus secundus Imperator ingentes copias pugnatorũ contra Saracenos parat: sed pugnat infeliciter. 1146.

Ludouicus rex Galliæ contra infideles maximam uim militum cogit.

Ex Flandria, Anglia, Lotharingia instructis ducentis nauibus bellũ contra Saracenos institutum est. 1147.

Hoc anno Conradus Imperator transmisso feliciter Bosphoro, prope hostes accessit: uerùm deficiente comeatu, & (ut nonnulli aiunt) frumento gypso corrupto, coactus est continere cursum, & copias reducere. Quo cognito, Saraceni, à tergo insequentes, aliquot hominum millia trucidauerunt.

Eodem anno confluit ad Imperatorem rex Franciæ, adiuuandi illum studio: sed exercitu fame confecto, nihil præclari actum est.

Eodem tempore Veneti instructa classe profecti sunt in Asiam, opem laturi Imperatori, qui Saracenis bellum faciebat.

Hispani expulsis Saracenis, Almariam & Tortosam turrigeras urbes recuperarunt. 1148.

Eodem anno Damascus à Syris, Gallis, Alemanis, Hierosolymitanis oppugnata est, ac extremi muri diruti: cumque iam spes esset potiundę urbis, et expugnandi Saracenos, exorta dissensione inter principes, quisq; conuocato suo exercitu, ab oppugnatione destiterunt.

Rex Antiochiæ Raimundus cum toto exercitu deletus à Saracenis est: omníque terra eius deuastata, sola Antiochia à rege Hierosolymorum ægrè seruata est. 1149.

Rex Hierosolymorum Balduinus, Aegyptios ac Babylonios fudit. 1151.

Saraceni ex Almaria armis profligarunt Hispanos. 1158.

Balduinus multas ciuitates eiectis Saracenis in pacem & libertatem restituit. 1159.

Moritur Balduinus Hierosolymitanus rex, subrogatusq; est frater eius Almericus, Sextus rex. 1164

Almericus in Aegypto clara potitur uictoria. 1170.

Idem rex Damiantam obsedit, sed malis conditionibus init pacem. 1171.

Saraceni Africani, plurimas fecerunt excursiones in Hispaniam. 1172

Almericus Hierusalem rex febri extinctus, Balduinus filius eius in regem ungitur, Septimus rex. 1175.

Balduinus Saladini Aegyptiorum regis copijs bis uictis & deletis, multum auri Hierosolymis intulit. 1177

Filia regis Saracenorum, quæ Pagano principi nupserat, à rege Siciliæ in mari, cum sponso domum deduceretur, capitur. 1180.

Eo anno Christianæ religionis professores, qui Hierosolyma inhabitabant, uincuntur.

Maximis impensis ac sumptibus Carthago à rege Saracenorum Mausamuntho instaurata est. 1181.

Balduinus Septimus rex in Hierosolymis, quem lepra infecerat, absq; hęrede uita excedit. Nepos eius ex sorore Balduinus nomine, rex quidem declaratur, sed fatorum inuidia ex illo honorum gradu eripitur. cui successit octauus rex Guido Lusignanus. 1184.

Inter Guidonem Hierosolymitanum regem, & Raimundum Tripolitanum

politanum comitem orta dissensio, causa extitit, ut Christiani in extremum discrimen inciderent.

1186. Congressi Christiani cum exercitu Saldini regis, uiginti millibus ac quingentis suorum interfectis, miserè occumbunt. Guido rex capitur, Tripolitanus Comes subitanea morte extinguitur.

1187. Octoginta & octo annis, cum Hierusalem à Christianis habitata esset, hoc anno regi Saracenorum, expulsis Christianis, deditione tradita est, die secundo Octobris.

Eo anno uniuersam Iudęę regionem hostis Saracenus Christianis eripuit, Tyro, Tripoli, & Antiochia, uix conseruatis.

1188. Fridericus Romanorũ Imperator cum Friderico filio, Philippus Gallię, Richardus Angliæ reges, cum plurimis aliis principibus, in comitijs decernunt, relictis in Iudæa Christianis subueniendum esse. Instruitur bellum. Fridericus Imperator deductis in Syriam copijs, Armeniaq; minore recepta, æstatis tempore lauandi causa Selephium amnem ingressus, perijt.

Eodem anno Danica & Flandrica classis Africana littora infestauit, Sylua urbe capta, & incensa.

1189. Guido collectis copijs Aconem grauiter obsidet, sed Saladini astutia semper uincit. magna clades Christianis illata morbo, fame, armis. Sibylla Guidonis uxor cum quatuor filijs in castris moritur dysenteria.

1190. Franciæ & Galliæ rex coniunctis suis nauibus cum Guidonis exercitu, Aconem oppugnant.

1191. Acon post biennalem obsidionem conditionibus sese dedidit.

1192. Inter Philippum & Richardum reges simultate orta, copiæ disiunguntur, & rex Galliæ domum redijt. Angliæ autem rex diutius aliquantulum expectabat belli fortunam, sed frustra.

Eodem anno Venetæ quoq; & Pisanæ classis disiũctio, Christianæ Reip. perniciosa fuit, quia & ipsæ discessum parantes, odiorum causas domum secũ attulerunt.

1193. Sultanus Saladinus imperator Saracenæ gentis, rebus gestis, moderatione, & fortitudine insignis, efflauit animam, filijs eius regnum inter se dispertientibus.

1195. Saraceni Africani in Hispaniam irruentes, binis, ut nunc sunt, regnis potiuntur, Castellæ & Granatæ.

1198. Henricus Imperator Moguntino Archiepiscopo, & Othone Saxoniæ Electore belli prefectis, ac plerisq; alijs magni nominis uiris, nouas instruxit copias contra Saracenos: & receptis ad certum numerum ciuitatibus, constituunt Christiani regem, Hamericum nominatum. Fuit in eadem expeditione Hermannus Landgrauius Turingiæ.

1199. Henrico Imperatore mortuo, duces modò dicti uictoriam desperantes, in Germaniam reuertuntur.

1200. Saraceni post captam crudeliter Ioppen, sæuierunt in omnes Christianos.

1202. Africani Saraceni utramq; Hispaniam igne & cæde uastarunt, excursionibus in Galliam quoq; factis.

1216. Friderico secundo Imperatore noua expeditio in Syriam decreta, multis principibus conspirantibus, contra Saracenos.

Eodem anno in suburbio Aconis ciuitatis, exercitus Christianorum confluunt, & ciuitatem Damyatam Aegypti urbem ab impijs munitam obsident.

1217. Quatuor Hispaniæ reges, collecto in unum exercitu, Saracenos repressérunt, ex Betica tamen ejcere non ualuerunt.

Damyata

Damyata Sultano reddita, Christiani Aconem & Tyrum redierunt. 1221.

Fridericus Imperator in Syriam profectus, inducias cum Saracenis pepegit, & Hierosolyma, cum suis copijs regio diademate honorandus, ingressus est. 1228.

Christianorum exercitus, cui Theobaldus Nauarra Rex præfuit, inter Gazam & Ptolemaida occubuit. 1237.

Saraceni à Ferdinando rege forti & celebri ex Hispanijs expulsi. 1144.

Saraceni Asiatici Christianos in Syria uexarunt & sepulchrum Christi ignominiose defœdarunt. 1247.

Ludouicus rex Galliæ, exercitum traiecit in Syriam, animo expugnandi Saracenos, & cupiditate liberandi Christianos. 1248.

Cõgressus Ludouicus Galliæ rex cum Saracenis, Damyatã ciuitatem populosam ac turrigeram cæpit. 1249.

Cum inter procellas pugnæ ad Faramiã à Saracenis comprehenderet Ludouicus rex cum Carolo & Alfonso fratribus, reddidit Damyatã: q̃ facto suę suorũq̃ saluti consuluit, & ex uinculis liberatus est. Captus rex est die 5 Apr. 1250.

Saraceni Baleares amiserunt insulas, quas occupauit dux Tarraconensium 1252.

Hispaniæ reges inter se discordes, alius Gallos socios ad se allexit, alter Saracenũ militem aduersus fratrem conduxit, suo suorumq̃ maximo incommodo 1261.

Factiones Veneta & Genuensis, Christiano Ptolemaidem & Tyrum incolentes, intestinis odijs exercuerunt. 1262.

Expulere ex Syria Saraceni Christianos. 1265.

Antiochia à Bodegaro Sultano uastata. 1268.

Iterum rex Galliæ Ludouicus cum filijs tribus ingentes copias, contra Saracenos, in Africam duxit. ubi cum contra illos feliciter pugnatum esset, Carthaginem obsedit; sed pestis exercitum inficiens, regem, simulq̃ filium eius
B Ioannem uita priuauit, & sic soluta est obsidio. 1270.

Armenij & Scythæ ad Gamalam Iudææ urbem cum ipsa penè urbe à Saracenis delentur. 1281.

Sultanus Aegypti rex Tripolim incendit, Christianos in seruitutẽ abigit. 1289.

Tyrus, Sidon, Tripolis, Berytus, ab eodem incensæ & complanatæ. Ptolemais fuga dispersis Christianis, sine ui capta atq̃ diruta, fundamentis quoq̃ effossis. Christiani qui urbem reliquerãt, Cretã fugientes, perierũt naufragio. 1290.

TVRCARVM REGNVM

Thomanus rapinis & prædationibus ditatus, intra decennale spacium bonam Bithyniæ partem & adiacentia Ponto Euxino loca, suo imperio adiecit, & primi regis Turcarũ nomen meruit. 1301.

Rhodus insula Saracenis erepta. 1307.

Alphonsus rex Castellæ cum Saracenis signa feliciter contulit, duabus potentissimis urbibus captis. 1310.

Othomanus Turcarum rex moritur, cui successit Orchanes filius, Turcarum rex secundus. 1328.

Græcis de regno inter se disceptantibus, Prusiam amplissimam urbem Orchanes ui ademit. 1350.

Orchanes contra Tartaros (ita Scythæ appellantur) infaustè pugnans cum multis suorum interficitur. Regni habenas accepit Amurathes Turcarum rex III. 1350.

Amurathes auaricia & perfidia Genuensium Helesponti angustias ad Abydum 1363.

Abydũ ſuperat, Philippopoli & Hadrianopoli urbib. in poteſtatẽ redactis.

1372. Seruia Bulgariaq; Chriſtianis adempta, Lazaro Seruiæ Deſpota capto, in campis Caſſouijs.

1373. Superiorem Myſiam ingreſſus Amurathes, à fideli ſeruo Lazari, qui mortem domini ulciſci cupijt, pugione in inguine percuſſus, interijt. Amurathi interfecti regnum conſecutus eſt filius eius Baiazethes, fratre interfecto, Turcarum rex IIII.

1374. Marcus Cratenicus Bulgarorũ rex, cum uniuerſa ſua nobilitate à Baiazethe in prælio deletur.

1376. Boſna, Croatia, Illyria, Albania, Vualachia, uaſtatæ, multis millibus Chriſtianorum partim occiſis, partim in ſeruitutem abſtractis.

1389. Conſtantinopolis ab immaniſſimo Turcarum rege totos octo annos uexatur & obſidetur.

1390. Franci & Angli ſocijs Genuenſibus Saracenos Africanos cõpulerunt, ut captiuos Chriſtianos redderent, & decem milia aureorum penderent.

1392. Vuallachi auxilijs Turcicis utentes contra Vngaros, profligati ſunt.

1396. Prælio inter Chriſtianos & Turcas ad Nicopolim commiſſo, die profeſto diui Michaelis uictoria penes Baiazethem fuit, qui in armis plus quàm trecenta hominum milia habuit, in quibus ſexaginta milia equitum fuerũt. Chriſtianorum exercitus, qui ex Gallis & Vngaris conſtabat, non exceſſit numerum octoginta millium, inter quos circiter uiginti millia equitum fuere. Gallorum duces maxima ex parte capti. Sigiſmũdus Vngariæ rex fuga ſibi uix cõſuluit. Ex Chriſtianis uiginti millia, ex Turcis ſexaginta ſunt occiſa. Hęc quoque clades Chriſtiani exercitus diſcordia contigit, modò Gallis, modò Vngaris primas præliandi partes depoſcentibus. Poſt prælium ad Conſtantinopolitanam obſidionem recurſum fuit.

1397. Tamburlanus Scytharũ rex, obſcuro loco natus, tantopere creuit, ut mille ducẽtos equites in aula ſua aleret. Hic cum infinita armatorũ multitudine in Aſiã deſcendens, prope Stellã montem in Gallicię Bithyniæq; cõfinio, ad ducenta Turcarũ millia cęcidit. Regem Baiazethẽ cępit, & caueæ inclusit, aureis cathenis ligauit. Cõſcenſurus equũ eo pro ſcabello utebat, & in ludibriũ per totã Aſiam ſecum circũducebat. Perſas fugauit, Medos uicit, Armenios ſtrauit, totam Aegyptũ deuaſtauit. Damaſcũ euertit: Marchantũ urbem cõdidit, quam omnis generis captiuis impleuit, & urbium captiuarũ ſpolijs ornauit. In eius exercitu penè ſupra fidem duodecies centena millia hominũ militaſſe tradunt. Triplici tentorio uſus eſt, cum incõſpectũ hoſtiũ ueniret: albo, q ſpem gratię ſeſe dedentib. ſignificabat, tum rubro, quo ſanguinẽ & flammã, poſtremò atro, quo extremam rerum omnium euerſionem.

Eodem anno Vualachia, Tranſyluania, Moldauia, & omnis trãſdanubiana regio, duce Stephano Vaiuoda tumultuat contra Sigiſmundũ: unde intellectum eſt, prioris cladis auctorem Vaiuodam fuiſſe, qui Turcas allexerit.

1398. Cyriſcelebes, quem Calepinum alij appellant, poſt deletum à Scytharũ rege exercitum & captum patrem, fuga liberatus, ad regnum aſpirauit, quod etiam obtinuit V. Turcarum Rex.

1399. Turcæ Rege ſuo capto, & cæſo exercitu, ſub Cyriſcelebe nihil memoria dignum egerunt.

1404. Cyriſcelebes Turcarum rex moritur, relictis filijs Orcanne & Mahometho.

Orcannes Thraciæ regulis fauentibus admodũ adoleſcens imperio deſtinatur, ſed in pugna ad Gazarum, non longè ab Hebro fluuio, Moſis patrui ſui ſcelere opprimitur.

1405. Mahomethes VI. Turcarum Rex, ſublato fratre, regno ſolus potitur.

Maho-

Mahometes Seruiam, Vualachiam, & non exiguam Sclauoniæ partem subegit. 1408.

Sigiſmundus Vngarorum rex in Salumbezinis campis, qui Philadelphiæ olim appellati ſunt, contra Turcas pugnans, uiribus inferior, uictus atque fugatus eſt. 1411.

Vualachis grauia tributa Mahomethes impoſuit. Ex Bithynia in Thraciam, ſedem regiam tranſtulit, & Pruſiæ urbi prætulit Adrianopolim. Primus Danubium traiecit, Macedoniam perdomuit, ad Ionium uſque pelagus peruenit. 1412.

Amurrhates VII. Turcarum rex Muſtapha Baiazetis filio hoſtiliter deuicto, regnum paternum arripuit. 1419.

Turca in Georgium Deſpotam Seruiæ, quam nonnulli Raſciam uocant, expeditionem facit. Nouementum, & Scopiam, quadriennium obſidet, Syderouiam infeſtat, Deſpotæ filios duos captos oculis & pudendis priuat. Filiam eius in uxorem ducit propter pulchritudinem. 1420.

Theſſalonica inſignis urbs Venetæ ditionis in Turcarum poteſtatem uenit, qui nullum genus iniuriæ aut contumeliæ in Chriſtianos omiſerunt. 1438.

Amurrhates Belgradum obſidens, circa decem millibus hominum in foſſis amiſſis, cum dedecore ſeptem menſium obſidionem ſoluit.

Ioannes Huniades Turcis ſe oppoſuit, inter Sauum & Drauum regiones Vngariæ uaſtantes, eoſq; in fugam uertit. 1439.

Ladislaus Poloniæ & Vngariæ rex eodem Huniade duce in Hæmi campis illuſtri uictoria potitus, Turcam ad conditiones pacis compulit. 1440.

Pax cum Turca inita, Eugenij Pontificis hortatu uiolatur, quæ res nomini Chriſtiano pernicioſa extitit. Primùm enim ſeptuaginta triremes Chriſtianorum ad Helleſponti anguſtias ſuperatæ: deinde commiſſo ad Varnam prælio, die profeſto Diui Martini, ultra triginta millia ceciderunt. plurimi in paludibus ſubmerſi ſunt. Interierunt etiam Iulianus Cæſarinus Cardinalis, qui ad fœderis uiolationem impulerat: & rex ipſe Ludouicus, qui bellum cupidè nimis ſuſceperat. Huniades uix fuga euaſit. Turca per Boſphorũ Thraciam traijcere claſſem non potuiſſet, niſi Genuenſes in ſingula Turcarum capita aureo nummo accepto id permiſiſſent. 1444.

Iſthmum Corinthiacũ Amurrhates occupat, & Græcorum præſidia cum fratre Conſtantinopolitani Imperatoris fundit, & populationibus totam deuaſtat Peloponneſum. 1445.

Rex Poloniæ cum Turcis in Vngariam irruentes, conſeruit manus, & uictor euaſit. Turcæ ultionis cupidi magna ui coacta, reparant uires, ac bellum inſtaurant: in quo utraq; pars tulit cladem circiter octingentorum millium, grauior tamen Turcarum iactura fuit, quàm Chriſtianorum, quamuis occubuerat princeps belli, cuius caput ad Turcarum regem allatum eſt. Occubuit & Turcarum regis filius in eadem pugna. 1446.

Vngari duce Huniade deuaſtaturi Turcicas prouincias numero circiter ſexingentorum millium, regiones eorum ingrediuntur: pugnantesq; cum Turcis, prima quidem pugna retulere uictoriam, altero uerò prælio cecidere penè omnes, exceptis circiter mille, qui fuga ſibi conſulebant. 1448.

Turca Croiam, urbem in campis Aemathiæ ſitam, Scanderbeccho reſiſtente fruſtra multis menſibus oppugnat, ſuorum'que multis deletis infecta re diſcedit. 1449.

Amurrhates Turcarum Imperator de uita diſcedit, relicto ſucceſſore, filio Machomete VIII. Turcarũ rege, qui fratrem ſuum, ne pater ſolus ſepeliretur, ſtatim interfecit, & eodem ſepulchro condi iuſſit. 1450.

Machometi initium belli fuit contra Scanderbecchum. Turca Croiam 1451:

octuaginta millibus hominum obsidens, cum dedecore discessit: & relicto in Croiæ obsidione duce Ballabano, ab urbe fugit.

1452. Athenæ, omnium artium & disciplinarum inuentrices, ab immanissimo tyranno solo æquatæ sunt, etiam fundamentis quibusdam in locis effossis, et Munychia atq; Piræo dirutis.

1453. Machometes Constantinopolim die nono & uicesimo Maij expugnauit, quam nono die Aprilis cœperat obsidere, omnibus Christianis gladio diffectis, & Constantino interfecto, cuius caput ludibrij caussa pilo affixum in castris circumferri iussit, uniuersa eius stirpe deleta, & nobilibus omnibus inter conuiuia per ludibrium trucidatis.

1456. Machometes Belgradum, quam Albam græcam uocant, cum centum quinquaginta millibus hominum expugnatũ adijt. Conuocatis autem Christianis & Ioanne Capistrano adhortãte, Huniades dux ultra quadraginta millia hostium occidit, alijs in fugam turpissimam uersis, & ipso Machometes sagitta percusso. Hoc prælium commissum in die Magdalenæ.

1457. Cum Assimbæo Persarum rege, quem Vsuncassanum, quasi heroa magnum appellant, prælio primùm congressus ad Euphratem, decem millia militum amisit. secundo prælio Machometes superior fuit.

1458. Capta est Corinthus à Machomete.

1460. Rex Turcarum Imperium Trapezunti, suæ potestati, decollato Dauide eius rege, subdidit.

1462. Mitylene insula expugnata.

1463. Veneti instructam classem, liberaturi Corinthum, in Græciam miserunt, sed re infecta sunt reuersi.

Eodem anno rex Vngariæ Geisam Bosniæ urbem recepit, quam Turca secundò obsidens audito Christianorum aduentu, quatuor bombardis ingentibus in Drinam fluuium demersis, in fuga spe posita reliquit.

1464. Principem Mysiæ simulata pace ad se Machometes euocans, captum excoriauit. Fratrem eius & sororem in triumpho duxit.

1465. Turca in Epiro munitionem ualidam, urbis instar, mira celeritate triginta dierum spacio extruit, ex qua finitimas regiones excursionibus uexare, territas q; & exhaustas facilius posset armis uincere.

1466. Rex Epiri Georgius Castriottus, cognomẽto Scãderbecchus, ingenti clade Turcas strauit, atq; repulit.

1468. Machometes Syros & Aegyptios cum eorum exercitibus fudit, Narrantana & Scandalora urbibus ui captis & incensis, & omni populo miserabiliter interfecto, & nobilibus de locis editis & turribus præcipitatis.

Eodem anno cum Cisimo Indorũ rege amicitiam iniijt, cui nobilem puellam ex suo gynæceo cum regali munificentia & donis Imperatorijs in uxorem misit.

1469. Grauiter oppugnatus est Machometes à copijs Vsuncassani regis.

Eodem anno Nicolaus Canalis, classis Venetę præfectus, magnum damnum nauali bello intulit Machometi, occisis duobus millibus Turcarum.

Eodem tempore multi Christianorum hinc inde à Turcis capti & abducti sunt.

1470. Missis quadringentis nauibus ac centum uiginti millibus hominum in Euboeam insulam, Omario duce, in oppugnando quadraginta penè hominum millia Machometes amisit, sed eam post trigesimum diem cepit, Italis militibus palis affixis, & omni genere crudelitatis & libidinis in incolas flagitiosissimè edito.

Eodem anno Turcicus exercitus in Vngaria usque ad Zagabriam prædando grassatus, circiter decem hominum millia captiua abduxit.

Eodem

Eodem anno Turcę in Dalmatiam, Forumiulium, Stiriam excursiones fecerunt, multa ex hominibus & pecoribus præda abacta.

Rex Portugalliæ, freto Gaditano traiecto, multas ciuitates in Mauritanię finibus à Turcis liberas fecit, suoq; imperio adiecit. 1471.

Vsuncassanus rex secundis prælijs factis, plures ciuitates Othomannis ademit, quod factum æternum nomen in Orientis partibus illi peperit. 1472.

Nicolaus Thronus eodem anno classem Venetam cum regis Parthorum exercitu contra Turcam coniunxit. (dit.

Vsuncassanus leui prælio circiter tria millia ex Machometis exercitu fu- 1473.

Eodem anno Turcæ cum ingenti multitudine traijcientes in Vngariam, finitimas ciuitates ad fluenta posita depopulati sunt.

Commisso cum Persarum rege ad Eufratem fluuium prælio, Turca uictor extitit, sex hostium millia & octingentos cepit. Ex quibus domum rediens, in singulis locis ubi statiua habuit, quingentos per diem gladio secari iubet, & insepultos dispergit, totamq; Armeniorum regionem impleuit horrendo funerum spectaculo. 1474.

Ad Istri fluminis partem, quam Muldauiam, Vualachiamq; appellant, Turcæ cæsi sunt à Stephano Muldauiæ Palatino. Quatuor duces Turcici capti, & XXXVI. signa militaria. 1475.

Matthias Vngarorum rex ad Sauum fluuium castellum Turcarum magna cum laude sua expugnauit. 1476.

Eodem anno Capha in Ponti Euxini ora, Genuensium colonia Turcæ prodita est.

Clausit supremum diem Vsuncassanus, qui Persis, Parthis, Medis, ac toti penè Orienti præfuit. Cui successit filius maior natu: hic, capite plectens fratres suos, solus regno potiebatur. 1477.

Eodem anno Nicosiam Turcæ classe piratica infestarunt, non sine magno urbis eius incommodo.

In Mysia ingens multitudo Turcarum superata est. 1478.

Veneti cum Machomete fœdus iciunt, Chalcide armis, Scodra deditione extorta. Pollicíti eidem sunt quotannis octo aureorum millia, ut Pontica nauigatio pateret mercatoribus. 1478.

Magnam classem Machometes in Apuliam misit, sed & ipse in Vngariam cum exercitu profectus est, & ex utrisq; locis plurimos greges captiuorum Christianorum abegit. Inde Leucadiam, Neritum, Cephaleniam, & Zacynthum insulas armis domuit. 1479.

Machometes cum exercitu est in Aegyptum profectus ad occupandam Alexandriam: domi uerò ad Rhodianam expeditionem res necessariæ comparatæ. 1480.

Machometes duce Mesicho Rhodum obsedit, & eam quatuor classibus grauissimè oppugnauit: sed trucidatis suorum nouem millibus, & quindecim millibus uulneratis, ab oppugnatione, quæ undenonaginta dies duraúit, turpiter desistere coactus est, Petro Dabusonio pro Christianis propugnante. 1481.

Eodem anno cum classe ingenti irruens Turca in Apuliam, Hydruntum ciuitatem maritimam, amplam & populosam duce Acomato expugnauit, et incolas omnes gladio occidit.

Eo anno sex millia Turcarum ad ciuitatem Mantineam in regno Lacedæmoniorum occubuere.

Eodem anno Machometes Turcarum Imperator primus est appellatus, qui duo Christianis imperia, Cõstantinopolitanum & Trapezuntinum subuertit, regna duodecim ademit, ducentas urbes Christianam pietatem secutas

cepit, magno & suorum & hostium lætitia propter crudelitatem inauditam, & omnibus hominibus grauem, animam impiam et blasphemam euocauit.

1482. Baiazithes VIII. Turcarum Imperator, domestica dissensione sedata, & fratre suo ex tota Asia eiecto, regnum stabiliuit.

Eodem anno Ferdinandus Neapolitanus rex, misso filio Alphonso cum exercitu, Hydrũtum ciuitatem à Machomete expugnatam, Turcis eripuit.

Eodem anno Ioannes Castriottus Scanderbergi filius ditionem per Machometem patri suo ui ereptam, coactis agminibus recuperabat.

Eodem anno Stephanus Vaiuoda, & Mathias rex superiorem Mysiam, quam nunc Bosnam nominant, Turcæ ademerunt.

1483. Baiazethes contra Sultanum Aegyptium sæpius suo incommodo pugnans, fœdus cum eo iniit.

1484. Vualachiam Turcæ infesto exercitu petierunt & deuicerunt.

1488. Zizimus Baiazethis frater, apud Rhodios exul, Romam ad Innocentium VIII. Pont. mittit, tandem cum Põtificis filio Alexandro ueneno tollit.

1490. Alphonsus Lusitaniæ rex cum decem millibus equitũ, & quinquaginta peditum, Saracenis Granatæ regnum eripuit, eorum q̃ reliquias ultra mare compulit.

1492. Cerauniorum montium incolas, tractum q̃ illum Epiroticum, liberarum semper gentium seruituti suæ Baiazethes subiecit.

Eodem anno Matthias Vngarorum rex Sabatrum quod Turcæ munierant, firmissimum præsidium expugnans, fines suos tutiores reddidit, & regnum suum magno metu liberauit.

1493. Misso in Vngariam exercitu, cui præerat Cadumus Bassa, septem millia Vngarorum deleta, & in testimoniũ stragis Christianis illata, multa capita ac nasi illis abscissi, Constantinopolim missi sunt.

1494. Irruerunt Turcæ in Croaciam, quos Maximilianus in fugam uertit.

1498. Bellum Venetis Turca intulit, & Dalmatiam igne, ferro q̃ desolauit, ingenti præda abducta. In Foroiulio item capita hominib. plus quater mille, quos abducere propter inundationem cuiusdam riui non poterat, amputari iussit. Venetiæ in periculo & metu constitutæ fuerunt.

1499. Modonam & Coronam Peloponnesiacas urbes Turcæ debellauerunt.

1500. Metho urbs Venetis erepta, die Diui Laurentij. Episcopum eius loci decollari iussit Baiazethes in suo conspectu. oppidanos ad unum omnes necauit, ædificia maxima ex parte incendit. Amiserunt eodem casu Naupactum & Dyrrhachium.

1501. Quidam ex Christianis regibus, Venetis amici, unà cum ipsorum classe, cui Benedictus Pisaurus præerat, Aeginam & Zacynthum depopulati, & adorti Leucadem & Cephaleniam, insulam etiam Neritum, quæ hodie Diuæ Mauræ appellatur, ceperunt. Naupliam obsidione liberarunt.

1502. Turca sibi timens, propter rumorem de Elia Propheta Persico acceptum, supra ducentas domos Constantinopoli imperauit unà cum habitatoribus cremari. Fuit autem tantæ æstimationis ille Propheta, ut supra centum quinquaginta hominum millia eius sectam & castra, quæ ornatissima fuerunt, sequerentur, & inter se omnia haberent communia.

Eodem anno cum Venetiarum duce, & rege Vngarorum pacem & fœdus Turca iniit. (tum obtinuit.

1504. Rex Hispaniæ in Mauritania Cæsariensi contra Saracenos Magnũ por-

1505. Rex Persię cõserens uictrices manus in Asia cũ Turcicis copijs, eas deleuit.

1509. Granum Africę ciuitas, plena populo & rebus, ab Hispanis occupata est.

1510. Bugia in Africa Hispanorum armis capitur.

1511. Zelymus minimus natu ex Baiazethis filijs patri ætate confecto insidias

fratribus

A fratribus interitum struit. Fratres tandem cum ipsorũ filijs strangulari iubet, patrem toxico per Iudæam tollit.

Zelymus factione militari, & studijs popularibus Imperator salutatur, et eligitur, I X. Turcarum. 1512.

Acomathes Zelymi frater Persicis auxilijs adiutus, bellũ mouet, sed fortuna illi inuidente capitur & strangulatur. 1513.

Pacem cum Venetis atq; Vngaris Zelymus renouans, contra Ismaelem Persarum regem proficiscitur, eumq; ad Chalderanũ oppidũ uincit & fugat. Taurũ regiã ciuitatẽ olim Artaxata nominatã sine sanguine & sudore capit. 1514.

Nouum bellum contra Aladulum Cappadociæ regem suscipit, ducemq; eius in fuga captum decollauit, caputq; in uictoriæ signum Venetias misit. 1515.

Zelymus Campsorem Aegypti Sultanum, cum omni suo exercitu deuincit. Sultano etiam in fuga pereunte. Belli autem fortuna prospera usus Alkairum, Alexandriam, ciuitates turrigeras ac populosas, totamq; Aegyptum suo imperio subdidit. Damascũ Syriæ, amplã ac celebrẽ ciuitatẽ debellauit. 1516.

Pons à Zelymo naualis supra Nilum constratus, ut Tomombeiũ Aegypti nouum Sultanum insequeretur, quem per proditionem captum, & omnibus tormentis ac contumelijs uexatum, suspendi iussit. 1517

Maranos Saracenæ gentis reliquias, Carolus Hispaniarum rex è regno suo expellit, & barbarorum circiter quadraginta millia occidit. 1518.

Zelymus extinguitur ultricibus furijs, eo in loco, quo patrem fuerat hosti liter persecutus. Huic successit Solimanus X II. Turcarum Imperator. 1520.

Solimanus Belgradum urbem munitissimam expugnauit, multas q; arces, & castella in Vngaria diruit. 1521.

B Rhodum insulam quadringentis nauibus adijt, & cum maxima hominũ multitudine obsedit, sub Iunij mensis finem. Rhodij milites cõserentes cum eo fortiter manus, post uarias & insignitas strages, uiribus exhausti, ciuitatẽ tradidere, quam Turca ipsis Christi Natalibus ingressus est. 1522.

Ludouicus Vngariæ rex, contra Turcam Vngariam inuadentem pugnaturus, suis ipse copijs præfuit. In acie uictus, & sibi fuga consulere cupiens, in palude interijt. Multi insignes uiri eo prælio desiderati. ex quibus Stephanus Slico maximum suis dolorem reliquit. Buda regia urbs direpta, & nobilis bibliotheca Matthiæ regis incensa. 1526.

Rhodij milites Meliten insulam Saracenis eripiunt.

Eodem anno Solimanus redit in Vngariam, Budam munitissimã arcem secundum obsidet, quam cum frustra laboraret euertere, ijs qui eam tenebãt, certis conditionibus propositis, persuasit, ut eam traderent. Inde ad Viennã Austriæ perrexit, quam secundo & uicesimo die Sept. obsidet, tormentis oppugnat, murosq; rumpit. sed cum multos suorum amitteret, desperatione adductus, fugæ sese tradidit. Ipso obsidionis tempore exfinit imis locis innumeras prędas egit. & hominum multa millia abduxit. uirgines & matronas nudas proiecit, pueros palis affixit. In exercitu centum quadraginta millia uirorum habuit: ex quibus circiter octuaginta millia tum in oppugnatione Viennæ, tum in fuga frigore & inedia perierunt. 1529.

Gunsium Vngarium oppidulum, defendente forti & claro uiro Nicolao Iurizio, cum ducentis armatorum millibus Solimanus terdecies oppugnauit, non captum tamen ui, sed deditione traditum. Audito autem Caroli Cæsaris aduentu, qui octuaginta peditum millia habuit, & triginta ferè galeatorum equitum ex Germanis, Italis, Hispanis collectorum, exceptis Vngaricis equitibus, Turca non expectandum sibi ratus, per Noricorum montana fugit, multa præda onustus domum rediens. 1532.

Solimannus Africanum simul & Vngaricum bellum molitus est. Corra- 1534.

dinum enim Barbaroſſam claſſis ſuæ præfectum in Africam, contra Tunatē num regem miſit, quem etiam regno priuauit. Ludouicò Gritum, Andreæ Venetiarū Ducis filium, in Vngariam, ut Vaiuodā eiiceret. Occupata autē Medeuiſcha ciuitate, quam Gritus tenebat, Meilanus Vaiuoda ipſum cum exercitu obtrūcauit, eiuſq; filios ante oculos patris in fruſta conſcidit.

1535. Carolus v. in Africam traiiciens, Tunetanum regem reſtituit, & ad uiginti captiuorum millia è ſeruitute liberauit.

Eodem anno Taurus Perſiæ ciuitas à Turca ui capitur, in qua cum ſecurius agerēt milites, improuiſo Tahamæ Perſarū regis aduentu uiginti Turcarum millia opprimuntur. Spoliis amplis, & Imperatoriis concubinis Perſæ cum magno hoſtium dedecore potiti ſunt.

1537. Soliman nus ex Ponto & Propontide centum quinquaginta triremes, biremes octoginta, ducenta ſimul, & ſeptuaginta uarij generis nauigia collegit, quibus Corcyram, Venetæ ditionis inſulam, aggreſſus, decem dies obſidet: incenſis q; ſuburbanis, & agris deuaſtatis, multisq; incolarum aut occiſis, aut captis, diſcedit. Zacinthum & Cythera populatur. Aeginam expugnat & complanat, Parum capit, Naxum tributariam facit. In Apuliam maiorem & meliorem claſſis partem, in quam decem millia lectorum peditum & duo millia equitum robuſtiſſimorum impoſuerat, mittit, & totam Tyrrheni maris oram ibi deprædatur. Claſſes Imperatoris, Pontificis, Venetorum coniunctæ, ducum ambitione & diſcordia diſſipatæ ſunt.

1538. In Stiriam incurſiones fecerunt Martiloſi nominati, genus hominum agreſte, & latrocinijs deditum, ſed incolarum uirtute repulſum eſt.

Eodem anno Calciani ducis perfidia à Chriſtianis infeliciter contra Turcas in Sauia pugnatum eſt.

1539. Veneti cum Turca pacem renouarunt, traditis illi trecentis millibus coronatorum, & Neapoli ac Maluaſia oppidis, in finibus Macedoniæ.

1540. Caſtellum nouum Dalmatiæ oppidum, quod Hiſpani & Germani milites tenebant, conniuentibus Venetis, à Turcis direptum eſt, incolis & militibus, de more, gladio occiſis.

1541. Turca relictus tutor Ioannis Vaiuodæ infantis filijus Angariam à monacho Vaiuodæ gentili uocatur. Qui Buda capta infantem unà cum matre ſeq; caſtra iubet. ipſe arcem ingreditur, & Peſtum, è regione poſitā ciuitatem omni apparatu bellico tum inſtructā, ſui iuris facit, Stridonium capit, Quinq; eccleſias ſolo æquat.

Eodem anno Carolus Imperator contra Barbaroſſam, ad capiendum Argieræ portum, in Mauritaniam Cæſarienſem ſerius nauigans, & (ut aiunt) Pontificis colloquio Lucę detentus, naufragium fecit. Ipſe in Baleares inſulas uento reiectus eſt, multis nauibus ex pulcherrima illa claſſe ui & iniuria tempeſtatum amiſſis. Germanus miles Italo fugiente fortiter contra Mauritanos pro Cæſare pugnauit.

1542. Expeditio in Vngariam facta, ad recuperandam Budam, duce Ioachimo Brandeburgenſi Electore, plures milites morbo, quàm armis perierunt. Oppugnationem tentauerunt quidem, ſed non urſerunt. Mauricij Saxoniæ ducis uirtus tum maximè eluxit.

1543. Pacis conditiones cum Turca initæ ad certum tempus, quæ utriq; parti armis feſſæ, gratæ fuerunt.

1546. Poloniæ rex Sigiſmundus caſtellum quoddam Turcæ, prope regni ſui fines ædificatum, duce Breteuitio diruit & euertit.

1547. Muſtapha Solimanni filius, reliquis liberis à patre ſublatis, ſolus imperio deſtinatus, cupidus paterni imperij ſollicitauit populos Aegyptios, & commouit Perſarum arma in patrem.

Soli-

Solimannus contra Tolcham regem Persarum maximo exercitu profectus signis infelicibus pugnauit, suis amissis in Persia, & Tartaris socia arma iungere uolentibus cæsis in minore Armenia. 1548.

Eodem anno Curculaius Turcicus pirata, uiginti biremibus & triremibus contra inducias pacta Siciliæ et Campaniæ littora infestauit: improuisosq; ac colas adoriens, ingenti præda ditatus est.

Eodem anno Saraceni Mauritani tumultuantes, ducum Cæsarianorum Sestiani & Albani uirtute repressi sunt, Portugallia, & Hispania ab incursione liberatis.

Turca ut uendicaret recentem ignominiam, nouos exercitus conscripsit, contra Persas & primùm milites suos stipendiorum amplificatione inuitauit, deinde sociorum animos per legatos confirmauit. Sed copias apparatissimas foris fame & peste amisit, & eodem morbo Constantinopoli grassante, quam centum triremium præsidio absens munierat, ad septuaginta hominum milia sublata sunt. 1549.

Incunte hoc anno Solimani mors rumoribus nunciata est, qui triginta annos populum Dei afflixit. 1550.

Hic annus autem cum Iubilæus habeatur, & apud Hebræos olim annus mitigationis & leuationis fuerit, te oramus Deus æterne, mitiga propter filium tuum mala tot annos Ecclesiæ tuæ illata, conserua pro immensa misericordia tua doctrinam Euangelij, ut sublatis Machomethanorum blasphemijs, gloriosum fiat nomen tuum in gentibus: excita ad necessariũ bellum principũ Christianorum animos, ut liberato grege tuo ab impijssimo tyrannidis iugo, tuam bonitatem & potentiam agnoscat atq; prædicet orbis uniuersus.

MAGNI TAMERLANIS SCYTHARVM IMPERATORIS VITA A Petro Perondino Pratense conscripta.

De progenitoribus Tamerlanis. Cap. I.

MAiores Tamerlanis sunt orti quodam infimo uico Maracandæ in terra Sogdiana Iaxarti amni impositæ Zagataiæ regionis metropolis, familia sordida usque adeò obscura'que, ut existimare par sit eum fato & fortuna præuijs ac manuducentibus ad totius fermè Orientis imperium euectum.

De natiuitate Tamerlanis & eius adolescentia. Cap. II.

GEnitus est Tamerlanes patre rem exercẽte pecuariã in propinquis Maracandæ montibus atq; abditis nemorum saltibus eiusdem quæ ipsi patria fuit, testimonio sunt uictoriæ, hostium manubiæ, prædæq; ingentes quibus eam donauit, ac longè supra cæteras Orientis urbes locupletauit Tamerlanes, quam adhuc claram celebremq; scimus rebus illic ab Alexandro magno fœliciter gestis, dum lectissima cum exercitus parte ad eam contendit ulciscendæ necis causa Menedemi, quẽ Spitamenes in insidias lapsum cum duobus milibus peditum & CCC. equitibus occiderat. A' prima adolescentia & ipse Tamerlanes opilio tenuiq; fortuna fuit, cæterùm callido ingenio, nauo, elato, ac supra æquum ambitioso, ita ut ob sublimes quos gerebat animos quandam regij oris indolem præferre, & non obscura summi futuri ducis indicia prębere uideretẽ: ualidis robustisq; uiribus haud magnitudo animiq; robur & agilitas corporis defuere, nã quicquid tũ ad saltãdi, tũ ad sagittãdi peritiã attinebat (est enim

enim Scythis id proprium peculareq; studiũ) ipsi adeò mirificè è sentẽtia succede bat, longeq; cęteris pręstabat opilionibus, ut omnium ferè Sogdianę regionis hominum beneuolentiam sibi & gratiam conciliauerit ingentem, ac talem se quotidie præstitit, ut nullis præsentium uoluptatum blandicijs, quibus magno pere adolescentium animi deliniti conspiciuntur, addictus esse uideretur.

De initio principatus eius & alijs gestis. *Cap. III.*

ANtequam ad Orientis imperium fatali sorte prouectus esset, per omnes militię gradus eũ ascendisse quidã neotericus auctor scripsit: postremoq; ad magni exercitus prępositurã, et deniq; ad summũ imperij fastigiũ euasisse. ue rũ illis qui ea tẽpestate floruerũt scriptoribꝫ. maior est habẽda fides, qui opilionẽ in Sogdianis mõtib. fuisse tradũt, eundẽq; ab æqualiũ cœtu, eis more pastoralí colludentẽ, cũq; illis imet periculũ & in palęstra & in dirigẽdis in scopulũ sagit tis, pręmijs in ludo uictori, ppositis, regẽ per lusum creatũ esse, pdiderunt. at is sta tim, utpote qui seria atq; magna cõtinuò moliebat animo, ludibũdos in sui uer ba sibi iuratũ ire placuit. cui omnia se facturos uel sacramẽto deuouere, quę ipse pro uolũtate decerneret, nusquã ue à data fide esse discessuros. Ipse aũt iureiurã do accepto, illis se ducẽ prębuit, edicto in primis, ut coactos collectosq; in unũ pecudũ suorũ greges ad uenditandũ, pperarent, ac pecuaria tanquã uilissima & nihil, pfutura ad gloriã siue ad opes parãdas abiecta, armati sui ducis sequi aus spicia, et in aciẽ prodire mallẽt: foreq; aliquãdo ut ex parua humiliq; fortuna, in qua delitescere uel omniũ sordidissimi didicissent, ad maximæ inopinatęq; feli citatis apicẽ essent euasuri. Imperata igitur fecit agrestis hominũ cohors. nãarmis omnifariã quę sibi usui fore arbitraretur, subitò cõparatis, Tamerlanẽ persequeba tur, eiq; tanquã uero duci ac Imperatori, pspere acclamauit: cõmutato q; nomi ne à cõtubernalib. Temirus Guthlus fuit appellatus. quę uox Scythica lingua fortunatũ gladiũ exprimit. Is quidẽ paucis interiectis dieb. supra duo milia ho minũ in unũ collegit, copulata etiam sibi magna ex perditis & facinorosis ma nu, in prædę faciẽdę cõmunionẽ, quos omnes inprimis illius regionis pagos et uillas uastare iussit incursionib. cũcta q; obuia, psternere, mox prędã in eis par tã adeò cõmilitonib. diuidere, ijsq; æquissimè dispartire erat solitus, ut nihil non pro ipso facturi cupidissimè atq; fidelissimè uiderent, ac quicquã nõ laboris sub eũdũ curarẽt. ex quo factũ est, ut plures regionis Sogdianę accolę cũ multis Oxianæ pagos atq; Alexãdrię uicos super amnẽ Tanaim ad Alexãdri memoriã cõditę incolẽtib. prędę auiditate potiũdęq; cuiusdã libertatis spe allecti, Tamerlanẽ adirẽt, agros ac uillas populabũdi, innumeris uel sibi multis pollicitationib. adiũctis, q ad Caucasi radices uicatim sedes habuissent. Cũ hac igitur expedita latronũ manu Tamerlanes cędis prędęq; auidissima in Persicã regionẽ iter flexit, ut illic maior prędę cumulus coaceruaret: siquidẽ Persis omniũ quæ oriẽti subiectę sunt regionũ et agrorũ ubertate et cõgesta multorũ regũ gaza flo rẽs ac ditissima cẽseat. quapropter Rha fluuio cũ his traiecto copijs qua mitior in mare Caspium labitur, per Iberorũ, Colchorum atq; Albanorum calles mul ta arborum densitate perplexos in Persidis angustias penetrauit. has enim in gressus, in campestrem illico regionẽ descendit, quę uicis est & uillis frequens, hanc autem ingenti populatione euagatus, magnam sibi & socijs prædam com parauit, resistẽtes cędens uel fœdè uulnerans, dedentes uerò comiter accipiẽs, quorum magnũ satis numerũ contraxerat. multi siquidem alieno edocti exemplo, saluti consulentes, sub eius ultrò signa coiuerunt, uniuersos secũ cãpestres accolas incursionib. prementes, cuncta q; obuia sternẽtes. Quare audita Persarũ rex incursus ut arceret huiuscemodi cõprimeretq; latrocinia, ac tuti à Tamerlane intercluſi cõmeatus patefierent, ducem quem sibi fidũ ac strenuum putabat Tamerlanẽ captiuatũ misit cum mille equitibus, qui momẽto tẽporis Araxe amne superato qua lõgũ emẽsus iter in mare Caspiũ se uertit in Tamerlanis

conspe-

cõspectũ se dedit: cui nõ ob id exterritus cõsiliũq; anceps Tamerlanes, sed audẽtiore animoq; alacriore obuiã pgressus, tãta in agẽdo industria uerbisq; accõmodatis usus dicit, ut se isto usq; cinctũ periculo explicaret, quippe tantũ abfuit ut Tamerlanẽ captiuaret, aut occideret, ut eius uel cõciliato animo uteret cõtubernio: subitoq; has suis augẽs copijs, maiore elatus animo, militũq; audacia fretus ac nouis equitũ alis comitatus, res nouas moliri adortus est, lõgeq; prioribus tentare maximas. Euenit siquidẽ ut Persarũ regis germanus frater natu minor stimulãte regnãdi cupidine debitã ei iure dominationẽ cœpisset inuidere, obidq; magnis instructus copijs, ut ad se regnũ trãsferre, aduersus regẽ acre bellũ gerendũ enixè curabat. Quod quidẽ animaduertẽs Tamerlanes, qui ad Persidis imperiũ sensim aspirabat, regnũq; non obscurè affectabat, germano regis fratri adhæsit, eiq; operã militarẽ præstitit. præuiderat nãq; difficulter ipsum regiam uim sustinere posse absq; alieno præsidio, nec nõ fraterna arma exercere sine magnę cladis uitæq; discrimine: & ex aduerso se uoto minus potiri suo, ni alterius quo egebat auxiliũ sibi præstò esse cognosceret. Quocirca suis ijs iũctis copijs in regias phalãges irrupit tãta animi alacritate & ferocia, ut ingenti edita strage aciẽq; pulsis ac deuictis hostib. uictoriã gloriosus referret: qua adepta regẽ repẽte sustulit, quo sublato regnũ germanus uictor inuasit, qui nullo dissentiẽte rex factus, beneficij in se collati nequaquã immemor, Tamerlanẽ, cũctis Persicis copijs præfecit, summãq; ei rerũ credidit. Ipse autẽ atroci uir ingenio et uersipelli, nihilq; pẽsi habẽs si usus posposcisset, nactus occasionẽ qua omni æmulatione uacuũ sibi Persici imperij soliũ pararet, simulãs se uelle regi nouas ad suũ imperiũ regiones adiungere, hoc exercitu maximo subnixus, regẽ, pdere, seditiones passim agitare cœpit, populosq; ad defectionẽ sollicitare, miraq; industria ipse inprimis initiũ faciẽs cũctæ regiæ ditionis ciuitates ab rege rebellarunt, mox Tauristiũ Persidis regiã per Calderanos cãpos ire cõtẽdit, regẽ ipsũ uita, simul & regno priuaturus: in cuius perniciẽ cũ aliquot suis fidelissimis ducib. antea cõiurasset, quòquũ peruenisset nullis resistẽtib. (nã quì pauci & inermes multorũ et armatorũ impetũ sustinuerint?) regnũ ui sibi ac fraude quę situ occupauit, regiãq; ingressus regẽ frustra gementẽ suasq; perditè dolentẽ miserias atq; sibi suppliciter imminentẽ necẽ deprecantẽ obtrũcauit, filios morte affecit: postremoq; quicquid ex cognatione regia supererat, planè quasi ab stirpe abscidit, ut ad unũ omnib. sublatis regni æmulis sine metu regnare posse existimaret. Per hũc igitur modũ astu regnũ assecutus, ut militũ inprimis beneuolentiam & gratiã iniret, magno eos donatiuo psequutus est, deinPerside pfectus in Parthicã se recepit regionem, quo Saracenorum incursiones ac latrocinia comprimeret.

De prouincijs per eum domitis, & in ditionem receptis. Cap. IIII.

COnfestim ut Parthica rediit quũ satis Saracenorũ impetũ armis infregisset, ac furentiũ animorũ audaciam petulãter retudisset, ad lõgè maiora facinora faciẽda se cõtulit per diuersa scilicet gentiũ terrarũq; uolitãs, quo fatis totius sibi Oriẽtis imperiũ despõdentib. limen aperiret. nã properãti insatiabili siti in regiones magis septẽtrionali plagę subiectas se ultrò dedidere Hyrcani, Margiani, Amazones, Bactriani, Sogdiani, Sacę & cęterę innumerę nationes quę citra Imaũ montẽ incolũt, quę hodie uno nomine Tartari appellant: stipẽdiarios sibi fecit Seras, Arios, Drãgianos, Aracosios, Gedrosios & Paramisidas qui ultra Imaũ perpetuis ferè niuib. obiecti & gelicidijs ędificijs ex laterculis carinato cacumine supernè perforato ad tuguriũ illustrãdũ utunt, ut aduersus frigora uitã degãt. Cessere Tartaricis armis Massagetę Euergetęq;, qui omnes a Scythis sũt oriũdi, in interiorẽ Asię partẽ magis ad orientẽ solẽ exporrectã signa promouit, ubi Sarmatiã, Bithyniã põtũq; in prouinciæ formã redegit antiquitùs magni Mithridatis regnũ, q hodie Anatolię nomẽ habet, redacta simul omni sub sua iurisdictione cõtinẽte, quę Euxino, Propõtidos parte, Męotide palude atq; Cimmerio Bosphoro tundit, mox flexo dextrorsũ itinere, infinitas

finitas ferè urbes ac,puincias omnes, ſuperatis proſtratiſq; regulis & tyrãnis, ſub orientẽ à ſe captas ſubactasq; cõſpexit: Tigrideq; amne cum omnib. equitum ac peditũ copijs tranato, Vxiorũ terrã inuaſit. qua ui domita, Suſiana, omniq; potitus eſt regione, per quã ad multa paſſuũ millia euagatus fluuius, Perſico mari uno oſtio infundit. trãſgreſſus deinde Taurũ montẽ, in Meſopotamiã ingẽtẽ ſecũ exercitus molẽ trahẽs, ſeſe effudit. qua in ſui poteſtatẽ redacta, per Parcoatrã montem in Medicã regionem deflexit, cuius permultas inclytas urbes in ditionẽ recepit. eiq; paruerũt Caduſi, Amardi, Tapirdi & Circitj, q̃ per Tagrũ & Niphatẽ mõtes interioris Medię latrocinia exercẽtes euagant. Inde uerſo in meridiẽ agmine, ac ſuperato Amano mõte, per nemoroſas illas cõuales odoratas per thuris & balſami ſyluas in Syriã, atq; in eam quę ipſi hęret Comagenã ad Eufratẽ ſitã traiecit eodem itinere q̃ Põpeius magnus poſt Mithridatẽ acie pulſum ad Stellã montẽ: cõpoſitasq; Colchorũ, Albanorũ atq; Iberorum res, Iudææ intrauit: ubi ipſe arbiter factus de regno diſſidentib. Hyrcano & Ariſtobolo germanis fratrib. Hyrcanũ regnare iuſſit, cum mox Ariſtobolo id renuẽti catenas dediſſet, aliquãtos q; Iudææ proceres ſecuri percuſſiſſet. hanc eñ peruagatus regionẽ Tamerlanes, uſq; ad Arabiæ atq; Hieroſolymarum fines Tartarica ſigna circũtulit. ineſcatus præterea Lyda gaza, retrocedendo ad Halim amnem, qui in Armenię ortus montibus, Lydã à Medica diſterminat regionẽ, copias admouit. quibus uado traiectis (ſiquidẽ adeò extenuatũ ferũt, ut ultrò citróque uel pedibus uadari poſſit) Lydã olim magni Crœſi regnũ in prouinciã redegit: Phrygas, Mantienos, Cappadoces, Paphlagonas, Myſios, Mariãdinos, Ionios, Dorios atq; Aeolios ad unũ omnes coercuit domuitq;, cæteras q; deinde ad obſequiũ redigẽs nationes, per quas lapſus Halis in Euxinum euoluitur. nec ulla tandem gens uel natio fuit inter Imaum, Rubrũ, Caſpiũ & Oceanũ, quin Tartaricis domita uel oppreſſa ſignis teneretur.

De Hemanuelle Byzantij Imperatore à Tamerlane auxilium implorante aduerſus Baiazithem Turcarum regem. Cap. V.

EPiri dominatũ ſortitus belli iure Baiazithes, necnõ per extremã Illyrici regionẽ atque interiorẽ Macedonię partẽ Thraciæ cõterminã infeſta ſemper populatione euagatus, Theſſaliaq; & Thracia ſubactis, uſq; ad Boſphorũ elatus animo inflatus q;, cum inſigni apparatu bellico, ingẽtiq; armatorũ claſſe per Helleſpontũ ad oppugnandũ Byzantium conuolauerat, Velonamq; primùm cępit portũ celeberrimũ, firmiſſimisq; præſidijs & claſſib. munitũ. quo capto, ad alterã ſe Græciæ partẽ transferẽs, Salonã occupauit in ſiniſtra parte poſitã, qua Panacũ ſinũ pertendit. hinc Byzantiũ profectus, nihil ſibi moræ attulit, quin ad ipſum obſidendũ ſe cõuerteret, ut inde uniuerſam Græciã ad propagandũ imperiũ inuaderet. Eſt enim Byzantiũ, quod Cõſtãtinopolis nũc dicit, urbs Thraciæ florẽtiſſima atq; opulẽtiſſima, quã in plano ſitã anguſtiſſimũ Propontidos fretũ abluit, eaq; nõ tantũ clara ac frequẽs uiſitur per omnẽ terrarũ orbẽ infinitis ciuibus uetere gentiliũ ſtẽmate claris, accolis innumeris diuitijs & prijs affluẽtibus artibus, quæſtibus, grẽcarũ literarũ gymnaſijs, quibus perdiſcẽdis iuuẽtus publico ſumptu alit & docet. uerùm enimuerò ædificijs marmoreis, fornicibus iũctis cœnobijs, baſilicis auguſtiſſimis ac deorũ immortaliũ tẽplis miro cõſtructis artificio exornata, ædibus q; laxitate uiridarijs q; pulcherrimis & inſigni ſtructura fabricatis decorata, quib. ſũma urbi claritudo paratur: inſup xenodochia pro ægrotis benignè curãdis cũ, p libertis atq; mãcipijs uęnalib. exponẽdis plura mãgonib. emporia eſſe, in urbe uiſunt, tũ mercimonij cuiuslibet infinita cõditoria, ac rerũ omniũ uęnaliũ officinę augeriq; & locupletari magis magisq; in dies, pſpicit mercatorũ omnifariã caterua negotiãdi cauſa cõfluẽte illuc mutuãdiq; cõmercia: & ut cætera q; pauciſſimis abſoluã, agones in urbe eſt uidere exercendæ inuentuti in omne certaminũ genus idoneos, itẽ & circos ad theatrales edẽdos plurifariã ludos accõmodatos, & ludicra ſpectacula

A ctacula repręsentãda,ager qui in finitima cõtinẽte ſpectaꝛ,ampliſſimus, frugũ fertilis,bonus pecori,nec arboríb.infœcũdus míra quadã ſpectantiũ oblectatío ne cõſpicitur.Hac inclyta in urbe tũc temporis Hemanuelĩ Palęologũ regnaſ ſe Theodorus Spãdugínus ciuis Byzãtius Turchaicæ nõ ímperitus línguę re ruꝯ nõ ignarus ab Ottomanis terra mariꝯ geſtarũ ſuis in cõmentariſs teſtaꝛ,ut quorundã opinionẽ cõfutemus, qui Iohãnem tũc Græcię imperitaſſe affirma rũt,quę nũc cõmentaría míro Ludouici Dominici ſtudío apprimè eruditi, atꝯ omniũ quę memoratu maximè digna cẽſenꝫ cumulatoris indeſſi atꝯ aſſidua le ctione clariſſimi,in Etruſcã línguã uerſa,impreſſa extãt.Baíazithes igítur,ut ad incœptũ redeã,tot tãtiſqꝯ ſecundís prelĩs elatíor factus, dũ pugnaci,impẽſeꝯ impío & auído ingenio potiũdi Byzantĩ,tetro bello premere Imperatorẽ,ur bẽꝯ obſidione uehementí cingere enixiſſimè operã nauabat, Hemanuel haud tantũ ſe poſſe belli ímpetũ ſuſtinere animaduertẽs, ob idꝯ ſuis diffiſus uíríb. legatos tũc magno Tamerlaní Parthię agẽtí míſitad ímplorãda ab eo auxília, hac cõditione preſertím,ut ſi maturata ope hoſtiũ ſepto exercítu,urbiꝯ obſeſſę ꝓpediẽ ſubuenire uellet,Baíazitíſqꝯ infeſtí hoſtis tã acriter tumultuãtis,furẽtis ſuburbanasꝯ Greçorũ delícias delẽtis terrę mariꝯ formidoloſi ſuperbía inui ctis armis cõtũdere inexhauſtã,ſe ultrò Byzãtĩ ímperío exuturũ, Tamerlãíſqꝯ ditioní adiecturũ,utpote qui in líbertatẽ uendícauerít Græciã à ſæuiſſimo Tur carũ tyranno crudeliter oppreſſam,quín uel ijs adderent Hemanuellem, ſatíus fore exiſtimaſſe pro cõmuní omniũ ſalute et tranquillitate urbem clariſſimã et opulentã Imperatorí optimo,çquiſſimo ac Tartarorũ nobíliſſimo regendã ad míniſtrandãꝯ, quàm tyrannorũ peſſimo, ímmaníſſimo & iníuſtiſſimo Turca rum ad omniũ exítiũ atꝯ pernícíem ſæuè dirípiendam ac deuaſtandam tradi.

De reſponſionibus à Tamerlane legatis Byzantij datis. Cap. VI.

B HOc ítaꝯ pacto legatione functís,ac Hemanuellís mandata expoſitis à Ta merlane hílarí ac ſereno uultu reſpõſum eſt, ſe omnía ſcílícer facturũ eſſe líbẽter quę uſui Emanuelli,exítío uerò ac detrímẽto Baíazithí futurũ eſſe arbi tratus fuerit: quocirca et bono eſſe animo, beneꝯ ſperare Hemanuellẽ ſubiũ xit,quãdo & cítiſſimã in Aſiã expeditionẽ arrípere,dudũ mẽs eſſet,in hoſtẽꝯ ſuum capitalẽ Scythica arma uertí pugnací animo totus incubuiſſet, ſuppetías ipſi allaturus:foreque breui,ut furentis hoſtís ímpetum Tartarica arma infrin gentía retundant, dynaſtíaque ſpolíent.Iís lętabundi auditis legati retrouerten tes iter in Thracíam redíerunt.

De apparatu bellico Tamerlanis contra Baiazithem Turcarum regem. Cap. VII.

A Vidè Tamerlanís ingeniũ ſuapte natura pugnaciſsimũ Ottomanicũ re gnum inhíans magis magisꝯ irritauít præſens, in qua uerſabaꝛ Hema nuellís calamitas,utpote cuí níhíl ad totíus à ſe Orientis ſubacti deeſſe uidere tur,preter omnem íllam Europę oppoſitam cõtínentem,quę mari Aegeo,fre toꝯ Propontidos terminabatur,Cariáque tenus quam ueteres Aſíam mino rem appellabant,nũc Turcię nomen habet,adeò auctum Turcarũ eſt nomen la teꝯ imperiũ propagatum.Baíazithem igĩt ut circũ ſiſteret Tartarus, nomen toꝯ temporis oppreſſus ab incœpto deſiſtere cogereꝫ, ac irritam hoſtís ſpem faceret,& è cõtra Palęologo Cęſarí ab ſe iníquiſsimè obſídione & prælío la ceſsito, auxilíũ poſtulantí opítularetꝫ,ad expeditionẽ,quàm maxímo & ualídi ſimo exercítu ſe cõparauít (cognouerat ſiquidem Tamerlanes Imperatorem optimũ Græcię & frugi íniuría à Baíazithe conflictatũ)quæ res míſericordiã eíus alioqui inexorabilis& trucis uſqꝯ adeò cõmouere potuit, ut calamitoſo ac ſupplící maturo auxílío ſubueniendũ,q̃ ſíbí regnũ aliq̃d parandũ duceret.Eſt eñ natura cõparatũ, ut afflictę fortunæ míſerorũ alienos animos allicíãt ad mí ſericordiã, mutuaꝯ ſe anxietudine ſolicítãtes cõſpicianꝫ.Imperatoris ígĩt ad uerſę fortunę fluctíb. iactati míſertus Tamerlães Parthía deceſsit,relíqꝯ per

tranſitis

trãsitis gẽtibus,quę imperij sui finibus claudebant, Armeniã uersus iter flexit. Eufratẽq; põte prius ratib.facto,quo tutissimè peditatus omnis in alterã se amnis ripã reciperet,qua in Armeniã itur,omniũ ante se primus trãsire uoluit:omnẽq; secũ trahens multitudinẽ equitũ & peditũ, Armeniã inundauit,obstinato ualde animo & infensissimo Ottomanici nominis delendi, Asięq; subigendæ suæ fatali glorię destinatę.sub eius quippe signa qui coiuerũt, Aracosii, Sogdiani, Bactriani, Hyrcani, Comagenæ, Parthi, Medi, Persæq; fuere & Massagetę, & cũ ijs insulanæ gẽtes ex rubro mari & Caspio. Hãc tot gentiũ colluuiẽ centũ myriades equitũ et peditũ effecisse auctores,pdiderũt,qui numerus decies cẽtena habet armatorũ millia, singulisq; gentib.sui erãt duces. prę ibãt cũ Meditũ Persę equites turritis pileis,lacinijsq; argẽto & auro uariegatis cõspicui,qui acinaces gestabãt prægrãdes & põderosos, squamosisq; præsertim pectus thoracibus præmuniti.hos autẽ longa serie sequebant tã leuis q; grauis armaturæ insulanæ copię. deinde Massagetę equestri ac pedestri militia clari,atq; utroq; pugnę genere inuicti incedere,pspiciebant. Sãgari accincti æneasq; secures præferẽtes,equis uehebãt fręnis,phaleris, stapedib.ac pectoralib.aureis exornatis. post hos reliquus promiscuè agebat exercitus cũ ferẽtarijs ense tantũ et telis instructis. Cũ hac igit infinita penè copiarũ multitudine cũ Darij ac Xerxis exercitib.cõferenda, Anatoliã peragrãs Tamerlanes, cũctis formidolosus nationibus trux atq; horribilis spectabat,uel ob id præsertim, quòd nihil ad Turcarũ cædẽ pertinẽs ad uicorũ & oppidorũ cũ incẽdia tũ rapinas omitteret, iussis militibus cũcta obuia prosternere, insuper nullo cędẽ prohibẽte sexu omnes cum trucidare itẽ rapere quod quisq; posset,aut uellet. Factis itaq; passim cædibus, incendijs,ac rapinis,tota ferè Armenia in suam ditionem concessit.

De congressu Tamerlanis cum exercitu Baiazitis. Cap. VIII.

EVfratẽ,ut pauloantè diximus,transgressus Tamerlanes,quo scilicet nouas sibi semper nationes subiectas intueret, Hemanuellẽq; grauissimè circũseptũ obsidione liberaret, Armeniã inuaserat,quã totã ferè cædẽdo,rapiẽdo,incendẽdo,sacraq; omnia,& fana depeculãdo ad sui imperiũ adiũxerat,eo quippe euentu,ut aliæ finitimæ regiones et gẽtes citra sanguinẽ ad ipsum deficerẽt, eas magno occupãte metu,quẽ aduentantẽ non solũ admirabant aduenę et indigenæ,sed tot tãtisq; armatis copijs metu perculsi plericq; Asiæ populi Principẽ Tartarorũ territabundũ cõsalutatũ ueniebãt,faustis acclamationib.suscepturi, magnisq; munerib.donaturi. Qua re audita Turcarũ rex Baiazithes,qui tũc ad obsidendũ Byzantiũ castra ,pmouerat,nõ ob id exterritus animoq; fractus repentino tãti exercitus aduẽtu, statim soluta obsidione è Byzãtio trãsmittẽs in Armeniæ finib. castra collocauit,ad radices Stellæ mõtis, cui ab Antitauro ei obuerso spaciosissima quædã planities subiacet,ubi à Cneo Põpeio Mithridatẽ magnũ Põti regẽ nocturno illo pręlio profligatũ tradũt.huc autẽ quo Tamerlanẽ aduẽtasse cõferendi manus præcupidũ, ac de uita & Asię dominatu decertãdi auidissimũ didicerat Baiazithes,celeri cursu aduolauit,quẽ Georgius Mysię superioris,quę nũc Seruia dicit, regis filius concomitabat, cui Despoto cognomentũ fuit,paucis antè diebus ab eodẽ in amicitiã receptus et cliẽtelã: duos autẽ quos habebat filios Baiazithes, Celebinũ scilicet & Mustaphã,ab immi-nẽtis pugnę periculo summouẽdos curauit,ne cũ tota prole simul dubiæ ac incertæ fortunæ aleã subire cogeret,trecẽta ab eo equitũ millia, & bis cẽtena peditũ millia adducta referunt: calonũ hos quippe & gregariorũ turma permulta subsequẽte singulorũ ducũ ac belli,pcerũ seruitio destinata. cũ hoc igitur ualentissimorũ Asiæ militũ exercitu Baiazithes in Tamerlanis cõspectũ uenire nõ dubitauit,nulla tamẽ ex parte pugnantiũ numero cũ Scythico cõferendo,et eorũ audacia,uiribus,animiq; fretus alacritate,cũ hoste collatis signis confligere, ijs pręsertim iamdiu multis,& secundis pręliorũ succesib. semper per,pspere usus

A usus,& arridente fortuna, insuper nõnihil summo q̃ pollebat ingenio in re bellica ac militari,qua præditũ omnes fatebant, disciplinæ cõfisus, quocirca quę usui sibi & suis futurũ esse didicerat, magna solertia comparabat,eos intrepidè ad pugnam inflãmans, ac Tartaricã cædem excitans:ad hæc nihil nõ Tamerlanes agere uidebat,atrocis uir ingenij,quod saluti suis militib.detrimento uerò Turcis fore arbitraret, ad ipsorũ exitiũ & stragem intrepido uultu Scytharum incendens animos,atq; in memoriã sæpius eis reuocans,eandem illammet esse nunc fortunã,quã semper sibi & illis fidam comitẽ,& sociã adfuisse uel in mille prælijs experti essent. Hi duo igit̃ præpotentes & longè omniũ bellicosi reges, suos strenuè cohortati milites ad pugnã parati cõstiterũt: ac tanquã de summa rerũ dimicaturi,classicũ exorsi,utrinq; se incitarunt pari animorũ alacritate, eo quidẽ euentu,ut post multa à Rorarijs edita prælia & tentata atq; utrinq; sagittis & gladijs inflicta uulnera, mutuasq; cædes datas & acceptas, tãdem fœdum cruentũq; certamen exortũ sit, in quo diu multumq; decertatũ est incerto belli exitu, sicut anceps uictoriæ fortuna, pendere uideret. Verum eñuero uti iam diu infinitis fuerat prælijs usus secundis Tartarorũ princeps, ita nunc dubiũ nullli erat, q; ab illa ipsa,quæ in omni re, præcipuè aũt in bello, dominatur fortuna,destitueret,ac quin ea comite uictor existeret. quapropter aduersarij copias partim cæde cõtinua,partim labore assiduo attritas atq; defessas conspicatus, necnõ per multa hostiũ uexilla strata, maioremq; sui adhuc exercitus partẽ integris uirib. esse intuitus,unis missilib. prælij instauratũ ac denicq; confectũ iri sagittarijs,pnunciauit. At Paiazites ex aduerso, utpote qui Scythicæ disciplinã percallebat,pugnę facto cuneo,recentiũ peditũ à dextra,ab lęuaq; instructis fortissimis equitũ alis,et in postrema legionũ parte triarijs collocatis,queis si quid forte fortuna inprimis ordinib. accidisset, integrato prælio uictoria repararí posset, iussit ut inclinatis hastis inter confertissimos hostes repẽtè irruerẽt. atqui ne facile ab infixarũ sagittarũ grãdine iucũdi perfossi sternerent, inflexis peltis obnubẽdo capita se præmunirent. hinc igit̃ ad tenã inclinatis sarissis,illinc excussis in cœlũ sagittis,tanta utrinq; fœda strages est edita,ut tota ferè immensa & uasta planities sanguine redundaret: Eufratesq; maiore sanguinis q̃ aquarũ ui ad mare Rubrũ uolueret. uerùm tantus fuit à Tartaris telorũ effusus imber supernè haud cũ Turcicis hastarũ cuspidib.ictu prægraui & numero cõ ferendus, ut diffracta solutaq; scutorũ crate,miserabili modo Turcarũ agmina gladijs confossa,ac missilib. operta necarent̃,alij super alios afflicti in numerũ caderẽt, plericq; obuertendo terga fuga dilaberent̃: multi saucij & moribũdi in foueas ac flumina detrusi,spiritus exhalarent: plurimiq; tandem in colles summos altaq; montiũ cacumina fugitantes,et abruptissimas Armenię rupes quærentes,à persequentibus Tartaris precipites darent̃:equi uerò unà cũ rectoribus perpetuis telorũ spiculis transfossi cõciderent. atq; eò res deuenit, ut inclinãte demũ Sole in occasum,Paiazithis acies penitus inclinaret,et ipse ab equo sagittis confixo decideret,cũ extrema suimet ac suorũ clade & internicione,uiuusque in Tamerlanis potestatẽ deueniret.qui post partam tanto prælio uictoriam haud incruentã,post pulsas profligatasq; Turcarũ copias, captũq; Baiazithem timor ingens inuasit non solum cunctos Asiæ mortales,uerùm ijs quas nunc q̃ Tamerlanes neq; lacessendas bello, neq; tentandas putauerat nationibus metus iniectus est, sicut à Moscouitis, quos à Tartaris Rha fluuius perpetuo aquarum cursu dirimit, ei tributa penderentur, magnisq; adueutitijs Mossinorum, Cercetarum, Leucosyrorum,et earum gentium omnium,quæ inter Hyrcanum pelagus & Tanaim loca accolũt in dies iuuaretur, ultroq; deditionem facerent Chorosarij, Daci,et Sagi,qui trans Tanaim sedes habent,receptis in fidem Nogarijs et Sciabanijs bellicosissimis Moscę finitimis.Rerum ita potitus Tamerlanes,secum per omnem Asiam Baiazithem iussit circumduci, religa

tis post terga manibus, quo uniuersus populus captum uinctumq; iam regem suum contueretur, seq; uictorem atq; Asiæ regnatorem exciperet.

De numero occisorum utrinque, & alijs gestis. Cap. IX.

BIs centena Tartarorum millia eo in prælio à Turcis cæsa referuntur: Turcarum uerò supra centũ & quadraginta millia extincta cecidere. castra insuper à Scythis direpta, ingens tum auri, tum argenti præda facta: multi capti è Turcis fuere, complures armis exuti, ac passim per triduum opiparè uictores Scythæ epulati sunt, conuiuabanturq; assiduè, & dapsile, ut pote quibus ad abundè instruenda conuiuia cùm hominum, tum equorũ occisorum carnes suppeditarent: quandoquidem humanis carnib. & equinis Massagetis, Bactrianis, & plerisq; Scytharum communiter uesci mos sit.

De dedecore ac uilissimo supplicij genere quibus Baiazitem affecit, & de eiusdem morte. Cap. IX.

NOndum uictoris Tamerlanis dirus exaturatus satiatusq; animus uidebatur cæde cladeq; Turcarum copijs miserabili modo illatis, nisi reliquũ suæ feritatis in Baiazithem quoq; omnium miserrimum effudisset: quippe eo procumbente, non sine ludibrio eius tergo pedem imponens, solitus erat equũ conscendere: prandenti uerò & comessanti, quo magis ridiculo foret & despicatui, micas & frustilla sub mensa tripodi alligatus, canis in modum comedere cogebatur. Reliquum uerò temporis ferrea in cauea bestiarum more conclusus degebat ad admirandum humanarum rerum spectaculũ, exemplumq; fortunæ, nusquam fidæ miserandum, quin uel uxor eius, quam unà cum ipso captiuam traxerat, crepidulis tantum calciata, sagoq; perbreuissimo induta militari, denudatis obscœnis dedecoroseante Baiazithis oculos Scytharum proceribus unà discumbentib. pocula ministrare cogebatur: imitatus in hoc Tartarus Tamerlanes Tiberium Romanorum Imperatorem, nudis non nisi puellis ministrantibus cœnantẽ. quod indignissimè ferens Baiazithes, ira percitus, mœroreq; cõfectus, tanta oneratus ignominia, mortẽ sibimet dirè imprecabatur: qui nulla uia uoti compos quum euasisset, animum inexorabili obstinatione despõdens, uita excessit, capite numerosis ictib. ferreis caueæ clathris perfracto, illisoq; cerebro, suo ad id misero funestoq; fato compulsus, quòd iam regẽ summũ Asiæ turpiter cohercendũ, regnoq; auito & patrio spoliandũ opilioni quondam præbuerit, atque tanta res suas calamitate insigniuerit: alter uerò ex aduerso ab illa ipsa rerum humanarũ domina fortuna, ad tam summum Ethnearchiæ fastigium euectus fuerit, ut bellum ingens ac tetrum regi antea inuicto & præpotẽti multisq; uictorijs & opib. clarissimo inferre potuerit, mira felicitate cõficere, eundemq; & uxorem sordidatos tandem in uincula abripere, ac ingenti cum præda gloriabundus in terram patriam reuerti.

De seueritate eius in redarguendo quoddam gemmarij dictum. Cap. X.

GEmmarũ mango Ligurnatione, Tamerlani familiaris, qui margaritis & Gunionibus miri ficè oblectabat, tanti modò nominis regis miseratus erumnas, quum Tamerlanem aliquando summis exorasset precib. ut aliquod pij ac misericordis animi officium in miserum tribui, regiq; iam opibus & armis insigni nonnihil ueniæ condonari sibi uel regum omnium maximo placuisset, minacib. conuersis in eum oculis Tamerlanes, truculenta uoce sic dictum coarguens respondisse fertur, se non de rege armorum ui aut uictorijs per multis illustri, sed tyranno longè omnium immani & flagitioso, qui Solim annum maiorem natu fratrem crudeliter uita & regno spoliasset, dignũ supplicium sumere.

De liberalitate & magnificentia, quibus erga Hemanuellem usus fuit. Cap. XII.

LIberalem ac magnificentissimum natura fuisse, uel ex hoc potissimum apparuit, quippe certior quum factus esset Palęologus Cęsar, Baiazithẽ acie profligatum fuisse, & uictũ, uictori Tamerlani tunc Byrsæ agenti, qua est Bithyniæ ciuitas, misit qui eum inprimis mirificè salutarent suo nomine, eiq; gra-

tularentur,

A tularentur, ob tantam contra communem hostem partam uictoriam: mox Byzantium, se, opesq; suas omnes in magni Tartarorum principis ius ac ditionẽ concedere sibi mentẽ esse, Tamerlani nunciarent, utpote cui uni soli totius Orientis imperium à Dijs immortalib. adiudicetur, ac cuius unius beneficio totam Græciam liberatam omnes homines fateantur, ab immanissimo tyranno, quasi perculsam antea & discerptam. His ergo grato animo acceptis, ac perbenignè auditis, blandè respondisse Tamerlanem ferunt, nolle scilicet, se præclarissimam ac celeberrimam omnium urbem illustrium ueteri uirorum stẽmate claram, atq; opibus prępollentem, nuper è Turcarum manib. ereptam in serui tutem redigi, aut sibi subiectam perpeti, quin etiam ijs addidisse fertur, se superbia haudquaquam elatum execrabili inexhausta acquirendarũ urbium uel proferendæ ditionis ductum cupiditate, utpote qui multis abũdabat regnis ad id bellum excitandum: cæterùm ut imperatori urbi ac reliquis Græcię dynastis opem ferret, omnemq; Græciam incolumem præstaret, atq; ut omnib. denique præsidio esset, fuisse euocatum, ac tantum suscipiendum bellum dignũ censuit, sicuti Imperatorem optimum ac summè æquum decet: suiq; præterea iuris esse Græciam subiunxit, neminemq; se compellente è proceribus Thraciæ in ordinem coactum iri. captus etenim deuictus tyrannus meritas flagitiorum suorum pœnas dedit: ac eodem, quo uos supplicio affici destinarat, ipse in uincula coniectus, dignum uitæ exitum inuenit. Iis ergo auditis legati læti ac mira quadam uoluptate exultantes, Byrsa discesserunt, & sic diuino fauente auxilio uiolentas Turcarum manus euasit urbs nobilissima, quam postmodum Christianis principibus intestinis malis laborantibus diripuit atq; oppugnauit Baiazithis huius pronepos ac Amurathis filius Maumethes, cæso Constantino
B Palęologo, non sine modica labe, atq; Christianæ reipublicæ detrimento.

De honoribus Tamerlani collatis per uniuersos Parthiæ populos, & alijs gestis. Cap. XIII.

MAgna cum præda & gloria, locupleteq; cum exercitu ab Asia (quũ aliquot ibi dies consumpsisset in ordinando statu, prouinciarum´que procuratores ibidem constituisset, & qui respublicas moderarentˉ) in Parthiam redeunti, ac triumphum Asiaticum agenti, uniuersi prouinciæ populi laureati, ac floribus indigenis coronati, tripudiaq; necnon solennes saltatus de more exercentes, prosperè acclamabant, ac noua quadam tantę uictoriæ lætitia gestiẽtes, principem opima spolia referentem consalutabant, atq; incuruatis genibus colebant ac uenerabanˉ, exhibente interim ipso abundè populis congiarium, uię insuper quibus urbes initurus erat floríb. & coronis insternebantur: ciuitates præterea & cuncti simul sub sua iurisdictione mortales pægmata, statuas cùm ęneas, tum marmoreas affabrè factas: quin uel imagines, tabulas pictas, elogia´que, eius genio dedicarunt. ipse autem ut se lętum tantę uictorię haudquaquam dissimularet, accitis uniuersis Scythiæ proceribus, conuiuia ampla & magnificentissima apparauit: ac unà cum exercitu luxurioso magis quàm bellico cultu conspicuo, Parthicis delicijs saginabatˉ, sic ut nonnisi edendis omni fariam Scythicis spectaculis & equestrib. ludis, plures dies consumpserit, totos´que interfuerit sedens, atq; pro merito quenquam certantium honorauerit, magno inprimis Pentathlos donatiuo prosequutus.

De bellis per eum gestis in Aegypto, & in alijs regionibus. Cap. XIIII.

SVb idem ferè tempus quo Baiazithem ausum collatis signis, acie congredi uicerat, ac frenauerat (adeò à quiete & pace abhorrebat) bella alia & ingentia perpetrauit: quippe Asiam omnẽ peruagatus, ad loca oblimata, in quę Nilus exæstuat, usq; deuenit. illic aliquot dies præliatus, ui Smyrnam, Sebastã, ac Tripolim cæpit. mox cum omnibus ad Orontem amnem copijs progressus, qui ex Libano ortus monte, Antiochiam præterluit, urbem ipsam ac non procul ab ipso fluuio, Seleuciam Phœnicię urbem celebrem occupauit. illic enim

ſuburbijs omnib. & emporijs potitus, in interiorẽ Syrię partem penetrauit, ue A
bi Galatem & Rabbatã ciuitates inſignĩ Ptolemæi atq; Antiochi geſtis re-
gum celebratas, expugnauit, cõtrucidatis omnib. qui illas incolebant & neca-
tis. Hinc motis caſtris in Aegyptum profectus eſt, bellũ quoq; facturus Mem
phitico Sulthano, qui regionẽ hanc penitus ingreſſus, Palæſtinã inuaſit: quam
à ſe domitã deuictamq; militibus Scythica crudelitate diripiendã, ac funditus
euertendã tradidit. Quarũ rerũ gnari, Aegypti Sulthanus, Arabiæq; rex, aui-
diſſimo animo immenſas regnorũ ſuorũ opes appetenti, atq; ipſis exitiũ ma-
chinãti, maiori quo poterant belli impetu reſiſtere quũ ſtatuiſſent, primo ab eo
cõgreſſu cõtinuò fuſi & pflígati fugã arripuerunt: trans Peluſiũ Sulthanus con
fugerat, ne aduerſæ penitus iactatus fortunæ fluctib. uitam ſimul cum regno a-
mitteret, at perſequentẽ enixeq; tentantẽ patrijs domicilio & ſede expellere, ut
omnẽ illam Aegypti regionem, quæ inter Nilum, ac dextrũ rubri maris litus
continetur, ad propagandam ditionem adipiſci poſſet, deſerta loca & arenoſa
aquæ indiga ab inſtituto curſu reuocarunt.

De Damaſco urbe per eum obſeſſa & expugnata. *Cap.* XV.

NIhil eum magis unquam delectabat militari ſuo robore ac pugnandi fre
tum auſpicijs, quàm res magnas & arduas moliri, puinciamq; durã ſubi
re, cùm in loca aditu difficillima penetrando, tum urbes oppugnando omnes,
quæ inexpugnabiles & munitiſſimæ ab omnib. uel bellicæ rei peritiſſimis cre
derentẽ, quo audaciſſimi uiri ac fortiſſimi bellatoris non dubiũ præberet ſpeci-
men, ad eaq; maximè obeunda uideretẽ promptus, quæ difficilia et dura cæteris
iudicarentẽ. quod quidem obſeruatũ notatumq; eſt inprimis in Damaſci oppu-
gnatione urbis ualidiſſimis adeò præſidijs cõmunitæ, arceq; munitiſſimè ædi-
ficata in morem noſtrũ, ut inexpugnabilis, nullisq; humanis uiribus & ingenijs
poſſe capi exiſtimaretẽ. Hanc igitẽ quum diutino infeſtaſſet bello, atq; longa ue
xaſſet obſidione, pugnã ciues ac obſidionem pertæſi huiuſcemodi, metuq; ille B
lius, qui cuncta obuia ſtrauerat, circunuenti, qui pacem ab ipſo peteret caduceа
torem ei mittere decreuerunt ea conditione, ut ſi urbem præclarã multis antè ſe
culis alienis intactam armis haud prælio deformari uel euerti patiatẽ, ſolutaq;
obſidione atq; ſummotis à Damaſco caſtris alio demigrare copias uelit, ſe quo
tannis tributũ Tamerlani impenſuros. quod quidem renuens ipſe implacabilis
& ſæuus, omnem ipſorũ ſpem tentandę pactionis eliſit, uel ob id quũ acrius ac
uiolentius ad bella adminiſtranda urbemq; crebrius admirandis machinis &
tormentis quaſſandã inflammaretẽ. ex quo effectũ eſt ut uirib. ſuis diffiſi Megl
ſtanes Damaſceni, in arcem, quæ in media prominebat urbe, mœnibus q; ac
defenſorib. ualidam, & munitã, req; etiam cibaria copioſam, ſe ad unũ omnes
reciperent (quod unum ab ijs tutius prouideri potuit) arcẽ etenim ingreſſi cum
militib. ad defenſandam urbem patriamq; tuendã armis ſalutem quantũ immi
nens exigere uidebatẽ periculũ feſtinarũt. Quod quum ipſe ſatis exploratũ ha-
beret arcis ſitum Tamerlanes, nullaq; potiundæ ſpes arcis eſſet, celeriter mili-
tari opere magna ſibi ex Libano monte parata materia, è regione longè altius
atq; eminentius Damaſcena arce caſtellũ conſtrui iuſſit, ut à ſagittarijs Parthis
mœniũ corona ſuperata, arcis propugnatores transfoſſi ſternerentẽ. in hoc aũt
ingreſſi Tartari pugnam acrius uehementiusq; cientes, diu noctuq; ſagittas in
torquentes, & caſtellũ tormentis quaſſantes, multis tandem ictib. labefactatũ
& cõcuſsũ corruit. q collapſo, uiq; expugnato, cõfoſſisq; ad unũ prę ſidiarijs cũ
ctis et interfectis, iratus et furẽs Tamerlanes magno impetu extẽplo intra urbẽ
irruit, quam multa ſuorũ cæde adeptã ſubegit, ac immaniter depeculatus eſt.

De Capha per eum ſubacta, & alijs geſtis. *Cap.* XVI.

CAphenſib. quoq; ab ipſo bellũ indictũ eſt, quippe Caphã urbem magna
cùm auri tũ argenti copia refertã eſſe atq; omniũ opulẽtiſſimã urbiũ fama
diuul-

A diuulgauerat. Erat eñ Capha Theodosia antiquitus dicta, tunc Ligurũ colonia in Taurica Chersoneso cõstituta iuxta mare Bosphoricũ, quod Cimmeriũ appellatur, populosa & frequens, in eaq; permulti locupletes mercatores negocia banf; ac mercandi causa quotidie multitudo illuc ingens, ex Bulgaria Thracia, ac Trapezo per Aegæum, Propontidẽ, atq; Euxinũ confluebat. Ipse aũt, ut ex ciuitate astu pecunia omni detracta atq; ablata potiret, Caphamq; sub suũ imperiũ subiungeret, & ditionem nouũ diripiendi modũ excogitauit: siquidem eum haud fugiebat, homines imminente belli periculo ad custodiẽdos thesauros ne ijs hostis potiat secretis uti flauissis sub terra, in quibus condi reponiq; cum thesauris gaza omnis preciosa posset. ut igit hos astu prẽueniret Tartarus, iussit Scythas negociatores omnes quas habuissent preciosas martharũ pelles & sibellinarũ apud se uænales Capham deportare: sciens thesauros abscondi, pelles uerò defodi non posse, minoriq; quàm soliti essent precio Caphensibus mercatorib. uendendas obijcerent, quo emptores ad mercandũ facilius allicerent. pluris eñ fiebant hæ Caphæ. unde effectũ est, ut spe longè maioris quæstus faciundi mercatores Caphẽses allicefacti, illas coemerent, pecuniãq; quam haberent omnem ijs persoluerent. Hoc itaq; mãgonio pecunia omni ex Capha tanquam ex ærario quodam deprõpta, Caphensib. bellum indixit, urbemq; magnis cum armatorũ copijs, uti consueuerat, inuasit: quã numerosis tormentorũ ictib. quassatam atq; cõcussam cepit, plenissimamq; rerũ omniũ urbẽ sustulit.

De tentorijs, quibus in oppugnandis urbibus utebatur. *Cap.* XVII.

IN obsidendis uel oppugnandis urbib. memoriæ mandatũ est, hoc modo si bi aditũ ad illas cõparasse: quippe primo die, quo in conspectũ urbium se dabat, mensori sibi candidũ tentoriũ in castris figi pronunciabat, ut certò scirent se statim dedentes, ac portas aperientes, ueniæ atq; salutis locũ esse inuenturos, aç B impunitatem consecuturos. secundo uerò die coccineũ ingressus prætoriũ, significari uolebat, cum cæteris pactus incolumitatẽ, patresfamiliâs tantũ cunctationis pœnas cruore datũ ire. tertio porrò die omniũ cunctabundæ urbi funestissimo atri coloris tabernaculo erecto, omni prorsus exutũ misericordia Tamerlanem denunciabatur, ad unum omnibus inhumaniter gladio confectis, urbem solo æquatum ire.

De sæuitia & crudelitate eius contra uictos, & supplices. *Cap.* XVIII.

SAeuum suapte natura & inexorabilem fuisse, uel ex hoc uno intelliges. ut sbem quippe nactus quandam potentissimã, quæ super ciuiũ ingentem numerum, ac hospitum magnam uim eam frequentantiũ defensoribus munita, aggeribus, septa, rebusq; etiam omnibus copiosa erat, quæ necessarię ad usum urbiũ & tutelam arbitratæ sunt, & quibus feliciter bellũ administrari posse creditur: hanc enim innumerabili suo Tamerlanes exercitu circumfederat, ciuesq; in primis per internunciũ ad deditionem cœperat sollicitare. qui Tartaris obtrectando, ac deditionem negligendo nihil sibi reliqui faciebant ad eis fortiter resistendum, atq; acriter pugnandum, sic ut duo consumpti sint dies in certando. cę terùm tertia iam omniũ die aduentante funestissima, qua extrema urbi & ciuibus incendia ac exitia instare didicerant homines, pro certo habens Tartarus, unius aggeris ruina urbem suos facilè posse introire, admotis tormentis, nullã pugnæ intermissionẽ, ac nullã esse quietẽ obsessis diurnã uel nocturnã passus, aggerẽ concuti imperauit. cuius iam magna collapsa parte, et crebris ictib. muris cuniculo nudatis, aditus quasi militib. est factus. quapropter desperatis reb. cùm ciues, tum defensores perterriti, animoq; fracti, rati aliquid efferati atq; inexorabilis uictoris animi mitigari aut flecti posse delectã puerorũ & puellarũ manũ longa serie urbe prodeuntiũ cãdidis in uestib. atq; oleagineos in manib. gestantiũ ramos, ad Tamerlanem miserunt: qui ueniam suppliciter orantes, salutemq; & incolumitatem cum urbe paciscerent: necnon ab eo imminens scelerum populo exitiũ deprecarent: hos autem procul ab urbe Tartarus conspi-

catus, indignabundus confestim crudelitate plusquam Tartarica, fortissimas equitum alas in agmina puerilia iussit irrumpere: abdicatoq; prorsus omni clementiæ atq; humanitatis officio, insontes, nihilq; tale meritos, confertim equorum pedibus calcandos subiecit, & obterendos calcibus, qui inter maximè miserandos eiulatus & uoces animas expirarunt: dein cum suis intra urbem irruens, cuncta ferro & flammis absumptum iri pronunciauit.

De sæuitia & atrocitate in dictis eius. *Cap.* XIX.

INfelicissimam atq; afflictam urbis miseratus fortunam, & longè omniũ miserí ac funesti fati impubis turbæ pietate cõmotus homo Italus genere, qui summam apud Tamerlanem gratiam iniuerat, magnóque in honore habebatur ab omnibus regiæ aulæ publicanis, quòd eum Tamerlanes ob miram qua pollebat ingenij dexteritatem ex mediocri mercatore quæstoribus ac telonarijs Parthiæ cunctis præesse uoluisset, blandè inducto de cunctabundis ciuitatibus sermone, tyrannum interrogauit, quid tanta in uictos supplicitérq; uenia deposcentes sæuitia milites grassari pateretur, quum longè omnium maximi & supra captum excelsi Regis gloriæ nitorem clementiæ atq; humanitatis iubar magis illustrare uideatur. Tamerlanes obducta fronte, contortisq; in illum oculis ignem spirantibus, Memẽto, ait, me Dei maximi iram esse, atq; depraua uati seculi funestam cladem. quapropter ni magna qua dignus es pœna plecti cupias, hinc facessito. his minacibus & diris tyranni uerbis territus mercator, peregre abiens, nusquam postea in Tamerlanis conspectum deuenisse uisus.

De seueritate & gestis eius circa castra. *Cap.* XX.

VT se acrem ac seuerũ ducem ostenderet, exercitũ seueríssimè tractabat, ac ueluti his qui militaris disciplinæ peritissimus omniũ Scythiæ ꝓcerum euaserat, ne ulla unq; in exercitu seditio oriret, furti sue aut latrocinijs nullus in annona alijsq; reb. uænalib. uictũq; suppeditantibus pateret aditus, modestiæ & terminis clausum arcebat: & ne ulla unq; iniuria lacessiti cõportantes hæc, atq; exercitui impertiẽtes, à castris discedere cogerent, festinaretq; in summa inopia exercitus, noxios atrociter puniens, latrocinia, iras militũq; dissensiones, & illecebras cunctorũ uoluptates & libidines cõprimebat. ex quo factũ est, ut tanquam ad nundinas uel celebre emporiũ aliquod perrecturi tuditãtes & ꝓpolæ in castra ꝓperarint, sic ut in ipsis undiq; expositũ rerum uenaliũ forũ spectaret tum magna ciborũ, calceorũ, & uestiũ copia: prẽterea ut inciuitatib. septis mœnib. artes, rerumq; omniũ tabernæ sub manu prospiciunt, sic in Tartarorũ castris artib. omnifariã distributis, miro ordine certus statutusq; locus erat assignatus, ac mãdata sibi munia exequi, exercitijsq; uacare quisq; ad quę destinatus fuerat, uisebat: sic ut nihil nõ cõmeatu rebusq; cęteris abundaret exercitus, quę ad homines, aut equos sustentãdos desiderant, tutoq; cõportarẽt in castra.

De statura Tamerlanis, & moribus eius. *Cap.* XXI.

STatura fuit procera, & eminenti, barbatus, latus, ac humeris & pectore, cæteris q; mẽbris æqualis & congruens, integra ualetudine, excepto altero pede, quo non perinde ualebat, ut inde claudicare ac deformiter incedere prospiceretur, oris truculẽti atque obductæ suæ frontis oculi introrsus recedentes præferocis animi sui sæuitiem spirãtes, intuentibus terrorem & formidinem incutiebant. ualida erat usqueadeò neruorum compage, ut ualidíssimum quemq; è Scythis in palæstra prosterneret, ac Parthici ingentis arcus chordam lacertosis brachijs ultra aurem facilè posset extendere, æneúmque mortariũ excussi iaculi spiculo transfodere. Fuit igitur Tamerlanes corpore & moribus Carthaginiensi Hannibali símillimus, quantũ scripta ueterum edocent, ostẽdũtq; nummismata ingenio callido, atroci, perfido, nihilq; pensi habẽte, usu postulãte truci, in reprimẽdis hominũ latrocinijs castigãdaq; militũ licentia sæuiore, ut metu pœnæ oculos, nedum manus ab auro gazaq; ommi diripienda cohibere diceríssent, utipse ibi solus fortasse omnia uindicasset, cunctaq; pro arbitrio diripuisset,

A puisset: in cæteris uerò plerunq; conniuebat. at quod mirum uideri possit, quæ rebat atrox bellorum exantlator indefesse tanquam eximium uirtutis opus, qui bus cum bellum gereret, aut quos semper turbulentissimis bellorum procel lis agitaret, uel qui incorrupta libertate fruentibus sæuè iugum imponeret.

De disciplina eius circa rem militarem. Cap. XXII.

SVb benigna quadam in signiũ cõspiratione siderũ felicissimoq; eximiæ ma gnitudinis stellarũ concursu natum atq; in lucem editum fuisse Tamerlanẽ, existimare fas est: mirũ siquidem monstrosumq; uideri potest, quòd obscuris ortum parentibus, ac uili gentiliũ suorum pago genitum, nullis educatum mo ribus, aut disciplinis imbutum, quib. ad perennem laudis & uirtutis gloriam iter prosterni solet, usq; adeò ingenti animo & pertinaci spiritu Martis mune ra obiuisse uiderint homines, ut ad summum bellicæ uirtutis apoclima profe ctum & acclamatũ Imperatorem Scytharum proceres salutarent: quippe res omnes, quæ in summo duce inesse oportere existimantur, in Tamerlane nõ du biè effulsisse audiuimus, rei militaris scientiam, auctoritatẽ, felicitatem, ingenij acumẽ, laboris tolerantiam, rebusq; maximis aggrediendis audaciam: hæ iden tidem & aliæ præclaræ, cùm corporis, tum animi dotes, quæ in ipso explẽ due runt, magnum & admirabilem continuò præstitere: sicut cunctis suspiciendus mortalium ingenijs, et summis efferendus princeps adoreis laudibus, nulla un quam temporis longinquitate minuendam aut abolendam gloriam Tartaris, & nullis antè seculis uisum iubar Scythiæ attulisse uideatur.

De religione in eo animaduersa. Cap. XXIII.

AB hoc uerè Scythico impieq; profano Tamerlanis ingenio quis credet mirum religionis exemplum prodijsse? nam Sulthaniam Persarũ olim regiã, cũctaq; obuia inter meridiẽ et occasum immaniter euertẽs, ac inexorabi li mẽtis feritate diruẽs, atq; incẽdens passim urbes & oppida, religione tactus seu potius secreto quo dã (uti forsan credi par est) afflatus numine Mahometha norum delubris pepercit, quæ adhuc pręcellenti structura pulcherrima uisunt.

De uxore Tamerlanis, & liberis eiusdem. Cap. XXIIII.

ACcepit in matrimonium cuiusdam Bactriani reguli filiam, ex qua duos suscepisse liberos scriptores omnes asseuerant, nulla ex parte & uirtute bellica & fortuna Tamerlani comparandos. quod postea rei exitu comproba tum uidimus. eo siquidem humanis rebus exempto, adeò labefactari cœpere res Tartarorum, ut Scythicum, quod ipse penè ab interitu nomen uindicaue rat, ac per terrarum orbem extulerat (sic fluxę & lubricæ fortunæ res dilabunt) unà cum ipso extinctum uideatur ac deletum.

De eodem, & alijs operibus eius. Cap. XXV.

MVltis prælio deuictis regibus, infinitis penè tyrannis prostratis, cõplu ribus bello obtritis nationibus & domitis, pleriscq; urbibus incendio & ferro absumptis, ac deniq; toto, quod iam grauissimis bellis & nouis sem per motib. exarserat, Oriente pacato, exercitũ ex hostium spolijs prædisq; in gentibus ac rapinis locupletem & onustum, in terram Scythiam reduxit. quò cum peruenisset, sæua inuadente copias pestilentia, exauctoratas dimisit ad pa trios lares reuisendum, excepta prætoriana cohorte, quam menstruis semper sti pendijs sustentabat ad corporis custodiam, & ad frequentis aulæ dignitatem tuendam. Maracandam dein, utpote quæ ipsi patria fuit (ut hinc Pij secundi & Cambini error ostendatur, eorumq; refutetur opinio, qui falso arbitrati sunt eam de integro à Tamerlane conditam, quum satis constet de ipsa abunde Q. Curtium mentionem fecisse) præ cæteris Orientis urbibus collocupletandam censuit, ac nouis ædificijs, deorũ templis, pulcherrimis signis decorandã, toreu matis, lapidib. ex uario marmore sculptis, atq; ęneis antiq operis statuis exor nandã curauit, quæ insigniũ Orientis regum fuissent, & totum, quod iam uetu state collapsum fuerat instaurandũ, firmissimis itẽ ppugnaculis eam portubus

que & ualidiſſimis præſidijs & claſſibus muniri uoluit, quo tutũ mercatorib. A & nauib. onerarijs à prædonib. ac piratis latè mare Caſpiũ patefieret: fecit & ad publicam cõmoditatem Iaxartis amnis emiſſariũ ingentiũ lyntrium & ſcapha- rum capax, ad deportandos urbẽ ex agris fructus, & cætera uictui neceſſaria. in ſtituit et ſpectacula Agonaliũ ludorũ, exemplo Rom. Cæſarũ, quę Lupercalib. edi ſolebãt, ut ab armata iuuentute in equis ſimulacra præliorũ repræſentarentẽ. exhibitũ eſt ab ipſo munus gladiatoriũ ad exercendã armis urbanã pubem, ut ſi quãdo res poſtulaſſet, aſſueſceret nõ reformidare hoſtiũ congreſſum. præterea ex domitis quibuſcunq; prouincijs ſumme ei fuit cordi procerũ quenq; & di- uitijs præpollentiũ tranſmittere, ſedibusq; in Maracanda aſſignatis collocare, ut in dies populorũ frequentia, ſplendore, nobilitate, & opib. ſupra cæteras to- tius ſubacti à ſe Orientis urbes aucta atq; cumulata floreret, eosq; ab omni one re incolumes præſtitit: quosq; inſuper patrijs penatib. eiectos ſolij, exilio mul ctatos, relegatos, extorres & profugos omnes poſtliminio reuerſos, priſtinas ſedes ſuas incolere dimulgauit, quõ & ipſi uel è tot tantisq; ſecundis rerum ſuc ceſſibus ac uictorijs percepto fructu lætarentur, urbem operibus ac uectigali- bus publicis inſtruxit plurifariam, ibiq; legibus, pro uoluntate ſancitis, frænũ ſuæ felicitate imponens, ſibi regiam ſtatuit, imperijq; ſedem fixit.

De morte Tamerlanis, ac de cometa prænunciante mortem eius. Cap. XVI.

PRæſagiũ maximũ ac præcipuũ tanti principis mortis luridi cometę exor- tus fuit, per paucos anteq; obiret menſes, qui nec falſo tanti regis interitu expiatus creditur: etenim in cubiculo inter dormiendũ phyalte præfocatus inte- rijt, anno à partu Virginis quadringẽteſimo ſecũdo ſupra milleſimũ, ante quin quageſimũ ętatis annũ, quũ præeſſet ſacroſanctę reip. Bonifacius nonus. Binos de ſe filios reliquit imperij ſucceſſores, ad tot regnorũ & immenſarũ opum hę redes, qui neq; ad percipiendam regnandi uoluptatẽ, neq; adpropagandã ſobo lem diu patri ſuperſtites extiterũt: odia ſiquidẽ inimicitiasq; inter ſe graues ex xercentes, belliſq; ſe mutuò cõflictantes, uberrimã obtulere materiã & cõſpi- rationũ in ſe et defectionũ uniuerſis ſuarũ ditionũ populis, ac tributarijs natio- nib. ſic ut regnis penè infinitis à patre ui quæſitis, belliq; iure occupatis (adeò à paterna uirtute degeneraſſe uiſi ſunt) priuati atq; ſpoliati, imperio alieno ſubij- cerentur. Aſieq; inprimis regnũ ad Ottomãnos relaberetur. Hunc igitur habuit uitę finẽ Tamerlanes, qui ſine cõtrouerſia omnes uirtute bellica & fortuna, quam nunq; expertus eſt aduerſam, mortales anteiuit, nec ſit qui Rom. ducũ aut Grę corũ imperatorũ, bellica uirtute inſigniũ geſta, cum Tamerlanis præclarè ge- ſtis reb. conferre audeat: qui licet terra mariq; magna geſſerint, ſæpiusq; cum potentiſſimis hoſtib. collatis ſignis conflixerint, uictoriãq; frequenter ouan- tes inſignẽ retulerint. tamen qui Scythas uniuerſos citra & ultra Imaũ montẽ incolentes uſq; ad Volgã amnem, indomitos & ſæuos bello tentauerit, mox uerò deuicerit atq; armis ſubdiderit, haud facilè inuenies. ipſe & bello laceſſi uit, laceſſitosq; & uicit atq; perdomuit, quos nec Darius Perſarum rex maxi mus, cum tot armatorũ milib. nec ipſe Alexander Macedo Oriẽtis terror, nec Cyrus Medorũ rex, qui multa & magna præclara facinora & in Perſide & in Lydia fecit, ingẽti innixus exercitu, iuſta acie profligatos ſuperarint, quorum alterũ turpi fuga depulſum, alterius uerò ducem Zopirionem cum omnib. co- pijs deletũ, & Cyrũ denique cum uniuerſo exercitu confectũ ueterũ memoriarũ ſcriptores prodiderunt: qui uel ab Rom. armis intacti euaſiſſent formidoloſis terrarũ orbi. Verùm enimuerò è tot tantisq; admirandis rerũ ſucceſſib. quibus (mirabile dictu) ſemper fida comes, & nunq; recedẽs, fortuna adfuit, in hoc u- no ſolo ab illa eadẽ deſtitutus uiſus eſt, ac ſe ipſo minus felix Tamerlanes ob id, quod nõ modò omniũ, qui nunc ſunt principũ bellica uirtute gloriam, ſed et- tiam antiquitatis memoriã ſuperaſſet, trophęisq; & monumẽtis eius nulla unq; allatura eſſet finem ætas, ſi parem ſuarum uirtutum præconem inueniſſet.

P. CAL-

P. CALLIMACHI EXPERIENTIS DE VLADISLAO REGE, SIVE CLADE Varnensi, Liber I.

A  IGISMVNDVS rex Hungariæ, qui ultrò ad imperium accitus, Boemos quoque sibi postea subiecerat, tanta moderatione annos supra quinquaginta regnauit, ut cum sine uirili prole tandem mortem obijsset, Hungari nemini subesse maluerint quàm Duci Austriæ Alberto, cui iampridem Sigismundus unicam filiam suam matrimonio iunxerat. uidebatur leniri posse desiderium mitis & sancti regis, si eius filiam apud se regnare intuerentur. quæ persuasio subinde etiam penè profuit illius nepoti nondum nato. Nam cum Albertus quoque haud multo pòst delatum ad se regnum grauida uxore uita excessisset, optimates Hungariæ frequentes unà cum oratoribus Despoti Rasciæ ac Ciliæ Comite ad reginam Budæ agitantem conuenere: cœptúmque est agi de regni statu constituendo. & primò quidem non exaudiebantur præter uoces, felicem faustúmque partum reginæ ominantium, asserentiumq; minimè prius de nouo rege referendum, quàm illa peperisset, deberi. id recentibus Sigismundi meritis, qui paterna in omnes caritate omnes tenuisset: non tentandam temerè fortunam externis regibus experiendis, cum domi iam forsan affuturus, qui aui sui eos æquabilitate gubernaret. Valuisset'que publicus fauor, & gratissima omnibus Sigismundi memoria, si Ioannes Hunniadianus ante omnes prioris sue'que ætatis magnos uiros rerum militarium ciuilium'que artium peritia memorabilis, urgentium periculorum non admonuisset, propter Sunderouium
B oppidum cum uniuersa penè Rascia iam tum à Turcis occupatum, sublatum'que ueluti murum: quo illis obiecto, Hungaria satis tuta uidebatur. Ea uox quasi frenum à mortui gratificatione curam omnium in præsentes necessitates conuertit: coœpere'que ipsorum animis obuersari regni orbitas, & Turcorum maiores in dies uires, iterq; ad se planè illis patefactum. Præterea in partu reginæ, & ut uotis omnium correspondisset, dum puer coalesceret, parum mo menti fore constabat ad regni curam & tutelam, cum interim uirorum animi muliebre regimen aspernarentur, propter imbecillitatem plerunq; illi insitam sexui, & si curatores posthumo assignarentur, intelligebant regium fastum regias q; cupiditates in paulo antè paribus conditione uel perferre, uel explere, durissimum fore. Sed et regina non mediocriter animo sollicita, haud satis constituebat secum quidnam maximè in deliberatione tam ancipiti esset expetendum, cum aut filio, si nasceretur, regnum abrogandum, aut Turcis prodendum appareret: sed neq; exploratum habebat marem nasciturum, uel tam benenola in se & suos Hungarorum studia, & si difficultas aliqua ingruisset, ad extremum permansura. Diuersis igitur diuersa probantibus, nihil æquè ab omnibus laudabatur, quàm si Vladislaus rex Poloniæ paulo antè puberem ætatem ingressus, cuiusque indoles ac uirtus uelut humanum modum supergressa, iam tum magno famæ consensu celebris erat, uiduam reginam uxorem duceret, utriusque gentis rerum summæ præfuturus. id unicum columen aduersus domi foris'que imminentes turbas, si ea affinitate Polonorum robur inuictum rei Hungaricæ iungeretur. Sed nihil æquè Vladislai assensum remoraturum apparebat, quàm nascendorum sibi liberorum incerta successio, propter uentrem quem Regina ferebat: atque ideo non aduersante illa, in id consensum, quòd si puer nasceretur, Austriæ ac Boemiæ: liberi autem noui regis si qui procrearentur, in Hungaria regnarent: ea'que conditione regnum & coniugium perferri ad Vladislaum placuit: ita tamen, ut prius

de

de liberorum successione diceretur, quàm ex diuerso eius rei mentio nata foret. A
Designati ad id munus omnium consensu, Episcopus Strigonienſis, Mathico
Thalautius, Emericus Marcellus, Ioannes Perenus, Vladislaus Palocius.
Quibus Cracouiam uenientibus, Vladislaus ad mille passus obuiam misit
fratrem suum Cazimirum: à quo mutua gratulatione susceptí, atq; in ciuitatẽ
inducti sunt. Postridie uerò in curiam acciti, ita ad regem uerba fecisse traduntur:
Si uicinitas & rerum uariæ occasiones ac tempora non coniunxissent regnũ nos-
strum cum tuo, multis fœderib. officijsq; mutuis uirtus tamen & felicitas tua,
rex inclyte, nobis dignissima uisa foret, quæ dubijs rebus nostris implorarẽ.
Cum enim cordi non fuerit Deo Opt. Max. Albertũ apud nos regnare, in cu
ius electione sequuti eramus non quod expediret, sed quod à gratis animis re-
cens atq; eadẽ acceptissima omnibus Sigismundi memoria exposcebat, quod
facturi prius fuerant, si saluo officio licuisset, te qui Rex noster sis, uniuersi, quo
rum interest, unanimi sententia elegerunt. Omittimus illa prosequi, quòd indo
les tua uerè regia, quòd maiorũ tuorũ decora illos pellexerint, ut crederẽt teu-
num tam amplissimis duob. regnis utiliter præesse posse. Coniuncta est utriusq;
gentis fortuna, & prospera omnia utrisq; semper fuisse animaduertimus, nisi cũ
mala quæpiam ratio consilia & res alterius ab altera separauit. Sic olim Gothi,
sic Vandali, aliæq; gentes penè ignotos terrarum tractus: sic postea Tartari per
Poloniam & Hungariam primò, deinde in alias etiam regiones irrupere. sic
nisi eandem mentem tibi ad suscipiendum regnum, quàm nostris ad deferen-
dum Deus dederit, propè est, quod ominari animus horret, ut Turci patefacta
sibi Hungaria, in uos inde bellum uastitatemq; conuertant, dum pro Russia
& Bulgaria, quæ duo sepimenta regni nostri erant, lentius paulo quàm ex-
pediret, arma nuper induimus, in discrimen rerum nostrarum uenimus: &
bellum quod ab alienis finibus propulsare oportuit, in nostris cogimur sus-
tinere. Si nihil ultrà peteretur quàm ut succurreres discrimini nostro, utique
præstaret aliena defendere, quàm pati sua in periculis rapi. Nunc quando non
sola tutela, sed ius & arbitrium opulentissimi regni ad te deferẽ, quid est quòd
maximopere à te deliberandum sit, debeas ne cum tam ingenti & gloriosa
mercede eam dimicationem, etiam geminatis uiribus, suscipere, cui nostris
copijs, nostrisque armis semper pares fuisse nos, scias. Periculum est, arbitra-
mur, ne semiermem & ex fuga pugnantem hostem, quem sine ullis externis
auxilijs propè contempsimus, si tu paululum cum tuis anniteris, finibus nostris
non submoueas. Nomen hercle tuum sine ullis armis ad id sufficerit: uel si
molienda uis erit, haud indifficili conatu regni utriusque rem perpetuò stabi-
lies. Neque ideo quòd ultrò expeteris, relinqui omnia desperata à nobis pu-
tes in maximo multorum ambitu. Te iudicio, non necessitate prætulimus,
qui scires æquè atque illi regnum administrare. Sed cõmodius forsan tueri nos
iunctis utriusque regni uiribus posses, & in primis deberes propter commu-
nia utriusque discrimina. Silemus felicitatis cumulum, qui exinde Maiestati
tuæ accedet, quantum ueræ gloriæ & in præsens & ad posteros conciliauerit
tibi tam inclyti regni de uirtute tua consensus. Quanta laude effereris, quòd
tam benignè de te sentientes, gratissima uoluntate in fidem susceperis: qui, o-
men Deus auertat, si repudiati in discrimen raperemur, omittimus quòd ea-
dem fortuna res tuas manet. non solum uicinum ac socium regnum in perí-
culo destituisse diceris, uerumetiam euertisse columen ac propugnaculum
Christiani nominis, cuius Maiestas uiribus armisque nostris stetit hactenus, stabitque confidimus. Sed & fortunam dicunt uolubilem deam:
nec facile postea comprehendi, si semel oblata contemnitur. Non libet glo-
riari benignitate cœli ac terræ, quam regno nostro natura indulsit. neque uicí-
nitas, neq; magnitudo rerum gestarum illius eam te ignorare permittit. singula

illi

illic sunt eiusmodi, ut magnis periculis etiam bello expeti debeant, nedũ spontè oblata suscipi. atq; ut intelligas quòd simul omnia consentiunt ad felicitatem tuam, id ipsum quod nos petimus, regina, in qua aliquid momenti in contrariũ uideri potuit, etiã unà nobiscum petit, pignus q; & stabilimẽtum tam salubris utriq; genti incœpti, matrimoniũ suum offert. Ea est ipsius nobilitas et fortuna, ut magnopere probari possit abs te: forma uerò & ætas, non contemni. Sed neq; in tanta deliberatione audienda est mentio de reb. tam caducis & momẽtaneis: neq; uoluptatis gratia init̃ matrimonium, maximè inter reges, à quib. nihil aliud quæri solet q; dignitas, ut q; illustres successores relinquant. Et si altius attenditur, propterea quòd regna non nisi unum capiunt, illarum coniugia maximè sunt experenda à regib. quæ minus fœcunditatis uident̃ habitura. Tu modò illa quæ alij per ferrum ac ignes assequenda non dubitarent, ultrò ad te delata nõ spernas: nec uelis esse aut dici minus felix q; Deus atq; homines uelint. Dum hæc agerentur peterenturq; ab Hungaris, aderant etiam Turci oratores, quos iampridem missos deprehenderat in uia mors Alberti, qua seu uerè incõperta, seu ad tentandum dissimulata peregerant mandata. Offerebat per eam legationem Amurates Turcorum Imperator militem ac pecuniam Vladislao, ad gerendum bellum contra Albertum in Bohemia, quæ mortuo Sigismundo in duas factiones abierat: & una quidem Cazimiro Vladislai fratri regnũ deferebat, altera propter uxoriam successionem Albertum sequebat̃. Cæterũ fœdus in id sanciri petebat, quod redacta uniuersa Boemia in potestatẽ Cazimiri, Vladislaus ab amicitia et fœdere Hungarorum abstineret. Itaq; cum defuncto Alberto res integra non esset, oratores per uarias simulationes Cracouiæ retinebant̃ in expectationem quò res Hungarica post regis mortẽ inclinaret. Eos, quod ex uultu facilè notari potuit, ubi per interpretem quæ postulata erant, cognouere, ingens mœror cæpit, & subita consternatio animorum. Sed neq; eodem sensu à Polonis omnibus accipi, prius oculi & facies motus q; diuersi, deinde etiam uerba indicauere, cum essent qui dicerent, nihil præterquàm bellum offerri ab Hungaris. post cæteros omnes frustrà imploratos ad se iri. minimè id onus assumendum, quod cæteri omnes ferri posse desperassent. sed & malæ rationis esse, regem suum dimittere, ut peregrè regnaret. omnia futura in regno turbarum plena & seditionum, si sine rege agitandum foret. neminem unquam cen suisse, aut nauem sine rectore, aut exercitum sine duce esse oportere: aut unumquempiam duabus nauibus, duobus ue exercitibus utiliter comodè que præesse posse. nõ esse exploratum homini, quid indies accidere ualeat. infinita penè, quæ absente rege regnum perturbare queant: processuram improborum licentiam in infinitum, bonis uerò præsidium & tutelam defutura. sed ut cætera tolerari possent, perpetuum bellum quod domi gerendum cum Tartaris, certè nullo modo sine rege aut sustineri, aut propulsari posse. Quorum sentẽtiam Vladislaus, cuius iuuenilis animus abhorrebat ab eo matrimonio, quod cum regno adeundum erat, cum Regina grandæua foret, facilè sequebatur: alijs multis in contrarium nitentibus, inprimisq; Ostrorogeo Dobrogosio, & Cyssouensi Ioanne cum Gregorio Sanoceo, diuitias uiresq; regni quod offerebatur extollendo, Turcorum uerò res deprimendo, magno animo conditionem suscipiendam affirmabant: quæ de regis absentia dicerentur, nihil ad rem attinere. iampridem assuefactos homines, etiam sine eo agitare, cum sæpe in Lituaniã se recipere solitus esset: uicinorẽq; esse Budam Cracouię, quàm Vilnam. De ijs quæ timeri sperariue possent, facilè esse iam cum uolente rege statuere. quòd si quid inopinatum casus afferret, regem futurum in propinquo: coniuncta esse inter se regna, ita ut non quasi duobus, sed uni tantum regno rex esset præfuturus: & eo magis fore in utroque uenerabilem, quo utrisque inuicem cuique alterius uis notior esset, & auctoritas. Contra furtiuas Tartarorum

incursiones

incursiones satis supérque indigenas Podoliæ ac Russiæ sufficere. Quòd si a iustum bellum inferetur, multo facilius fore illud utriusq; regni uirib. propul sare, non esse tantæ gloriæ occasionem omittendam, ut rex Poloniæ etiam in Hungaria regnare diceretur, & unus præ cæteris principibus uisus, qui tantum regnum ritè regere ac tueri possit: nullam conditionem repudiandam, nullum periculum non subeundum pro tam ingenti laude: non inferri id bellum Hungariæ, in quo tantũmodo libertas foret amittenda, quanq; quid non audendũ subeundumq; pro libertate? sed magis, ne degenerarent omnes à morib. institutis q; maiorum, templaq; et sacra omnia profanarent: sepulchra parentum diruí, & ossa dissipari, coniuges uerò sororesq; et liberos aut ad seruitutem, aut ad libidinẽ rapi intuerent. longè præstare tantã immanitatẽ submouere in alienis finibus, q; in suis postea sustinere, nullã unq; ætatem tacituram immortalẽ gloriam, quã adipiscerent, si tam calamitosam necessitatem à ceruicib. regni inprimis incliti, sed & uicini, & fœderati, & quod nõ nisi per summum scelus deleri posset, ppulsassent. Ad hæc solã famam eo inter se uinculo coniunctarũ uirium duarũ inuictarũ nationũ satisfacturam ad Thurcum Tartarũq; intra fines suos continendos. Et iam deducta eò res erat, ut nemine aduersante Vladislaus conditionẽ susciperet, cum renunciatũ est reginã posthumũ ex Alberto peperisse. Itaq; cum uideret Vladislaus frustra uxorem ducturus, si filij sui ad regni successionem peruenire nõ possent, ex integro tota res cœpta est repudiari. Sed ubi oratores Hungari explicatis omnib. quæ apud suos constituta erant, etiã de filio, si nasci cõtingeret, hanc quoq; difficultatẽ amouerent: rursus expugnatus est regis animus, ut ad gloriã & amplitudinem tantarũ rerum se potius erigeret, q; deprimi pateret à breui uoluptate, quã ex uiridiore uxoris alterius ætate consequi posse arbitraretur. Decreta igitur dies solennis, & templũ augustius in arce Cracouiensi, ubi responderetur Hungaris ibi, cum frequentissimi ex omni ordine ad spectaculum cõueniissent, uniuersiq; regni proceres in suggestu ad id præparato consedissent. Conuersus ad oratores Vladislaus, ubi protulit ea quæ pro loco & tempore ad grati animi testimonium propter præsens in se beneficium uisa sunt attinere: Quod bene uerteret utrique genti, quibus conditionibus ad se delata erant, ius & tutelam Hungarici regni suscipere professus est: quantumq; humana ope fieri posset, daturum se operam dixit, ne tam benigni de se iudicij Hungaros pœniteret. ipsorum iam esse, curare ut quæ suorũ nomine spopondissent, rata permanerent: se in tempore promissis suis affuturũ. Sub hanc uocem secutę acclamationes, fœlicia omnia utriq; genti ominantium & in publica gratulatione laudes Deo & grates actę omnib. in templis. Thurcis subinde responsum, rerũ mutationem quæ mortem Alberti subsecuta esset, eorum legationem irritam reddidisse. Cæterùm quando & in Hungaria Vladislaus erat regnaturus, factã exinde maiorem occasionem fœderis amicitiæque in eundæ, si modò ea res cordi foret Amuratho: & si finibus suis contentus, pacis consilia complecti uellet. Hungari responso accepto, constituere inter se illicò ut alij apud Vladislaum remanerent, qui eius in Hungariam professionẽ urgerent: alij ad Reginam optimatesq; perferrent ea quæ acta erant et decreta in Polonia. Mãsere Episcopus Strigonienſis & Vladislaus: cęteri gratulabundi retrò iter ad reginã conuertêre. Visum est Vladislao mittere cum illis etiam legatos suos, qui tam reginę quàm optimatibus publicè ac priuatim gratias agerent, tempusq; aduentus illuc sui nunciarent. decreti igitur ac missi ad eam rem obeundam Sandiuogius Ostrorogeus & Ioannes Cogneſpolenſis, scriba regius. Cæterùm festinantibus Hungaris, ut quæ ad nutum suorum feliciter transacta putabant, nunciando omnes gaudio opplerent. Poloni in uia substitere, paulatimque subsequebantur. Interea regina seu quia desperasset marem párere, cum natum uideret in spem tantarum rerum, crudele nimium & immane

A immane apparíturum ſenſit, ſi ueluti propter noui mariti charitatem ſacratiſſimorum affectuum oblita, mater à debita ſucceſſione regni filium excluſiſſet: ſeu adducta perſuaſionibus quorundam, qui rei Polonicæ malè affecti erant, præſertimq; Comitis Ciliæ, qui tutorem ſe poſthumi fore, ac ſummã rerum obtenturũ credebat, ſententiã mutauerat. atq; ideo redeuntes ad ſe oratores ſuos in uincula coniecit, moxq; uoluntatẽ ſuã immutatã prouulgauit. Ea res, prout cuiuſq; animus ad hanc uel illam perſuaſionẽ acclinatus, acciebatur, nõnullis indigniſſimè ferentibus tam ſalutare utriq; regno incœptum uel unius mulieris inconſtantia, uel Comitis Ciliæ cupiditate in irritum uerti, & reginæ ſi perſuadendo adduci nequiret, ut conuentis ſtaret, aſſerendã uim cenſentibus, cum uideret ſpes profligandi externum bellum in id recidiſſe, ut ſi Vladiſlaus proſequi perſeueraret euocationem ſuam, regnum domeſticis ſeditionibus lacerari oporteret. apparebat enim, fore qui omnia extrema paterentur et, facerent priuſquàm publicam & cõmuni conſenſu datam Vladiſlao fidem uiolarent, & qui ſpe melioris fortunæ, ſi res tumultuarentur, in contrarium agerent, reginæq; aſſiſterent. Multi etiam diuinitùs eam mentem reginæ datam interpretabantur, quaſi Deo eam regnorum inter ſe ueluti confuſionem improbante, in qua ut inficiari nequiret, quædam ineſſe commoda, ſubmouendo bello quod à Thurco immineret: maieſtas tamen & nomen rei Hungaricę interitura eſſet, actionumq; omnium gloria domi atque foris ad Polonos peruentura. neminem unum exinde creditũrum ab Hungaris peregrinũ regem alia ratione accitum, niſi quòd ſine Polonis ſubſiſtere deſperaſſent. Vladiſlaum quoque propenſiore affectu erga ſuos futurum, ſatis experiendo compertum: prioribus temporibus Hungariam ad retinendam dignitatem ſuam externa ope non indigere: denique Deum ipſum in partu reginæ planè indicaſſe, quem regem
B uellet apud eos eſſe. Hæc, & plura eiuſmodi, iactabantur non uulgò ſolùm, uerumetiam in conciliis optimatum. ſed & ciuitates nonnullæ, inprimisq; Caſſouia, Baradinum, Lubolia, Cremnicia, & cæterę finibus Poloniæ obiectæ, iam tum in tanta uoluntatum uarietate imminentium certaminum diſcrimina intuentes, ut ocioſe rei euentũ expectarent, cõportatis intra mœnia eis quę uſui fore credebant ſeu ferendę obſidioni, ſeu ad uim propulſandã, ſi ingruiſſet, foſſas, muros, ppugnacula, impigrè reficiebant ac firmabant, quę ut agebant. uulgo ad legatos Polonos delata, eos ut retrò in patriã iter uerterent, adegerũt. Et cum à regina impenſius reuocarent, non auſi ſunt illius ſe fidei committere. Quod ſi feciſſent, fama tenuit potuiſſe facile omnia in integrum, re tunc recenti, per ipſos reſtitui. non ſolum reginę uoluntas immutata, ſed cędes etiam Sigiſmũdi Ducis in Lituania ſub idem tempus commiſſa: ſecutæq; illam diuerſæ ibidem factiones, & fames, qua deperditis frugibus, propter æſtatis intemperiem, eouſq; laborabatur, quòd promiſcuè cum pecoribus non humanis cibis, ſed arborum corticibus, cãnarumq; radicibus mortales ueſci cogebantur. hyems præterea inuſitatè cõſtanterq; rigens uſque ad perniciem iumentorum, hominumq; ad extremum lues, qua inſolitis alimentis fluida labefactaq; corpora uulgò extabeſcebant, poterant Vladiſlaum à tranſcendendo in Hungariam retinere, ſi modò fatales neceſsitates euitabiles eſſent. Itaque tam multis aduerſis penè inuitum retinentibus, ille nihilo ſegnius ad tranſitum equos, arma, militem præparabat, indicto conuentu in Sandecio, in quo referretur ſtatuereturq; tam de rebus domeſticis cõſtituendis, quàm de ordine proſequendi ſuſceptam profectionem. Præceſſerant Vladiſlaum ad locum conuentui deſtinatum mater eius regina Sophia, Duxq; Maſouiæ Boleslaus. Et præter paucos qui regem ſequebantur, uniuerſi etiam regni proceres & Lituanorum legatio. itaque ubi rex

bi rex cum fratre ſuo Cazimiro aduenit, Lituani prius auditi, qui principa-
tum ſuum poſt cædem Sigiſmundi in tumultu eſſe dicebant, & diuerſis fa-
ctionibus laborare, optimatibus Vladislaum pro principe habendum cen-
ſentibus, multitudine uerò ad Michaelem Sigiſmundi filium inclinãte, ſed
& Suidrigalem, qui & ipſe ex principũ erat progenie, nonnulla oppida occu
paſſe, Ruthenorumq; primores ſpe nouarum rerum quotidie ad illum con-
gregari. præterea Ducis Maſouiæ copias Droicinum expugnaſſe: atq; ideo,
niſi ſubitò ſuccurrerẽt, propè eſſe ut factionibus inteſtinis Lituanorũ nomen
ac res interiret. De quibus cum ſententiæ rogarentẽ, quàm plures erant qui
Hungariam omittendam ſuaderent, amplexandamq; conſulendi rebus ſuis
domi occaſionem oblatam per inconſtantiam reginæ: ſatisfactum eſſe fœde
ratę ac uicinę nationi, tutelam ipſius, cum id efflagitaret, ſuſcipiendo. Nunc
quando per illam ſtaret, quo minus conuenta perficerentẽ, temerarium uide-
ri, ſi neglectis opportunitatibus ſuis, cum periculo alienos etiam inuitos ſer
uare aggrederentur. Tunc demum fuiſſe gloriosum Polonis in Hungariam
proficiſci, quando contra Thurcos aduocabantur: nunc inteſtinis ciuilibus-
que certaminibus immiſceri, calamitoſum et turpe fore. dimittendos eſſe ad
ſuos, Hungaros legatos: ſi ſenſiſſent illi operæprecium fore, coniungi eos
communis regis uinculo & ſocietate cum Polonis, inuenturos quomodo
id ſine controuerſia fieret: culpam nõ ſeruatæ in præſens fidei penes ipſos re-
manſuram: interim rem Lituanam ſtabiliendam. Quorum ſentẽtiam lauda
bat in primis regina, tum quòd ægrè filium à ſe diuelli, ac peregrè regnatum
ire, patiebatur: tum quòd oriunda ortaq; Ruſsia, magnopere angebatur pa-
triam ſuam mutuis ſeditionibus propter Lituaniæ motus periclitari. Vladi
slaumq; & Cazimirum ſolicitos habebat res Lituana, utpote patrius & a-
uitus principatus. Sed & Dux Boleslaus, cuius intererat regem non abeſſe à
regno, propter ſuſceptam à ſe contra Lituanos actionem, quam iure decidi
cupiebat, multa in eandem ſententiam diſſeruit. Gregorius uerò cum Ioãne B
Ciſſouenſi & Creslao Curoſuãcheo, cæteriſq; qui iam tum à principio con-
ditionem ſuſcipiendam perſuaſerant, dicere Hungaros aut non audiri opor-
tuiſſe, aut pacta implenda. Non propter illos tantũmodo conditionem ſuſce
ptam, ſed quia cõmune periculum propulſandũ: eo conſtantius in incœpto
perſiſtendum, quo illi iam diſcordes inter ſe propiores eſſent, ut alieno ſubde
rentur imperio. tutius multo fuiſſe, concordes initiò quàm in ſeditione deſti
tuere: ſi uiderent in incœpto Polonos perſeuerantes, depoſituros ſimultates,
redituroſq; in fidem omnes. Reginam quoq; ceſſuram uiribus, ubi eas adel
ſe ſenſiſſet: ſi res cõmitteretur, ſeditionibus inteſtinis perituros, aut ad alium
quempiam ſe conuerſuros, cuius poſtea uel potentia timenda, uel imbecilli-
tas maiori & ſumptu et diſcrimine fouenda eſſet. Nihil ſatius, q; etiã per bel
lum ad inſtitutum peruenire: ſi tum demum abſtineretẽ, & cupidè ſuſcepiſſe,
& timidè deſtituiſſe apparituros. Ad Lituaniam pacandã Cazimirum cum
aliquibus copijs mitti poſſe, ſed & Lituanos moderatius ſe habituros, intel-
ligentes Vladislaũ etiam in Hungaria regnare. Ad hæc Hungarorũ legati
parum momenti in regina ad reſiſtendũ uniuerſorũ uoluntati afferebant: pau
coſq; illi affuturos, & eoſdem ſine auctoritate, aut gratia. Eos autem quos
penes rei totius arbitrium, ſatis intelligere, nihil poſſe utilius uti q; regno et
inprimis ſuo inueniri. Non paſſuros ad nutum unius mulieris ſummã liber
tatis ſalutisq; ſuæ periclitari: abundè prius deliberaſſe ſtatuiſſeq; quod optis
mum uideretẽ. Sed & reginam facilè aut ſanioribus conſilijs aut ui expugna-
ri poſſe, reduciq; in ſententiam rectam, proſequerentẽ modò Poloni ea quæ
cum ſumma ratione inchoaſſent. Decretum itaq; ſecundũ Gregorij ſenten-
tiam, ut progrederetẽ in Hungariã Vladislaus; Cazimirus uerò cum certo

numero

numero copiarũ in Lituaniã proficiſcereť, adiunctis ei primarijs uiris, Der
slao Ritifianeo, & Palatino Lublinenſi. Cum Boleslao autem Maſouiæ
duce inducias ſeruari placuit, ꝙ diu à regno Poloniæ rex abeſſet: eaꝙ de
creta ad cætera quæ dicta ſunt de neceſſitate & cõmodis ſuſceptæ profectio
nis, pro reſponſo data ſunt Lituanis oratoribus. Deſignati ſubinde quiab
ſente rege ueluti uicarij in locis opportunis præeſſent ac ius dicerent. in præ
fectura quidẽ Cracouiana Ioãnes, in Ciſſouenſi Ioãnes Ciſſouenſis, in Poſ
naniẽſi Petrus de Buyno, in Podolienſi Theodoricus Gunaſcanus. Vladi
ſlaus uerò ubi ſatis cõſtituta, ꝓuiſaꝙ reliqua apparuere, dimiſsis cęteris ꝙꝙ
ad munera, ſibi cõmiſſa, cũ illis ꝙs delegerat ad conſtitutã expeditionẽ pro
gredit. Matrẽ ac fratrem ſuũ Cazimirũ biduo ſe, ꝓficiſcentẽ, ꝓſecutos, tertia
die ab ſe dimiſit: admonito prius fratre, qua ratione quibuſue artib. cum Li
tuanis agitare oporteret. Eduxit uerò ſecũ prẽter militarem multitudinẽ ui
ros magnos, & magnis præfecturis honoratos, quos conſiliorũ actionũꝙ o
mnium ſocios adiutoresꝙ haberet: inprimis Andreã & Ioãnem Tancinen
ſes, Dobrogoſiũ & Sandiuogiũ Oſtrorogeos, duos Ioãnes Tamouianos,
Vicentiũ ac Scidouã Sciamatuleos, Lucam Goremſem, Nicolaũ Laſſouia
num, & Gregorium Sanoceũ. is poſtea uigintiquinꝙ annis præfuit metro
poli Leopolienſi. Sed tunc maximè ingenio florens, & doctrina uidebat ad
omnia gerenda ſuadendaꝙ facile idoneus, & de quo rex plurima ſibi polli
ceri poſſet. Ad quæ accedebat cum decora corporis ꝓceritate præcipua quę
dam animi ſanctitas & religio, in quib. adeò eminebat, ut nemo regẽ Deum
ꝓpiciaturus facilius crederet: eaꝙ eſt ſibi inprimis cura delegata. Cæterùm
ut diuina per hunc rex procuraturum rite ſe credebat, ita prælijs conſerendis
haud minus momẽti fore putans, in uirib. Leſconis Bobritij, cuius robur &
audacia maximo conſenſu uulgò laudabat, ipſum quoꝙ inter præcipuos e
B ducendũ delegit. fuit autem Leſco auus diuę Fanniæ carminib. noſtris cele
bris, ſi qua tamẽ ex illis gloria eſſe poteſt. inter ꝓgrediendum uerò quotidie
cateruatim cõfluebant ad regem alij multi ex Polonia impigri & magni ui
ri, partim ne uelut ignaui repudiati uiderent, partim cupiditate oſtentandæ
uirtutis in tam nobili expeditione. cęterùm uolente unoquoꝙ armis, equis,
& reliquo apparatu eminere, incredibile memoratu eſt, ꝙ inſignis erat exer
citus rerum omniũ excellentia, cum ferè miles quiſꝙ egregij ducis ſpeciem
præferret, fama etiam, ut in magnis conatib. uſuuenit, omnia augebat, co
piasꝙ & apparatũ bellicũ uix tolerabilẽ reginæ, ad quã Dionyſius Archie
piſcopus, Ladislausꝙ Gara Banus, & pleriꝙ alij defecerãt, nunciabat. quæ
cum edixiſſet arceri Vladislaũ omnibus munitis in Hungaria locis, ubi re
ceptum audiuit in Cheſmarchũ, ſollicita, ut fit in re trepida, cogitationes in
partes omnes cœpit agitare: cæterum ſeu deſperans poſt adeò ingẽtem bel
li molem excitam, pacis aut fœderis audiendã mentionem, ſeu nõ inueniens
apud ſe conditiones, quæ utrinꝙ ſuſcipi honeſtè poſſent, ad ſuſtinendã uim
cum ſuis animũ conuertit: inprimisꝙ cum haud ignoraret ſuſceptas uulgo
perſuaſiones cærimoniasꝙ aliquas in rebus nõ leue momentũ habere ſedan
dis concitandiſue populorũ animis, Viſſegradũ, ubi præerat Ladislaus, Ga
ra propere contendit: coronam qua uetuſta religione ac more Hungariæ re
ges initiant, in poteſtatẽ ſuam redactura, ne ſi eius Vladislaus potiretur, ue
luti rex legitimus populos ad ſe conuerteret. Itaꝙ nõ aduerſante præfecto,
penetrale, in quo ſanctiſſimè aſſeruabat, cum effregiſſet, illam tantũmodo ex
tulit, relictis cæteris induuijs, quæ ad ritum cærimoniamꝙ coronandorũ re
gum pariter adhiberi cõſueuere. nec mora, cũ omnib. qui palàm ſibi ac poſt
humo fauebant, in Comarum ſe recepit. Alij uerò quos aut nouarum rerum
ſtudium, aut per legatos data fides Vladislao, aut timor ne bello cogeren

tur, ſollicitos habebat, quanto quiſq; poterat comitatu, quotidie ad illũ con A
fluebant. in ea feſtinatione pleraq; hoſtilia cõmiſſa ſunt diuerſis in locis con
tra illos qui reginę affuturi uidebanť. inprimisq; Simõ Roſgonius Agrien
ſis epiſcopus, cum cõperiſſet in oppido Emperiaſcio nõ uigiliarũ ordinem,
nõ ſtationes iuſtas ſeruari, ſed ſecurè ac ſolutè agitari, per occaſionem noctu
illud intercepit. Quo ſubinde firmato munitionib. ac præſidio, Cheſmar
chũ uenit, ibi Polonorũ animi, q̃s ꝓpter reginę motus demiſſos labefacto ſe
que conſtabat, rurſus erecti ſunt & confirmati, cum uiderent ad ſe conueni ſe
ſe magnã partem ex primorib. Hungarorũ, quorũ auctoritatẽ cæteros ſecu
turos: aut ſi qui aduerſarenť, minimo negotio cogi poſſe apparebat. Itaq; ala
cres renouata ſpe, facile ac celeriter incepti perficiendi, alterã Lituanorũ le
gationem, quæ illuc uſq; ad auertendũ in Lituaniã Vladiſlaũ ſollicita adue
nerat, dimiſere retrò ad Cazimirũ, cui Lituanicæ rei cura delegata eſſet: etſi
pleriq;, quos nõ minus diſcrimina & ꝓgrediendi difficultas q̃ ea quæ nunc
ciabantur à Lituanis mouebant, cum Ioanne Tancinenſi uel illinc regredi in
Poloniã ſuaderent: ſed ne id fieret, annuentib. Ioãne Iaroslauiẽſi & Grego
rio Sanoceo tenuit pudor famęq; uerecũdia. Conſtitutũ itaq;, ut relicto cum
ualido pręſidio ad cuſtodiã Chelmarchi Nicolao Pereno, Budã uerſus pro
grederenť. utriuſq; regni copijs ſimul coniunctis, inter ꝓficiſcendũ lentè, ut
par erat tanto exercitui, uiſum eſt mittere q̃ regni caput Budã pręoccuparent:
ne regina ſi muniẽdi ſe illic facultas ſpaciũ q̃ daret, conatus Vladiſlai acſuo
rũ ſubinde aut retardaret, aut irritos redderet. Datũ eſt ideo negotiũ Agrien
ſi Epiſcopo, & cũ eo miſsi Vincẽtius Sciamatuliẽſis, Andreas Tancinẽſis,
& Leſco Bobricius. eos, ubi aduenere, populus intra urbẽ ultrò admiſit, du
cendiſq; munitionũ operibus manu & cætero omni ſtudio frequens aſſuit.
Cum interim præfectus arcis Laurentius Endreuera deliberabundus, neq;
aduerſando, neq; obſequendo ijs quæ fiebant, uideret in eam partem inclina B
turus, ex qua minus perturbationis in regno crederet excitari. ueniebat ex
parte altera Federicus Comes Cilię cũ quingentis equitibus, miſſus & ipſe
à regina eodem cõſilio pręoccupandę Budę: qui ubi à Polonis iam teneri co
gnouit, nihil ultrà tentandũ ratus, demiſſo animo ſtatim retrò abijt in Coma
rum. Augebanť ſemper copię Vladiſlai, accurrentib. ad eũ in itinere Hunga
ris. Cæterũ cum peruenisſet Emperiaſciũ, diemq; unam ad quietẽ indulſiſſet
exercitui, ſecretarius, quem chariſsimũ habuit, dum in fluuiolo ignobili prę
ꝓperè opitulari pergit accipitri cum anate periclitanti, ſubmerſus eſt: & pro
digioſæ magnitudinis grando cum ingenti ꝓcella & fragore cœli decidit,
quibus nõnihil conſternati ſunt animi in Polonis, minimè referentiũ uel il
lud ad fortunæ caſus, uel hoc ad aeris intemperiẽ, ſed utrumq; uelut in ꝓdi
gium auertẽtibus, ut cuiuſq; uel mens erat, uel religio, diuerſis in diuerſum
interpretantibus. Regina uerò ubi ad Polonos Budã defeciſſe intellexit, &
Vladiſlaũ, qui Agriã iam attigiſſet, hilari conſenſu illic à populo expectari,
ad cæteras ciuitates in officio retinendas feſtinato itinere Albã regalẽ ſe con
tulit: cui præerat tunc partiũ ſuarũ fautor Nicolaus Friſtarchi, ibiq; ſuadenti
bus qui illam ſequebanť, filium ſuum iam trimeſtrẽ in templo conſueto, re
gio titulo & corona ſolẽniter inſignitũ, auguſtiorẽ & ueluti ſacroſanctũ po
pulis ciuitatibus q̃ Hungarię reddidit: putans futuros plures qui ueri & le
gitimi domini partes ſequerenť, q̃ qui contaminare ſe uellent nota defectio
nis. Affuere coronationi eiuſmodi ex illis qui paulo antè Vladiſlaum acce
ſendum cenſuerãt, Archiepiſcopus Strigoniẽſis, Iaurinẽſisq; epiſcopus Be
nedictus, tum Cilię Comes, Nicolaus Friſtarchi, Stephanus Roſgonius, &
pleriq; alij, omnesq; mox cum regina cõtulere ſe Iaurinũ. Res ipſa tum etiã
auctores magnopere Polonos conturbauit: ſed eò uentũ erat, unde regredi,
niſi

A nisi re perfecta, turpitudo nō patiebaṫ. itaq; mouēs ab Agria Vladislaus, per cōmoda interualla tandē Budam peruenit. cum appropinquaret, factus est ei obuiam præfectus arcis Laurentius Endreuera cum liberis duobus, & populus effuse, cū ipse instructis aciebus, nequid subesset insidiarū, ingrederet. Post mutuā gratulationē uisum est ea die ab ingressu urbis abstinere, placuitque subsistere in Pesta. Interim regina per nuncios maria montesq; pollicendo Endreueræ, enixe conabaṫ persuadere ut in fide atq; officio maneret: parumq; abfuit quin impetraret, magis in gratiā memoriæ Sigismundi, q; ipōsione ditissimarū conditionū quas ꝓponebat. prēualuit tamen in animo bene instituto ea sententia quæ tutior uidebaṫ ad stabiliendā fortunam naufragantis regni. Itaq; ille Vladislaū & suos liberaliter in arcem admisit: pro quo beneficio Vladislaus ut præfecturā, in qua erat, cōtinuaret, edixit: satis confidens mansurum eum constātissimè in ea parte in quam primò incolumitate suadente, non impetu animi, sed iudicio accesserat. Super omnia insigne fuit spectaculū, cum Budam Vladislaus ingrederetur: nam præter magnificentiam ornamentorū nauium, quibus cum instructo exercitu per Danubium trāsuectus est, maximè eminebāt ubiq; studia procerum regni utriusq;, certantiū inter se officij sedulitate, ad inducendū ipsum q; maximè fieri poterat solenni ac omni genere ornatus instructissima pompa. Sed & milites cum ducibus suis, qui prēmissi illuc fuerāt, armati obuiā prodierant. Præterea sacerdotes cum sacris & religioso apparatu, populiq; ꝓmiscuè omnis ordinis turba innumerabilis, ꝓcedebat ergo militib. stipatus inter uoces gratulantiū, felicemq; ac fausti regi, sibiq; & regno ingressum eius exoptantiū. subsequebanṫ ꝓceres regni utriusq; pro dignitate ac meritis, ut quisq; eminebat, ita ordine antecedentes. Vbi ad templū augustius peruentū, laudes gratesq; Deo immortali actæ. Subinde in regiā perducto Vladislao, populus quidē gratulationē suā in multā noctem ꝓduxit, uarijs discursib. per ciuitatē cum cātu, tripudijsq; & hilari saltatione. Proceres uerò cum crederēt susceptī negocij partem maximā transegisse, recepta Buda quieti se dedere: mox consulturi quibus mediis reliqua sine contentione uel mora perfici possent. Vbi Budam teneri per Vladislaū uulgatū est, nō solum qui apertè partibus ipsius fauebant, sed multi alij qui ad id tēporis dissimulauerāt, fidem atq; obsequium pollicentes, cum gratulatione ad eum cōfluxere, inprimisq; Matthico Talautius eisdē diebus cura atq; opera tonsoris sui elapsus custodia, in qua reginæ iussu asseruabaṫ: tum Nicolaus Fristarchi, Stephanus Rosgonius, Ioānes maior Perenus, & in quo plurimū in utramq; partem momenti Ioānes Hūniadianus: præterea Episcopi, Vesperinensis, Quinqecclesiēsis, Trāsyluanensis, Nitriensis, Sirmiēsis, Vacciensis, Varadiensis, & Colocensis Archiepiscopus: paucaq; præter Cascouiā reliquas q; ciuitates, quæ cum illa se in euentū à principio cōmuniuerant, in regno toto supererāt, quæ non profiterenṫ se in fide Vladislai esse ac fore. Venit & à rege Bosinæ legatio apparatu uirisq; insignis: quæ repetito gentis suę primordio, eosdē cum Polonis auctores generis & cōmunem linguā Bosinenses habere cum dixisset, ob eamq; linguæ & originū ueluti cognationē, regem suumma gnopere gaudere, ꝓpterea q cœptis Vladislai felicitatē adesse uulgabaṫ, multa disseruit de cōmodis quibus se mutuò, ꝓpter cognationē uicinitatēq; releuare possent ac deberent, cōmunicatis uirib. & consilijs aduersus imminentē Turcarum crudelissimā tyrānidem, fœdusq; pręterea & amicitiā sanctissimè cultam seruatamq; inter Bosinę & Hungariæ reges ad id locorū inter se cōmoda cuiusq; ad alterū & subsidiaria cōnexio: ꝓpterea fœdus & amicitiā inter reges uel iniri, uel renouari postulauit. quibus benignè respōsum, incrementa successusq; Vladislai meritò regi placere, tum ꝓpter eam quam repetissent

B

penè tantundem intereſſet, ut quàm celerrimè pacata omni Hungaria, contra cõmunes hoſtes integris uiribus expeditio duceretur. Gratię ſubinde actæ, quòd in tempore affuturum ſe cõtra Turcos communicando actiones & conſilia rex ultrò polliceretur. Et ut ſic animatus ad extremum perſeueraret, adhortationes adhibitæ. fœdus deniq; inter reges & regna confirmatum. Adueuerant etiam oratores Deſpoti, cuius demiſſior gratulatio fuit, ut par erat; quippe quòd à principatu ſuo per Turcos eiectus, priorũ Hungariæ regum munificentia alebatur: qui caſum tanti uiri miſerati, collocaueranteum in finibus regni, aſſignatis ſibi nonnullorum oppidorum uectigalibus & iuriſdictione, quibus haud indecorè præſentis fortunæ ſtatum ferret, & præteritę deſiderium leniret. Itaque ante omnia oratores ſui magno uerborum ambitu commemoratis propè eiſdẽ quæ Boſſinenſes de cognatione originum ac linguæ cum Polonis, purgauere Deſpoti factũ, quòd per nuncios id munus aggreſſus, quod obire ipſum oportuerat: ſed accinctũ iam itineri, Turcos auertiſſe, ne coràm ueniret. Cęterùm ambigere ipſum, ſpei ne ſuæ, quę poſt ademptum ſibi principatum, abductos q; in ſeruitutem liberos, tum primùm reuiſcere incipiebat, an felicitati Vladiſlai prius magis q; gratulandum foret. acceſſiſſe quidem acceſſurum q; in dies benignitate Dei ad gloriam dignitatem q; Vladiſlai multũ, cũ nihilominus in ſumma gloria ſumma q; dignitate exiſteret: ſibi omnibus patrijs auitis q; ornamẽtis ſpoliato, nec ſolũ principatu & patria, ſed domo & lare eiecto, extorri, indigo, alienaq; uiuẽti miſeri cordia, tũ primũ oriri lucem aliquã non ſolum melioris conditionis, ſed priſtinæ etiã dignitatis & fortunę recuperãdę. Ac felicitatẽ inceptorum polliceri, tum geminatas uires duarũ inuictarum nationũ, quarũ neutri ulla prę alterã diſciplina militari & alacritate pugnãdi par foret in terris. obuerſari iã tum oculis ſuis fugã formidinem q; cõuerſas in Turcos: agrunq; illorũ igne, ferro, uaſtitate infeſtũ: ſe uerò ad maiorum ſuorũ ſedem reſtitutũ: atq; ideo ultra omnem humanã lætitiam gaudere ſibi: Vladiſlao autẽ gratulari, qui tam magnarũ actionũ gloria nõ modò præſentis æui reges, ſed uetuſtos omnes eſſet ſuperaturus, ſi priſtina fortuna adeſſet, oblaturũ fuiſſe ſe comitẽ atq; adiutorẽ. Nũc quãdo integrũ non eſſet ſibi maiora polliceri, uoluntariũ regis ad omnia periculoſa & difficilia obeunda miniſtrũ ſe offerre & dedere. mouit tum Vladiſlaũ, tum cæteros & fortuna uiri, & tã ſubmiſſa oratio. itaq; reſpõſum legatis, ut Deſpotũ bono animo eſſe iuberẽt, ſatis multas affuturas occaſiones ad mutuã paremq; gratulationẽ. Interim cũ ratione ab eo factũ, quòd loca in quibus regi gratulari poſſet, ab hoſtili incurſu tuenda ſibi in tempore putaſſet, perſeueraret modò ſtrenuè: Vladiſlaũ primo quoq; tẽpore annixurum, ut expectationẽ ſpemq; de ſe conceptam adimpleret. Interea Strigoniẽſis Archiepiſcopus & Ladiſlaus Gara, qui coronandi poſt humi inprimis auctores adiutores q; fuerant, ſeu deſperatis reginę rebus propter ſucceſſus Vladiſlai, ſeu rati per tranſitionem ſuam, quam reliquos dignitate inferiores ſecuturos credi par erat, reginę animos infringi, & ad concordiam conuerti poſſe, cœperũt cum Vladiſlao clàm per internuncios agere, ut impunè ad eũ tranſire liceret: acceptaq; in id fide, Budã properabant. Vladiſlaus uerò qui ſciret magnã eſſe talium uirorũ apud populares ſuos auctoritatem, multumq; huc uel illuc mouere animos uulgariũ pariter & nobilium poſſe, ubi approp inquaſſe ciuitati percepit, obuiam progreſſus, benignè cõplexos bene de ſe ſperare iuſſit. Die ſequẽti cum ex cõpoſito utriuſq; gẽtis primores q; magnificentiſſimo apparatu ad regẽ conueniſſent, miſſi ſunt qui illos in curiã inducerent, ubi Archiepiſcopũ in hanc ſententiã locutũ tradũt: Intelligo, rex inclyte, purgandũ eſſe quòd in rebus ferè omniũ maximis cõſilium ter uariaſſe uidemur. Primùm, cum te, qui apud nos regnares, accerſendũ cenſuimus;

deinde,

A deinde,cum reginam filium ſuum coronantẽ contra te ſecuti:nouiſſimè, quã
do illius partibus omiſſis,nunc ad te reuertimur: ne aut ſpernendi à te, uelut
imbecillitate animorũ laborantes:aut cum ſuſpicione accipiendi,ceu parũ fi
deles iſs ad quos inclinauerimus,exiſtimemur. Non enim ſententiam fidẽ
ue mutando totiens uelut in cõtrarium acti ſumus:ſed cum ageretur de con-
ſeruando augendoq; regno noſtro,idq; quãtum rei magnitudo poſtulat,nos
ſolicitos haberet,ſeu nimia cupiditate,ſeu humana ignoratione, quod opti-
mum foret,non ſatis conſtituebamus,atque ideo nunc hoc,nunc illud appro
bantes,minimè mutato propoſito ad id quod efficaciſſimum uidebatur,con-
fugimus non ſtudio partium,ſed caritate patrię, cuius ſalutem dignitatemq;
periclitari intuebamur. Nec enim ut de me fatear, quod de alijs etiã ſentio,
cum à nobis accitus es regnatum, ideo tantum conſenſi, quòd ob uirtutem
tuam,maiorumq; tuorum gloriam digniſſimus uidereris. Immutabãt ea qui
dem ut conſentirem, uerùm non de ornando augendóue te conſultatio erat:
ſed cum poſt mortem Alberti regnũ noſtrum in orbitate uelut prædę Tur-
cis expoſitum appareret, inuictũ regni tui robur inprimis occurrebat, quod
per uicinitatem & fœdera nobis cõiunctum,uelle deberet, per amplitudinẽ
autem facile nos poſſe tueri & conſeruare uidebatur:& tua tuorumq; intereſ
ſe,ut quæ nobis imminebant pericula,propulſarentur. atque ideo freti uiri-
bus & amplitudine regni tui, cum de fide dubitare non poſſemus, quãdo in
rebus ueſtris idem exitus quem in noſtris pateremur,foret à nobis expectã-
dus,unanimi conſenſu ad te confugimus, rati fore ut in ditione & tutela tua
res noſtrę domi foriſq; maximè florerent.Poſtquam uerò regina ſeu mala ra
tione,ſeu malo fato percita,cœpit à communibus cõfilijs reſilire,quanquam
& ego,& qui illam mecum ſecuti,intelligebamus ad publicas etiam neceſſi
tates parum momenti illinc eſſe,acceſſimus tamen:tum quia nefarium appa
rebat,reginam noſtram,& eandem Sigiſmundi regis noſtri filiam deſerere,
B priuſquam patrię periclitatio nos cogeret:tum ut in uiam rectam,ſi fieri poſ
ſet,reuocaretur:& tu defectionẽ noſtrã ueritus,tantiſper deliberabũdus ſub
ſiſteres, dũ iniret ratio ſedandi ciuiles diſcordias,quas celer aduentus tuus,
tumultuãte adhuc regina,uidebatur excitaturus. cruciabamur enim animo,
intuentes exarſurum bellum inteſtinũ euocatione tua, per quam externum
extinguere uolueramus: atq; ideo omnia prius experiri certi, q; patriã ſuo
ſe gladio conficientẽ intueri,tãdiu in parte altera perſeuerauimus, quoad nõ
officiũ erga reginam & gratiſſima noſtris animis memoria Sigiſmundi cha-
ritati patriæ cõceſſit. ubi uerò ambitione reginã elatiorem uidimus, q; quæ
adduci poſſet,ut periculis ſuorũ parceret,& in illis anguſtijs eſſemus, quod
aut patriæ aut officij iacturã facere oporteret,maluimus boni ciues q; officio
ſi clientes dici:& relicta illa,quę niſi per ſummas omniũ noſtrorũ calamita-
tes nec regnũ aſſequi,nec adeptũ tueri poſſet, rurſus ad te conuerſi ſumus, in
cuius auctoritate pacẽ domeſticã,in armis uerò foris poſitã uictoriam intue
mur. Idem patriæ ſalutis ſtudium,quod ad te uocandum, quod ad ſeceden-
dum paulíſper ad reginam nos compulit, nunc ad te reducit. Debet probari
abs te tam propenſa conſtansq; in patriam fides noſtra, cum intelligas pro
pter illam nos etiam famæ ſubijſſe diſcrimen. maluiſſemus quidem quòd pri
ma conſilia noſtra proceſſiſſent,& ut ſic apud nos regnaſſes, quòd officioſi er
ga reginam, eiuſque parentis memoriam immortalem manſiſſemus: & ut
quieti inter nos, tua tuorumq; auctotitate accedente, non ſolum finibus no-
ſtris hoſtem ſubmouere, uerumetiam agrum illi ſuum infeſtum reddere
potuiſſemus. Nunc quando utrumque aſſequi non licuit,incolumitatem pa
triæ cum felicitate tua ſequentes,petimus,quod ut uerecundię noſtræ indul-
geri debet,quòd aliquandiu cum regina fuimus, præſertim ut conciliaretur

tibi, ita nobis fraudi non sit, quòd illa quieta consilia contemnente, salus & pax regni nos abstraxit, in futurũ quales nos experieris, habeto. Vladislaus contrà minimè daturum fuisse fidem, ut se accederent, nisi bonos fortesq; uiros iudicasset: satis scire, tranquillitatẽ patriæ unicuiq; charissimã esse debere, sed ante omnes illis qui in summis ornamẽtis summaq; dignitate collocati, quæ egissent, omnia sic accipere tanquam pro pace ac firmamento regni gesta essent, non contra se. neq; enim quicquam commisisse propter quod hostilem animũ aduersus se gerere deberent: nisi propterea sibi irasci uellẽt, quòd relicto florentissimo regno suo, & omissa cura pacãdæ Lituanię, in qua propter eędem principis perpetratã, bellum exardesceret, uires animũq; suum conuerteret ad tutelam stabilimentumq; regni eorum. quòd ad reginam attineret, minimè reprehendi posse, si ad extremum uolũtati illius publicam salutem prętulissent. nec enim regibus fidem obligari euertendis regnis, sed conseruandis: hortari ut adessent animis ac uiribus ad cætera quę superessent expedienda: breui affuturam trãquillitatem illam quam optassent, modò ipsi factis & consilijs opportunis orationi suæ fidem facerent. Regina quamuis, ubi suorum fidem labefactari uidit, & ad Vladislai felicitatẽ deficere, malo animo affecta, tamen dissimulata muliebri trepidatione, ne si quantum metuebat, indicasset, reliqui in desperationẽ adducerẽtur, Ciliæ Comitem ad se uocauit: communicatoq; cum eo consilio, nuncios cum literis Cascouiam, & ad cæteras ciuitates quæ Vladislaum ac suos sub ipsum belli initium excluserant, circumisit: iubens ut bono essent animo, properè affutura auxilia quibus tueri ipsi commodè se possent, & Vladislaus toto regno facilè excluderetur. Moxq; conductitium militem ex Bohemia acciuit, & cõsentiente in id Episcopo, Iaurinũ diligẽtissimè communiuit: collocatisq; illic copijs suis, uelut in loco opportuno incursionibus faciendis aduersus Vladislaum & suos, cum filio trãstulit se in Posonium. Id ubi à Polonis compertum, misit Vladislaus ex gente utraq; numerosum exercitũ ad Iaurinum obsidendum, ducibus Ioanne Hunniadiano, & Stanislao Ostrorogensi. fortè ita euenit ut Comes Ciliæ, qui illuc accesserat, inspecturus an satis omnia firma munitaq; essent, & an cõstantes consentientesq; inter se perseuerarent omnes tuendis reginæ partibus, cœptus sit cũ alijs qui illic erant, obsideri, superueniẽtibus qui ab Vladislao missi fuerant. At ille ut erat uir acri & elato ingenio, ante omnia confirmatis suorum animis tolerandæ obsidioni, factáque spe affuturi properè subsidij ex Austria & Boemia, ne alicui deesset occasioni retinendę reginę in sententia, si fortè propter efficaces conatus Vladislai, animus eius demitti cœpisset, cum uideret se cum suis imparẽ, aperta eruptione cõstituit clàm euadere in Posonium. Cum paucis igitur silẽtio noctis profectus per hostium stationes, moxq; Rauo superato, in insulam quæ nõ procul à Danubio circumplectitur, q; occultissimè se trãstulit, ratus illac cõmodè se elapsurũ ad reginã. Qua re ab hostiũ speculatoribus cõperta, missi sunt illico cum Lescone Bobritio impigri & expediti aliquot milites, qui insequerẽtur cõprehenderentq; fugientẽ. Sensit & Comes patefactam fugam suam, & sequi à tergo hostes. itaq; diffidẽs euadendi celeritati, latendo illos fallere instituit, edixit ergo suis quod ab insequentibus se facilè capi paterentur, subindeq; à domino suo, qui in oppido remansisset, missos se cum mandatis ad reginam profiterentur. nec mora, in siluam, qua profundissima erat, ipse se immisit. captis è familiaribus nonnullis, cum singulorũ asseuerationi unũ congruens ferè persuaderet inquisitio, à Polonis propemodũ omittebatur. tum Samscia quidã haud militaris disciplinę rudis, eos astuta argutia increpuit, tanq; desertores domini sui, qui per imprudentiã minimè noscitãtiũ eũ, haud pcul in fil-

A silua foret interfectus. Ad eam uocem bene simulatũ mendaciũ aperuere humani affectus. itaq; instaurata diligentius inquisitione, erutis q; hincinde omnibus latebris, tandẽ à Lescone ipso inuentus est Comes, & captus: móxque cum ingẽti militũ gaudio in exercitũ, subindeq; ad Vladislaũ Budam productus est. Cum exhiberet in conspectũ, nõ solum utriusq; gentis principes cõuenerant, sed promiscua etiã omniũ ordinũ multitudo partim miseratium præsentẽ uiri conditionem, memoria pristinæ dignitatis, partim asseuerantium uerè iustum humanarũ rerum inspectorẽ Deum esse, qui debitas ab eo perfidiæ pœnas expetisset. Ille nihil purgans, oblitusq; insitæ & ingeniæ ferociæ, submissa & effracta nimiũ uoce ac gestu ueniã precatus est: Vladislaus autem minimè duro uultu supplicẽ alleuans: Maluissem, inquit, ut fides tua te amicũ huc adduxisset, q; felicitas mea captiuũ. Idq; factũ foret proculdubio, si ambitio expugnata, animi tui fide & cõstantia nõ extorsisset, ut debiti mihi principatus uicariũ te potius q; socium esse uelles. Nũc quando fortunã meam potius q; beneuolentiã & experiri, & uana spe beneficij in me tui gratias corrũpere placuit, impugnando iudiciũ quod de me feceras, cum unanimi omniũ consensu electus sum qui apud uos regnarẽ, placidè feres, si ego uicissim erga te magis factorũ tuorũ præsentiũ, q; electionis, à qua nulla mea culpa defecisti, memor esse cogar. Moxq; in custodiã tradi iussit. Postridie Vladislaus, seu periclitantis ciuili tumultu Lituaniæ discrimen solicitũ haberet, seu patrij regni desiderium malè ferret, seu abhorrens ab immanitate intestini belli, quod gerendũ illic uidebat, seu cupidus denuò coramq; experiri qua tandem mente Hungari erga se forent, cõuocatis in arcem omnib. quorũ auctoritas aut publicè aut priuatim eminebat, huiusce modi orationẽ habuit: Satis intelligebam, cum me apud uos regnatũ uocaretis, nõ mihi, sed

B necessitatib. uestris id tribui. Sed neq; id oratores ad me missi dissimulauerunt, & pleriq; ingenuè subinde professi estis, cum tamen benignitate Dei maiorumq; meorũ uirtute longè lateq; haberem ubi feliciter regnarem: stabiliendi res uestras curam susceperã magis, ne fidem meam in periculo suo implorantib. uicinis fœderatis q; deessem, quàm q; amplitudini meæ necessarium putarem. sed & quieta omnia domi consentientesq; inter se uoluntates uestras nunciabatis. Quidquid uerò laboris ac periculi bellicis actionibus exhauriendũ esset, ab eo hoste imminere, cuius impetus frãgere ac retundere, longè pulcherrimũ & glorioſum foret apud omnes populos & nationes quæ religionẽ nostrã profiterent. quæ sine inuidia loqui liceat, multo secius se habẽt: quippe quòd ex uobis multos abinuicem uideo dissidentes: & longè maior dimicatio domi proposita apparet, q̃ timeri foris potuerit. itaq; distrahit sæpe animus in diuersum, cum uel desistendũ ab incepto, uel præbendũ me ducem in ea acie, quæ propemodũ ad parricidiũ sit animata, consi dero. cæterùm ex uestra simul & mea re magis esse uidet abstinere, q; per intestinũ bellũ ad propositã mihi per uos spem peruenire. Occurrit enim iam nũc animo totius belli species. Video uos gentẽ unã nõ, ut multę alię, ex couenarum multitudine casu cõgregatam, sed unius linguæ stirpisq; ac propemodum familię circũspectos uos singulos & uniuersos, adeò estis inter uos iuncti sanguine & affinitatibus, ut uerius domus una q; natio dici possitis. Nemo unus ex uobis uiolari potest, quin eius iniuria penè ad omnem pertineat, atq; in illum ipsum qui intulerit per quendam ueluti circuitum cognationum redeat. hanc unitatem cõiunctionemq; sanguinis inter uos, quam uobis semper profuisse, mihi uerò inprimis profuturã externo bello submouendo existimabam, distrahi in diuersum, uiolariq; mutuo, non aliud mihi quidem uidetur, quàm naturam ipsam, & quidquid in ea uenerabile sanctúmque est, euertere. Dubius est (ut aiunt) euentus belli, sed blandiamur nobis,

& suc-

& succubituros armis nostris aduersarios concedamus, post fratrum parentumue ac cæterorũ propinquorũ exhaustũ sanguinẽ. Restat, ut si Turcus lacessierit, aduersus illũ nos producamus ante omnia intestinis cladibus debilitatos, sed & plerosq; cognati aut propinqui cuiusq; cæde imbutos. quam spem uictoriæ mihi proponitis tam nefariè cruentum agmen & suorũ strage ac uulneribus conscelcratum educenti? Deus meliora uelit. non ætas, non fortuna mea ea est, ut per tam abominandam dimicationem properandum mihi censeam ad spem maioris amplitudinis. Nec corpus, nec uirtus, aut animus deerunt gerendis honestioribus bellis. nũc antequàm mutuis sceleribus coinquinetis manus, dum integræ adhuc regni uires, & nondum cruentatis armis inter se conciliari possunt uel ad retinendam simul pristinam dignitatem, uel ad patronum concordi uoto deligendum, tum grato erga uos animo meo dignissimum, tum rebus meis uestrisq; cõducere arbitror, ut ego, propter quem tumultuari cœpistis, retrò iter flectam. faciè, ubi ego abfuero, in gratiam mutuò redibitis. Et quod in magnis discriminibus aliàs sæpe fecistis, minimè difficulter rationem inietis publicæ salutis expediendæ. Quòd si ad me rursus confugiendum censueritis, tam primæ quàm secundæ euocationis uestræ memor, enitar ut in cessione hac mea nihil aliud à me quęsitum intelligatis, quàm salutis uestræ remedium. Interim assequar ut haud perperi potuisse dicar in gratiam meam periclitari fœderatum & bene de me meritum regnum: & rem Lituanam sic constitutã, ut multo liberius, si opportunum duxeritis, incolumitatis uestræ curam denuò subire possim. Verba Vladislai cum summa laude moderatissimi animi accepta, plerisq; etiam lacrymas excussere. Cum uerò ut liberius cõsultarent, è conspectu abiturus assurgeret, uoces undiq; auditæ assuerantium neminem magis interesse oportere, quandoquidem usque eò afficeretur rebus ipsorum, ut amplitudinis & gloriæ suæ uideretur oblitus: uel ex eo dignissimum esse quem regem apud se uellent, quòd salutem regni anteferret cupiditati regnandi. Nõ tantum speraſſe, quando eum elegerant. Nunc ueram in eo fidem regiamq; uirtutem experti, nõ commissuri sint ut prudentiores in eligendo, quàm constantiores in cõseruando sibi rege fuisse dicerent. & iam rursus Vladislaus assederat, cum cæteris haud sanè ciuiliter neq; in consultantiũ morem studia sua offerentibus, silentium fecit, exaudita uox Hunniadiani, ille peregrini Regis euocationẽ contra imminẽtia discrimina uelut in necessitatẽ reiiciens, ne priusq; posthumus coalesceret, aut externo bello aut domesticis seditionib. regnũ succumberet, quicquid in eo eligendo actum dictumue esset, consilia temporiacc̃modando, deliberatè factum. Siquid contrà ab aliquo tentatum, aut humano errori, aut superuacuę fidei erga regiam stirpem ascribendũ prius asseuerauit. Tum satis se scire inquit, supra muliebrem sexum constantem reginam esse, uerùm haud facilè desistere ex toto à naturalib. affectibus. Nata sibi præter spem uirili prole, indulgendum, ut matri, si p filio solicita foret, si quæ saluberrima sibi ac regno essent nõ pspiceret, tolerandũ in fœmina: non alios ad eam cõuenisse, q̃ quib. tanti incœpti utilitas nondũ satis intellecta foret. Quos publicę opportunitatis ratio ad Vladislaũ congregasset, eos explorata iam uirtutẽ eius in fide retenturã, eos etiãq; ipsos licet haud sanè multos errore iudicãdi, aut officio erga reginã in diuersum abstractos, plurimorum consensum reuocaturum: facileq; ubi noui regis tam singulares animi corporisq; dotes uulgarent, sese illi dedituros. longè maxima difficiliora q̃ transacta: teneri iam Budam sedem regiã, tum Comitem Ciliæ, cuius unius spe maximè regina elata ad tumultuandum foret, felicitate publica in potestatem datum. Reliqua sine armis, sine cæde ac sanguine in ditionem uentura: non futuros qui uim potius quàm clementiam regis uellent experiri,

præser-

præsertim quòd longè impares uiribus, nedũ uictoriæ, sed ne tuendi quidem sespem concipere possent. Non facturum regem ex instituto grati animi, si tam bene de se meritos in eo tumultu destitueret, præsertim quòd longè plus periculi ex discessu suo immineret. Nam & reginæ partes quosdam pertinaciùs subinde defensuros: & quos ratio publicæ salutis ab illa abduxisset, acrius in proposito permansuros. facile ita Turco fore mutuis seditionib. occupatos, & à defensore destitutos aggredi & expugnare. sed ut cum regina in gratiam omnes redijssent, sine duce, sine capite tam grauis belli impetum minimè laturos, fieri posse, ut aut tædio aut pudore muliebris dominatus se ad alium quempiã conuerterent, in cuius potestatẽ uenisse Hungariæ regnũ Poloni postmodũ grauiter ferrent. sed neq; honestum regi, ad suos alienósue talem reditum fore. Nemini uerisimile appariturũ ob aliam causam tam inclytum regnũ omissum, nisi quòd aut regere aut tueri posse desperasset: rogareq; per salutem utriusq; gentis & regni, ut in proposito perseueraret, & bene initum columen utriusq; nationis constanter expediret: omnia breui & quieta sibi & libera fore. qui adessent, scire eos satis paratos iam tum præsentem ipsum denuò regem dicere ac constituere, & iureiurando fidem atq; obsequium despondere. Non altius uerba quàm auctor in animum Vladislai descenderant, propter insitam eminentemq; in uiro indolem: sed & subsecutæ uniuersorum acclamationes, flagitantium ne se in tam discriminosa conditione desereret: & cum dicto, unanimi consensu se ac sua omnia illis cõmittunt deduntq; fidei & auctoritati: regemq; iterum ipsum decernunt & cooptant. nec mora, cœpta est eius coronandi consultatio: sed occurrebat difficultas uetustæ consuetudinis & religiose ad id temporis seruatæ, quòd sacra ad eam rem corona in potestate reginę erat. Nec placebat cõmittere, ut uideretur ad eiusmodi solenne in qualibet corona tantundem momenti inesse. Itaque cum neq; spes foret persuaderi aut cogi subitò reginã posse, nec uellent cerimoniã coronandorũ regum uulgari per nouas coronas, ad illam quę maximè proxima sacrę apparebat, confugere constituerunt, pro temporis ac rerum necessitate. ad eam rem corona, qua sancti Stephani primi Hungariæ regis caput exornatum fuit, ceu uerę uirtutis exemplar atq; incitamẽtum post ipsum regnaturis religiosissimè seruat, in ea disceptatione multa probra iactata in Ladislaum Garam, cuius maximè permissu regina coronam sacram interceperat: ægreq; à uulneribus & cæde temperatũ, intercedente rege propter fidem accedendi selibere obligatã: captus tamen est et custodię traditus. Cumq; Rex deprecaret, & fortunæ se quàm fidei iacturam facere satius diceret, uix post triduũ ut liberaretur, impetrauit. amotus est tamen præfectura Visegradi: subrogatusq; in eius locum Vincentius Scamatulicus. regina interea cum se orbatam consilio, actionesq; suas magna ex parte debilitatas uideret, capto abductoq; in custodiã Comite Ciliæ, et labante iam suorũ fide, post defectionem Strigoniensis, id quod minimè in tanta muliere suspicandum arbitror, sunt qui insimulẽt ad fraudem animũ adiecisse: ppositaq; ingenti mercede, si facinus transigeret, adegisse quendã ex suis, quę sibi cũ primis fidum credebat, ut Budam se conferret, & Vladislaum quoquo modo ueneno extingui curaret. Sed cupiditas eadem quæ leue ingeniũ hominis ad partes suscipiẽdi facinoris adegerat, cõpulit etiã ut rem Vladislao aperiret, spe cumulatioris remunerationis, cũ foret preciũ, quod, p scelere contempsisse uideri uolebat. Id seu nõ crediderit, seu credere dissimulauerit, ne si ueneno in se grassatam reginam affirmasset, spem omnem reconciliationis in posterum excluderet, Vladislaus hominem execratus, quàm scelestum & falsa indicantem, è conspectu suo abire iussit. Verùm primores procerum ubi nefas quod attulerat agnouere, per omnes cruciatus excarnificandum robu-

robustissimorũq; deinde equorum caudis illigandum, in partes quatuor di strahendũ tradidere, iustissimas ab eo pœnas exigentes, siue uera siue falsa detulisset. Itum deinde Albam regalem, ut Vladislaus coronaretur, quò per lata iam erat ex Visegrado arcula in qua custodiuntur ornamenta ad ceremoniam coronationis religiosa. Quibus in medium prolatis, adiecta est, pro ut conuentũ statutumq; erat, sancti Stephani corona. Proditum memoriæ est, cum primũ Hungaria regni nomen accepit, sacram coronam induuias q; initiandis regibus religiosas sancto Stephano primo Hungarorum regi à Romano Pontifice cœlitus monito destinatas seruatasq;, deinde solenni custodia, ueluti faustum auspicium futuris regibus, eadem qua ille regni felicitate coronandis: ordinem uerò ritumq; initiandi illic regem talem uetusto more seruari. Sacrificãte qui in Hungaria summus est pontificum, circumsistentibusq; omnibus ad quos regis pertinet nominatio, in templo quod augustius est in Alba regali ad altare sistit qui rex futurus, statimq; à Canonicis exuitur. deinde pontifex precationes solennes præit, quibus regno regiq; cuius caput dextra tenet, Deum propiciet, ueniamq; & pacem impetret, ut fœliciter faustèq; publicè ac priuatim sibi, oppidis, uicis, ciuitatibus, populis, nationibus ineat geratq; regnum, facultates fructusq; multiplicet, fines & imperium propaget, auctoritatem deniq; et gloriam augeat. Tum manus eius dorsum'que arcano oleo perungit, & mox uestiri iubet. Ornato deinde sacris induuijs, crucem inprimis tradit, per quam significari uolunt, ius apostolicæ legationis in designandis Episcopis ab ipso initio regibus Hungariæ permissum à Romano põtifice. Deinde sceptrum pomumq; aureum & uexillum regia insignia exhibet, & uniuscuiusq; inter tradendum sacris uerbis interpretationem prosecutus, tandem prolatis in medium regni legibus institutisque, exigit ut in uerba ipsorum iuret. Ille ubi in ea quæ concepit Pontifex uerba iurauit, illico coronatus suggestum ad id præparatum conscendit, & plerosque in equestrem ordinem cooptat, ut intelligatur regnum p ab armis auspicari: nihilq; prius maius'ue apud reges esse oportere ratione incrementóque militaris disciplinæ: cætera ornare, illam tueri & augere imperia. In eodem apparatu postea procedit ad templum diuis Petro & Paulo consecratum, ibi in tribunal se recipit, & controuersias aliquot audit & decidit, ut secundum rem militarem, iusticiam præ omnibus colendam & sciat, & doceat. Tandem sublatus in equum, postquàm ciuitatem lustrauerit, progreditur extra portam ad diui Martini ædem, turrimq; illic altissimam conscendit: & quàm maximè potest protenso extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum ensem porrigit, quasi undique regnum tutaturus, aut certè illius fines & ditionem propagaturus. ubi uerò in ciuitatem rediit, sollennia conuiuia celebrant, strepuntq; publica gratulatione uiæ ac domus omnes. quibus omnibus ubi Archiepiscopus Vladislaum de more coronauit rite atq; ordine seruatis, postridie ex uniuersorũ qui conuenerant sententia constitutũ, ut corona sancti Stephani cum sacris induuijs recõderet asseruareturq; ad futuros reges initiãdos, si nõ cõtingeret recuperari sacram. Abrogata deinde posthumi coronatio, & ne quis eum pro rege duceret edictũ ab Agriensi Episcopo, cuius usq; ad inuidiam auctoritas apud Vladislaũ eminebat. Nouum ei sigillum regni cõmissum: & ne qua fraus error'ue cõmitti posset, ueteris sigilli fides exauctorata: pronunciatũq; ad populum, ne literis aliquibus præterquam nouo sigillo signatis crederet. præterea ut omnes immunitates priuilegiaq; à prioribus regibus concessa, eiusdem sigilli fide confirmarentur. Multorum qui de regno aut de rege benemeriti dignitas & conditio adaucta, cæteris spes facta, modò se dignos exhiberent, in quos liberalitatẽ suã rex exerceret. Paulopòst cũ haud magni discriminis negotiũ

super-

A ſupereſſet pacandis reliquijs tumultus à regina concitati, ſatisq; ſine externa ope uirium affuturũ conſtaret, plurimi Polonorum cum bona regis uenia retrò in patriam abiere. Regina uerò cognita Vladislai coronatione, multis diris q; imprecationibus Hungaros execrata, quòd in re simili longè se dispares Polonis exhibuissent. Ab illis namq; impuberẽ regem cum summa fide educatum, nec solum intra paternum regnum cultum sanctissimè, uerum etiã cum suarum rerum discrimine strenuè productum ad possidendum aliena. Ipsos uerò legitimum dominum paulo antè ab se coronatum Alberti regis filium, & eundem Sigismundi nepotem, per summum scelus paterno & auito regno exturbare, peregrinumq; apud se præter ius fasq; regnaturum admittere: & quia uirium plus haberent pro libidine sua, tum fœminæ sibi, tum infantiregi: quos cum maiorum meritis & sexum & ætatem tutari oportuit, insultare. Oblitos uindicem Deum certè longè magis quàm ipsos posse ac pollere. Submissis q; deinde qui clàm circumeundo ciuitates, quoad fieri posset, populorum in fide manentium animos confirmarent, consiliúmque illis suum aperirent, ipsa in Austriam commigrauit. Et Frederico Imperatori paruulum suum, sacramq; Hungariæ coronam commendauit. Qui utpote patruelis curam posthumi & coronam haud grauatim suscepit. Ipsa deinde freta nonnullarum urbium constantia & fide, non destitit procerum quoque uoluntates clandestinis nuncijs ad se acclinare: cum Australibus uerò ac Boemis congregandi exercitum consilia inire, ut quoquo modo Vladislaus Hungaria exturbaretur. Interea Turcus per occasionem intestini belli Hungariam facile à se occupari posse ratus, Belgradum oppugnare adoritur: & cum parum uno atq; altero impetu profeciſſet, obsidendo in potestatem redigere uolebat.

B Id oppidum inter Danubium Sauumque, ubi commiscentur, sic est situm in cliuo, ut ab utroque amne inferiora eius abluantur, siquidem quà Eurum spectat, in ripam usque latè proneque deuexum, desinit in Danubium: quà Austrum excipit, Sauus allabitur. Reliqua ipsius per cliuum extensa, muroq; & fossa uelut diuidunt à continente. itaque fabricatis nauibus, quibus in utroq; flumine adhibita custodia tam subsidia q; cõmeatus arcerent interciperentq;, Turcus castra sic ex aduerso metatus est, ut nemo omnino ab obsessis emitti inducíue posset: sibi uerò quotiens libuisset, murũ aggredi actentare facultas foret. nec subinde destitit aut opplere fossas, aut machinis quassare muros, coædificatis etiam ligneis turribus eregione propugnaculorũ arcis, ad defensores è muro exturbandos. Cum interim sui quoq; inopia commeatuum afficerentur, neq; appareret diuturnam moram obsidionis toleraturos, quandoquidem passim in exercitu exaudirentur querelæ fame extabescentium: solumque id ne iam tum oppugnatio intermitteretur, retinebat, quòd desperato suorum auxilio, propter intrinseca certamina, quibus regnum agitabatur, minimè credibile erat oppidanos diutius se defensuros. Præfectus iamprídem cum ualido illic præsidio erat Ioannes Vranus, uir audax, & rei bellicæ peritus, quippe quòd Florentia ortus atq; oriundus, Tusco ingenio Hungaricã ferociam adiunxerat, constabatq; strenuè oppidum defendi undiq;. Sed cum ueluti de porta regni ea in opugnatione agi omnes sentirent, Vladislaus cum censuisset Turci conatus retũdendos, dum copias colligeret instaretq;, memor expetitæ paulo antè à se amicitiæ, oblatiq; sibi sponte in rebus suis difficilibus auxilij, ante omnia per legatos de dissoluenda obsidione agendũ putauit. Missi igitur, Dobrogosius Ostrorogeus, & Lucas Gorcensis, qui renouata memoria legationis, ultrò Cracouiam missę, petitum fœdus atque amicitiam, cum asseueratione submittendæ opis ad Boemiam expugnandam, si ex usu suo Polonus esse censuisset, profiterentur meritum benignę adeò in se uoluntatis tam altè in animum Vladislai descendisse, ut bellum quod inferebatur,

non prius armis propulsare uoluisset, quàm uicissim pacis & beneuolentiæ mutuæ consilia proponeret, itaque si Turcus abstinere uellet ab infestanda Hungaria, quæ Deo atq; hominibus uolentibus iam Vladislai facta esset, facile fore ut de fœdere conuenirent, in quo ineundo seruandoq; daturum Vladislaum operam, ne pacis studio aut officiorum commutatione inferior deprehenderetur: quòd si arma mallet, & uires experiri, annixurum, ne illis etiam quoquo modo uinci contingeret. Turcus ubi ea audiuit, legatos quasi subducerentur ab omni occasione iniuriæ, inter tot armatos infestosque & commodius dum deliberaretur habitarent, in Sunderouium perduci commisit: certus secum prius omnia experiri & tentare, quàm illis responderet, itaq; deditionis spem prius aggrediens, captatis colloquijs maiori quàm aliquando ambitu, ad defectionem sollicitare cœpit. Sed & literæ sagittis illigatæ passim supra murum à militibus excutiebantur in oppidum, ingentia defectionis præmia continentes. Verùm ubi nihil pacati ab aliquo responderetur, aduocata concione: Pax, inquit, cuius ab hoste mentio illata est, decetur, nec ne, licet in me situm intelligam, placet tamen & sententiam uestram milites cognoscere: quandoquidem id bellum gerimus, in quo cum felicitate humana, cuius ego principatum apud uos teneo, periclitatur: etiam religio sanctitasq;, quarũ tutela & cura ex æquo ad omnes pertinent. Quippe quod ut multum forma uiuendi distemus, eandem post obitum omnes beatitudinem speramus. Itaq; uelim cuncta quæ dixero, sic à uobis accipi, ut quæ non à mea, sed ab uniuersorum publica opportunitate proficiscũt. Nam quod ad me priuatim attinet, tantum in Asia, tantum in Europa possideo, ut, quod abominor dicere, pars altera minimè pudendum regnum uidere queat, conseruandis q; meis plus curæ, quàm operæ subigendis alienis, fortunam meam fortasse insumere decet: uestrũm magis est uidere an sua cuiq; sufficiant: & quàm rata diuturnaq; sentiatis, præter id quod cum humanis fortunis sacra & diuina omnia sunt à nobis aliquando omittenda, si ultrò nũc arma deposuerimus. Petit enim hostis à bello absisti, & tum demum de pace conueniendum censet. omitto indignitatem, quòd obsidentibus armatisq; obsessi & inermes, fortibus & exercitatis imbelles ac desides pacem pollicentur. omitto quantum laboris in molienda obsidione construendisq; operibus, quantum deducendis fabricandisq; nauibus sit exhaustum. quę omnia hostis quasi uinctos nos inclusosq; iam teneret, deseri iubet. Bulgaria omnis & Rascię pars maior armis nostris iam pridem paret. In Seruia etiam pleraque ditionis nostræ fecimus: quæ omnia uel retinenda sunt, uel unà cum illis cętera quoq; in Europa possessa relinquenda. quicunq;, quod planè etiam hostis intelligit, habuerit in potestate oppidum quod obsidemus, habet non solum quoddã ueluti pignus & stabilimentum rerum suarum, sed arcem etiam & munimentum efficacissimum alienis subigendis. Scissum est inter se nunc regnum, laboratq; domesticis seditionibus. Nec tantum uirium adiecit res Polonica illi cõiuncta, quantum detrahunt intestinæ factiones: ac pacis mentione facultas temporisq; illis sedandis quæritur, ut nos integris geminatisq; subinde uiribus aggrediantur. Si re infecta obsidionem dissoluemus, facile nectendo causas tam diu de pace non consentient, quoad certaminibus domesticis aut Vladislai felicitas, aut Hungarorum uoluntas & ratio sanior finem imponet: quas fœderis conditiones domum inter se conciliati & contra nos armati exigent, quando nunc mutuis discordijs percilitantes, & armis nostris penè oppressi, tanquam acie uicissent, oppugnationem prius omitti, quàm de pace agi æquũ censent, aures iam nunc obtundũt superbæ petitiones de restituendis Bulgaria, & Rascia, tum cæterarum regionũ urbibus labore ac periculo nostro expugnatis: quod si facere uoluerimus, bellum quod aduersus discordantes inter se mutuisq;

A tuisq; certaminibus occupatos per occasionem nostram nunc gerimus, infe
rent nobis, non solum unanimes tunc Hungari, sed adiecti etiam illis Polo=
ni. quod etiamsi pacis studio tam pudendas & miseras restituendorum om=
nium quæ repetent conditiones suscipere possemus, nunquid cõtentum suis
Despotum quieturum postea putamus? Cuius animus, certum habeo, elatus
coniunctione inter se uirium duorum adeò præpotentium regnorum, non so
lum recuperandis amissis, imminet: sed quicquid ubique in Europa nostrum
est, iam nunc sperat. Non prius sibi satisfactum putabit, q̃ adducto contra nos
Hungarorum Polonorumq; impetu, eandem ferro atq; igne sequiente in agro
nostro uastitatem intueatur, quam à nobis in suum illatam prius uidit. Quod
si belli fortuna (omen auertat Deus: sed tamen fieri potest) consilijs suis affue
rit, præter omnia fœda & indigna, quæ ab irato uictore timeri debent, pium
sanctumq; apud eos est, dira infandaq; in gentem nostram exercere, nisi à sa=
cris religionibusq; nobis à maioribus nostris traditis descisamus, in nouos
incredibilesq; ritus degenerando. Neque alio sacrificij genere aut obsequio
Deum conciliare sibi facilius efficaciusq; posse arbitrantur, quàm si templa
quæ colimus, diruant & profanent: si sacrosanctis arcanis & cærimonijs illu
dant, si numinibus & sacerdotibus nostris insultent. & ut omnem rabiem qua
in nos & sacra nostra grassantur, deprehendatis, inter sanctos referunt omnes
qui nobiscum pugnando trucidantur. Non est, milites, quòd per uanam spem
pacis expectemus, dum colligit unitq; uires, dum se armat. Is hostis, qui non
prædam aut humanã laudem, sed immortalitatem ipsam præmium uictoriæ
ponit. longè plus laboris insumptum est quàm superest. foueas tumultuario
opere oppleuimus, & propugnacula ereximus, quæ muro imminent: cuius
etiam partem machinæ solo æquauere, ut semiapertum iam oppidum esse ui=
B deatis: & id sanè oppidum, per quod nostra omnia tuta pacataq; nobis reddan
tur, hostibus uerò sua infesta, prædæq; ac populationibus nostris exposita re
maneant. Si parum per animi mini, si fœlicitatis uirtutisq; nostræ memores,
cogitabitis delubra, sacra, religiones, cæteraq; diuina & humana fundari no=
bis, quando cras hostilis muri fundamenta demolieminí, uicimus, milites, nõ
in præsens modò, sed in perpetuum. Quòd si nihil aliud quàm certissimum
rerum nostrarũ securitatem, hoc certamen foret nobis pariturũ, satis dignum
præmium esset, pro quo pericula omnia subire alacriter, mortemq; etiã ipsam
fortiter lacessere deberemus. Sed ut uictoria hæc nostra omnia uelut septo=
dam & muro nobis munit, sic hostilia ad prædam patefacit ac denudat. hacte
nus cum natura luctati sumus in confragosis præruptisq; Bulgariæ atq; Ra
sciæ montibus. fames, sitis, labor, desperatio, uincenda fuit. uicimus, non alia
mercede illecti quàm ut beatæ Hungariæ opulentiam aliquando attingere=
mus. hinc iam militiæ nostræ præmia, hinc gloria initur. Ad portas peruen=
tum est: quibus patefactis, non saxa inaccessa, non inuiæ solitudines emetien
dæ nobis, sed per loca natura ipsa & humano cultu longè amœnissima ingre
diemur, hominum iumentorumq; omnis generis alimenta passim, non ad ne
cessitatem, sed ad luxuriã cum ubertate soli, temperies cœli, aquarũq; abun=
dantia suppeditat. Quidquid alibi operosa cura uix educat, illic sponte sua
fert terræ benignitas: ut credi possit, naturam colendi agri cæteris regionib.
exemplum daturam, præcipuo quodam cultu Hungariam excoluisse. Sed
neq; usquam liberaliorem indulgendis diuitijs fuisse constat. Aurum enim
quod alij mortales rarissimis in locis laboriosissimè effodiunt, Hungari ue=
lut quoddam uirgulti genus etiam pullulans decerpũt. Vestrum est, milites,
an ad ea omnia perpetuum uobis aditum cras aperire, an hostibus ad uestra
patefactum relinquere uelitis. Memineritis subeundo murum omnem bea=
tissimæ fortunæ opulentiam, sine alio munimento, sine præsidio, sine custode,

post illum uobis ad prędam expositam. A tergo uerò esse liberos, coniuges, & lares uestros, delubraq́, & religiones, simul & uictoriarum uestrarum præmia: quibus nisi in oppidum transcendatis, ira & libido quantum uictoribus licet, per omnia dira & nefanda mox sit insultatura. Ego prout uos pugnantes uidero, quam mentem uel ad imperandum, uel ad seruiendum habeatis, simul quid superbissimis legatorum postulatis respondendum sit, intelligã. Vos interim curate corpora, & quę ex usu sunt, cum armis expedite, ut simul cum luce cras murum aggrediamur. Digressi milites à concione, non secus ac si cum uictoria propositam quoq́ eis prædam iam tenerent, alacres epulati. quod noctis superfuit, ut ad certamen uegetiores assurgerent, quieti dederе. Vbi illuxit, ad murum producti, malleolos crates q́ æquando itineri per fossas lignoac cęspite coniecto iam pridem tumultuariè oppletas, nec minus scalas & uectes, cæterum q́ excidendarum urbium apparatum ferentes procedebant. Cum interim qui ex turribus ligneis pugnabant, haudquaquã defensores in muro consistere permitterent, & crebris sagittis hostem impetendo propè ociosum accessum suis exhibebant. Quod haud sanè ægrè ferebant oppidani. Certè enim fore existimabant, ut Turcus uim experiretur, si dedi-tionis spes non succederet, dum itaq́ ille ad defectionem allicit, ipsi partes oppidi ad flumina porrectas contra naturalem impetum hominibus propugnaculisq́ & machinis, ignem aut lapides excutientibus, tacitè firmauerant. Ex parte uerò altera quantum muri tormentorum uis aperuerat, rudere simul & gleba strennuè prope iustam altitudinem coædificauerant: & per noctis silentium pice, oleo, sulphure, incendiarioq́ puluere, quantũ copia fuit, ligna imbuerant, quæ temerè in fossas prouoluta erant, tum cætera omnia quæ aut res aut cogitatio subiecit adminicula defensionis prouiderant, paratiq́ erant: nec nec in armis modò & missilibus, sed in obsequijs q́q́ & parendi studio. itaq́ cum eo incautius quo licentius Turci ad murum properantes constitissent in cratibus quibus iter substrauerant, coorti repentè à muro oppidani, faculas aliumq́ multiplicirer paratum missilem ignem contorquendo, terrorem ingentem prius, mox haud minorem stragem intulere. Excitato pluribus in locis incendio, & uno ueluti momento per omnem quam calcabant materiam sic propagato, ut neq́ in eodem uestigio impunè perseuerare, neq́ progredi, neq́ regredi facultas esset, tetra ibi luctatio formidoq́. nam turres etiã ignem conceperant, trepidabaturq́ in castris, in quæ fumum flammamq́ conuoluebat aura quam matutinis temporibus flumina exhalant. Quæ res ab incendio imminente oppidum seruauit. Ruptis igitur cõturbatisq́ ordinib. quisque saluti suæ expediendæ intentus, circumspectare undiq́, arma abijcere: & quà propius liberius q́ effugiũ in tanto malo apparebat, excursare. Sed ignis tam suo quàm aurę impetu temerè per materiam incendio præparatam uolitans, aut fugientes perstrictis in cursu neruis retinebat, aut exitum per quem effugere properabant, præueniendo occupabat. Sed & quibusdam fumus prospectum ad fugam, quibusdam conturbatio etiam mentem abstulerat, absumebanturq́ ab igne, quasi subitum nouæ rei discrimen immobiles reddidisset. Pauci ex ultimis ordinibus & ijdem ambusti debilitatiq́ in castra refugere. Cæteros ingenti numero consumpsit incendiũ, cum reliquo totius oppugnationis apparatu. neq́ uerò à nauibus felicius pugnatum, quarum nonnullas uis lapidum tormentis afflata dissipauit, nonnullas ignis implicuit, reliquas ferè aut remigum gubernatorumq́ consternatio, aut conatus recipientium se à perie litantibus ad integras naues quam longissimè ab oppido naufragas exegit. Ea clade perculsus Turcus, quasi nõ ope aut consilio humano, sed à numine aliquo suis inflicta esset, grassanteq́ etiam fame suprà quàm ut sine tumultuet seditione, in exercitu ferri iam spes esset, obsidionem dissolu-

re con-

A re constituit. sed & fama erat exercitum satis ualidum congregatum iam à re
ge ad Segedunum, accursurumq; propediem, tamen ne animandis hostibus
signum aliquod trepidationis oriẽderet, legatos in castra reuocatos, minimè
benignè allocutus est: Asseuerans se tum demum pacis mentionem audi tu-
rum, si Vladislaus cessisset ea particula Rascię quam tenebat, & Belgradum
sibi ueluti obsidem pignusq; fœderis uacuum tradidisset. Abscessurum se
tum quidem ab obsidione, ut consultandi spacium Vladislao exhiberet, sua-
dere ut malit ea conditione in amicitiã recipi, quàm negando pauca quæ po-
stulabantur, de summa utriusq; regni disceptare: petere se ea quæ iure belli si-
bi deberentur, priusquam Vladislaus foret in Hungariam accitus: nec potuis
se Hungaros id quod ipsi non habebant ius, in alium transfundere. Si Vla-
dislaus perseueraret, malle de alienis contendere, quàm sua quietè possidere,
affuturum se in tempore, et secũ unà inspectorem uindicemq; iustitię Deum.
Ea denunciatione, tum etiam quia domi haudquaquam ocium à regina fore
apparebat, rex adactus est mittere in Poloniam nunciatum quo in statu res
Hungarica esset, & quæ belli moles à Turco immineret, petitumq; ut miles
& pecunia in stipendium mitteretur. Decretus est ad eam legationem Sano-
ceus, cuius eloquentia nõ minus q̃ rei necessitas persuadebat, facile posse po
stulata impetrari. Polenorum primores sub aduentum ipsius cõuenerant ad
Gorcinum, quos ita allocutus perhibetur: Referre uobis quæ in Hungaria
feliciter transacta sunt: & quàm non longè absumus, ut difficilibus omnibus
superatis: nostra ociose, aliena uerò utiliter ac tutò possideamus, intelligo esse
hominis qui foret oblitus, quanta animi magnitudine etiã per omnia discri-
mina regnum illud obtinendũ censueritis, simul putantis apud animum ue-
B strum plus cõsequendæ dignitatis cõmoditatem posse quàm gloriam. Nunc
quando adhuc insonant auribus meis magnifica decreta uestra, nullius uel la
boris, uel periculi habendam rationem non modò fortunis, sed sanguine e-
tiam ac uita adiunctæ rebus uestris Hungariæ laudem paciscendam. Non di
cam propè esse, ut regis uestri uirtus & felicitas uoti cõpotes uos fecerit Em-
periascium interceptum: & Budam caput regni obtineri, tum Comitem Ci-
liæ, à quo omnes actiones consiliaq; reginæ inprimis pendebant captũ uin-
ctumq; sub custodia esse: à Despoto autem & rege Bossinæ legationes ad-
ueniisse, petentes amicitiam, & obsequium pollicentes. Prętera omnes penè
Hungaros optimates fortunę regiæ se dedisse, imperataq; facturos, archiepi-
scopumque & cæteros qui in primo tumultu reginam secuti, rursus ad nos de
fecisse & mox eorum omnium quorum maximè interest cõsensu, cum solen
ni cærimonia, illic quoq; regem nostrum coronatum, iam eousq; formida-
bilem omnibus, ut ad primam eius denũciationem Turcus ab obsidẽdo Bel-
grado discesserit. Reginam uerò desperatis iampridem rebus trepidè cum fi
lio in Austriam profugisse, relicto modico præsidio in Iaurino, & ipsum à
nostris obsiderit, pauculas deniq; ciuitates, quæ se in euentum muniuere, ma
gis uestrum q̃ reginæ nutum respicere, & iam minimo conatu illic debel-
lari posse. Ista & alij prosperæ fortunę successus iactẽtur, apud illos quibus nõ
deus, nõ gloria, sed cupiditas bellũ suscipere persuaserit, at uobiscũ sic agam
peruulgata est nõ in Europa solum, uerumetiam in Asia fama, susceptæ à no-
bis conditionis conseruandi tuendiq; Hungariæ regnum. Et tam illi qui in
cœptis uestris fauent, quàm qui aduersant̃ suspenso animo sunt in euentum,
uident omnes qui religionem nostram profitentur in manu uestra situm esse,
stabiliatur nec ne in perpetuum, an paulopòst intereat Christianum nomen.
Contrà fore sentiunt profani ut eorum superstitio aliquando deleatur, ipsi ue
rò Europa omnino exterminentur si tanta constantia susceptо negocio aderi
tis, quanta animi magnitudine suscepistis. Nolite committere ut aut ij timuis

se,aut illi speraſſe fruſtrà uideantur. Cum ſententiam de ijs quæ rex poſtulat, dicetis,cogitabitis uos eſſe uelut in theatro humani generis: innumerabiles populos,infinitas nationes,uos circũſtare,expectantes quam fortunã,quam conditionem ſibi,liberis,cõiugibus, parentibus,rebusq; caris alijs,tum aris, templis,religionibus,& ſacris,ab hodierna die repromittant. Et ſimul cogitabitis,à decreto quod feceritis,non Hungarię ſtatum, ſed totius penè terrarum orbis pendere. prout hoc,uel illud decernetis,ita ijs aut illis regionibus & gentibus, diuina omnia & humana rata eſſe permanſura: licuerit fortaſſe uobis recuſare,cum poſtularemini. Nunc haud liberum eſt non perpeti & facere omnia extrema,priuſquam ingenti animo ſuſceptam tantarum rerum curam deſeratis, antequam in Hungariam regem ueſtrum mitteretis, conſentiens ipſa inter ſe, ſuis uiribus, ſuis opibus, multos annos ueluti muros, ab alijs Chriſtianis regnis Turcorum impetum ſubmouit. In eius uicem uos ſucceſſiſtis:& cum ipſius tuendæ negocio Chriſtianę quoq; reipublicæ tutionem ſubijſtis,pedem referre neq; fas eſt,neque expedit:quando eò peruentum eſt,ut cum Hungaria etiam uniuerſa res Chriſtiana aut prodenda ſit,aut conſeruanda. Non uacat referre, quàm multi pro dignitate patriæ uel retinenda,uel augenda, ultrò ſe morti obtulere: quàm multi etiam unius à ſe ſeruati ciuis gloriam,quàm uitam maluerunt. Quòd ſi pro unius aut ciuitatis maieſtate,aut ciuis ſalute,bene impenditur uita,eſtq; id glorioſiſſimũ:quanti comparanda eſt laus, qua uos omnis mortalitas efferat neceſſe eſt, non una ciuitate, ſed multis regionibus ac regnis:non uno ciue, ſed innumerabilibus gentibus & nationibus conſeruatis,longè,ut ſentio,minus pręmium uobis proponebatis,cum de mittendo illuc rege ageretur. Et tamen cum difficilia multa domi foriſ que obijcerentur, maluiſtis, cum omnium periculo,eam quam tunc uidebatis gloriam quęrere,quàm tutè neceſſitatibus ueſtris incumbere. Quod ſi tantum ſperaſſetis,exiguum mehercule tam immortalis glorię prętium uiſum foret, non ſua cuiuiq; ſalus, ſed cum fortunis omnibus liberorum quoq; ac parentum uel uita, uel libertas, ſed Deo propitio,non capitis, nõ libertatis à nobis ſubeunda dimicatio:paucis militibus, & haud magno ſtipendio,tam diuinam laudem conſequi poteſtis,modò regem ueſtrum iuueritis. Id ab eo expetitur non fortunæ ſuæ, non uirium, non gratiæ,non auctoritatis eorum qui ſe ſequuntur diffidentia:ſed ut ſine ciuili ſanguine aut ęde poteſtati ſuæ illic ſe tradat,quicquid hominum ciuitatum ue magis adhuc deliberat,quàm repugnet:intelligitq; quàm immortale odium,inteſtina bella ſequatur. Quantum uel uirium, uel conſilij domeſticæ factiones, ubi gladium cruentauerint, detrahant, ad externas actiones uidet ſe ſola fama ſubſidiorum ueſtrorum poſſe illic debellare: & mauult beneficijs ueſtris integram iam nunc Hungariam debere, quàm paulopòſt armis ſuis dilaceratam poſſidere. Sed neque in re ueſtra eſt, regnum illud ſic ſubigi,ut uiribus ſuis prius conficiatur. Laceſſitus eſt Turcus denunciatione regis, & ſic ab obſidione diſceſſit, ut qui mox multiplicatis uiribus & numero copiarum ſitas futurus. Si aut tum etiam diſcordans,aut iam tum mutuis ſeditionibus confectum regnum inuenerit,maiori conatu repellatis oportebit,quàm ſint nunc in poteſtatem redigendæ ciuitates paucæ, quæ de ſe inter reginam regemq; deliberantes propiores ſunt, ut illius res,pfligatas deſerant, quàm ut huius ſe licitati aduerient:præſertim quòd earum ualidiores finibus ueſtris obiectę, & illinc à rege,hinc à nobis propè circumſeſſæ,fiduciam defenſionis habere non poſſunt. Quòd ſi integris membris ſuis ac uirib. regnũ id obtinebimus, præterquam q nobis ſecuris ocioſiſq; ut ſemper antea & Turci impetus refringi, & res Chriſtiana defendi poterit, licebit coniunctis uiribus id quod Chriſtianũ nomẽ ab initio huius expeditionis ſibi de nobis polliceri cœpit,

ultrò

A ultrò bellũ inferre, & dirę gẽtis nefandam superstitionem nõ solũ ab Europa exterminare, uerũetiam in Asiã persequi ac delere. Ꝓponite nũc uobis ex parte altera regnum celeberrimũ ac ditissimum, non solum uicinũ uobis & fœderatum, sed tutelam etiam & munimentum uestrum. addite ipsius in uos recentissimũ beneficiũ, quòd regi uestro sponte se subiecerit. Coniungite cum illo Italiam, Galliã, Hispaniam, Germaniam, Gręciam, reliquasq; omnes prouincias Christiani nominis. Cogitate uobiscũ, quot in illis nationes, populi, ciuitates, urbes, oppida, quæ publica, quæ priuata ornamenta, quot delubra, quot sacra, quot sacerdotia, quæ ciuitatum mœnia, quæ priuatorum ædificia, quàm multi principes, ac reges maximi, quàm innumerabiles illustresq; uirorum ac fœminarum ordines, quæ omnia cum rege uestro periclitentur. Ex parte uerò altera sint non multę copiæ militum & mediocres pecunię uestrę, quas rex à uobis postulet, ut suam & eorum quę dixi omnium salutem libertatemq; expediat. Nónne malitis sine spe aliqua milites ac pecunias tales perire, quàm tot tamq; insignes res atq; homines in discrimine uersari. Quòd si non ad periculum aut iacturam expetuntur, sed ad societatem partæ iam uictoriæ laudisq; tantæ quanta debetur tot regionum gentiumq; ac ciuitatum seruatoribus, non uideretur ex grauitate ac sapientia uestra. Nunc tãdem propè partã gloriam omittere, pro qua assequenda necessitatũ uestrarũ oblíti, aliena tuẽda uobis suscepistis, atq; ideo in decernẽdo iterũ atq; iterũ cogitare uelitis, ne non solum uos & uestra, sed uniuersam quoq; rem Christianam in tuto collocare, stipẽdio ac supplemẽto exercitus minimè multo, respectu magnitudinis gloriæ qua immortaliter celebrabimini, cõseruata, cum regno de uobis benemerito, uniuersa Europa, & quæ in ea sunt humanis diuinisq; rebus omnibus, an per ignauiam & auariciam discedendo ab expectatione de
B uobis excitata, cũ rege uestros socios & fœderatos in periculo suo nunc destituere, & mox tanquã publici Christiani nominis desertores ab omnib. aliis despecti ac derelicti, à uobis uerò prodíti ac desperati, cũ potentissimo hoste, uitæ ac libertatis uestræ dimicationẽ subire. Vbi ille obticuit, mittenda esse auxilia omnes quidem pari asseueratione censuerunt: sed quo numero, aut pecunia, aut miles mitteretur, ea fuit disceptatio. Erant enim qui uniuersas regni uires in expeditionem decernerent: & pacata Hungaria, statim cõtra Turcum prodeundum dicerent, dum trepidus adhuc imparatusq; hæsitaret, exercitu à Belgrado, uelut è naufragio ingentis tẽpestatis reducto. Cęteri negantes oportere regnum uacuum dimitti propter Tartaros & tumultuantem Lituaniam, milites & pecuniam definiebant, sed numero minimè eodem. nam qui plurimũ duodecim, qui minimũ duo milia, submittenda dicebant. decreuunt tandem, ut ijs qui sponte uellent, sine fraude esset, ad regẽ priuatim profiscisci: & ut publicitùs quinq; milia militum cum annuo stipendio mitterentẽ. Eum numerũ satis tunc regi ad pacandã Hũgariam facile augeri posse, si alia necessitas ingruisset. Se uerò haud minus exinde, quanquã regni uiribus exhaustis, non securos solum ab externis interim certaminib. uerumetiã pacatos in omnes occasiones fore. Dum hęc apud Hungaros Polonosq; aguntur, regina interim Cascouiano reliquisq; populis, qui urbes suas ab initio intestinæ dissensionis communiuerãt in euentum, persuaserat ut prędidia sua contra Vladislaũ admitterent, nec minus modò supplíciter rogando, modò maxima quęq; pollicendo, principũ Hungarorũ animos aggressa, interdũ etiam iurgãdo, quòd immemores pristini decoris, quo dudũ apud patrẽ, mox apud se & maritũ suũ refulsissent, uni Agriensi Episcopo à Vladislao posthaberi paterentẽ, quasi aut nobilitas, aut rectè facta illius tanti essent, ut præ illis solis & patriæ communis amor, & omnium fides nihili ducenda, memoriaq; benemeritorum negligenda & abolenda foret. quibus ita eos pellexerat, ut

Archiepiſcopus & Ladislaus Gara cum pleriſq; alijs rurſus ad ſe deficerent, ita que cõmunicatis cõſilijs, ut eodem tempore Vladislaum, quem ſuos in patriã dimiſiſſe ſciebant, diuerſis locis anceps trepidatio circũſiſteret, in id conueniũt. Quod regina copijs, quas ex Auſtria Morauiaq; & Boemia excitues rat, deſtinatis, ad Caſcouiã, illiusq; appẽdices urbes firmãdas exercendasq; illinc populationes in eos qui Vladislaum ſequebantur: adauctoq; preſidio in Iaurino, ipſa ſe in Strigoniũ reciperet: Ladislaus autem adiunctis ſibi quotcunq; ad deficiendũ allicere potuiſſet, ex parte altera bellũ excitaret: & ſi fortuna cœpto ſuo affuiſſet, ſe ad Iaurinũ cũ reginę copijs cõiungeret, ut Budã ſimul aut expugnarent, aut obſiderent. Impigrè omnia ut conuenerant, tranſacta: & bello quidẽ quod per Boemos Auſtralesq; conductitios ex Caſcouia geri uolebãt, prefectus eſt Ioãnes Giſcra, acerrimi uir ingenij, ducumq; illius temporis militarib. artib. & robore uiriũ facilè princeps: & ut bello optimus, ita in pace haud aſpernandus. Reliquũ autem quod fuit copiarũ, regina Strigonij ſe continens, in Iaurinũ ſubmiſit. Ladislaus igitur apud ſuos crimi-
nando indignandoq; quòd gratia quæ uniuerſis debebat, uni tantum Agrien
ſi Epiſcopo referret, non illius tantũmodo opibus & auctoritate accitũ coro
natũq; Vladislaũ eſſe, plusq; in id ualuiſſe gratiã et auctoritatẽ plerunq; alio-
rũ, qui nobilitate ac fortunis multisq; priuatis ac publicis ornamẽtis lõgè an
te illũ emineret. Si ad Agrienſis nutũ ſpectandũ, ſi ab illius uoluntate depen
dendũ, fruſtrà peregrinũ regẽ accerſitũ: potuiſſe ſine ſumptu, ſine tãta molitio
ne domi ultrò ad eũ ſummã rerũ deferri. Quid euitatũ in poſthumo, niſi cura-
torũ inter pares diſpar licentia et auctoritas? Quam ſi utiq; tolerare oporteret,
multo eſſe officioſius, id fieri in gratiam aui patrisq; poſthumi, quàm pro aus
genda nobilitandaq; re Polonica. Sed et plura eiuſmodi ad inuidiã regis Agrienſis q; ſæpe ac multũ uulgò iactãdo attraxit ad defectionẽ ſecũ penè uniuerſam eã regni partẽ, quæ Dalmatia cõtinet, tãto populorũ conſenſu, q; in paucis diebus propè iuſtũ exercitũ in armis habuit. Vladislaũ tot undiq; obortа diſcrimina minimè ſanè pro rerũ difficultate cõturbauere, ſed cõſilio ſingula dimetiens, dũ ex Polonia pecunia miles q; aduenirẽt, dũ uires contraheret, quibus in omnes partes hoſti par occurreret, inſtituit motus in quibus minus periculi apparebat, in præſens artibus elidere, uiresq; illuc cõuertere unde magis diſcrimẽ, ſi negligeret, affore ſentiebat. Itaq; belli quod à Caſcouia oſtendebatur, quia confici cũ uoluiſſet, admotis ex parte altera Polonis in arbitrio ſuo ſitũ credebat. interea ſubſtinẽdi curã Iohãni Pereno prefecto Cheſmarchi delegauit, aſſignato ei milite qui in opportuna preſidia diſtribueret. Ipſe ne cui ſe abſente nouandarũ rerũ occaſionẽ faceret, propter copias regię nę quę in propinquo erant, ſimul ad omnes ſuorũ opportunitates uelut in medio intentus eſſet, Budæ ſe continuit. aduerſus autẽ Ladislaũ, in cuius conatu propere coercendo antèq; aut Dux imperio, aut tumultuaria turba militaribus obſequijs aſſueſceret, rerũ omniũ ſummã planè uerti cõſtabat. Miſit Hunniadianũ, quẽ preter ſingularẽ peritiã rerũ bellicarũ manu etiã ſtrenuũ ac ſeremone promptũ ſciebat, ad ea quę accedere naturalẽ quandã dexteritatẽ conciliandis ſibi animis hominũ populorũq; ſtudijs promerendis, ut de concordia prius ageret, auctorq; illius fieret, ſi fortè citra ferri diſcrimen cũ ſuis Ladislaus ab inſtituto ſe retrahi permitteret. Cæterũ ut ſi parũ perſuadẽdo proficeret, uires adhibere poſſet, adiunxit illi Nicolaũ Friſtarchi, et ad milites qui ſub utroq; militabãt, adiecit curiales ſuos, & quidquid copiarũ Iaurinũ ad idlocorũ magis infeſtauerat, q; obſediſſet. profectus Hũnidianus acſi omnia infeſta circa eſſent, cõpoſito agmine itineribusq; exploratis ingrediebatur edicto ſuis propoſito, quod quamdiu ab aduerſa parte ſpes tota reconciliationis non excluderetur, quiſq; præda populationibusq; abſtinendo ſedulò operam

operā daret, ut beneficio ad concordiam potius, quàm ui ad certamen gentis
suæ homines prouocaret. non amplius iam quinque milibus passuum aberat
ab oppido Batta, penes quod Ladislaus se cum suis receperat. dum uerò im-
pensius circuiens uniuersos & singulos monendo hortandoq; dextra lęuaq;,
nec minus à fronte & à tergo aciem firmauit, ne quid per occasionem ex diuer
so cōmitteretur quod pacis consilia in irritū uerteret: tandem haud amplius
q̄ mille passus ab hoste se muniuit in loco unde castra opposita minimè con
spici possent: ueritus humanorum affectuum lubricum, prospectu suę gentis
militum animos remolliturum. Misit deinde qui accepta dataq; fide Ladis-
laum ad colloquium inuitarent, designato loco in quo pariter cōuenirent. Ea
postulatio negligenter audita, superbeq; responsum, eò uentum esse, ubi gla
dio, non lingua decertandum. satis intellectum antequam arma induerent,
quid sibi, quid regno expediret. Si nihil ultrà quàm eos alloquendos destinas
set, inanem laborem regem assumpsisse, ea prout referebantur, prolatis ad con
cionem nuncijs, Hūniadianus recitari fecit. Et subinde intulit maluisse se lau
dem promereri reconciliatarum uoluntatum publicæ saluti, q̄ reportare ui-
ctoriam de hominibus ad interitum patriæ obstinatis. nunc quando non fa
cinoris, ad quod accincti starent, conscientia, non periclitantis patriæ discri-
mine, non Dei, non hominum uerecundia, commouerentur, stringendum esse
gladium, & salutem patriæ ferro expediendam. Non aduersus suæ gentis ho
mines, sed contra immanes parricidas: nec enim corpora, uestitum, ora, habi-
tum, suos ab hoste secernere: sed mentes, consilia, facta, dictaq; omnia in illis
non hostilia modò, sed etiam parricidalia essent. ac proinde cauerēt omnes &
singuli, ubi ad manum uenissent, ne hebetarētur animi, & pugnandi ardor re-
frigesceret aspectu patrij habitus, atq; habitudinis in hominibus equisq;. ue-
stimenta tantummodo & arma Hungarica apud illos esse, cætera omnia mi-
nimè à sæuissimo hoste differre. Sed & plerunque animis æquioribus ad-
uersus externos impetus prodeundū. Iustas belli causas multas subesse pos-
se, & eorum qui pro imperio & gloria decertarent, cupiditates longè tolera-
biliores. Agi enim tunc nō de interitu, sed de maiestate populorum. illos non
solū sine iusta causa, sed contra etiam fidem & iusiurandū suum: non ad augen
dam dignitatem, sed ad exterminandū funditus ac delendum nomen gentis
suæ arma sumpsisse. Quanto igitur odio stringendum ferrum putarent aduer
sus eos qui temeritatem paucorum secuti, non oppugnatum, sed euersum cha
rissimam patriam per cupiditatem atque ambitionem uenirent, tanto in aciē
prodirent ad eripiendam ex ultimo discrimine patriam. Indicandumq; scele
leratis hominib. Deum perfidię ultorē esse: fidem deniq; publicè ac priuatim
Vladislao datam pro salute regni, perfidorum sanguine stabiliendā. haud ma
gni conatus eam rem fore. tumultuariā ac semiermē turbam ex diuerso stare,
non ducibus, non ordinibus assuetam, nec quicquam aliud in prelium afferen
tem quàm malę causæ conscientiam. Si interrogarentur quid armis peterent,
non habituros quid responderent. eadem qua prosilijssent temeritate, ad pri-
mum statim congressum, fugam omnes molituros. productis subinde copijs
instructis que, in hostem aciem direxit. nec Ladislaus certamen detrectauit.
Sed eadem ferocia qua prius legatis responderat, castris egressus, sequentes
se suos, ut quisque primum se offerebat, ita eum in ordinem collocabat, ma-
gis temerè tumultuantium more, quàm ex instituto militari. Itaq; armorum
quidem genus par utrumq; erat, ordo uerò et disciplina longè dispar. In alte-
ra enim acie omnia instructa prouisaq; non ad pugnam modò, sed ad subitos
etiam fortunæ casus. In altera nulla fere species militaris disciplinę. Cęterùm
hos ira, illos conscientia stimulante, magno utrinque ardore concursum.
Et à principio quidem aliquandiu ancipiti fortuna pugnatum, accurrentibus

ubiq;

ubiq; ducibus, & suos per omnia spei metusq; extrema cohortantibus: sed A
cum seruatis ordinibus recentes fessis, integri saucijs, ab Hunniadiano ubiq;
substituerentur, Ladislaiani aliquando extracto certamine, cum sine inter-
missione pugnarent, uulneribus & lassitudine confecti, tandem referre pedē
sensim cœpere. Quod animaduertens Hunniadianus, Nicolao, quem ad fortu-
tuitos casus in subsidijs locauerat, signum dedit: & totis uiribus adortus, iam
tum nutantem aciem, utpote collectorum temerè, nec castra, nec ducem satis
noscitantium, quibusq; tam ignotum uincendi decus, quàm fugiendi flagi-
tium esset, in fugam uertit. Multi & in prælio & in fuga cæsi. inter quos ple-
riq; auctoritate atq; opibus insignes: sed nec pauciores aut inter fugiendum
aut in castris capti. Ladislaus uerò multis in locis effusam suorum fugam co
hibere frustra conatus, tandem cum paucis elapsus, cum magis quæ uitanda
essent, q; quibus fideret, animo succurrerent, nullibi prius se credere ausus
est, quàm Strigonium ad reginam magnis obliquisq; itineribus peruenit.
Hunniadianus uerò re bene gesta, retrò quà uenerat, ad Vladislaum cum cap-
tiuis & præda redijt. Ille captiuos haud sanè duriter increptios, fideiq; &
iusiurandi admonitos, præterea cognationis quæ propter communia uetu-
stæ originis primordia inter Polonos Croatiæque & Dalmatiæ cultores es-
set, quasi contra sanguinem suum arma sumpsissent, in custodiam tradi edixit,
deinde ad laudes & munera, quibus Hunniadianum Nicolaumq; affecit, di-
gnitatem etiam adiecit, declarato utroq; Transiluaniæ duce. Cæterùm quia
in Hunniadiano maior eminebat indoles ad res bellicas, ea potissimum op-
pida quæ Turcis obiecta erant, illi commisit: & copiarum quantum res tunc
sinebat, assignauit: ut non solum sua defendere, sed per occasionem etiam fi-
nes hostium transcendere atq; operęprecium facere posset. quod postea sæ-
pissime fecit. Et Turcis quidem magnum de se terrorem incussit, apud suos B
uerò ingentem spem excitauit. Multa tum prudenter, tum feliciter à Vladis-
lao constituta. Eum autem uirum ad id negotium diuinitùs delegisse, euen-
tus tandem indicauit, ut esset qui rem Christianā prolapsuram sustineret. post
paucos dies captiui omnes liberaliter dimissi: plericq; etiam uiatico alijsque
rebus necessarijs adiuti, qui grato animo fidelem subinde operam regi in mul
tis actionibus præstitere. Cumq; pollicerentur ex ea parte ad quam acie de-
bellatum fuerat, reconciliaturos se Vladislao quoscunq; uictoria non attra-
xisset, missi sunt cum primoribus eorum Nicolaus Lassonianus et Sanoceus,
ut ciuitates unà circuirent, & populorum animos à regina auertendo, ad Vla
dislaum acclinarent, breui ferè omnibus persuasum, non aliare magis quàm
repetitione communium inter se primordiorum atq; sanguinis. Nec solum
fides, sed pecunia etiam impetrata in stipendium militibus, quos ad reprimē-
mendos conatus Giscrę conducendos apparebat. Non enim æquè feliciter
ex parte illa res gerebatur à Ioanne Pereno: quippe quòd Giscra per occasio
nem magnas plerunq; prędas abigebat, Scepusiensemq; agrum ferro & igne
propè ad uastitatem mulctauerat: nonnulla præterea oppida interceperat, &
diripuerat. Inter quę Emperiascium, Scharuscium, Cliscium: quod aliquādiu
obsessum, per cuniculos tandem expugnauerat. id oppidum in monte situm
uelut specula Cascouiæ imminet. Et pleraq; illinc clades ad id locorū illatę
Giscranis, dum aut prædatum proficiscerentur, aut prædas abducentes, in Ca
scouiam se reciperent. Non deerat tamen opportunitatibus suorum Ioannes
Perenus: & aut per insidias hostium carpebat copias, aut in aperto illis occur
rens, & particularia certamina committens, pro uarietate locorum & for-
tunæ interdum uictor, interdum etiam uictus abibat. Nec segnius aut in-
frequentius quàm Giscra in hostilem agrum prædatum incurrebat. Cæ-
terùm cum per omnia tentamenta ageret de recuperandis amissis oppidis,
nullibi

A nullibi fortuna affuit, circumactusq; est annus irritis conatibus. Regina autem ubi omnes preces adhortationesq; consumpsit suadendo Ladislao quò arma rursus indueret, quia non esset uiri non sæpius fortunam aggredi, & frustrata spe semel statim animos submittere: nullibi sæpius euentum uariari quàm in bello, ubi minima quæq; dictu, maxima momenta excitare solerent: tandem agebat ut instaurando exercitu pecunias sibi crederet. Sed neq; illis impetratis, in Iaurinum ad suos perrexit. nec multo pòst cum renunciaretur, Boemos de præficiendo sibi rege agitare, ut in fide posthumi ac sua eos retineret, in Austriam cõmigrauit. Quò cum eam Ladislaus sequeretur, à Frederico captus est: habitusq; in custodia, donec petentib. id impensius Hungaris, rex eum redemit, quanti Fridericus æstimauit. Intera subsidia ex Polonia petita à Vladislao numero & apparatu insigni aduenerant. Itaque principio insequentis anni licet annona grauiter laboraretur, hyemsque pernicioſe rigeret, tamen quia festinabat animus ad pacandum regnum undiq;, Vladislaus Cascouiam uersus è Buda mouit. cui cum multo inferior multitudine ac robore copiarum Giscra esset, nullibi ausus occurrere, intra muros se continebat. Itaq; oppidis quæ priori anno uel defecerant, uel intercepta fuerãt, haud difficili conatu in potestatem redactis, instituerat rex proficisci expugnatum Cascouiam, cæteras q; subinde urbes quæ à præsidijs reginæ tenebantur, ut si quid postea innouaretur à Turco, paribus illi uiribus posset occurrere. Sed ueriti Hungari, locorum propinquitatem prębituram regi occasionem transcendendi in Poloniam, uulgata fama quòd regina de pace cogitaret, quasi temerarium foret bello ea quærere quæ per concordiam facilius consequi possent, Budã reuerti persuasere, dimissa illic copiarum parte, ad belli reliquias

B persequendas. Ab initio cum uulgaretur regia expeditio, timuerat Fridericus, ne expugnatis undiq; reginæ præsidijs, & recepta in ditionẽ omni Hungaria, bellum mox in Austriam à rege transferretur, propter sacram coronam quam apud se depositam à regina seruabat: ferturq; de illa restituenda secum agitasse. Sed cum audisset postea dimitti exercitum, remq; non per regem, sed per uicarios gerendam ad Cascouiam, recreatus eiusmodi cogitatione, supersedit. Simul & regina demissos animos extulit rursus: & cũ antea pacis mentionem utiq; non aspernaretur, superbè respondit optimatum nuncijs, qui de concordia tractaturi ad illam perrexerant. Sed & pestis quæ in regno grassabatur, præsertim Budæ, ubi eius mali uis adeò sæuiebat, contactu & curatione ægrorum uulgante morbos, ut quotidiana tantum funera oculis, desperatio uerò & mors omnium animis obuersaretur, faciebat illi spem tantisper fore ocium à bellicis actionibus, dum commodè præparare posset ea quę ipsa ex usu ad partium suarum uires instaurandas arbitrabatur. Vladislaus tamen ubi à regina pacem sperni percepit, nihilo segnius edixit, quod Cascouia oppugnaretur: Ioannemq; cui à galero cognomen fuit, cum non exigua peditũ atq; equitum manu misit, ut se coniungeret cum præfecto Chesmarchi: & communicatis uirib. & consilijs, Giscram subinde quòcunq; se recepisset, aut exturbarent, aut obsiderẽt. Giscra uerò cum ciuitates quæ à regina stabãt, regia uectigalia uolentes iampridẽ penderẽt sibi, & percuterẽt moneta in Cremnicia, sub titulo & nomine posthumi, nouas copias ex Boemia conductas ueteribus suis adiecerat, non tamen regio exercitui adeò par erat, ut occurrendi in aperto uirib. fideret, sed in omnes occasiones Cascouiæ intentus expectabat uidere quò se potissimũ regij cõuerterent. Inclinata itaq; illuc tota belli mole, summa ui utrinque oppugnabaẽ, & defendebaẽ. Et ab initio quidẽ eruptiones crebrę fiebant ab Giscranis, cõmittebanturq; particulares pugnæ, in quibus ex utraq; parte multi cadebãt. Sed nõ tã facilè oppidanis q; regijs erat interfectorũ supplemẽta substituere. Itaq; cũ numerus apud eos indies carperẽt,

appa-

appareretq; haud satis uirium tuendis mœnijs, tandem in ultimo discrimine affuturum, raro admodum & non nisi magna suadente occasione, Giscra cum suis erumpebat. Ad expugnandam igitur urbem necessitatibus humanis regij animum adiecere: ductisq; operibus, & munitionibus circum firmatis, incluſos penè ocioſe obſidebāt, maior erat intus hominum numerus, quàm pro annonæ copia. Itaque cōgeſtis in publicum omnibus quæ eſui forent, præfecti ſunt duo ex præſidiarijs, & duo item ciues, qui cibaria in ſingula capita quantum ſuſtentandæ naturæ ſatis uidebatur, quotidie expenderent. Contrahebatur'que menſuræ modus indies, quo plus temporis & minus alimentorum ſupereſſe apparebat, donec cogente fame, nec ab immundis quidem animalibus abſtinebatur. Intolerabile ſuapte natura malum etiam deſperatio augebat, quòd non occurrebat unde affuturam opem aliquam ſibi polliceretur. Itaque cum manaſſet murmur, oppidanos de traditione agitare, uaria erant præſidiariorū conſilia: idq; tantūmodo remorabat fugā, quòd impeditior apparebat quàm ut tutò poſſent euadere. Quæ cum ignorarentur à regijs diutur nę obſidionis tædio affectis, urgente iam hyeme ſine commeatu elabi ab exercitu, cœptum eſt. Et in ipſius uictorię aditu obſidio paulatim diſſoluebatur, præterquam quòd alia Boemorum præſidia, quæ in ciuitatibus complicibus erant, crebris incurſionibus omnia circumuicina infeſtabant, ut regios ab obſidione ad tuendos ſuos auerterent. Nunciabatur'que Cheſmarchum oppidū non ſolum parum ſtrenuè defendi ab illorum incurſionibus, uerumetiam defectionis ſpectare conſilia. Itaq; cum dux regius uideret etiam iniuſſu ſuo militem elapſurum, ut ſaltem in fide Cheſmarchū retineret, diſſoluta Caſcouiæ obſidione, illuc properè mouit. Sed id quoque irritum fuit. nam pridie q; eò perueniſſet, Boemi admiſſi per proditionem oppidū occupauerant. Cęterùm etſi præſidij caput Nicolaus Perenus, in primo tumultu cum pleriſq; ex ſuis trepidè ex Cheſmarcho effugerat, tamen retinentibus qui manſerant præſidijs nonnullas turres, cum appareret, ſi affuiſſet auxilium, facile poſſe oppidū recuperari, fortè ita euenit, ut Podolinum peruenirent nouæ copiæ, quæ a Polonis regi ſubmittebantur, ducibus Laurentio Zaramba & Nicolao Storą; quæ cum à regijs per internuncios ad Cheſmarchum implorarent, neq; dubia res uideretur, quin excludere Boemos illinc poſſent, petitam tamen ab ſe opem negauerunt: ſeu timentes iter ſubinde ſuum impeditius reddere, ſi Boemos prouocaſſent: ſeu quia priuſquam adregem, quò miſſi erant, peruenirent, minimè æquum uidebat, aliquo ſe bellico negotio implicare. Itaq; petitione ſuorum contempta, neminem laceſſentes, inuicem' que ipſi ab omnibus inuiolati Budam peruenere. Capto Cheſmarcho, bellum ab ea parte conuerſum eſt in Podolinum, ubi regij præſidij caput Nicolaus Comorocenſis, & utrinque per omnes conatus artes q; bellicas res gerebatur. Ex parte uerò alterare gina ſibi uictoriæ ſuorum famam accepit, diſſolutam q; ad Caſcouiam obſidionem & ipſa elata ad Poſonium mouit, quæ ciuitas in fide ipſius perſeuerabat. Etſi Vladiſlai præſidium teneret, arcem præfectò Stephano Boſgonio, quem ſubitò obſidere cœpit, fauentibus ciuibus, expugnationem q; admirantibus. Sed cum neq; æquum uideret, in ſuos prædas exercere: neq; id factum foret, pro ciuili ac militari multitudine ſuffecturum commeatum appareret: populatores in Tarnouienſem agrum immittebat, indeq; omnis generis quotidianæ prędæ aduehebatur, ſimul ut commodè in Presburgo alerentur omnes, ſimul ut Tarnouienſes ſuarum rerum cladibus adacti à rege deficerent. Quæ omnia Roſgonius per occaſionem elapſus, Budam regi expoſuit: ſimul q; indicauit quo in diſcrimine res foret, niſi ſubitò frumentum miles q; & apparatus reliquus aut propulſandæ aut ſuſtinendæ obſidioni neceſſarius in arcem mitteretur. Eum ſecuro animo rex eſſe iuſſit, omnia in tempo

re

A re affutura, ipſe quàm ocyſſimè ad præſidiũ reuerteret. Nec mora, Andream Tantzinenſem cum ualida Polonorum Hungarorumq; manu Tarnouiã mittit, ſimul ſuos tuitum ab incurſionib. hoſtilibus, ſimul Presburgẽſem agrum uiciſſim populatũ: & ut obſeſſis inferret per occaſionem opem neceſſariam, edixit. Ille impigrè mandata exequens, frumẽto ac milite tum machinis miſſilibusq; uarij generis in arcem ſubmiſſis, illius potiundæ ſpem omnem regi næ uidebatur ademiſſe: ſed et crebris populationib. quicquid erat agri Preſburgenſis adeò mulctauit, ut uerius obſeſſos quàm obſidentes ſe ſentirent. Crebra inter arcendas populationes utrinq; certamina ſerebãtur, cadebantq; ex utraq; parte multi, donec actos in inſidias hoſtes Andreas tam ingenti clade afflixit, ut parum abfuerit quin urbs quoq; per tumultum, dum proſequitur uictoriam, ab ipſo caperetur. Ea ſtrages reginalibus finem excurrendi fecit. foſſa itaq; & muro ſubinde ſe tuentes, oppugnandæ arcis conſilia ex integro per omnes artes machinationesq; quotidie ſolertius agitabant. Sub anni finem ægerrimè omnino nutriebantur, neceſſitasq; & deſperatio propè intolerabili impetu rem geri cogebant. Igitur coædificatis turribus ambulatorijs, omni genere miſſilium regios à defenſione prohibebant: & muro, quem crebris tormentorum ictibus die noctuq; impetebant, locis aliquot detruncato ac diruto, nitebantur ſumma ui aut per ruinas, aut admotis ſcalis partem aliquam arcis occupare. Nec ad extremum regij tam acres in ſe conatus ſuſtinuiſſent, niſi audito ſuorum periculo, in ipſo rigore hyemis rex ex Buda accurriſſet cum egregia utriuſq; gentis manu. eius aduentu & ſuorum animi erecti, & regina adeò conſternata, ut copiarum parte illic relicta, clàm cum cæteris Viennam ſe receperit. Rex immiſſo in arcem ſubſidio, tentauit urbem ſi fortè in poteſtatẽ redigere poſſet. Tandẽ cũ diu continuata obſidio intus &
B extra omnia cõſumpſiſſet, appareretq; in difficiliori anni tempeſtate non minus diſcriminis à cœli ac terræ rigore q̃ ab hoſte affuturũ, tumultuario opere inſtaurauit quicquid munitionũ hoſtis circa arcem labefactauerat, moxq; in Budam redijt. Eodẽ tempore Poloni, uoluntaria manus, nullo q̃ ſtipendio publico adiuta, duce Petro Odronoſano in Hungariam tranſcenſuri, arcebantur à Boemis, qui anguſtias in montiũ iugis occupauerant. Itaq; illi die frigidiſſima cum lenta, ſed iugi pluuia caliginoſa, atq; ob id minimè ſuſpecta, præmiſſis impigris robuſtisq; quibuſq; iuuenibus, à quibus reſiſtentes, ſi qui forte affuiſſent, obtruncarentur, per ſolutas Boemorum cuſtodias, nemine omnino aduerſante, ſaltum ſuperauere. Mox cum adorti eſſent expugnare Capuſtanũ, quod oppidũ non longè ſitũ eſt à Baradino, accerſente eos rege, ſtatim, ut par erat, omiſſo incepto, Budã ſe receperunt, non ſine laude atq; admiratione Hungarorum, & quòd multi, & quòd opulenter inſtructi, ſed in primis quòd indefeſſi opitulando regi ſuo uiderentur. Vladiſlaus ubi omnes & ſingulos pro cuiuſq; dignitate ac meritis laudando bene de ſe ſperare iuſſit, Caſcouiã miſit oppugnatũ: ex quo oppido frequentes & magnæ clades in ea regione quotidie inferebant, perſeuerãtib. in fide regis, Poloni cõmiſſum ſibi negotiũ breui abſoluerunt: & ut cæteris qui in præſidijs erant, trepidatio incuteretur, Boemos qui in manus uenerant, ad unũ omnes trucidauere. Interea nunciatur, Tartaros prædabundos in Podoliam incurſuros. itaq; Vladiſlaus qui poſt reginæ fugã ſatis ab ea parte omnia tuta arbitrabatur, bellũ ueròq; Giſcra inferebat, à regionis indigenis ſtrenuè ppulſari uideret, ne defenſorib. uacuã barbarorũ incurſus Poloniã inuenirẽt, Odronoſanũ cum ſuis retrò in patriã dimiſit. quibus honoris gratia deducendis ad regni fines, nonnullos proceres Hungaros adiecit. Cum itaq; Agriam peruenirent, liberaliter que ab Epiſcopo accepti, licentius quàm ratio temporis & uicini hoſtis ſolertia patiebatur, conuiuijs hilaritati que indulgerent, ſeu quia numero

A acui-

ac uiribus fidentes, periculum contemnebant: seu quia secundis rebus negligentia familiarior est, quàm aduersis. Telephus qui per id tempus præsidij caput erat in Cascouia, ratus bene gerendæ rei oblatam sibi occasionem, cum manu expedita profectus, concitatissimo gradu per silentium noctis illuc se recepit. Cumq; omnes custodias uelut in media pace solutas inuenisset, ab ea parte qua facilius ac tutius fieri posse arbitrabatur, murum nullo nusquã obsistente transcẽdit: excitatoq; deinde ad terrorem nonnullis in locis incendio, canentibus signis, & uelut in capta urbe clamore sublato, inermes sopitosq; adoritur. Et primo statim impetu domos quamplures & Polonorum ferè omnes currus tumultuariè diripit. Cumq; hostes inter clamorem, cædem, populationem, ignem, trepidi ac semisomnes uix arma expedirent, cum ingenti præda cæterarum rerum, sed & iumentorum atq; hominum, retrò abijt. Hungari uerò ac Poloni tandem somno & trepidatione discussa, cum simul armati conueniissent, nec difficile uideretur fugientem hostem assequi, & abactam prædam recuperare, cursu effusissimo ægrè propter impedimenta & lassitudinem properãtes insequuntur. Itaq; prius multo quàm inclinare sol cœperat in occasum, cum instans à tergo exaudiretur hominum simul & equorum fremitus, Telephus, qui suos nocturni itineris celeritate ac labore fatigatos sciret, tum præda onustos atque impeditos, desperata fuga, ad uires se conuertit: & in quo, propterea quòd Leopoliẽsis Palatinus erat, plurimum reponebat, seu redimi cogeretur, seu permutatio captiuorum aliquando fieri contingeret, Petrum Odronosanum, quem cum alijs captum abducebat, familiari cuidam suo Soloma nuncupato, cuius fidem satis, ut arbitrabatur, cognitam perspectamq; habebat, in propinquũ oppidũ perducendũ custodiẽdumq; cõmisit. Nec mora, ultima experienda percipiens, impedimentis ad uiam præmissis, suos monet: Qui à tergo instarent, tumultuariam manum esse, inermes, incompositos, & adhuc inopinatæ noctis præteritæ pauore fluctuantes, ac trepidos: nonnullos etiam saucios, debilitatosq;. Quibus cum tuendis se domi uires atq; animi defuissent, temerè postea prosiliendo arma cæpissent, quasi facilius foret in aperto campo res suas pugnando recuperare, quàm fuisset clausas intra urbem parietib. tueri. Quicquid aut periculi fuerat, aut laboris, iam esse exhaustum, & celeriter eundo & inopinantes inuadendo prædam esse in manibus: quam utiq; multo facilius foret inter pares uires defendere, quàm fuisset rapere. Sed & multos ex hostibus teneri uinctos, & eosdem magis strennuos, quos non somnus, non metus, non subitarius tumultus à conferenda manu auertisset: qui supererant, uino adhuc somnoq; graues aut uulneribus afflictos esse, regendisq; tantummodo equis uix satis aut uirium aut animi habere. Quòd etiam si paria essent cætera, inter tam dispari causa pugnantes, fortiores esse debere, qui sine spe uenię de uita dimicarent, q; illos quos modicæ abactæ prædæ dolor armauisset. Meminissent eorum quæ in suæ gentis præsidiarios paucis antè diebus ad Cascouiam fœdè ac crudeliter commissa fuerant: adniterenturq; pugnando acriter uirorum fortium exitu uitam relinquere potius, quàm se capi paterentur per ignauiam & trepidationem, ut ueluti pecora per ludibrium postea trucidarentur. Quo maiori impetu in hostem ferrentur, eo minori discrimine partam prędam retenturos, multoq; incolumiores abituros. Superuenerãt iam hostes: itaq; conuersus in eos Boemus, magnis animis ac uiribus impetum, quo in se ferebantur, excepit: propulsatq; tam acriter, ut neq; in equis, neq; in hominibus pręteriti laboris lassitudo appareret. Suggerebat uires cùm uenię desperatio, tum retinendæ prædæ cupiditas. Polonos autem & Hungaros non iactura solum suarũ rerum, sed uerecundia etiam stimulabat: turpiter se deprehensos putantes, & à paucioribus inter uinum somnumq; rebus suis exutos, unicamq; esse illius abolendæ

A lendæ maculæ rationem, si uincerent. Pugnatum igitur aliquandiu ancipiti marte. Cumq; utrinq; multi & uulnerarentur, & caderent, tandem lassitudo peruicit, ut Telephini loco cederent, in fugamq; uerterentur: in qua multi trucidati, multi equorum pedibus obtriti, præda omnis recuperata. Telephus autem cum pleriscq; Australibus Boemisq; uiuus in potestatem uenit: ductusq; est Agriam, & custodiæ traditus. at Soloma suorum fortunæ ignarus, & commissi sibi Odronosani cura solicitus, ut quàm celerrimè se in tutum reciperet, Nicolai Zuderis, quæ proxima erat, arcem petijt. Is pauloantè ad reginam defecerat: itaq; putans oblatam sibi occasionem reconciliandi se Vladislao, cuius auctoritati & rebus post reginæ in Austriam commigrationem uidebat plurimum accessisse, captiuũ, quem propter generis nobilitatem auctoritatemq; inter suos non iniuria magnificiendum putabat, paulopòst Budam perduxit ad regem, atque eo munere defectionis ueniam impetrauit. in tam præcipiti & diuersa fortunę commutatione, nox, casus, trepidatio, impetus, multa tulit aut inusitato genere mortis, aut rapiendi obsistendiq; conatu, uariè memorabilia. Inter quæ id ut maximè literis prodendum, ita etiam maximè miserabile. Ex media sorte populi, forma & iuuenta florens Agriensis, suæ conditionis atq; ætatis iuuenculam perditè amabat, mutuoq; felici sorte amabatur. Consueuerat uerò seruatis occasionibus se ad eam noctu recipere, desideriumq; suum, non tam fructu amoris satiare, quàm nouis semper alimentis augere. Cum itaq; direptio ciuitatis apud amores suos ipsum deprehendisset, ratus forsan discurrentium ad prædam atq; cædem tumultum esse ebriorũ, propterea quòd largius quàm sobrios deceret, pridie uino indulgeriuiderat, non statim ad primũ clamorem exilijt: deinde cum non solum clamor & strepitus armatorum augeret, sed mulierum quoque eiulatio puero-
B rumq; undiq; ploratus maior quàm pro compotantium rixa & iurgio discriminis aut mali grauioris trepidationem incuteret, quò euocabat conturbatio, proripere se uoluit: sed retinente amica, & ne rectà properaret, admonente, ne si domesticos quoq; alios idem tumultus exciuisset, casu in eorum aliquem ageretur, per fenestram in uestibulum domus se dimisit. Quem ut foràs emitteret, illa ex diuerso per scalas properè subsecuta, ostium reserauit. Cum superuenissent iam hostes ex parte altera, mox foribus demolitis irruperunt. Egredientem igitur armati gladijs uulneribus q; excipiunt: eo etiam acrius, quòd ipse cum ferro intrepidè per totam trepidationem stricto prosilierat, nõ tamen statim concidit, etsi multis magnisq; uulneribus petitus: sed acriter se defendens, duos prius obtruncauit. ibi mulier dolore ac desperatione pluquàm uiriliter elata, statuens nolle amãti suo superuiuere, uiribus quãtas amor iraq; & desperatio dabat, uni ex militib. qui exanime corpus circunstabat, gladiũ extorsit: furioseq; insultans, antequàm cohiberi posset, pleroscq; uulnerauit, uiris ex diuerso turpe ducentibus, si ferro cum fœmina decertarent. tandem cõprehensa, ubi ferociæ, qua concita debacchabatur, stimulũ indicauit, gladio quem ultura amantem arripuerat, pectus suum trãsfodit. Et ut super cadauer uita sibi carius occumberet, in partem in qua iacebat, se præcipitem dedit, tanta militarium animorũ admiratione, quòd cæteris cõmilitonibus, cum præda discedentibus, illi quos ad eam domũ fortuna cõgregauerat, uacui & mirabundi penè in manibus hostium remanserunt. Similem ac Telephus casum perpessi sunt eisdem diebus Caica & Comorocensis, quorum ille Brosonitiã, hic Podolinũ præsidio tenebat. Nã cũ explorãdo cõperissent oppidũ Emperiascíũ negligẽter asseruari, uacuũq; esse defensoribus, eductis secũ ex præsidiarijs quibus præerãt, fortib. expeditisq; quibusq; militibus, q; occultissimè silentio noctis illuc se receperũt: scalisq; muro admotis, uelut in suas munitiones, nemine repugnãte, in oppidũ penetrauere. Nec mora, ubi

clamor primùm, deinde cędes, non tam excitasset hostem, quàm sensibus alie
natum, nec ad arma discurrere, nec prouidere quicquam sineret, quasi per ociũ
& licentiam omnis generis præda suos onerauere. fortè die præcedenti quin-
quaginta Boemi profecturi ad Giscrã copias congregantem ut Richnonam
obsiderent, substiterant in Emporiascio. ab ijs, ut fit in re trepida, dum saluti
quisq; suæ, non quo debet, sed quo maximè potest, modo cõsulit, turris quę
egregiè munita erat, dum Poloni oppidum diripiunt, occupata, strenuè defen
debatur. itaque cum eius expugnatio difficilis appareret, imerentq; Poloni
Giscram, qui in propinquo erat, cum exercitu suis accursurum, nec sufficus-
ros se putarent tuendo oppido, quòd non totum haberent in potestate, conten
ti præda, retrò quà uenerant, abiere. Non segnius quàm cogitauerant, Giscra,
ubi ad eum suorum clades perlata est, prępparato instructoq; iampridem mili
te, illuc accurrit, ex improuiso, ut assolet, uictores oppressurus in negligentia
hilaritatis rei bene gestæ. Cæterùm cognita festinatione qua retrò prædam a-
gebãt, breui à tergo eos assecutus, non solum quia superior copiarũ numero,
sed etiam, quia sui recentes atq; integri, facile omnes fudit, fugauitq;. Nec ob-
luctatio cædes ue fuit. nam fessi ac prædæ onere laborantes Poloni, uix pri-
mum clamorem hostis sustinuere. Capti Caica & Comorocensis, cum pau-
cis alijs, quos subita fuga eripere ab hostium manibus minimè potuit. Gis-
cra uerò, ut erat dux belli acer, uictoriã sequens, ad Broconiciam castra mo-
uit. capto enim à se præsidij illius capite, subitæ illius deditionis spem non
frustra conceperat; sed cum inuenisset oppidanos ad se tuendum paratiores
quàm crediderat, cum suis abiturus, re minimè tentata, apparebat: uerùm aut
casu, aut humana fraude in altera arce (nam illic duę sunt) incendium exortum
compulit defensores ad alteram confugere. moxq;, ne quid tale illic in ea quo-
que cõtingeret, imperium hostis penè ultrò suscepere. Quo ex euentu uisum
est fortunam iusta lance partis utriusq; gaudium & mœrorem adequare eodẽ
tempore uoluisse. Poloni deinde nouum prędidium submisere in Podolinum
et Luboliam. Giscra uerò ab ea uictoria oppugnatum Richnonam profectus,
ex omnibus ciuitatibus quæ posthumo fauebant, excuit auxilia. & cum Po
loni repugnarent, mœniaq; acriter defenderent, obsidione expugnaturus cir-
cumfudit exercitum, murosq; tormentis ac machinis admotis quassare cœ-
pit, & diruere. Sed quicquid interdiu solo æquabatur, nocte opere tumultua
rio instaurabãt obsessi: distractaq; est in menses aliquot oppugnatio. Tãdem
cum urgerent humanæ necessitates non minus q; hostis, nec quicq; aliud ne-
cessariam deditionem remoraretur, quàm quòd Agriensis Episcopus affuturus
cum auxilio ferebatur, cessante illo diutius q; aut fames, aut iam impigra ex-
pugnatio ferri posset, pacti ut cum armis rebus q; alijs suis incolumes abirent,
uacuam arcem tradidere. fides Polonis seruata. post quorum deditionem illi-
co Agriensis cum exercitu superuenit, & se non procul ab Giscra communi
uit, quasi mox totis uiribus decertaturus. Sed licet per occasiones uterq; alter
alterius copias plerunq; carperent, à generali tamen pugna conferendis q; si-
gnis abstinebatur. Nam & Giscra felicitatem aliquot annorum unius diei
fortunę committere nolebat. Et Agriensis haudquaquam suis fidens, quòd
maiori ex parte tumultuaria manus & militaris disciplinæ rudis, tutius arbi-
trabatur cunctando in locis iampridem fessis diuturna obsidione redigere
hostem ad inopiam rerum omnium, quàm uires experiri. Itaq; cum neq; le-
nius, neq; serius q; sperauerat Agriẽsis, Giscra & sui, penuria alimẽtorũ pre-
mi inciperẽt, futurũq; planè cõstaret, ut aut nullo modo, aut nõ nisi cũ summo
discrimine perseuerare in eo loco possent, nulla insigni pugna cõmissa, rediere
in Cascouiam. Nec multo pòst cœptum est inter Giscram & Agriensem agi
de concordia: multisq; hinc inde uariatũ prius cõditionib. tandem coniuncta

Giscra

A Giſcræ per matrimoniũ Epiſcopi nepte, non ſolũ pax ſed affinitas etiam inter eos inita eſt. Id bonáne fide factũ fuerit, uulgo addubitatum, tum quòd reginæ, ut oportuit, approbatio ſubinde non acceſſit: tum quòd relaxandis utrínq; captiuis, fidem Boemi uiolauere. Cæteris enim ad ſuos dimiſſis, Caiam et Comorocenſem, de quorum etiam libertate tranſactum in pace fuerat, retinuere. Sed & poſt concordiam Giſcra intercepit oppidum quod in Scepuſio à ſocero ſuo tenebatur, prædasq; & captiuos ex illis qui regi fauebant, per occaſiones atq; inſidias abigere perſeuerauit. Diſceptabatur per id tempus de ſacrorum generali antiſtite à Chriſtianis: & erãt qui Eugenium in Italia à collegio Cardinalium electum, & qui Felicem in Germania, quem Baſilienſe concilium deſignauerat, pro ſummo pontifice comprobarent, ſeque renturq;. Multi etiam principes regesq; & nationes, inter quas Hungari & Poloni, tam ancipitis controuerſiæ finem expectantes, ſententiam ſuam diſſimulabant, cæremonias interim ritusq; quales à maioribus ſuis acceperant, religioſe obeundis ſacris continuando. Cum itaq; non ſolũ eos qui ex diuerſo ſtabant, ſed etiã qui ambigua deliberatione ſuſpẽſi, & ſtudia ſua occultantes, neutrũ alteri præferebãt, tam Felix quàm Eugenius diuerſis artibus ſolliciteret, ſibiq; acclinare niteretur, ab utroq; legatio diuerſa eodem tempore uenit ad regem. Et Felix quidem fretus uinculo ſanguinis quo Tridentinus Epiſcopus Alexander à ducibus Maſouiæ oriundus, Vladislao coniunctus erat, illum iampridem à ſe Cardinalem deſignatum potiſſimè idoneum duxerat, cui partes ſuas committeret, ut ſi parum cauſa ualuiſſet, propter propinquitatem ſaltem non aſpernaretur. Ab Eugenio autem uenerat Iulianus Cęſarinus etiam Cardinalis, & hic quidem urbem Romã non ſolum diuinitus

B electum locum, ſed Petri & Pauli, aliorúmque innumerabilium religionis fundatorum ſanguine conſecratũ, in quo crearetur præſideretq; maximus pontificum, ſacroſanctum Cardinalium collegium legitimam iugemq; ſucceſſionem, tum de more habitam, & ab illis quorum res eſſet, electionem: præterea totius Italiæ conſenſum, & Græcorum uoluntatem iudiciumq; pro Eugenio allegabat. Nihil aliud ex parte altera eſſe dicens, præter tumultum perditorum quorundam, quos fortunis ſuis profligatis, abiectaq; Dei & hominum uerecũdia, ſpes nouarũ rerũ ſine auctoritate, ſine ordine, ſine cauſa, uelut ad nundinandũ ſacra congregaſſet. Ille autem ex diuerſo non locum, ſed puritatem animorum, uitęq; ſanctimoniam pertinere ad religionem dicebat, non referre, ubi eſſet diceretúrue ſummus pontifex: ſed quis, & à quibus. nimis in arcto circumſcribi columen Chriſtianæ profeſſionis, ſi eius caput non niſi Roma & creare poſſit, & capere. Quid futurum, ſi ea urbs aut poſſideretur à barbaris, ut aliàs contigit, aut omnino deleretur? Si fortuna loci ad rem quæ tota in animis eſt, momentũ aliquod habere poſſet, Hieroſolymas ſanctiori multo quàm Petri & Pauli ſanguine conſecratas. Illic religionis noſtræ ueriſſimum caput, immortalitatis noſtræ omnia myſteria conſtituiſſe. Illic ſummi ſacerdotij prima ſucceſſionis initia, & tradita & ſuſcepta, non humano alio caſu, ut in Petro factum & Paulo: quorum hic tanquam reus Romã perductus, ille Simonis magicis uanitatibus attractus, ſed uoluntate electione que diuina, quo ad Cardinales non animaduertendos ex titulo & nomine, quæ laſciuientis fortunæ fauor etiam immerito cuiq; conferre poſſet. Eos etiam ſi urbem Romã nũquam uiderint, nunq; titulo Cardinalis inſigniti ſint, tamen ueros eſſe apud Deum religionis noſtræ cardines & fundamenta, quorum doctrina, uita, mores, actiones deniq; omnes cum religione conſentiunt. Nihil intereſſe qua quis ſit fortuna & dignitate. Deũ enim nõ quæ extra hominẽ ſunt, uerũ animos ipſos intueri atq; expendere: deq; iis quę ad ſacra pertinent, non fortunati, ſed optimi cuiuſque iudicium comprobare. ſed neque

multum cõsuetam cęrimoniam eligendi in urbe aut possessionem Romanæ sedis ad ueram diuini uicariatus successionem attinere, ubicunq; bonorum cœtus conuenissent, diuini spiritus sensum adesse intelligi debere. Et quæ dicta, acta, constituta q; illic essent, ut ab eodem spiritu manantia accipiẽda: præterquàm quòd temerarium, etiam periculosum esse, prępaucorum obstinatis animis, quos nihil aliud quàm mala conscientia contumaces redderet, publico Christianę reipublicæ consilio non adhęrere. Non dubitare aut Eugeniũ, aut qui illum sequerentur, uel de sua, uel concilij auctoritate: sed intelligere, non posse se & in religione eminere, & ab ea animo q; & uita maximè abhorrere. Si non nisi pro religione solliciti essent, nequaquã aduersaturos cõcilio, cuius non alius finis quàm religionis sanctitatem dignitatemq; conseruare, & augere. uerè sanctos pontifices, qui ad id locorũ ecclesiæ præfuerant, nunquam tantam rationem habituros fuisse de cõsilijs, nisi intellexissent, id quod ad omnes ex æquo pertinet, omnium iudicio & consensu moderandum: longeq; altius posse prospici, ea quæ ueriss̃ima salutaria q; sunt in rebus diuinis, ab uniuersali Christianorum iudicio, quàm à paucis Romanis sacerdotibus, aut metropolis eiusdem episcopis. hinc non minus ferè quàm quatuor euangelistis tributum semper & tribui ab ecclesia quatuor concilijs, Niceno scilicet, Constãtinopolitano q;, Ephesino, & Chalcedonensi: in quibus pręter alia multa diuinitus ad decus amplitudinemq; religionis constituta, confutatæ essent & explosæ hęreses nefariæ ac perniciosiss̃imæ, quibus professionis nostræ uera fundamenta subuertebantur. Si quidem Niceæ Arij, Constantinopoli Macedonij, Ephesi Nestorij, Chalcedoni Eutychis impietates conuictæ damnatæ q; reliquorum quoq; conciliorum subinde omnia decreta suũ semper pondus, suam maiestatem tenuisse. Non postulare qui præsidebant Basileæ, ut de uniuersorum salute, de q; uel in primo uel in quocunq; alio ordine religionis nostræ emendandis sibi crederetur, quod temerarium esset atq; improbum: sed ad disceptationem iudiciumq; illorum, omnes quorum interesset aduocare. quibus sæpe iactatis utrinq; & à rege ac suis auditis, in compro bando hoc uel illo summo pontifice, neutri legatorum est assensum. Cęterùm quia Iulianus ad ea quæ ad rem diuinam spectabant, adiecerat intestina certamina, quibus arx & præsidium Christiani nominis Hungaria uastabatur, malè affectum habere Eugenium, cæteros q; qui rem Christianam saluam uellent; suaserat'que deponenda arma per concordiam, cuius æquas conditiones inuenturum se speraret, si cum bona utriusq; partis uenia tentare licuisset. ubi planum factum est ei, nihil omissum à rege esse quod ad pacem facere uideri posset, multas q; legationes subinde frustra ad reginam cõmeasse, concessum est ut quantum in ea re posset, experiretur. Ille postquàm regis animũ à quietis consilijs minimè abhorrentem uidit, profectus ad reginam, cum de utilitate pacis, de q; incõmodis belli discrimini bus q; differuisset ea quæ putauit ad id quod intendebat pertinere, sexus illam conditionis'que suę admonuit: & quàm de facili populorum studia cum fortuna mutarentur. non esse eius quæ paulo antè experta foret, quid paucorum tumultus posset, contra penè uniuersorum consensum, in eo bello perseuerare, in quo uiribus multo & facultatibus esset inferior: stare ex parte altera omnem uim Polonorum, & cum illis maiorem partem ex Hungaris, quorum opes & auctoritas, in regno emineret, hominum armorum q; & iumentorum satis esse reparando exercitui, si quid aduersi contigisset: partibus autem suis adesse paucos, præter militem conductitium, cuius fides non ex affectu, sed ex precio pẽderet, præterquàm quòd inita affinitas inter Giscrã & Agrienſem meritò ei suspecta esse posset. Ea quoq; quę satis firma sibi & apparata uiderent, in unius pręlij ancipiti fortuna exposita esse: uix q; sperare posse reparaturam se rursus ad pugnã uires, si semel

A si semel acie uincerẽ, uicturum quidem posthumũ diutissimè: sed considerare oportere q̃ innumerabilib. casibus humana uita subiaceat: & quo minus roboris in ea ætate esset aduersus malas ualetudines, eo facilius extingui solere: magisq; timendum, q̃ subinde sibi, q̃ adultis duabus filiabus suis fortunam repromitteret: cum etiam quos spes & gratificatio posthumi tunc in fide retineret, orbitas regni esset in contrariũ auersura. Satius multo, præcauere, ne si præmatura fata filium regno subduxissent, filiæ quoq; excluderentur: sed saltem altera illius ueluti uice regnaret. inter marem & fœminam quo ad parentes nihil interesse præter sexum. in Vladislao esse illa omnia, per quæ regi nulæ utriq; aliquando cõiugandæ meritò ab ea gener esset expetendus. Temporis uerò & rerum conditionem utroscp ad affinitatem non solum inuitare, uerumetiam quadam ueluti necessitate urgere. ad extremum, meminisse debere uiri patrisq; sui, quibus præter diuinos honores, cętera omnia cum summa fide tribuisset: ea gens, quæ periclitatura erat, nisi ad pacem animum adiecisset, indulgendum fortasse aliquando uiris, ut pro tuenda aut augenda dignitate unius, populorum multorum salutem in discrimen adducant. Muliebris certè uerecundiæ non esse, opportunitati ac saluti tot de se bene meritarum urbium & populorum præferre incertas spes unius infantuli: famam hominũ extimescendam: sed & Dei immortalis ultionem si per eam staret, quo minus à nefario bello et Christianis rebus maximè periculoso absisteret. Adea regina, satis se suas hostis q; facultates nosse, inquit; & quantũ uel uires uel fortuna possit in bello, non ignorare. Cæterùm minus flagitiosum dolendúmque esse, resistendo exturbari, quàm per ignauiam & uanum metum regno excedere: iustam esse causam suam: neq; abfuturum uindicem iustitiæ Deum: filium uerò incolumem esse ac Deo propicio fore. Quòd si malum fatum con-
B tra spem quicq; afferret nouam rem noua consilia præbiturã. Hungarorũ quidem merita in se ac suos ingentia esse: sed quo maiora erant, eo magis sibi animadtendum, ne cogerent in ditionem ipsis inuisam degenerare: si tamen sine cę de & sanguine id fieri posset, nihil esse quod mallet. Sub hæc uerba Iulianus, collaudato reginæ animo, & quòd muliebriter bellum nõ expauescceret, si necessariò gerendum foret: & quòd concordiam, si modò æqua offerretur, non aspernaretur, de pacificationis forma cœpit cum ipsa agitare. Cæterùm multis utrinque conditionib. in medium adductis prius, ac repudiatis, cum maternum animum æquè adulta filiarum ætas, atque infantis cura sollicitum haberet, tandem adacta est regina, ut consentiret has simul leges & stabilimenta concordiæ ad Vladislaum perferri: ante omnia, quòd alteram reginularum ipse, alterã Cazimirus, qui tum Lituanię erat, uxorem duceret: & Cazimiro quidem expensuram reginam dotis nomine centum & uiginti millia aureorum: Vladislao uerò collaturam ducenta millia in terra Silesia, iure pignoris obstricta: cessuramq; iam tum illi possessione, reseruato sibi redemptionis iure, quandocunq; commodum fuisset. Quòd autem ad Hungariam attineret, Vladislaus mox sese regio titulo abdicaret, procurationem ac tutelam usque ad integram posthumi ætatem retineret: ubi ille adoleuisset, quòd & procurationem dimitteret. Quòd si intra pubertatem aut quandocunq; postea sine liberis posthumum decedere contigisset, cum regio titulo ius atq; arbitrium regni ad Vladislaum reuerteretur. Cæterùm compensandis impendijs ea in expeditione factis, terra Scepusiensis perpetuo iure adijceretur Poloniæ regno. Hungari uerò sponte ac bona fide antiquarent quamcunque actionem & ius quod aut in Podolia aut in Valachia habere se crederent. Accepisset Vladislaus sine dubio conditiones tam sibi quàm regno suo commodas, & erant ex Hungaris multi qui aut externum bellum timentes, aut intestinum execrantes, non fortiter sententiam reginæ impugnabant.

Cum tamen agi appareret de facultatibus atq; amplitudine regni, placuit aut per nuncios aut per literas eorum quoq; procerum, qui præsentes non erant, uoluntates exquiri: à quibus, ut fit, pro cuiusq; ingenio allatæ sunt sententiæ non solum uariæ, sed omnino etiam diuersæ, cum forent qui iniquiores quoque conditiones domi perferendas censerent, dummodo foris tuti essent: & qui nullam omnino concordiam habendam dicerent, nisi quam arma constituissent. Itaq; quo magis aut timidè nimium, aut periculosa alij censebant eo, postquam recitata est sententia Hũniadiani, maiori assensu omnium accepta est, cum nihil in utramuis partem affectatum contineret. Scribebat enim, uideri sibi propter imminens à Turco negocium, neq; repudiandam pacem temerè, neq; tamen amplexandam cupidè: etsi natura sua pax semper bello sit anteferenda: neq; omnino aliam ob causam gerantur bella, quàm ut pace frui liceat: concordiæ tantummodo conditiones rectè animaduertendas. Etsi inquæ offerrentur, commodiores exigendas: quæ si impetrarentur, nihil satius quàm inuicem domi in gratiam redire: & depositis intestinis armis, pugnare foris. Si uerò regina perseueraret inire id fœdus, in quo sui suorumq; habita ratione, membra regni non solum ad tempus possidenda externis traderet, uerumetiam à corpore suo perpetuò alienaret, omni ope resistendum censere. Non animum, non uires defuturas, ad extorquendam æquam pacem: minori etiam sumptu quàm foret impendendum pro concordia, quæ tunc offerebat. Itaq; Iulianus rursus ad reginam profectus, pauca quædam in prioribus conditionib. cõmutata retulit. Sed cum neq; ea Hungari ꝓbarent, modò hac, modò illa cautione uariata, ultrò citroq; multoties frustra cõmeauit. Tandem uerò ut quod ultimũ erat experiret, utrinq; impetrauit, ꝙ in Iaurinũ Vladislaus ad reginam proficisceretur, si fortè præsentia & mutuum colloquiũ ad concordiam inter eos esset efficacius, quàm alienæ persuasiones. Postquam conuenere, post mutuam admirationem, cum in alterius ætate tam tenera procurationi & tutelæ tam amplissimorum regnorum par indoles emineret: alteram uerò præter ætatem iam grauẽ, animi magnitudo in periculis maximisq; quibusq; actionibus explicandis, uenerabilem redderet: primi congressus, ut par erat, querelas purgationesq; mutuas habuere, asseuerantibus utrisq; ex diuerso contra ius fasq; ab altero uiolari, armaq; necessariò non sponte sumpta: tandem cum dies aliquot de concordia colloquendo consumpsissent, sic ab inuicem discessere, ut conciliatos apparuerit, propter ditissima munera, quibus se mutuò benignissimè prosecuti sunt. quo tamen ordine arma deponenda essent, non est uulgatum. id planè constitit, reginam paulò post Budam perfectam. Quod cum fecisset, emisso prius Ciliæ Comite è custodia, in qua fere à initio belli seruatus fuerat, pax firmata est, & expressa. cuius dum forma discutitur, Vladislai uirtus ac dexteritas in agendis mirè acclinauerat in sereginæ animum: manauitq; murmur, datæ in id mutuo fidei, quòd Vladislaus liberè in Hungaria regnaturus foret, si modò aut precibus impetraret, aut armis extorqueret sacram Hungariæ coronam: & posthumum, à Friderico Cęsare, qui pòst Alberti mortẽ, fretus reginæ uiduitate, infantis patrimonio in Austria abutebat. Cęterùm ubi regina in Laurinũ rediit, leuiter ægrotare cœpit, ac triduo pòst torminib. interiit, non sine ueneni suspicione, ꝓpter mortis celeritatem. Sed ut de ueneno addubitatũ, ita quãtum exterioribus signis licuit deprehendere, id maximè cõpertum, Vladislaum scilicet ægerrimo animo mortem eius tulisse, frequenterq; asseuerasse sublato uelut obside ac stabilimento pacis, Boemis rerum nouarũ cupidis, nõ defuturas causas machinandi contra fœdus, ut bellum instauraretur. nec secus accidit. paulo enim pòst cum oppidis simul omnibus quæ præsidijs eorum tenebantur, ad Cæsarem defecere. Rursusq; non ex insidijs, sed ui aperta cœperunt regijs partibus

insultare.

A Insultare. Eodem tempore apparatu & numero hominum insignis legatio uenit à Turco, magis, ut fama tenuit, exploratum, quis status esset rerum in Hungaria, propter intestinum bellum, de cuius euentu maximè sollicitus erat, q̃p quòd crederet ea quę postulabat impetrare. Quandoquidem Hunniadianus, cui cohibendarum populationum Turci curam commissam fuisse diximus, non solum incurrentis impetum sæpe submouerat: sed felicitate etiam & uirtute sua fretus, in agrum hostilem populabundus ipse irrumpens, occurrentibus sibi Turcis haud sanè ignobiles clades intulerat: & fortuna sapienter utendo paulatim extorserat, ut non tam uincere, quàm uinci se posse sentirent. Itaq̃ cum ferè eisdem uerbis, quibus ad Belgradum regij legati dimissi, tũc etiam offerretur fœdus, eiusq̃ uelut obses postularetur aut Belgradum, aut annuum tributum, superueniente nuncio ab Hunniadiano, qui asserebat per eos dies cum Turcis bis feliciter pugnatum, multosq̃ in prælio captos, plures in fuga trucidatos: inter quos cecidissent duces duo maximè insignes: præterea signa militaria pleraque illis adempta, & cum uictoria ingentem quoq̃ prædam à militibus reportatam: haud sanè mitius respõsum est, quàm inflata legatio exigebat. Inquit enim rex, relaturum se de his quæ petebantur ad Hunniadianũ, & secundum fortunam quæ aut illi aut Turcis affuerat, proximis diebus per legatos suos ad postulata responsurum. Cæterùm cum post reginæ mortem regni omnes proceres in fidem Vladislai redijssent, nihilq̃ hostile iam in regno superesse uideretur, præter Cascouiam cum appendicibus, & illic quoq̃ affinitas inter Giscram & Agrienſem inita, renouandæ cõcordiæ spem faceret: uideretur q̃ Cæsar, ad quem factio illa defecerat, etiam ut cętera parum essent apud eum efficacia, tamen propter quietis ingenio suo insitum studium, omnino pacem bello prętaturus. Iulianus ratus commodum
B tempus suadendæ cõtra Turcos expeditionis, & publicè apud regem, & priuatim apud primores regni, cœpit eam rem agere. Vladislaũ admonebat spei quã sibi ꝓposuissent omnes Christiani principes, ubi eum accitũ esse ut in Hũgaria etiam regnaret, intellexerãt, felix faustũq̃ id Christiano nomini uisum fore, & pro felicitate ipsius uota solennia ab hominibus nũcupata, quòd patcatum regnum propè totum iam possideret, non minus precationibus aliorum Christianorum, quàm suis armis effectum: dandam esse operam, ut tam ingenti de se expectationi responderet. Expeti id etiam à religione quam ꝓfitebatur: sed nec minus à necessitate status sui, & tuitione illorum quos in fidem susceperat, non posse à se negligi eam expeditionem, aut salua fide prębita Hungaris, aut incolumi non solum Hungaria, sed etiam Polonia: cuius salus ab Hungariæ salute dependeret. uindicandam indignitatem postulati à se tributi, in tanta status sui felicitate: indicandumq̃ propè negligenter ad id locorum rem gestam, quid ue interesset inter expeditionem quæ tantummodo regijs auspicijs, & illam quæ non auspicijs solum, sed ductu etiam regio ageretur, de uictoria dubitare non finere res feliciter ab Hunniadiano gestas cum parua manu, respectu copiarum quas ipse foret educturus. Apud Hungaros uerò proceres asserebat, diuinitùs contigisse ut Vladislao regnum cõmitterent. Eam mentem coniungendi inter se uires duorum tam potentissimorum regnorum, Deum eis indidisse, ut imperium fines q̃ suos non solum tuerentur, uerumetiam ad Hellespontum et Aegeum usq̃ mare propagarent. nõ prætermitterent opportunitatem, cui etiam fatum & fortuna fauissent, illata per reginę obitũ, ueluti necessitate imponendi finem seditionib. intestinis. ad felicitatem publicã expediendam, non in præsens modò, sed etiã in perpetuum nihil eis deesse posse, præter rectam mentem: non deessent ipsi occasioni suæ, quando reliqua omnia ad uictoriam, ratio, fortuna, fatum, abundè accommodassent. Accedebant ad hæc preces miserabiles & lachrymæ

Despoti,

Despoti, qui nõ solũ regem orando adibat: sed quoscp etiã sortis mediocris A
supplex prensabat, rogabatcp flendo, ut non omitteretur tempus & facultas
ulciscendi calamitates Christianis inflictas, & pleracp omni cruciatus gene-
re fœda supplicia, de alijs multis per crudelitatem à Turco sumpta, indignan
do filiorũ suorum erutos oculos, nefariecp abscissa pudibunda, suprà quàm
humanæ aures pati possent, miserabiliter deflebat. Ad extremum regi simul
& purpuratis alijs memorando, quàm fœlix potenscp paulo antè imperio, li-
beris, & cæteris benignæ fortunæ blandimentis uitus esset, qui tunc aliena
misericordia aleretur: obtestabatur regem simul & purpuratos alios, ne se, ne
filios, ne Christianum nomen inultum finerent. ad Hungariæ fines tempe-
statem iam peruenisse: potius alienæ calamitatis uindices se præbere uellent,
quàm expectare dum ira quoq; simul cum ipsis eodem naufragio obruere-
tur. Non tamen aut huius iustæ preces, aut Iuliani prudentes asseuerationes
ultrà ualuere, quàm ut qui aberant proceres de ea re Budam accirentur. ibi
maiori ambitu, maioricp asseueratione omnia hæc repetita, atcp etiam aucta:
cum ad superiora hortamenta Iulianus adijceret, multorum quoque aliorum
Christianorum principum auxilia in tempore affutura. Constitutum igitur
omnium miro cõsensu, ut ueris statim initio, rex q̃ maximè fieri posset nume
rosum instructumcp exercitũ educeret, moueretcp in Bulgariã. interim uerò
cum Cæsare aut de pace, aut de fœdere transigi placuit. Et cp ad publicã Chri
stianorũ omnium causam uel aduocaret ipse, uel auxilia ab eo expeterent, le
gationes præterea decretæ, quę non solum Polonos, sociã coniunctamcp iam
gentem, sed Prutenos quoque & Valachos adirent, ad eamcp expeditionem
implorarent. Cæsar inducias dedit in biennium. Quod uerò ad expeditio-
nem Christianis rebus adeò necessariam, nec uenire ipse, nec subsidium mit-
tere posset, Boemiæ tumultuantem statum in excusationem adduxit. Magis B
ster quoq; Prussiæ allegata uastitate, qua proximis temporibus continua bel
la eam prouinciam afflixissent, nihil quale petebatur ab se sperandum renun-
ciauit. A' Polonis & Valachis missæ sunt cum semestri stipendio equitum
peditumcp auxiliares copiæ, quas ingens armatorum multitudo subsecuta,
quibus domos, coniuges, liberos, patriam, cæteracp humanæ uitæ aut præsi-
dia aut ornamenta propter eiusmodi militiam relinquere, non consilium aut
merces publica, sed priuata in Deum pietas, & studium Christiani nominis,
simul tuendi, simul propagandi, persuaserat. Quod genus militum cruce si-
gnatum ex alijs quoque nationibus ad famam religiosæ expeditionis ingen
ti numero confluxit. Igitur præmissis supplicibus precationibus, rebuscp
diuinis dies aliquot per omnia fana solenni ritu & cærimonia peractis, circi-
ter Kalendas Maias rex Buda mouit: transmissocp per Danubium exercitu,
paruis itineribus ingrediebatur, suos, qui nondum cõuenissent, expectabun-
dus. Superato deinde Tibisco, rursus ad Danubium se conuertit, copiascp
ad Salsum lapidem traiecit. in Bulgariam mox rectà progressus est, Sophiam
oppugnatum. quo in loco Despotus cum suis regio exercitui se coniunxit.
urbs ea naturali situ haud sanè egregiè munita est, sed regis subitus aduentus
etiam improuisam deprehenderat: itacp breui tempore, nec difficili conatu,
capta. Cæterùm quia plus operæ seruanda ea insumendum, quàm capienda
insumptum apparebat, direptam prius à militibus rex succendi iussit. pari fu
binde felicitate cum pleracp ignobiliora oppida expugnasset, diripuissetcp,
non procul à Morana fluuio castra posuit, in loco qui ut non rectè collis, ita
nec planicies queat appellari: sed medius inter utrumcp quantum à colle sub-
mittitur, tantum à planicie turgescit. Illic missi equites quingenti simul præ-
datum trans flumen, simul speculatum quà tutius & minori cum uexatione
progredi exercitus posset. Illi exoriente sole profecti, sub meridiem
in spe-

in speculatoriam Turcorum manum inuecti quatuor cum cæpissent, cognoscunt duo millia hostium per proximã siluam aduentare: itaq; impares se pugnæ intelligentes, qua propius ad flumen iter arbitrabantur, in fugam se uertunt. nec mora, Turci uisi à tergo trepidationem simul & fugiendi studiũ auxere. Erat inter refugientes & fluuium tellus editior, ex cuius uertice cum pateat longè lateq; prospectus in Cismoranam regionem, allabentis tamen fluminis alueus nõ apparet, uisu supra uallem, ceu per extensam planiciem, longissimè in oppositos tumulos procurrente. Itaq; cum refugientes ad flumen regij, per collem transcendissent, & propter altitudinem præruptæ ripæ in citeriorem partem ad suos euadere posse desperarent, pars quidem in aquam stratis equorum tenus se immiserat: reliqui uerò in extrema margine fluminis substiterant animo quo sunt illi qui sine alicuius aut defensionis aut effugij spe, mox ab hoste immanissimo trucidari expectant. nec uanus forsan eorum metus fuisset: sed rex uenatum magno cum numero armatorum, casu cis flumen profectus, Turcorum oculis tũc maximè in summitatem aduersi collis peruenientium, cum occurreret, insidiarum metum illis incussit, cum & longius distaret, & maior appareret multitudo, quàm pro modo eorum quibus à tergo institissent. quæ res fecit ut cursum paulisper cohiberent. Atrex ubi hostes adesse perpendit, à uenatione in pugnæ studium conuersus, ingenti alacritate suos ad flumen dirigit. Nec procul aberat tum qui illic medij inter hostem ripam que insuperabilem creditam, derelicti à se ac desperati, iam tum mortis maximam partem in corpus admiserant, conspectu suorum uelut ad cœlitus demissam opem recreati, animos simul & clamorem extulere: uersiq; per accliuum retrò, commissæ fugæ pudore stimulante, ad montem magno conatu ferebantur. Interim uerò rex quoq; cum suis ad ripam peruenerat, & sine delectu placidioris alicuius descensus per abrupta & præcipitia quæcunq; in flumen prosiliebatur, tam cæca omnium festinatione, ut multi uorticibus impliciti ab aquæ uiolentia secundo amne agerentur. Multi etiam inter luctandum ab equis excussi, armorum pondere pessundante, subitò in aliorum conspectu submergerentur: sed Turci redeuntes contra se Christianos minimè expectauere. Nec pugna fuit, sed uicissim fuga & trepidatio. progressus erat deinde rex trans flumen duorum dierum iter, præmissis speculatoribus, per quos numerum hostium consilia q; & actiones exploraret. Exijs igitur duo trepidè renunciauere, Turcos non longè cum ualida manu in insidijs occasionem suam expectare. Qua re audita, Vladislaus statim habito ex omni multitudine delectu, cum decem millibus armatorum Hunniadianum misit, ut per silentium noctis nil tale opinantes hostes adoriretur. Ille à meridie ad primam uigiliam speculatores subsecutus, ubi Turcos haud procul esse comperit, cum luna pernox esset, ad ea loca per quæ maximè fuga patere illis poterat, agmen tacitè circumduxit: & clamore sublato, torpentes sopitosq;, utpote quos nulla cogitatio affuturi certaminis teneret, adoritur: primoq; statim impetu tantum terrorem uulgo incussit, quòd fugam magis quàm arma pro se quisq; spectare cœpit. Sed ubi ad effugium præclusas uias omnes percipere, uelut in ultimo discrimine per trepidationem alienatis sensibus, equorum fræna ægrè atq; arma expediebant. Cum ex parte altera Hunniadianus suos adhortaretur, ut inermem adhuc hostem, somnoq; & inopinato pauore fluctuantem inuaderent, ac cęderent. Frequentes iampridem uictoriæ nomen uiri apud Turcos non solum celebre, uerumetiam formidabile reddiderant. Itaq; à principio quidem cum haudquaquam strenuè à trepidantibus hostem q; ignorantibus resisteretur tumultus & cæca conflictatio uerius quàm pugna fuit: deinde ubi Hunniadianum adesse percepere, suosque ubique ab obuijs prosterni, integros que cum saucijs, semianimes

cum

cum expirantibus, uaria fœdaq; pereuntiũ imagine uolutari, ut quem q; nox & timor præcipitem agebat, per loca inuia uepribusq; ac uirgultis implicita euadere tentantes, facile instans uictor consequebatur: maiorq; longè cædes quàm pro numero eorum qui uicerunt, commissa est: siquidem ad trigínta mi lia Turcorum ea nocte cæsa dicuntur, & supra quatuor milia capta, cum no uem signis militaribus: adeò improuisus hostium impetus iam dudum uinci assuetis omnem sensum abstulerat: nec aut multitudine suorum, aut fugan tium cædentiumq; se paucitatem sentire patiebatur: sed & castra multa præ da referta, in manus uictoris uenere. quibus direptis incensisq;, Hunniadia nus haud sanè magna suorum facta iactura, cum non minori laude eorum à quibus expectabatur, quàm suo gaudio ad regem rediit. fuit fortè inter captiuos Mamacus, sacerdos doctrina & religione apud suos clarus, à quo super ijs quæ in religiosa Musamanorum historia uulgò feruntur, aut improba, aut obscœna, cum multa Sanoceus, ut erat morum rituumq; peregrinorum uesti gator curiosus, exquireret: ille nec sortis suę, nec pfessionis oblitus, nõ licere inquit, de secta sua uinctũ disputare. Cęterùm Sanoceo instante ut uel fateret, uel purgaret religioni suæ obiectas sordes, propriumq; id esse munus sacerdotis asseuerante: ille præfatus, Turcos quoq; homines esse, ab eisdemq; principijs, quæ mortales alij sua esse profiterentur, corpus simul atq; animam ducere, subintulit: & quoniam in ijs quæ percipiuntur tractanturq; sensibus, cum reliquo humano genere consentirent, maximè uerisimile esse, ut in illis quoq; quæ aut opinio aut intellectus suggerit, sine probabilibus rationibus minimè se habeant. Post eam uictoriã, pleraq; Bulgarorũ oppida simul Musa manicę impietatis, simul affectu Christianę professionis pellecta, tum etiã lin guę cõmercio, & q; eadem cum Polonis primordia generis haberent, eiectis Turcorũ præsidijs, ad regem defecere. Nõnulla etiã in ipsa trepidatione expu gnata partim per regios milites, partim per Volones cruce signatos, qui ductu Iuliani multa egregia facinora quotidie edebãt, & iam cum uictoria peruentum erat sub ipsum Thracię aditũ. Cæterùm licet multum bello quæsitũ uideretur, non minus amissum credebant, in uexatione per quam copiæ illuc peruenerãt. Cum em propè à fonte Tyabri amnis, qui à Mysis olim Tribal los disterminabat, Bulgaria per dorsum Hæmi montis in uulturnum aquilonem q; porrigatur, à meridie in Thraciam declinat, à septentrione uerò in Danubium deuexa, inferioris partem Mysiæ occupat. Itaq; media huius regionis inuiæ rupes ac prærupta saxa tenent. decliuiora autem, & si qua in planiciem protensa sunt, profundis ferè siluis uastisq; solitudinibus occupantur. Ideo ager haud sanè egregiè frugum fertilis: sed neq; alendo pecori satis fœcundus, ac proinde ad cætera mala, quibus itinerum difficultas in ipso iam hyemis initio exercitum mulctauerat, magna hominum iumentorumq; ui rigore intolerabili, aut lassitudine absumpta, commeatus etiam inopia maximè urgebat. Et licet pecunia suppeteret abundè, non erat unde frumenta coemerentur, ex eoq; ad famem desperatio quoq; accedebat. Nec quicquam aliud uictum iam malis suis exercitum, ne dissolueretur, retinebat, quàm crebræ Hunniadiani adhortationes, cuius asseueratio, quo peritior earum regionum rerum'que habebatur, eo ueluti solidiori spe ab omnibus accipiebatur. Ille quicquid malorum exhaustum erat, frigus, famem, lassitudinem, desperationem, repetere, rursusq; perpetienda dicere, si regrediendum foret: tanto hominum iumentorumq; uexatione maiori, quantum regionis naturalem uastitatem bellum etiã exhauserat, longè plus solitudinis difficultatumq; à tergo relictum, quàm emetiendum supereset. Si progredi perseuerarent, multo etiam per altiora mœnium iuga superata, quàm per quæ in Thraciam transcendendum. Stare eos in limine horrei felicioris iam agri, biduoq; peruenturos

turos non ad amœniora ſolum loca,ſed rerum etiam omniũ feraciora,in quibus præterquam quòd reficiendo exercitui abundè omnia ſuperfutura, tantum etiam prædę paſſim expoſitum,quantum referre faſtidiret,unicum atq; eundem ultimum laborem inſtare: ſubinde non bellum fore, ſed populationem. Meminiſſent qua alacritate per inacceſſas cotes & ſaltus inuios, etiam inuita natura paulo antè properaſſent. Qua uirtute nihil actum foret,ſi uictoriam non proſequerentur:cæſos quidem ab ſe ad ſatietatem hoſtes, ſed facile inſtauraturos exercitum: ueriusq; irritatos,quàm uictos dici poſſe:rurſus occupaturos ea quę ipſi deſeruiſſent oppida,& à patria,penatibusq; & laribus domeſticis;poſtea propulſandũ iterum bellum,quod in agrum hoſtilem uincendo conuerterant. incertum eſſe an eadem felicitate arma ſemper aſſumerent, dum Deus & fortuna cœptis fauerent. non temerè omittendam debellandi in Europa opportunitatem,præter id quod felicitatis ſuæ occaſioni deeſſe flagitioſum uideretur. Deum etiam ſubinde iratum fore. Hęc & plura eiuſmodi ſæpe uulgò & in concionibus iactata ab Hunniadiano, interdum etiam Deſpoto: cuius unica ſpes erat rerum ſuarũ iterũ potiundi,ſi bellũ nõ intermitteretur. Succumbentes aduerſis non ſolum militum animos, ſed ducum etiam ſæpe firmauerant. Cumq; illi audirentur,uidebatur unuſquiſque extrema quæq; toleraturus: ſed premente ſubinde fame, cæteriſq; temporis ac locorum difficultatibus, rurſus in priſtinam deſperationem recidebant: uiciſſimq; humanæ neceſſitates,ut contingit ſæpè,uerecundiam,niſi aduentus hoſtium renunciatus, ne temerè dilaberentur, cohibuiſſet magis, ne ſegregatis ac diſperſis per loca incognita trucidari contingeret, quàm ſpe in tantis malis inſultantibus reſiſtendi: ſed iuuabat etiam utcunque cum ſuis uitæ
B uirtutiſq; ſupremum opus obire. Itaq; ubi mox affuturum hoſtem cognouere,lętari pro ſe quiſq; & gratias immortali Deo agere propter oblatam occaſionem pugnando intereundi. paulo antè non mortem,ſed genus ipſum mortis grauiſſimũ fuiſſe,cum ueluti debilibus beſtijs fame in deſerto extabeſcendum foret. Tanto q; ardore animorum arma ubiq; in caſtris expediebantur,ut facile intellectu foret,eos ſine ordine,ſine imperio, ſi appropinquaſſet hoſtis, erupturos. Interea Hunniadianus, qui cum paucis ad mõtem ſubierat,refert illos ſumma iuga inſediſſe,ut qui nõ acie dimicaturi ueniſſent,ſed regem tantummodo tranſitu prohibituri. poſuiſſe illic enim caſtra, lapides q; & ligna cõportando,tumultuario opere aditum ad ſe undiq; communire. nec fefellerat eum cõiectura. namq; ubi Amurates ſuorũ clade acceperat,ueritus id quod futurum fuit,ut bellum in Thraciam & Macedoniam transferretur,niſi propere miſiſſet qui arcerent, accitis ad ſe copijs quas in Aſia habebat, cum reliquijs paulo antè profligati exercitus ſui,eas cõiunxerat:deſtinauerat q;,ut per nullam occaſionem fortunæ ſe cõmittendo, obſeſſis montium anguſtijs, nihil aliud quàm tranſitu arcendo, Vladiſlaum ſub montibus retinerent: ſatis ſuperq; hyemem famem q;, & cætera mala, quibus hoſtes uexari conſtabat, cõtra illos pugnatura. Sed quem cõſilij ſui exequendi principem fecerat dux Phrygię Carambus,uir manu & ingenio prõptus,cum ex loco edito animad uerteret tumultuantes regios in exercitu,& pleroſq; diuerſis in locis non legitimo imperio,ſed perturbatè ac temerè ad pugnam erumpentes,alacriusq; quàm par erat,propter loci iniquitatem per accliuum niti, ſimul ſe ueluti contemni impatiens, ſimul quia & loco & numero militum ſuperior uictoriam in manibus habere ratus,quaſi rei bene geſtę decus præuaricationis culpam diluturum mox eſſet, etiam contra id quod in mandatis acceperat, pugnare inſtituit. Itaq; explicatis aciebus,ſigna in hoſtem deferri iuſſit. Id ubi rex animaduertit,ad ſuos,quos magis honeſtæ mortis quàm uictorię ſpes temerè ad montem agebat,conuerſus, aduocatiſq; Hunniadiano ac Deſpoto, & cæte-

ris primoribus, Deus, inquit, Deus adest, fauetq; ille hostibus, cum insidentes montis fauces, per ocium satiare possent oculos interitu nostrorum, fame malisq; alijs passim pereuntium, mentem illic manendi abstulit, & nunc præcipites in eos agit: qui sic armati prosiliere, ut certamini superesse nolint. Rapiamus occasionem animisq; & alacritate, quam nostri ut honestè occumbant, extulere: utamur ad uictoriam, ad quam nihil efficacius esse solet, quàm si sine metu mortis pugnat. quo maiori desperatione in hostem feret quisq; eo uiolentius cedet ac prosternet obuios: & dum mori nõ recusat, uictor euadet. nec mora, producturus ipse cum Despoto & Iuliano reliquos in aciem, Hunniadianum misit qui temerè sparsos colligeret: & quantum res subita properantiumq; ad ultimum discrimen, non ardor, sed propemodum rabies sineret, prouideret, ne cæca eorum temeritas plus hosti ad uictoriam conferret, quàm ipsius aut uirtus, aut felicitas. Ille properè incompositæ multitudinis primos assecutus, ut quemq; pleniori gradu ad montem festinare intuebatur, ita admonendo, ne cæco impetu, ueluti paratum iugulum hostibus offerret (Cuiq; enim non in sua morte, sed in hostiũ cæde laborum periculorumq; omnium terminum positum) rogabat ut se in acie locari pateretur. Et si tanquam uicturus nollet, saltem in ultionem suæ quisq; mortis acriter pugnaret: non temerè, quod pecudum esset, sed ut uiros fortes decet, ex militari disciplina, pertinere ad futuram famam, ne incruentam de se uictoriam hosti permitterent. Et cum dicto, ordini, qualem casus & tumultus præstare poterat, simul quemq; applicabat, simul benignè retrò agebat, in proximam tumuli planiciem, ex qua placidius accliui colles haud difficilimum ad se aditum præbiturí uidebant: cum interim rex quoq; cum cæteris copijs accurrisset, & Turci nihilo segnius ex superiore loco decurrentes, eò iam peruenissent, ut missilibus ex interuallo prælium committerent. Quorum eo minus quicquam, uani teli intercidebat, quo densius regiorum agmen ardentioriq; studio ad excipiendum hostis impetum sursum nitebatur. Multi priusquam comminus congrederent, uulnerati: sed ubi ad manum uentum, & gladio res agi cœpta est, ante alios Poloni desperatione atq; ira obcęcatis animis inuadunt hostem, ac prosternunt tam obstinato impetu, quòd locis aliquot minimè sustineri potuerunt: cœpitq; aduersa acies cõturbatis ordinibus nutare: sed accurrens ad omnia discrimina Carambus, & plerosq; ex suis gladio & uulneribus, alios uoce ac maledictis increpitans, quòd à lassitudine, inedia, frigoribusq; enectis, per inanem trepidationem seuinci paterentur, certamen redintegrauit, ordinesq; restituit: identidemq; ubi acrius pugnari animaduertebat, circumclamitans, cæcum scilicet desperatione hostem sponte in uulnera agitela tantummodo intendenda, ipsum se sua sponte iugulaturum, per omnes militis ducisq; optimi conatus tam periculosæ sibi, pugnæ euentum distrahebat: cum interea multi utrinq; aut caderent subitò, aut tam grauiter uulnerarentur, ut delapsis in terram, uires minimè ad consurgendum suppeterent, cõculcantibusq; equorum pedibus, quãto serius, tanto miserabilius interirent. sed maximè insigni atq; horribili aspectu patebant uulnera equorum per Polonos cruce signatos inflicta. Erant ferè pedestre agmen, lanceasq; gestabant: id tantummodo à uenatorijs distantes, quòd non punctim solum, sed cæsim etiam ferro prælato & oblongo infestæ utroq; modo feriebant. Itaq; illi inter equites excursantes, per loca modicis uirgultis implicita, non tantum latera equorum mucronibus aperiebant, sed crura plerunq; tota à corporibus detruncantes, ceruices que altissimis uulneribus incidentes, magna ex parte ad pedestre prælium Turcos redegerant: qui eo genere pugnandi tanto facilius superabantur, cedebantq; sensim retrò, quanto equestribus assueti insultibus, peditum laborem minus ferre consueuere. Cæterùm ubi equus à quo

Carambo

A Carambus uehebatur, per uentrem lancea trāsuerberatus, dolore ſeuiens inter hoſtes equitem profudit in caput: uulgatumq; eſt, ducem aut cæſum, aut certè captum eſſe. multitudo ad montem conuerſa, quod reliquum preſidij erat, fugæ ſe commiſit. Inſequentibus Chriſtianis, & fugientium terga paſſim cædentibus tanto ardore animorum, ut ad ſumma uſq; iuga, per omnia aſpera atq; inuia euaſuri uiderentur: ſed cum plus negotij ab locorum iniquitate, quàm ab hoſtibus futurũ appareret, & iam dies in noctem inclinaret, quo tempore etiam in plano locisq; equis errabunda obluctantiũ ueſtigia periclitantur: rex prohibens ulterius in locis penè inſuperabilibus uim afferri, ſignum receptui ſuis dedit. Ex aduerſa aũt acie qui eędem effugerant, pauore ac feſtinatione amẽtes, per ſaxa, pręcipitia, rupesq; abruptas, proiectis armis, & manibus, cotes innataq; illis uirgulta prehenſantes, ægrè nitebantur, euadebantque ad ſuos, qui munitiones caſtraq; uerticib. impoſita ſeruabant. Inter pugnandũ Carãbus aliiſq; uiri multi genere ac factis inſignes capti, plures tamẽ cæſi in fuga. itaq; amiſſo duce & roboris penè quantũ fuerat in exercitu, cum appareret Turcos minimè toleraturos impetum, ſi ad eos infeſtum agmen ire pergeret, poſtero die rex ſub aditum quem inſederant, caſtra poſuit. extulerat ſuorum animos pugna proſpera, nec minus ſtimulabat cupiditas tranſcendendi in loca commoda releuandis malis, quibus miſerè adfligebantur: exindéque aut uictoriæ, aut neceſſitati, nihil imperuium arbitrati, contra ardua quęq; per acclíuum obluctabantur. Nec ſegnius ab hoſte deſuper miſſilib. penè obruebantur. Videns itaq; rex naturæ difficultatem obiectam ſuis, & quòd ſuo ingenti, hoſtium uerò nullo diſcrimine, ad montis uertices peruenire conabantur, temerè effuſum agmen in caſtra reducturus properabat.

B Moxq; præterquam quòd ſatis in ea expeditione factum credebat, animatis ſuis uincere & uinci deſuetis, hyemis locorũq; aſperitati cedere inſtituerat. Cæterùm Hunniadianus obſtinatus cuncta prius experiri, quàm deſiſtere à proſequenda uictoria, cum animaduertiſſet obliqua montis nuda uepribus, & agendo itineri clementer accliuia, illac euadere in ſummũ iugum poſſe arbitratus, ſuos circumegit. Prominebat in abruptum uertex editiſſimus, & Turcis aſcendentium montem ſub ſe aſpectum adimebat: eoq; non facile ſolum, ſed etiam tutè miles ingrediebaẽ. quod ubi rex percepit, mutata ſententia ſubſequi Hunniadianum cœpit cum reliquis copijs. Peruenerat iam prima militum manus in iugum, æquè editum atq; id quod inſederant Turci, ſed in immenſum hians ſaxum progredi ulterius non ſinebat. quò cum Hunniadianus quoq; aſcendiſſet, uideretq; hiatum propter magnitudinem neq; tuto multuaria materia impleri poſſe, neq; ponte coniungi, cum haud plus ſtadijs duobus ab hoſte diſtaret, ſubmiſit impigram expeditamq; militum manum, occupaturam recto itinere aditum in montem, ſi Turcos paululum ſubmoueri contingeret: confeſtimq; obuerſis firmatisq; in illos machinis, haud mediocris magnitudinis lapides contorquebat, quorum præter cõſternationem quàm inſuetus horrendusq; auribus fragor animis incutiebat, uis improuiſa minimeq; tolerabilis, propter lapidum magnitudinem multos in principio obtriuit: parumq; abfuit, quin nouæ fœdæq; ſtragis ſubito terrore & clade perculſi, omnes locum deſererent: quippe quòd unius lapidis impetu, quàm plures ſæpe diuerſa ſpecie, diuerſo genere mortis abſumi intuerentur. Nec mali illius euitandi alia præter quàm fugæ ratio ſuccurrebat. Sed Alibeus poſt captum Carambum, militari cõſenſu dux à ſuis creatus, admonens eam peſtem uitatu facilem, ſi frągore audito poſt eminentes cotes illico procumberent, non modò ab incœpta iam fuga eos retinuit, uerumetiã ad reſiſtendũ animauit. Cum itaq; ſemel atq; iterum efflata in ſe tormentis ſaxa feliciter eluſiſſent, intrepidè inde arcebant deturbabantq; regios enitentes aditum occu-

pare. Quod ubi Vladislaus animaduertisset, ueluti securis hostibus ac insi-
tientium suorum eminus nõ hominibus, sed locis expugnandis conatus o-
mnes irritos fore iam credens, desperataq; cominus congrediendi facultate,
cum rigor hyemis & in quam transcendendorũ montium spes maximè pelle
xerat, commeatuum inopia premeret ultrà quàm sustineri iam posset, retro-
agendi copias rursus cõsilia cœpit agitare. at Despotus cui omnia æquiora
toleratuq; minus dura apparebãt, quàm belli eius intermissio, per quod fortu
nam dignitatemq; pristinam recuperaturũ se credebat, ignominiosum fore
asseuerabat, si capto duce, debilitatoq; hostium exercitu, deuictis iam & qui
non armis, sed ut pauidæ feræ cotib. ac speluncis se tegerent, terga uerterent.
Eadem illos, cùm rerum omnium penuria, tum aeris intemperie, qua & regi
laborare, moxq; humanis necessitatibus cessuros, si paululũ perseueraretur,
non committendum, ut fluentia luxu Asiana corpora, tolerandis difficultati-
bus superasse uiderentur, Germanorum Hungarorumq; iam tum ab infantia
cœli terræq; rigoribus duratos artus, daturum se pecuniæ quantum foret o-
pus frumentis coemendis, quorum copia circum omnia loca abundarent. Iu
lianus quoq; haud fermè ijs dissimilia iactando, ab instituto regem auertere
conabatur: sed fame ac frigore extabescentibus hominibus iumentisq;, cum
paterentur uulgò grauiora utiq; quàm quæ ancipitis spei consolatione leni-
ri possent, perucit in desperatis animis necessitas, ut fit, honesti rationem. Et
conuerso agmine, in planiciem descendère: moxq; collectis impedimentis,
præmissisq; retro quà uenerant subsequebantur. Turci uerò ubi uinci se pos
se hostem desperasse percepere, læti secum & inflati noua spe, iuga montium
deseruere: subsequendoq; abeuntes crebris à tergo impressionibus uexabãt.
Et licet non magnas, frequentes tamen clades inferebant, sed & plerunq; acci
piebant. Conuersis enim in eos expeditissimis quibusq; manumq; conferen
tibus, multi ex illis cædebantur: etsi regiorum quoq; impetus plerunq; fru-
strabatur, refugientibus statim Turcis, qui mox conglobati rursusq; infesti
aderant, quandoquidem multa præda impedimentis q; grauis exercitus mi-
nimè properare poterat. Silua est densa non tam frequenti & procera arbore,
quàm ramosa & ad radicẽ fruticante. Præterea implicita undiq; sinuosis quo-
busdam & stagnanti cœno, uoraginosis anfractibus, quales obsoleti fluuio-
rum meatus, ubi aut humana arte, aut ui naturæ cursum aqua immutauit: eãq;
ob rem ferè tota imperuia, & sicubi transitum prębet, angusta admodum uia,
& frequentibus commissa ponticulis. ad eam uentũ cum esset, præmissa cum
sarcinis leui armatura, in postremo agmine, qui ueluti murus antecedentium
terga protegerent, hastatos equites collocarunt, progrediebanturq; ad iter. at
Turci quotidiana insultandi consuetudine superuenientes, cum magna pars
equitatus in siluam progressa foret, impetum faciunt in ultimos, quorum cla
mor præcedentes subitò ad se conuertit: & ut quenq; succurrendi suis studiũ
et festinatio incõsulta rapiebat, ita extra uiam egit in loca cœnosa & palustria.
Ex quibus diu luctati, in pedesq; recepti, ęgerrimè se atq; equos expedirent,
propterea quòd uliginosa terra hominum iumentorumq; uestigia altissimè
in se recipiens, difficilius remittebat, datum est Turcis spacium capiendi ex
postremis equites circiter octoaginta. Sed cœno tandẽ regij atq; uligine ex-
pliciti, refugientes assecuti suos liberauere. Nec minus sexaginta supra centũ
ex hostibus captos iugulauere, illico reliquis fusis fugatisq;. multoq; diffici-
lior eis cum natura loci luctatio fuerat, quàm fuit postea pugna in patentibus
campis cum hoste commissa. Cæterùm cum & fames quotidie grauius urge
ret, & tam frequens Turcorum insultus, ad cætera mala per lassitudinem tan-
dem penè ad internitionem exercitum mulctaturus appareret, placuit com-
portari simul succendiq; quicquid erat inter sarcinas, quod exercitui magis

tunc

A tunc oneri esset, quàm usui postea futurum, tum iumenta debilia aut superua-
cua interfici, & arma quæ aut ex defunctis militibus, aut ex præda supererãt,
terræ infodi, quibus diligenter peractis, exercitus subinde uelut expurgatio-
ne superuacuorum nouum quendam uigorem accepisset, maioribus itineri-
bus quàm ut ociosè insultando insequi Turcus posset, ad Belgradum se re-
cepit, ibiq; per quietem & recreationem diebus aliquot consumptis, rex un-
de mouerat Budam contendit. ubi postquam cognitum est ciuitati appropin
quare, procedentibus in sacro ornatu & solenni cærimonia sacerdotibus, in-
genti numero, populus omnis generis promiscuè effusus, cum gratulatione
reducem salutauit, excepitq; ingrediebatur ipse pedes ex uoto templum pri-
usquam regiam aditurus. Præibant uerò captiui insignes cum Carambo: tũ
militaria signa hostibus adempta, cum parte prædæ quæ supererat, præfere-
bantur. Subsequentibus militibus ante omnes Polonis crucesignatis, lau-
desq; ac nomen regis militari alacritate in cœlum ferentibus, ipsum unum
esse qui regias artes uirtutesq; non nosset solum, uerumetiam impleret. Cæte
ros per ingnauiam & socordiam ætatem agere in domestico luxu, prodita ac
deserta re Christiana: quę tum primùm caput attollere incipiens, breui ad pri
stinum decus amplitudinemq; esset peruentura. Sed & iuxta regium decus
Hunniadiani nomen celebre apud multitudinem audiebatur, cuius maximè
ingenio ac uirtute in rebus bellicis uictoriam adeptam credebant. Cæterùm
multo insignius futurum fuit spectaculum, si necessitas expediendi exercitũ,
magnam pompæ partem non ademisset, spoliis multis ultrò concrematis in
itinere, aliis sub terram relictis. Postquam uerò laudes gratesq; ob rem bene
gestam Deo actæ, signa tholis subfixa: & reperitis egregiè factis dictisq; cu-
iusq; ex ducibus, pro meritis singuli præmio affecti. Mox ut eorum uirtus ad
B posteros quoq; testatior redderetur, insignia cuiusq; cum titulis in cõspectio
re parte templi ditissima diligentiq; pictura effigiata.

P. CALLIMACHI GEMINIANENSIS DE *Vladislao rege, seu clade Varnensi,*

LIB. II.

VICTORIA de Turcis uirtute Vladislai regis parta, omnium fe
rè Christianorũ principum legatos ad se exciuit: sed in primis
frequentes conuenere ab uniuersa Italia, quam ea tantum modo
fiducia tenebat, minimè se uexatum iri à Turcis, si eos Poloni
& Hungari, aut subigerent sibi, aut certè non absistendo à bel-
lo, iugiter oppugnarent: uno omnes ore ac cõsensu affuisse Deum, affuturũq;
asseuerabant pio & iusto bello: & quæ ad id locorum gesta erant efferentes,
ad reliqua exequenda exhortabantur. Sed ante alios Pontifex maximus Eu
genius, Venetiq;, & Ianuenses, cum Philippo Burgundionum duce. ij ad lau
des partę uictoriæ adhortationesq; nouæ expeditionis instaurandæ, adijcie-
bant etiam pollicitationes subsidiorum: seq; ingentem classem in Hellespon
tum missuros spondebant, per quã Turci ex Asia transmittere, seq; cum Eu-
ropeis coniungere prohiberentur: qua ratione facillimũ fore in Europa de-
bellare, in qua pauci admodum supereſſent hostes, & ij trepidi ac perculsi &
non nisi uinci assueti, modò paululum rex anniti uellet, exterminari omnino
tota Europa impiam execrandamq; Musamanorum superstitionem posse,
re Christiana in perpetuum aucta & stabilita. Ioannem etiam Palæologum,
Græcorum Imperatorem, cuius fortunam maiestatemq; Turci non modò la-
befecerant, sed penè euerterant, successus Vladislai extulerant, in spem rei di
gnitatisq; suæ in integrum restituendæ. Missiq; sunt etiam ab ipso oratores,
qui præfati ea quæ facere uisa sunt ad tanti euentus gratulationem, diuina hu
manis commiscendo, religiosa asseueratione nunciauerunt, uisum esse à

pleriſque Conſtantinopoli ante portam quæ ad Macedoniam emittit, equeſtrem iuuenem candida ueſte ornatum, per ſpeciem lætitiæ hac illac excurſare, eadem hora, ut poſtea compertum fuerat, qua res à Chriſtianis contra Carambum proſperè gerebat, moxq; euanuiſſe. Id uiſum omnium animos primò ſollicitos habuiſſe: ſubinde cognita regis uictoria, illius nuncium uulgo exiſtimatum. Cæterùm prudentiores & quos aut uitæ ſanctimonia, aut profundæ alicuius diſciplinæ cognitio peritos futurorum reddidiſſet, non tam credere Vladiſlai ſucceſſum diuinitùs Græcis nunciatum, quàm eos admonitos temporis & occaſionis ſuæ, Turcorum in Europa rem penè profligatam eſſe, in Aſia etiam fluctuare molientibus res nouas circumadiacentibus tetrarchis: ideoq; non cunctandum ulterius, ſed trepidos ſuaq; imbecillitate ac ui aliena laborantes, ſubitò opprimendos. qua perſuaſione Imperator eorum excitus, cum ſuis quidem armatus ex parte altera affuturus, ſi modò regi cordi eſſet primo quoq; tempore eam uictoriã proſequi, quam Deo duce ac comite uel exinde adeptum eſſe conſtabat, quòd diuinis etiam nunciis fuerat peruulgata. Accedebat ad hæc ſupplex Deſpoti ambitus, & quotidianæ preces obteſtationesq; cum lacrymis: tum inſtãs Iuliani adhortatio, uocesq; aſſiduæ, multoq; iam efficaciores apud animos primæ expeditionis ſucceſſu elatos. Quibus ne magno animo rex ſubitò aſſentiretur, res Polona contiuit. uenerat enim eodem quoq; tempore legatio à Polonis, gratulatum & ipſa quidem regiæ felicitati. Cæterùm tentare iterum fortunam non prius oportere admonebat, quàm cum proceribus Polonis uel in finibus regni cõſilio inito, prius rex illud expediret, quo tandem ordine rebus ſuis domi conſtitutis ac firmatis, externum bellum regni ſui ſecurus proſequeretur. Nonuideri rationi conſentaneum, ſollicitum eſſe quenquam de rebus alienis, antequam ſua in tuto collocauerit. Recenſebat deinde in qua deformitate Polonia eſſet, quid licentię ubiq; inſoleſceret, quis in priuatis cupiditatibus ardor, quę in publicis opportunitatibus negligentia: ex quibus nactos occaſionem Tartaros, magnam Ruſſiæ ac Podoliæ partem depopulatos: ſed & præterquam quòd priuatæ procerum ſimultates ad uulnera & cædes iam peruenerant, à finitimis per latrocinia tanquam iuſto bello etiam prædas abigi, inprimisq; à Boleslao duce Opoliæ ad ea uulgari, Cazimirum ex Lituania bellum Maſouiæ propediem illaturum, tot malis ſuccubiturum omnino regnũ, niſi ſubitò ſuccurreretur. Quæ regis animum eo mouebãt magis, quo uerius dici nunciariq; ſciebat. Tamen ne regni unius priuata neceſſitas publicè omnium Chriſtianorum rei apud mẽtem ſuam præponderare appareret, prius collaudato ſingulorum, quorum legationes aderant, in ſe officio, ac beneuolentia, nec minus pietate in religionẽ ac Deum immortalem: cæteros omnes oratores ſic ab ſe dimiſit, ut qui ſperare poſſent facturum ipſum poſtulata. Polonis uerò dixit, conuocaturum ſe illico Budam Hungarorum optimates: daturumq; enixè operam, conſtitutis omnibus quæ ad pacem bellumue eius anni attinere uiderentur, ut mox ea quæ ipſi petierant, exequeretur. Conſtituta ſubinde Hungaris conueniendi die, ut ſi communi iterum conſenſu educenda cenſeretur in Turcos expeditio, ſtabilior quies domi relinqui poſſet, ſpondendo in id fidem, quòd abſoluto cõuentu, ad ſua quiq; omnes inuiolati reuerterentẽ. Giſcram etiam magiſtratusq; ciuitatũ, quæ ab illo dependebant, placuit per literas accerſiri, licet aduerſante Iuliano, qui præſentibus Boemis nil quod quidem ad religionem pertineret, ritè tranſigi poſſe arbitrabatur. Sed confirmauerat regem in ſententia Franco Banus, dicens nõ eſſe eius temporis quærere quid ſentirent, uelẽtue Boemi de cęrimoniis inſtitutisq; Chriſtianę, pfeſſionis, deq; Rom. pontificis aut ritu aut pręceptionib. in ſacris tradendis ſuſcipiẽdisq;. Aliã eſſe eorum cauſam, quibus ſatis eſſet uerbotenus de

A de religione disceptare: aliam uerò eorum quorum cum religione simul uita & libertas periclitaretur, & manu, non lingua tueri se cogerentur. Si quid in Boemorum mentibus foret, aut à sacra saluatoris nostri historia, aut ab eiusdem mysterijs alienum, non defuturas postea emendandi occasiones, & tempora, illis quorum interesset: interea nihil satius uideri, urgente non eius tantum regni, sed totius quoque Christiani nominis opportunitate, quàm uti opera quorumcunque, ac inprimis Boemorum, qui & ad manum essent, & in priori expeditione, quo ad tuendam religionem non solum pij, sed etiam obstinati cogniti essent. Nec totidē Volones cruce signati ex reliquis omnibus Christianis nationibus accurrissent, quot ex unica & haud sanè numerosa ipsorum gente, ad extremum adhiberentur, nec ne, ad eiusmodi consultationem, magis quàm alterius cuiusque interesse eorum qui illos erant uocaturi: quandoquidem eo blandimento allecti, maiorumq; agendorum gloria incitati, si nihil aliud, saltem domesticam securitatem præstare possent. Spreti uerò præterquam quòd certi hostes etiam irritati in regni gremio forent remansuri. Igitur postquam omnes conuenerant, dies aliquot extracti extinguendo intestino bello. uerùm ubi nulla iniri ratio potuit, eius ex toto abolendi consensum est in biēnales inducias: quibus durantibus, captiuos utrinq; dimitti placuit, ea conditione, quòd inducijs exactis, reuerterentur in uincula & custodiam. Si de pace interim non consentiretur, lætis subinde omnibus, quod datis acceptisq; inducijs, domi nihil, quod inter suos magnopere timeri posset, relictum uidebatur. Proposita est belli externi consultatio, & plerisq; alijs, sed Despoto & Iuliano inprimis instantibus, publiceq; ac priuatim asserentibus, præparari affuturáque in tempore auxilia à Pontifice maximo, cæterisq; principibus Christianis, facile recenti adhuc uictoria elatis:
B fidentibusq; animis persuasum, ut redintegrandam expeditionem censerent. apparebat enim accedentibus terra mariq; tot potentissimorum principum nationumq; auxilijs, facillimè deleri posse eum hostem, quem paulo antè præterhaud sanè multos Volones cruce signatos, nemine omnino opitulante, suis tantummodo armis ac uiribus fudissent, fugassentq;. In eum itaq; sumptum decretū est extraordinarium tributum, subitò ab indigenis exigendū: quæstoresq; ad id designati. Bellici autem apparatus tota cura Hunniadiano delegata: sed & nuncij constituti, qui ea quæ apud Hungaros & Vladislaum decreta erant, ad quos maximè oportebat principes nationesq; perferrent, uenerāt Budam ad eum conuentum Pangratius de sancto Nicolao, partium quidem Vladislai assertor: sed qui omnem regionem quæ à præterfluente Bago abluitur, latrocinio infestam tenebat: in quem quia domesticam quietem turbare uidebatur, publicū plus odium ualuit, quàm liberi conuentus reuerētia. Captus enim est à multitudine tumultuosius id efflagitāte, precipitanterq; in uincula coniectus. Eodemq; impetu subitarium de complicibus sumptum est supplicium. nec temperatum foret ab Giscra, in tam prępropero ardore animorū, contra publicæ fidei sanctitatem, nisi Vladislaus ubi multitudinem uehementius concitatam uidit, quàm ut monendo hortandoq; uerecundia æqui bonique cohiberi posset, nonnullos Polonos cōfestim submisisset, qui per posticū eductum, mutatis uestimentis, in Iaurinū perduxere. Quo facto, rex ab Giscra postea nunq; nominatus est sine reuerentia & prę fatione seruatoris. Rebus igitur sic dispositis in Hungaria, Vladislaus ad fluctuantē paterni regni statū & molitionē Cazimiri in Masouios animū cōuerterat: uolebatq; dū tributa exigerent, dū gerēdo bello usui futura parabant, trāscēdere in Poloniā, factiones intestinas illic q̄q; sedaturus: cōsultaturusq; quo pacto licentia latrocinātiū, ex Silesia, et Lituanicus motus supprimeret: sed et magnopere gestiebat secū post tot tātasq; res feliciter gestas, sese matri

ac ſuis alijs oſtentare. Cæterùm præter id quod apparebat Polonos omnia facturos, ut non niſi quæ ad pacem ſuam facere crederent, rectè prius conſtitutis, regem ab ſe dimitterent. Hungari etiam ueriti, ne aut iuuenilis animus dulcedine quietis in paterno regno remolliretur, aut à matre cęterisq; neceſſarijs auerteretur à periculis, in bello Turcico ſubeundis, Deſpotum & Iuliam tanquam duas machinas ad eam cogitationem expugnandam, regemq; in Hungaria retinendum admouere. illi ſatis ſuperq; ad id per ſe prompti, nec minus ab alijs ſtimulati, hortando rogandoq; peruicerunt, ut Polonis rex in præſens per legatos excuſaret neceſſitatem, ac magnitudinem ſuſcepti negotij, à quo præter ignominiam proditis illis, quos ad belli ſocietatem exciuerat, ſine ſummo etiam periculo abeſſe non poſſet: quia Turcus, cognitis quæ à Chriſtianis parabantur, ingentem congregaſſet exercitum, impeturus ultrò Hungariam, niſi ſua defendendi neceſſitas ei prius obijceretur. Quibus adiectum eſt, etiam negocium impetrandi propter nouam expeditionem auxilia: nec à Polonis ſolum, uerumetiam à Prutenis: à quibus præterquam quòd ex profeſſione ſua deberentur, apparebat etiam eo iuſtius peti, quo à priori bello ocioſius abſtinuerant. Cæterùm ueluti ea poſtulatio irrita apud Prutenos fuit, ita dilatus regis aduentus, magno malo Polonis ſtetit. Cum enim uniuerſorum animi erecti in expectationem illius, quieta ſecum & ciuilia agitare cœpiſſent, ubi intellectum eſt minimè affuturũ, illico ueluti impunitiorem licentiam nacti, ſeſe ad conſuetas artes conuertêre: & prẽter id quod mutuis ſimultatibus multa inter ſe fœda committebant, facile etiam externorum iniurias tolerabant. ſed nec minus finitimi eandem ob cauſam latrocinabantur impudentius, captiq; ſunt & rebus ſuis exuti ab illis multi negotiatores honeſtiſſimi. prædæ etiam ex agris propemodum licentius quàm ſibellum indictum eſſet, abactæ. Sed ante omnes inſignis fuit rapina Ducis Opolienſis, interceptis per inſidias quàm plurimis negotiatoribus Cracouienſibus, dum Vratiſlauiam ad nundinas proficiſcerentur. quam iniuriam, cum publico ſumptu ac uiribus uindicanda cenſeretur, placuit tamen prius adregem perferre. ille, ne quid ſe abſente uiribus tentaretur, edixit: ſed ut iureres repeterent: ſeq; opportunè affuturum, ſi minimè reſtituerentur. Dum ea cum Polonis agerentur, ſatisq; ad bellum prouiſa & conſtituta eſſent omnia in Hungaria, uiſum eſt denuò ſignificare Conſtantinopolitano Imperatori, ut ſe cum ſuis præpararet, moturus ex parte altera, ubi Vladiſlaus ad Thraciæ Macedoniæq; fines cum exercitu peruenìſſet: nec minus admonere etiam fidei ac temporis Pontificem maximum, cæterosq; qui pauloantè obſidendi Helleſponti ultrò negotium curamq; ſuſceperant. itaq; illi nihil diſſimulantes, congregata inſtructaq; ad Caietam ſeptuaginta triremium claſſe, miſerunt illico Franciſcum Albertum, Cardinalem Florentinum, ut nauigaret in Helleſpõtum: obſeſſis q; illic litoribus opportunis, obſiſteret, ne quid ſubſidiorum à Turco ex Aſia poſſet accerſiri. ad quam rem ſummo ſtudio maturandam, præter id quod Vladiſlao data fides & religionis cura intentos faciebat, fama qua uulgabatur Carmanum Ciliciæ Carmaniæ regem, cum ualidiſſimo exercitu in Pontum & Bithyniam Turcos oppugnatum uenire, etiam promptiores fecit. Cum uiderentur omnia ueluti quodam diuino nutu ad id prẽparari, ut ſuperſtitio impia & fœda peſſundaretur, perculerat & Turci animum, moles inſtantis à Carmano belli: cui ſuſtinendo imparem ſe fore ſciebat, niſi integer illuc ſe conuerteret. & uidebat diſpartitis uiribus ſuis eodem tẽpore Polonis atq; Hungaris terra, Italis uerò etiam mari eſſe occurrendũ, cũ nihil ignoraret eorũ quę contra ſe ſummo cõſenſu ſummoq; conatu ab utraq; gẽte parabant. Et pximo etiam bello cum magna ſuorũ clade Vladiſlai uires ac felicitatẽ expertus, timebat magis ex eo, q; intelligebat adeò

præua-

A Prævalida subsidia illi affutura. igitur ne copias suas distrahere in diuersum, & propemodũ sine spe resistendi separatim eas summis discriminibus obij cere cogeretur, ratus cęterorum animos facile posse ad pacem acclinare, si De spoto prius persuaderet, nũcios ad eum clàm submisit: qui ueluti de Carambi redemptione agentes, per occasionem proponerent sibi cum libertate filio rum pristinę fortunę decus atq; amplitudinem, si æquabilis concordiæ cum rege ineundæ auctor ipse fieri uellet. ille se dolo atq; astu à perfido hoste tentari primùm ratus, oratorum uerba diffidenter audiebat. Cæterùm ubi instando agendoq;, ut crederet, extorsere, cœpitq; illius animus ab incerta spe uictoriæ ad præsentem certamq; principatus sui possessionem conuerti, cum non ignoraret filios interim fœdo in carcere cathenis uinctos, & iampridem crudeliter oculis mulctatos, ludibrijs quibusque esse expositos, & ultrà quàm paternus animus pati posset, diutius indignis atque acerbis modis per opprobrium & calamitatem in sorde ac squalore uexari, eaq; res non minus quàm euersa status sui fortuna sollicitum haberet, rem prout offerebatur, ad Hunniadianum pertulit. qui etsi pristinæ felicitati uiribusq; fidebat, ad eaq; auxiliares etiam copias terra mariq; accessuras sciebat: tamen intestinum bellum in Hungaria non extinctum, sed dilatum, Fridericumq; in propinquo diuitijs & auctoritate præpotentẽ hostem cum uideret, reputans q; quàm uarij inopinatiq; casus in bello dominentur, ne si quid aduersi mala fortuna obiecisset, Vladislaum subinde facili negocio, regno frui contingeret, illatam à Turco pacis mentionem haudquaquam aspernandam censuit, præsertimque etiam quòd Despotus per concordiã penè plura assequẽda proponebat, quàm posset bellum etiam felicissimum re promittere. Sed ante omnia quibus tandem conditionibus reuera pacem firmare uellet, à Turco exquirendum putauit. Cumq; nunciata sibi per Despotũ tam de redimendo Carãbo, quàm B de restituendis illis qui bello repetebantur, uera esse comperisset, transegit ante omnia de precio captiui, pro quo quinquaginta aureorum milibus acceptis, nihil interim prætermittendo ex ijs quę ad acerrimi belli motum præparanda fuerant, nunciat regi, quid quàm maximè fieri posset: numeroso instructoq; exercitu Idibus Iunijs ad Segedinum moueret, ibi legatos Turci pertentes pacem affuturos. offerri quidem ultrò conditiones haud aspernandas tempori, & rebus regni. Cęterùm uim paratam in conspectu, multo meliores extorturam. Sollicitus adhuc secum Vladislaus de statu Poloniæ periclitante, mentionem pacis lętus audiuit: uidens facile fore, ut uiribus quas ad externum bellum comparauerat, domi utriusq; regni sui res in perpetuum stabiliret, sublatis omninò aut eiectis iniuriarum seditionumq; principibus. sed & cæteri omnes post tot annorum non intermissum bellum cessationem quietemq; aliquam à Turcis desiderabant. uenit itaq; rex cum suis præstituta die in Segedinum, quò Despotus Hunniadianusq; anteceserant, cum Turcis oratoribus: quorum princeps Græcæ nationis homo, sed Musomanorum sectam professus, ubi in conspectum regis uenere, ita uerba fecit: Si commisso inter nos belli discrimine, rex inclyte, nunc demum ad petendam pacem ueniretur, uideri forsan posset Amurates Imperator noster uiribus suis diffidere: sed cum multo antè quieta consilia proposuerit tibi, quàm manum conserendi aliquando tecum cogitatio quępiam subesse posset, in' que meliori fortuna sua, iam tum egerit apud te de amicitia ineunda, non debes existimare, noua potius aliqua necessitate nunc permotum, q; cõsilio eodem, quod à principio sibi persuasit te fœderis ac pacis mentione, puocandũ. Nec enim semestri uictoria tua credere oportet fractos abiectosq; esse animos nostros, cõtinua felicitate, iamtot annos supra omne fortunę discrimen elatos. Quos etiãsi nihil aliud erigeret firmaretq;, utiq; uidisse tuos totiẽs à nobis effusissimè fugatos

uictosq;

uictosq; reparare subitò copias, uictoribusq; subinde ultrò insultare, satis efficax exemplum foret, ne mediocri clade accepta, & quæ tota ducum nostrorum temeritati queat imputari, de fortuna uiribusq; nostris subitò desperaremus. Atq; ideo non tanquam aut necessitati aut desperationi cedentes, nos audiendos putes: sed ut qui minimè contra alienam felicitatem tendentes, modum terminumq; nostræ constituimus. Cumq; gloriam partæ nuper abste uictoriæ præsentisq; apparatus magnitudinem, oculis atq; animo metiris, quantum utriq; credere oporteat, tibi documento nos simus, totiens priùs uictores eisdemq; quibus tu modò humanæ felicitatis blandimentis inflati, nullius magis interest casibus se subtrahere, quàm cuius felicia initia nondum sortem alteram sunt experta. paulo antè uix pubescente ætate, cum paterno regno administrando minimè satis par credi posses, accitus es ad alterum pariter regendum, præterquàm quòd magnitudine sua fortiori ætati intolerabile externis bellis ciuilibusq; factionib. etiam implicitũ, magno animo suscepta à te conditioni adeò successus affuit, ut bello domi statim penè extincto, arma in nos conuerteris. Et quorum nomen priùs uix sustinebatur, facile uinci posse docueris. Quo benignius ausus tuos fortuna confirmauit, eo ne destituat, præcauendum est magis: præsertim quòd non qui plurima, sed qui grata & firmissima quæq; possidet, iure Felix appellatur. Porrò quid tibi gratius esse potest aut debet, quàm paternum regnum? quid firmius, quàm adiecta illi cum pace nostra Hungaria? sed blandiaris cœptis tuis: & quantumuis de successu stabilitateq; fortunæ tibi pollicearis, nempe ut Despotum in sedem suam restitueres, celeberrima duo tua regna in discrimen seruitutis adduxeris, haud sanè æqua laborum periculorumq; mercede illectus. Quòd si id quod tanta belli mole quæritur, minimè tanti est, ut tam magno discrimine peti debeat: quantum sentimus, non minus tua quàm nostra interest, uidere ne de alienis solliciti, nostra labefactemus. Concordiæ ac pacis multæ utrinq; dici accipiq; honestæ conditiones possunt: belli unicus futurus exitus, euersio scilicet patriæ, diuinorumq; & humanorum omnium apud eos qui uicti fuerint. Si præteritorum meminisse placet, habemus & nos quidquid mala nobis & uires polliceantur. Cæterùm cedere casibus, quàm obluctari humanæ imbecillitati magis conuenire censemus. tuum est reputare cum tuis, malitiis ne capere exemplum instabilitatis fortunæ ex rebus nostris, an in uestris eam experiri. acclinati in eam sententiam iamdudum animi, facile permoti sunt, ut de pace agerẽt. disceptatio maior fuit, in conditionib. approbandis: agente Turco de reseruanda sibi Bulgaria, fodinisq; argenti, cum pleriscq; oppidis in Seruia: Vladislao uerò, legitimis dominis restitui singula uolente, tandem in id conuentum, quòd Bulgaria tantummodo in ditione Turci remaneret: cætera omnia quomodocunq; occupata ab eo restituerentur illis quorum iuris fuerant ante bellum: captiui qui supererant, utrinq; soluerentur, inprimisq; Despoti filij. dies deinde constituta, in qua oppida ciuitatesq; prout pactum erat traderentur. paxq; in decennium concluſa, non aduersante etiam Iuliano: non tã quia ex animo rem non improbaret, q; quia aut non succurrebat quid spei proponeret, tot tantisq; utilitatibus cõpensandis, si in præsens negligerent: aut quia in tam præcipiti cõsensu, omniũ clausas mentes admittendæ rationi intuebatur, expectabatq; admonẽdi tempus opportunius, sed miserè interim cruciabatur, secum reputans, suis maximè factum adhortationibus, ut Veneti Burgundusq; & Pontifex maximus classem ad Hellespontũ mitterent: seq; exinde autuanitatis, aut perfidiæ ab illis arguendũ uidebat, si pax, ut conuentũ erat, seruaret. Cæterũ q; grata ea pax Hungaris fuerit, memoria ueterũ cladiũ sanguinisq; effusi recuperãdis illis quæ ultrò tunc restituebant, uel exinde licebit æstimare, q eius ut uidebat auctori Hũniadiano

uirtu-

A uirtutis & honoris gratia data sunt oppida et loca omnia, quæ alendo in Hungaria Despoto fuerant prius assignata. Et cum Turci peterent, quod in confirmandis pacis cõditionibus, prolata in mediũ Eucharistia, rex iuraret, haud quaquam fortiter contrà tendebat, ne si id iurandi genus deprecaretur, suspicari posset parum sincero animo transactum de concordia. Cuius adeò uehementi studio tenebantur, ut uitarent etiam suspiciones singulas à quibus perturbari eam posse apparebat. Sed Gregorius Sanoceus ubi regis quoque animum à tam improbo facto haud omnino abhorrentem uidit, religioso ueluti furore percitus, Deus, inquit, Deus, tam execrabile scelus auertat, ut qui pauloantè cõtra impios pugnantes, omnia tristia difficilia q̃ perpessi sumus, dum uinceremus: nunc rursus pro religione armati, & propemodum uictoriam manu tenentes, sacrosanctũ diuini mysterij arcanum sub profanorum oculis sponte proferamus. Quid prima, quid hac secunda expeditione, à nobis petitum, quid adeò ingentem belli molem, ex tam separatis abinuicem regionibus, ab Italia, à Burgũdia, à Thracia euocare, quid denuò arma induere, quid hucusq̃ progredi oportuit, si sacra nostra prodenda erant? minori nostro facinore per ignauiam domi inermes sedẽdo pati potuimus illa profanari, quàm nunc simus armati prodituri. pudeat nos gratulationum, quibus nuper uicto res accepti: pudeat laudum, quibus u Christianæ rei seruatores propè in cœlum modò elati sumus. Pudeat deniq̃ obnoxios ijs nefarijs cogitationibus, nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ reges ac principes spes suas collocauerint, aut pro quibus innumerabiles populi & nationes omnibus intemplis, ad Deum supplices ambiant, pro uictoria nostra uota nuncupando. Quanto sanctius prisci Romani, qui capta à Gallis urbe, ne sacra sua conspici possent, terræ infodere. Nos uictores nostra ultrò impijs prodere cogitabi-
B mus, committemusq̃ ut religiosius ab illis inanes quædam diuinorum persuasiones seruatæ dicantur, quàm à nobis sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus ac mysterium, & publicè nos illo facinore contaminabimus. Quòd si unus quispiam sacrilega audacia perpetraret, seueríssimè uindicaremus: omitto quantum piaculi apud Deum contrahemus, qui non modò ab ipsius causa defecerimus, sed ipsum etiam testem ac pignus defectionis nostræ impijs exhibuerimus. Quid de nobis hostes sentire poterunt, uidentes nos tanti pacem existimasse, ut non minus sacrilegè iurauerimus, q̃ ipsi impudenter postulauerint. sed ut hęc pacis utilitas leuiora uideri faciat, omnia quę aut in nostra, uel aliorum secta religiose altius elata sunt, quàm quæ humanis sensibus attingi queant, cæremoniarum uelamento sancto q̃ arcano mortalium animis infunduntur: quæ si nuda in medium protrahantur, quia nullo humanę rationis argumento subsistunt, & temerè asseuerari & impudenter peti ut credantur apparet, audiuere dudum hostes Deum à nobis præsentem coli, asseruariq̃ in sacrariorum penetralibus: & quia ignorant quo id pacto contingat, cum de eo cogitant, nihil simile ijs quæ terrena & momentanea cognoscunt: sed quicquid extra mortalitatis sortem positum putant, mentibus eorum occurrit. Et id quod quale sit, nesciunt. tantæ nostræ de eo asseuerationi par figurant nos. hanc ipsorum persuasionem patefactis arcanis nostris cortumpemus, elatasq̃ ad diuina & cœlestia de sacris nostris mentes, ad caduca & terrena reuocabimus, specie panis in conspectum exhibita: quauerum corpus Christi contineri, ut nos quidem firmiter credamus, efficit diuina institutio, gratiáque in qua nati sumus. Quibus illi orbati, cum res per se fidem non faciat, restat ut nos irrideant, ueluti minimè possibilia credamus. Nolite per Deum committere, ut aboleatur sacer ille horror, quo ipsorum animi præstringuntur in bello, cum secum reputant inituros se prælium contra nos, quibus adeò propicius sit Deus, ut propemodum uidendus

nobis

nobis coram pariter conuersetur. Quantum de nostra, deq; religionis nostræ maiestate hoc facto minuetur, tantum crescet apud illos audacia, crediturosque subinde, ut ipsis quidem uidebitur, ex specie quam intuebuntur, nos non modò in ueri Dei tuitione non esse, sed nec in alterius cuiusquam. Multis modis stabilitati conuentorum caueri aliter potest: quamuis ad fidei pignus, regium uerbum satis esse deberet, aliq; inter priuatos cautiones, aliq; inter principes exhibentur, ad extremum, relicturum se profanata castra asserebat, si eo modo rex iurare pergeret. ita q; cum uideret tam uerè quàm è religionis, eq; ipsorum quos alloquebatur usu & maiestate dixisse, cõstitutum est in cõfirmanda pace, pferri utrinq; in mediũ sacram historiam suam, quod Euangeliũ nostri, Alcoranum illi uocant. quibus ubi suæ quisq; dexteram admouit, religiose iuratum est, conuenta executũ iri, atq; inuiolata permansura: hoc maxime modo datis acceptisq; pacis conditionibus, cum Turci digressi essent promissa impleturi, uenit à Francisco Cardinale nuncius cum literis, in quibus continebatur, Turcum aduersus Carmanum cum ingenti copiarum numero traiecisse in Asiam, inermia q; & uacua quæ possideret omnia cis Hellespontum reliquisse: ab se uerò cum classe litoribus ubiq; occupatis, iam tum adẽptam hosti facultatem reportandi exercitum in Europã. non prætermittendam tantam occasionem, propè sine armis aut certamine aliquo exterminandi propellendiq; ad origines suas diram gentẽ, execrandamq; superstitionem. Memi-nisset rex fidei sponsionisq; principibus Christianis factæ, & quàm maximè fieri posset, properaret cum promissa expeditione, quando illi quoque, quod suum erat, auxilia præmisissent. ad ea similibus penè asseuerationibus à Graeco quoque Imperatore per literas significata. addebatur etiam, elatum se spe, belli maiori conatu à rege secundum sponsionem renouandi, cum tentaretur à Turco de fœdere, non solum repudiasse conditionem, uerumetiam hostilia contra illum ultrò intulisse, & in armis esse cum suis, ut regi sub ipsum montium descensum uel accurreret, uel alibi expectaret, si id magis ex usu foreuideretur. instandum agendum q;, dum distractus ille multiplici bello tam diuersis in locis mari terra q; suis adesse non posset: dum nuper cæsus, fusus, fugatus q;, nondum satis animum uires q; collegisset: & proximis cladibus afflictus, nedum impetum, sed nec nomen quidem regium laturus uideretur: omnia per dolum fraudem q; ab oratore Turco in fœdere trãsacta. Non committendum, ut glorioſa initia uecordi negligentia fœdarentur: sed rapiendam opportunitatem delendæ ignominiæ religioni nostræ inustæ, non uno atq; altero oppido, sed multis regionibus Christiani nominis partim direptis, partim ab execranda gente sub ditionem suam missis. Turcum adeò festinanter per Hellespontum copias traiecisse, ut uerius dici posset fugisse bellum, quod à tergo affore sciebat, quàm profectum esse ad propulsandum id quod ab Asia nunciabatur. Ad extremum rogabatur, ne ueluti sub cultro & prædæ relinqueret crudelissimo hosti, qui, pculdubio exercitũ reportaturus esset in Europam, ubi aduentus Vladislai metũ deposuisset. Nõ aliunde magis id discrimẽ sibi imminere, q; quòd regię fidei pollicitationibus q; crediderat. Recitatis utrorumq; literis in regis ac procerum conspectu, quidam subitò quasi languor omnium animos occupauit, memoria eorum quæ de se sperare adduxerant principes Christianos: coepitq; regis aliorũq; uelut oculis obuersari species gratulationum, quibus tot regum populorumq; ueluti publico consensu pauloantè, tanquam Christiani nominis seruatores excepti fuerant: & pudebat pigebatq; ob præsentem utilitatem perpetuum decus ueluti cõtempsisse, secuturamq; exinde ignominiam intuebantur: & memineranto bligatam ab se fidem Græcis, Latinisq;, & ab utrisq; implorata auxilia præstò esse audiebant, quæ nisi per summum scelus in discrimine in quod pellexerãt, relin-

A relinquere non poterant. Quibus adeò contrario affectu omnium ferè mentes distrahebantur, ut qui pauloantè pacem ultrò elegissent, bellum malle apparet. Et uidebatur etiam quædam quasi opportunitas & causa concordiæ repudiandæ: quandoquidem Turcus ad cõstitutam diem neq; captiuos omnes soluerat, nec dum oppidis ciuitatibusq; quibus oportuit ex fœdere cesserat. Itaque Iulianus apud tam suspensos animos, desideriúmque inter & pœnitentiam initæ concordiæ, fluctuantes, occasionem suam adesse ratus, cum multis magnisq; actionibus antea expertus esset, Sanoceum persuadẽdi ui & facultate, uelut habere hominum mentes in potestate, conatus est sibi illum adiungere in negotio pacis improbandæ, suadendiq; instaurandum bellum. Quod, cum ab eo minimè impetraret, propterea quòd ille Despoti Hunniadianiq; sententiam probans, nec temerè dandam fidem hosti, & data tam minimè uiolandam contendebat, conuersus ipse ad circumstantes: A' fœdere, inquit, de quo cum Turcis transactum uidetur, quanquam inane irritumq;, mallem abstinuissemus: non quod ius religionémue illius aliquam, si bellum prosequemur, uiolãdum intelligi oporteat: sed quia dandis accipiendisq; conditionibus bonam partẽ temporis prosequendæ expeditioni aptissimi frustra consumpsimus. Contradixissem iam tũ ab initio: sed acclinatiores animos uestros ad concordiam uidi, quàm ut crederẽ posse oratione mea ad rem gerendam uos erigi. præterea sciebam hæc omnia quæ nobis hodie nunciata sunt de facilitate debellãdi in Europa, Turcis implicitis detentisq; bello Asiatico, fore uti paulopòst nunciarentur: maluiq; expectare donec ea credere tis alijs, quàm intempestiuè prædicendo committere ut fingi à me & per uanam spẽ iactari arbitremini. Nunc quando ut uolui asseueratio uictoriæq; uestræ ad uos aliunde q̃ à me peruenit, & ita esse ut describitur, non minus quàm optabã credere uos, indicat destituti incœpti pœnitẽtia, nõ gerendum ne sit bellum, quod omnes necessariũ intelligitis, si cum decoribus

B prius partis salutem libertatemq; uestram retinere uultis: sed liceat nec ne geri post qualemcunq; hãc utrinq; fœderis iactationem, explicandum à me sentio. uideo enim plerosq; inanibus fidei ac fœderis nominibus suspensos, intra se non tam quid facere uelint, quàm quid æquũ sit deliberantes, quasi uerba quędam inconsulta per spẽ metumq; mutuò iactata, nomen sanctitatemq; fœderis obtineant. Cum id demum iure sit fœdus, quod ab illis quorum res est initur, non uerborum sponsio, sed conuentorum expleta fides confirmauerit. Huic neque paciscentium affuit auctoritas, neque pactorum subinde accessit executio: sed nomen tantum fœderis & cærimonia temerè iactata sunt. Quæ non prius sancta sunt, quàm promissa utrinq; cum fide absoluantur, atque ut incipiam ab eo qui sponsionis caput esse uidetur, tamdiu forsan liberum regi fuerit, de fœderibus & pace cum Turcis agere, quoad inclyti huius regni uiribus & felicitate bellum gessit, quoad nulla externa ope adiutus, priuato sui regni discrimine ac sumptu publicam Christianæ rei salutem maiestatemq; tutatus est. ubi uerò cum alijs quoq; Christianis principibus consilia totamq; gerendi huius belli rationem communicare placuit, eorundem consensu bellum intermitti oportuit, quorum opibus auspicijsq; geri susceptum erat: sed ut res tota non secus atq; ante adiunctam sibi aliorũ principum manum, regis tantummodo fuisset, nec dum fœdus cum eiusmodi hominum genere, sed ullius omnino rei commercium inire non licuit, & initũ non tenet, iniussu Pontificis maximi. huc adde susceptas ab hoste conditiones minimè expletas esse: ex qua re etiam, si nihil aliud, omnia quæ dicta factáue dicuntur, inania redderet: tamen quia conuentorum fides quæ ab illis frustrata est, minimè confirmauit sanctitatem religionemq; fœderis, intelligendum est à sponsione sua, si qua fuit, non solum absolutum esse regem, uerùm

C etiam

etiam per dolum ac simulationem proposita transactaq; esse singula ab oratoribus qui pacem petitum ad nos uenere, ut si hostis initurus fuisset id fœdus, quod stabile ac ratum uellet. Si eiusmodi postulatio & sponsio fraude omnino uacua futura erat, non habuit quem de pace acturum mitteret alium, quàm hominem lingua, genere, moribus & denique præter simulatam religionem tota uitæ ratione ab ipso alienum, qui nihil uerè religiose & sanctè à Turcis promittere, neq; ex diuerso stipulari posset. Cæterùm cuius pacta promissaq; omnia, si ex usu uideretur, sine uerecundia reijci atq; improbari liberum foret: sed & pudebat eum tam supplicis actionis simulationẽ explicare per hominem suæ gentis: cauitq; uerecundè, ne quid submisse, ne quid infra uulgatam animi uiriumq; suarum magnitudinem ageretur à suis. Et noluit regem gloriari posse, quod supplicantem sibi Turcum aliquando audiuisset: præterea cum tota actione multa simulanda forent, non alterius artibus faciliùs decipi nos posse arbitratus est, quàm eius qui nobiscũ de religione paulo ante sensisset, ut quæ per se non satis fidem facerent, religionis uelamento inuoluta in animum nostrum descenderent. Cæterùm si quæ placuissent impetrata forent, cogitauit se pactis staturum. Sin minus ex simulatione concordiæ se id saltem commodum percepturum, ut ad gerendum bellum posset sibi interim consulere. quæ ita esse, indicat frustratus terminus eorum omnium quæ per fœdus ab ipso fieri oportebat. Scio Despoti, sed inprimis Hunniadiani tantam esse rerum hostilium peritiam, tantum experimentum, ut nefas sit dicere, non omnia ex uero sic se habere, ut sit eis persuasum: sed illum cupiditatem simul liberandorum filiorum, simul recipiendi amissum decus & fortunas: hunc uerò diffidentiam auxiliij à complicibus belli affuturi adegisse crediderim, ut non tam acriter quàm poterant animum intenderent, & blandis pollicitis dissimulatam fraudem statim non deprehenderint. Cæterùm non debet cuiusquam gratia aut auctoritas apud animum uestrũ plus ualere, quàm ueritas, cum intelligatis tali fœdere neminem teneri, uel ex eo quod sine auctoritate ictum, uel quod per fraudem ab hoste minimè impletis conditionibus sit dissolutum: sed ut omnia legitimè à rege, nihil insidiosè ab hoste actum constaret, meminisse debetis sponsionis quam Christianis uocatis admissis q; in partem belli paulo priusquam Turcis fecisse uos constat. Et cum deliberatio uestra illis angustijs incluſa sit, quod data fides minimè posset utrinq; subsisteret, sintq; alterutri deferendi, neminem dubitare conuenit, ita quenq; potius seruandum esse, ut arctiore coniunctione nos contingit. Porrò quid uobis cum hoc genere hostium conuenit, à quibus professione, moribus, totius q; uitæ instituto ac ratione distatis? quid cum Christianis non coniunctissimum est? atq; ut omittamus communia immortalitatis initia, fana, sacrificia, sepulchra eadem, tum cærimonias & sacrorum ritus, quibus animi uestri multo arctiori necessitudine inter se coniuncti sunt, quàm si natura ipsa eisdem parentibus orta corpora coniunxisset. Nonne qui paulo ante in Hellespontum classem suam misere, pro salute, pro gloria uestra, communicando uobiscum uires, suscipiendoq; belli unà gerendi negotium, indissolubili omnino uinculo uos sibi deuinxere? Quodq; nisi per æternam labem atque infamiam ingratorum animorum uiolare non possitis, atq; ideo cum ex parte altera illi sint qui ad humana diuinaq; omnia uobiscum communia, addidere recentissimũ beneficium submissorum uobis auxiliorum, quiq; ut nulla noua sponsio intercessisset, tot humanis diuinisq; propinquitatibus uos contingunt, ut sine inexpiabili scelere deseri nequeant. Ex altera uerò hostis immanis, perfidus, qui non per bellum tantummodo à uobis discrepat: sed religiones alias cultusq; diuinos professus, omnia quæ uobis sacra sunt, ueluti profana contemnat, & si possit, uiolet. Cuiq; nec dari fides potuit,

Potuit, absq; nefario crimine: nec postquam data creditur, potest sine grauiori culpa seruari. Non debet esse magna deliberatio, cum hoc'ne, an cum illis conuenta sint exequenda. Si perseueretur in suscepta concordia, præterquàm quòd elusi estis, frustratis ex parte altera conditionibus cõtaminati inexpiabili facinore, amissaq; gloria priore bello parta, sub quotidiana bonorum omnium execratione, infamem uitã agetis. Si uerò, quod per se etiam uanum irritumq; est, repudiato impio fœdere, bene de uobis meritis aderitis, eo in discrimine, in quod per uos adductos non ignoratis, ad securitatem, qua subinde uestra possidebitis, cum immortali gloria non modò ea de quibus in concordia mentio est, sed cætera omnia quæ à dira gente possidentur in Europa, recuperabitis. De cuius rei facilitate dicerem, nisi perpẽderem satis per literas suas persuasisse uobis Græcum Imperatorem, & Franciscum Cardinalem: quorum auctoritas in eo tanto grauior sit oportet, quanto propinquio res sunt hosti, & indicãt ex re præsenti: sed & maior trepidatio hostis, quàm ut satis ab ipsius oratore dissimularetur, supra omnem orationem stimulare uos debet ad occasionem istam capessendam. Quam si prætermittetis, cogemini tandem despecti ac destituti ab omnibus, dubium dedecore an periculo maiore, intra fines uestros dimicationem eam subire, cui uos impares esse, implorando externa auxilia, iampridem profitemini. Ad hæc multa de iure pontificio, deq; illius potestate ac ui prefatus, subdidit tandem, Pontificis se maximi auctoritate id fœdus qualecunque esset rescindere, & abrogare: regemq; ac cæteros quorum interesset, à iuramento & sponsione quam Turcis fecerant, absoluere. Adeò à paucis Iuliani oratio non est probata, ut ex concione tota exaudiretur fremitus deposcentium bellum, afferentiumq; succurrendum esse illis, quos in belli societatem attraxissent, quando non aliam ob causam periclitarentur, q; quòd armati concurrerent ad propulsandum pericula, propterea quæ Hungari simul & Poloni pauloantè coacti fuerant ipsos implorare: fortunarum potius omnium ac uitæ iacturam faciendam, q; fidei fidelibus obligatæ: pertinere id non ad famam solum spemq; de se apud cæteros Christianos excitatam, sed ad conseruationem etiam & tutelam rerum suarum: & ut nihil aliud stimularet, satius pro religione honestè occumbere, q; deserta illa & prodita, Deo atq; hominibus uiolatis infensisq; indecoram uitam extrahere. decreta itaque fœderis ac pacis abrogatio, & ut cum Christianis alijs suscepta expeditio continuaretur. Cui sententiæ nec Despotus quidem aut Hunniadianus tandem fortiter obsistebant. Ille inuitatus facilitate quæ in debellando apparebat: hic regia sponsione pellectus, cum Vladislaus promisisset ei Bulgariæ regnum post uictoriam, & literas quibus id continebatur, etiam quorundam procerum subscriptione firmatas in fidem dedisset. Decretum igitur quod erat contra pacem promulgatum, Francisco Cardinali ad classem missum, simulq; Græco Imperatori & principibus cæteris, ad quos initi cum Turco fœderis iampridem fama peruaserat. Raro aliàs Poloni tam lætum nuncium acceperant, ac fuit intellexisse quod rex de pace cum Turco transegerat. Nam cum Cazimirus in dicto Masouis bello totis Lituanorum uiribus Drochicinum oppugnaret, Masouiq; iunctis penè castris ex diuerso in armis starent, nec tam uirium inter utrosq; discrimen appareret, quàm suspicio erat, si committi prælium contingeret, magnam partem copiarum Cazimiri defecturam ad Michaelem Sigilmundi ducis pauloantè interfecti filium, qui apud Boleslaum inter Masouos militabat, ingens spes animos ipsorum ceperat, regem ab ea pacificatione in Poloniã subitò, id quod maximè cupiebãt, profecturum. Anxij enim inter Boleslaum Cazimirumq; de euentu sperabãt interuentum regis id bellum diremptum, & ab armis partes utrinque absessuras. Cum enim tam Lituani quàm

Masoui sub tutela regis agitarent, Polonis neutros uinci expediebat, itaque ubi dissolutum fœdus accepere: iterum consternati animo ut consilium caperent, ad Peterkouiam conuenere. ibi Vladislauiensis Episcopus & Ioannes Piltzanus designati oratores ad Hungariam, qui præmonitum regem pactionis ac fidei etiam hosti seruandæ, suadendo agendoq; animarent ad paternum regnum reuisendum, in quo multa eo absente perturbata: sed inprimis sedandum bellum, quo à Lituanis Masouia premebatur. præsenserat Vladislaus Cazimiri motum, & futurum conuentum Polonorum: atque ideo ne quid exinde nunciaretur sibi, quod parum conduceret rebus quas parabat, utq; sui cordi se ei esse intelligerent, misit illico in Poloniam Ioannem Gruscinensem, qui diceret regem nullo modo salua famæ uerecundia, posse suscepta denuò expeditionem intermittere: statimq; moturum ex Segedino, cogi necessariò illis adesse, quos in bellum implorando attraxisset. Cæterùm excitis paratisq; tot maximorum principum auxilijs, uictoriam paratam esse de ea gente quam superiore anno paucis admodum Volonibus crucesignatis adiutus fudisset, fugassetq;: & quam nisi hyemis montiumq; asperitas niuibus ac speluncis aditum uictoriæ suæ subraxisset, omnino subegerat, inter redeundum, quod propicio Deo breui futurum foret, conuersurum se iter in Poloniam. interim uiderent ipsi nequid detrimẽti regnum caperet: inprimisq; Boleslao duci adessent, contra Lituanorum conatus. Ea significatio quia præter spem uenerat, gratissima Polonis fuit: perfecitq; uti rex uideretur esse tam sollicitus de quiete ac statu regni, quàm ipsi uolebant: sed intercepta est exinde causa mittendæ in Hungariam legationis, atq; ideo singula quæ regi domi forisq; ex usu fore credebant, per epistolas significauere. Interea licet minimè seruata die, Turcus loca omnia de quibus in fœdere caueba-
tur, præsidijs suis euacuata, iustis dominis restituerat: solutis etiam magno numero captiuis, dimissisq; cum Despoti filijs. Vladislaus autem licet ægerrimo, quasi euentum præsagiret, stimulante Iuliano, undecimo kalendas Octobres, ut constitutum fuerat, mouit ex Segedino, sed copijs aliquanto paucioribus, q̃ anno superiore. nam & Volonum minor numerus accurrerat, propter uulgatum fœdus cum Turcis. & multi etiam inter agendum de concordia dimissi Poloni & Valachi, quos futura pax superuacuos redditura uidebatur. ubi ad Orsanam peruentum, pridie nonas nouembres Danubium cum suis traiecit. Expositoq; in Bulgaria exercitu primo ad Florentinum, deinde ad Bidinum progressus, licet undiq; circa iter oppida pleraq; arcesq; Turcorum præsidijs tenerentur, non ad prædam milites discurrere, non hostibus insultare, non bellicæ quicquam cladis inferre agris patiebatur: instituerat enim minimè tempus aut uires suas præconsumere expugnandis munitionibus, serendisq; certaminibus, priusquam coniungeret se cum nauali-
bus copijs ad Hellespontum: atq; ideo, ne in planis & apertis locis uel inuitus pugnare cogeretur. Cum duæ ad Callipolim uiæ ducerent, altera per extremam Thraciæ oram, qua Macedoniæ coniungitur, campestris & breuior inter Rhodopem ac Bistoniam paludem: qua si progredi uoluisset, currus relinquere oportebat propter uiæ difficultatem in Hemo rectà transcendendo. Altera uerò per inferiora Bulgariæ, prius ad solis ortum, deinde prope Pontum ad meridiem, per Thraciã, ut obliqua, ita lõgior, sed per quam licet montanam in plerisq; locis & salebrosam, currus tamen haud ægerrimè euaderent, maluit illac exercitum circumagere, q̃ ueluti se nudare curruũ munimentis quibus septus contra hostiles impetus, se ac suos facile tueri poterat, & q̃ maximè integris copijs ac uiribus ad Callipolim peruenire. Conuersus itaq; in Pontum inter Danubium atq; Hemum, haud magnis, sed cõtinuis itine-

A neribus ad inſtitutum feſtinabat: ubi uerò uentum eſt ad Nicopolim Bulgarorum metropolim, cuius urbis pars altera à Danubio abluitur, altera in collem erecta, quia fama erat totius regionis diuitias illuc comportatas, miles cohiberi non potuit, quin per ſuburbana diſcurrens, ad prædam etiam in ipſas portas faceret impreſſionem, quicquid ædificiorum circum adiacebat, direptum incenſum q; . Cum uerò portæ ac mœnia ſtrenuè defenderẽtur, à proſequenda oppugnatione iuſſum eſt abſtineri. Cæterùm quia quantum fert regio, uberes circùm campi & colles uidebantur affatim neceſſaria ſuppeditaturi reficiendis militibus, iumentisq; , biduum triduúmue illic perſeuerare placuit, in eo loco percenſenti ſuos regi, & ueluti totius belli apparatum recognoſcenti, dum miles non tam ſe reficit, quàm ſtudioſe illa præparat quæ opportuna fore credebat, uiam iam & natura ſua magis difficilem, propter anguſtias ſalebroſiores, & propter frequentiam præſidiorum hoſtilium in oppidis caſtellisq; undique eminentibus multo diſcriminoſiorem: accurrit nunquam ſine prefatione magni & fortiſſimi Imperatoris nominandus Vladislaus Dracula, Valachiæ, quam montanam uocant, princeps: qui cum iampridem pacem à Turco accepiſſet, factum ſuum in neceſſitatem reiecit: quod haud numeroſiſſimæ gentis princeps, nulláque externa ope adiutus, bellum Chriſtianis ſimul omnibus intolerabile ſuſtinuiſſet magnitudine animi & uirtute ſuorum diutius, quàm ſperari de tam imparibus uiribus poſſet: pluſque ab ſe interim hominum amiſſum, quàm terris ſuis frequentandis colendisq; ſupereſſet: cum euentus quotidie admoneret contra hoſtium multitudinem, paucorum ſuorum uirtutem magis admirandam eſſe quàm efficacem: tandem eò peruentum fuiſſe, non ut in ſeruitutem uenire oporteret, quæ forſan tolerabilis, modò æqua ſit, & contigiſſet antea multis magnisq; populis & nationibus: ſed ut cum patria & laribus familiaribus,
B cum altrice terra & cœlo relinquenda eſſent ſacra, religiones, araæ, degenerandumq; in obſcœnos mores ritúsq; impiarum ſuperſtitionum, niſi conditionem accepiſſet, per quam citra profanationem diuinorum humanorumq; omnium, reliquias ſuorum ſeruaret in occaſionem dignam, in qua tanta uirtus periclitaretur. Ad hæc cum eorum qui regem ſequebantur paucitatem animaduertiſſet, rogare obteſtariq; cœpit, ut retrò iter uerteret, ſe malis ſuis ſatis ſuperq; doctum, quanta foret Turci potentia, qui aduenationem propemodum plures ſeruos producere ſolitus eſſet, quàm illic ad bellũ armati conueniſſent. abſtinendum omnino à tam audaci periculoſoq; incœpto: communicandaq; conſilia & rationes, quo pacto res æquis uiribus geri poſſet. Interea nihil ſalubrius, quàm in occaſionem meliorẽ eas copias conſeruare. Quæ etiam ſi ſufficerent bello quod tunc cum hoſtibus gerendum, cæteraq; omnia uotis reſponderent, tamen eo tempore productæ inſtantis hyemis tempeſtate & malis, omnino eſſent ſuccubituræ. Audiebantur ea, tanquam Dracula non ex animi ſui ſententia loqueretur, propter fœdus quod illi cũ Turcis erat: tamen re ipſa per ſe fidem faciente, moti ſunt quàm plures, nec tantum ſuſpicio ſimulatę ab illo orationis, quantũ rei ueritas urgebat. Cæterùm rapiente regem fato ad deſtinatum propinquumq; iam finem, Iulianoq; ad ſuperioris anni fortunã identidem iactante, nuſquam ſtringendum fore gladium, uacua omnia defenſoribus reperturos: Amuratũ cum ſuis trans Helleſpontum, uix Carmani impetũ ſuſtinere: neq; poſſe etiam, ut ocioſus à bello eſſet, propter Venetorum Burgundiq; & Pontificis claſſem ſuppetias ſuis ferre: Grę cum prę terea cum non mediocrib. copijs ſub ipſis montibus accurſurũ. Draculę quidem officium ac ſermonem magno aſſenſu omnes cõmendauere, ueluti benignę in ſe uoluntatis teſtimonium. Nec mirum, de eorum uictoria deſperare ipſum dixerunt, ignorantem qua prę paratione, quibusq; auxilijs fre-

ti pergerent. Cæterum nullo modò ea sibi ut diceret in mentem uentura fuisse, si sciuisset quanta classis, quantisq; Italorum Burgundiorumq; copijs instructa, quàm multi etiam equites pedites q; Græcorum in armis eos præstolarentur. Non regem, non suos adeò inconsideratæ audaciæ, ut bellum quod cõficere non possent, ultrò inferrent. bono esset animo: quantum aduires attineret, satis prouisa esse omnia, & præparata. fœlicitatem Deum ipsum, cuius causa ageretur, & præbuisse antea, & in præsens præbiturum: conuersus itaq; rursus ad regem Dracula: Quando, inquit, aut fortuna, quæ audentem magna quæq; nusquam hactenus te decepit: aut spes alienæ opis, quam ratam uelim: aut occulta fatorũ necessitas, te in diuersum trahit à sententia mea. Consilium tuum quod ratione immutare non potuit, quantum tempus & improuisa res sinit, uiribus adiuuabo. & cum dicto quatuor milia equitum duce filio suo, copijs regijs adiecit, orans obtestans q; immortalem Deum, quod quicquid rex cæteriq; de belli totius successu animis suis repromitterent, felicissimo euentu confirmaret. Ad extremum dimissurus regem, duos ex suis impigerrimos iuuenes regionis q; & uiarum peritissimos, duos q; item equos inusitatæ admirandæ que pernicitatis in conspectu dedit, & uix lacrymis temperans: Habes, inquit, ad quod confugias, si casus aliquis malaue fors, quod abominor dicere, uiribus te diffidere coegerit. Malim equidem fore ut frustra dederim: id q; eueniet, si uota & preces meæ non uanæ erunt. uerùm si necessitas uti coegerit, saluberrimum munus experieris. Vtile sanè consilium Dracula attulerat, si tam fideliter auditum seruatum q; fuisset, quàm dabatur. Vulgatum est postea, uirum ingentis spiritus natum q; ad bellicas actiones, ubi apparatum Burgundi Italorum q; percepit, uariè ac multum secum agitasse inter pœnitentiam fide i Turco per fœdus datæ, & religionem eius uiolandæ propter euentum & futuram fortunam hominum famam siue ad tam gloriosam expeditionẽ cum Vladislao progrederetur, siue remaneret: plusq; omnino ualiturum fuisse apud milites ingenium belli decus, quàm laudem seruatæ sponsionis: sed suapte natura ominibus diuinationibus q; quibuscũque alioquin obnoxium muliebre uaticiniũ retinuit. Pridie enim quàm in regia castra peruenerat, Secusa mulier Bulgara, senio quidem confecta, sed cognitione futurorum multis experimentis clara, ad uicum Sullonum, de exitu ac fine belli ab ipso interrogata prædixerat, regem haud felici euentu pugnaturum: plus q; momenti cõtra eum hostem profligati exercitus reliquias habituras: fore q; subinde ut res fœlicius gererẽtur. atq; ideo in se ac suos uaticiniũ deriuare uolẽs, prosperioribus q; actionibus superesse, periculo quod in præsens nũciabatur, se subtraxisse: filiũ uerò cum à se dimitteret, magnopere monuisse, ne fortunæ obluctaretur temerè in acie, si res Christiana inclinaret. Conuertit deinde Vladislaus se in Thraciam, ingentem q; multitudinem fluuialis scaffæ in Paniso amne compertam incendit. Oritur autẽ Panisus in monte Hemo, & inter Messembriam Odessum q; Euxino illabitur. Creditũ uerò eiusmodi nauigia infestandę Hungariæ gratia illic à Turcis præparata, ut demissa subinde in pontũ, per occasionẽ tranquilli maris iuxta littus sursum agerentur in Danubium. Cuius maximè meridionale hostiũ, haud plus triginta milibus passuum distat ab Odesso. Ab eo incendio qua placidiorẽ ascensum Hemus ad se dabat, erecturus agmen, quia uia uti q; angusta & cõfragosa diuisit copias, ut contra improuisos hostium incursus firmior esset, & paratior. Hunniadiano igitur cum auxiliaribus Valachis & tribus Hungarorum milibus præmisso, sequebatur ipse magno interuallo, cum crucesignatis, reliquáque multitudine. Nam currus in medio agi placuerat, tam præcedentis q; subsequentis agminis præsidio tutos, inter progrediendum ne quid

A quidà tergo relinqueretur quod muniri in locis adeò anguſtis poſſet. non-
nulla oppida hinc inde direpta, & propè funditus diruta, uici quàmplures
incendio deleti. graſſatumq; eſt à militibus licentioſe etiam in ſacra Bulga-
rorum Græcorumq;, quorum templa ueluti profana, manu, ferro, igne, cæte-
roq; omni ſcelerum inſtrumento uiolabant. Id uerò impium, ut certè erat, uí-
ſum Vladislao. edixit itaque uulgo inquiri, ac reſtitui deſiderantibus quic-
quid religione inuiolatum eſſe oportuerat: nullius magis quàm ipſorum in-
tereſſe aſſeuerãs, abſtinere manus à ſacris, pro quibus arma ſumpſiſſent. mul
tum quidem in armis reponendum eſſe, ſed in Deo plurimum: qui poſtmo-
dum in bello non modò opem non laturus foret contaminatis ſacrilegio, ſed
etiam pro templis, pro aris, pro ſacris ſuis contrà ſtaturus, niſi à tam execrabi
li rapina abſtinuiſſent. dimiſſi exinde nonnulli ex captiuis Turcis cũ literis,
in quibus ſpondebatur omnibus qui ex præſidijs ſuis elaberentur, liberum
fore aut ſtipendia facere apud regem, aut abire quò mallent. Cuius ſponſio-
nis fides integerrimè ſeruata, cum multa loca in deditionem ueniſſent, quæ
acerrimè prius defendebantur, timentibus Turcis qui in illis erant aut ini-
quam ſeruitutem, aut mortem cum cruciatu. qui tamen Sumium ac Pezechiũ
tenebant, in rupibus paulo editioribus, freti naturali locorum munitione, ma
luere experiri quid ſe tuendo poſſent, quàm fidei hoſtium credere. contra
quos quia propter opportunitatem ſitus apparebat poſſe ab hoſte facile re-
ditum præcludi, ſi caſus aliquis illa redire coegiſſet, uiſum eſt omnibus uim
oppugnando experiri. itaque non ſine multorum clade, cum difficultas niten
di ſurſum longè plus negotij, quàm hoſtis armato militi exhiberet, utrunq;
oppidum oppugnatum. in ea uictoria multorum induſtria, multorum ope-
ra claruit, ſed in primis Tamonenſis Ioannis & Leſconis Bobricij: quorum
ille dum portas refringit, duo uulnera accepit: hic Pezechij murũ primus a-
B ſcendit, & multis alijs aſcendendi opportunitatẽ præbuit. Traduntur ad quin
que milia ex hoſtibus illic interijſſe, quorum magnam partem dum preda di
riperetur, gladius abſumpſit. cæteri ad terrorem aliorum rupibus, per quas
ſe tutos putaban, tpræcipites acti. Dum hæc à rege agerentur, afferũtur Fran
ciſci Cardinalis literæ nunciantes, Amuratum aut fruſtratis arte, aut corru-
ptis precio ſpeculatoribus, qui litora ſeruabant, infra Callipolim, qua fauces
Helleſponti arctiſſimæ ſunt, ingenti multitudine militem reportaſſe in Euro
pam, & coniunxiſſe ſuis, qui non procul ab Iſthmo Thracij Cherſoneſi haud
ſanè memorabili numero paulo antè ſe congregauerant. Qua nouitate regis
deliberationem immutari oportuit, præſertimq; q plurimi ex ſuis hortaban
tur regredi, aut ſaltem in tuto alicubi ſubſiſtere, donec certus numerus ho-
ſtium, & quo ſe primùm conuerterent, intelligeretur: tamen à Pezechio u-
bi facile per montana munire tueríque ſe poterat, rex in planum deſcendit.
adeò eſt ineuitabile, quicquid id eſt, quod fatum appellatur. deinde in obli-
quum, Rhodopeam uallem biduo emenſus, ad Pontum rurſus ſiniſtrorſum
ſub Hemum declinauit: decimiſq; caſtris Tauarnam aſſecutus, in deditio-
nem accepit. Turci enim qui illic fuerant in præſidio, auditis quæ per eos dies
ad Pezechium & Sumiũ geſta erant, aduentũ regis minimè expectauerant.
Eodemq; modo Macropolis, Callatium, Galata, Varna, & pleraq; alia circũ
litus oppida deſerta ab hoſtibus, recepta ſunt, & Chriſtianorum firmata præſi
dijs. Hemus initiũ capit ferè à Meſembria, perpetuoq; dorſo ad Macedoniã
& ſuperiorẽ Myſiã porrectus, diuerſis in locis ab utroq; latere, uelut cubitos
genuaq; modicè extendit. Et primo quidẽ non admodũ longè ab origine ſua
in dextrã reflexus, atq; in Pontũ recurrẽs, paulatim in minora iuga decreſcit,
donec per colles modicè tumentes tandẽq; euanidos deſinat in planiciẽ. in
eo igiẽ tractu, p natura loci plurimæ ſunt ualles agreſtes partim & infœcun-

dæ, partim pecoribus hominibusq; alendis & natura fertiles, & accolarum diligentia more suo consitæ ac subactæ. Earum nonnullæ undiq; intra colles clausæ, aliæ ad mare conuersæ litoribus excipiuntur: sed inprimis illa quę Varnæ adiacet, humana cura & quantum fert regio naturali situ amœna est, & spectabilis: Varna uerò ipsa in sinu angusto & haud sanè profundo admittendis serendisq; nauigijs grauioribus posita est ad litus, inter duo promontoria: in quorum altero Galata, in altero Macropolis sita, litoralia omnia, circa oppidum uineta, frugiferæq; aliæ arbores tenent. interiora uallis ad dextram modicis infrequentibusq; uicis agrestes tum habitant, tum colunt: in sinistra qua eminet Galata, palustris est sub collibus lacuna, quæ ad occasum in alteram usq; uallem restagnanti unda protenditur, inuitante igitur non tã loci opportunitate, propterea quòd aquatio lignatioq; & cætera necessaria in promptu militi erant, quàm ualetudine regis, cuius in sinistro crure qua femori committitur, enatus furunculus inflammationem doloremq; maiorem, quàm pro magnitudine tumoris cũ excitasset, uisum est illic subsistere, adhibitisq; fomẽtis expectare, donec id ulceris in pus uerteretur atq; exiret, quo sumendis tractandisq; in equo armis subinde rex foret expeditior, si quid uiolentum in itinere casus attulisset. Interea Turci ab Isthmo Adrianopolim profecti, qua hostis aduentare nunciabatur, citato agmine obuiam prodeũt: & septimo tandem die haud amplius quatuor milibus passuum, à castris regijs consedere. quorum aduentum & speculatores nunciabant & nocturni ignes: quamuis collium interuentu prospectui eriperentur, tamen sereno cœlo cum luna à coitu modici luminis adhuc esset, noctem sic ea ex parte inalbabant, ut non propinquitas modò, sed etiam multitudo ipsorum indicaretur. duplicatæ igitur uigiliæ nocturnæq; stationes toto exercitu, edictumq; arma expediri & præparari. ubi autẽ lux appetere uisa est, Hunniadianus Iulianusq; & Despotus cum cæteris, quorum aut consilium aut auctoritas requirebatur, frequentes ad regem coeũt, cœptaq; est consultatio super futuro certamine. Iuliano munire se intra currus placebat, dispositis circum machinis, tormentisq;, quorum aut fragor terreret, aut impetus arceret hostem, si munitionibus insultare uoluisset. nihil prius in aperto aggrediendum, quàm præcognitæ prætentataeque essent hostium uires. uerisimile aiebat maritimas copias, quarum nullus iam usus in classe esset, sequuturas à tergo Turcos: daturasq; operam, quod aut coniungerent se suis, aut distraherent hostem ex parte altera lacessendo, in eóque omne momentum rationemq; uincendi reponebat. quam sententiam Franco Banus Agriensisq; episcopus & plericq; alij ex Hungaris & Polonis sequebantur, rege etiã non tam probãte, quàm nõ reprehendente morã dimicationis: quia lenito interim dolore quo fortè ea die grauius q; unq; aliàs premebatur, sperabat subinde suis integer adesse posse. Hunniadianus uerò & Despotus præposterum id dicebant: includi enim uallo, non esse inferentium ultrò bellum, sed ultimum cõfugium eorum qui acie uicti sint. Quod consilium, si rogaretur hostis, aliud daturus, quàm ut positis armis obsidendos se traderent? omnium rerum, sed inprimis bellorum exitus, à principio auspicari. prout primus congressus foret, ita toto bello aut audaciam aut formidinem hos uel illos in aciem afferre, atque ideo nullum trepidationis signum aut suis, aut hostibus indicandum esse. in celeritate transigendæ rei salutem consistere. agendo audendoq; id genus hostium terreri, non artibus. Quid futurum, si clausos munitionibus Turci circunstetissent? neq; pugnandi copiã subinde facerẽt, cum tolerandæ illic obsidioni nihil omnino foret præparatũ? Nam quod de nauali bus copijs diceret, ridiculum omnino esse. Vbi enim gentium uisum auditúmue aliquando, mediterranea bella classiarijs peditibus geri? quorum non alius usus in terra esse

posset,

posset, ꝙ equitum in mari, quibusꝙ suas artes, suãꝙ esse disciplinã, eaꝙ in re ualere quoꝙ plurimũ ad quam studiũ excercitationẽꝙ adhibuissent. Quod si etiam contra institutũ & professionẽ suam, de classe descenderent, præter id quod non nisi per longum tẽpus tam longum terræ spaciũ pedibus emetiri possent, ad terrestre certamen cõtra equites in peditatu eodẽꝙ nauálibus armis instructo paruũ omnino, aut potius nullũ usum fore, atꝙ ideo & serũ & uanum esse quicquid à classe speraretur: in qua si quid momẽti esse posset terrestribus pugnis cõmittendis totum impẽsum in id fuisset, ut postquã hostis in Europam transfretauerat, saltẽ circa litora retineretur, dum rex eò peruenisset, omissa igitur inani spe prodeundũ in aciem contra eundem illum hostem, quem ad satietatẽ superiore anno fugassent, cęcidissentꝙ. Qui trepidus confusúsque animo inciperet omnia, & in nullo persisteret, sed modò in Asiã, modò in Europã temerè se transferens, ad minimum quenꝙ famæ strepitũ, per sollicitudinem & terrorem se circumferret. non quàm multi ex diuerso essent referre, sed quo animo & audacia, quantumlibet innumerabiles, in prælium nihil aliud allaturos, quàm uictorum conscientiam & formidinem: non assuefaciendos milites tuendis se uallo & curribus, quæ diffidentium armis præsidia sunt, quorúmque ut nullus usus eueniat, inter prima adeò expetendum. Tunc quando integrum foret aut armis hostem inuadere, aut imbellis multitudinis more septis ac munitionibus se includere. flagitiosissimum fore, uiros fortes plus in curribus & uallo, quàm in armis ad se tuendum præsidij posuisse. Intelligebat Hunniadianus ultimi rerum discriminis esse, quod suadebat, sed maioris animi uiro, quàm ut ferre posset obsessorum tędia morasꝙ dum uinceret. Cum eò uentum appareret, ut neꝙ progredi neꝙ regredi nisi uictores possent, promptissimam ad uictoriam uiam aggredi placebat, militémque tum proximi anni felicitate, tum rebus per eos dies prospere gestis alacrem, antequam casus aliquis animos spemꝙ ipsius refringeret, quàm celerrimè ad pugnam producere gestiebat: sed etiam ut uim hostium non sustinuissent, integrum fore uidebatur, quid uallo & curribus tuendo se possent experiri. Mouerat cunctos Despoti & Hunniadiani sentẽtia. Rexꝙ ipse supra dolorem iuueniliter elato animo nullam pugnandi moram ultra laturus uidebatur, cum trepidè speculatores nunciant armari hostes, séque inuadendis castris prępparare. Itaꝙ dato Hunniadiano ordinandarum aciérum negotio, cæteri ad suos quisque aduolant. Ille uerò ante omnia circumspectis locis, per quæ aut apertè insultare, aut insidiosè erumpere aduenienshostis posset, ne quid discriminis oboriretur per insidias à tergo, ex ualle in quam refundi lacunam diximus, inter colles & palustria ab ea parte fauces, per quas erumpendum erat, sic pręclusit curribus retro actis, ut facilis ad eos receptus foret à loco pugnæ destinato. A tergo autem minimè ulla uis timeri posset, obstructo aditu & conuersis illuc machinis tormentisꝙ, aut exterrendis hostibus auertendisꝙ, aut deterrendis si comminus insultarent, eminus deinde aciebus ordinandis mediam uallem regi tuendam cum curialibus Polonis atque Hungaris assignauit. At penes lacum ad paludem, unde minus timoris erat, tum quia palus imperuia, tum quia prærupti montes desuper impendent, quinque tantum Hungarorum uexilla collocauit: dextrum uerò latus qua Varna castris obiecta erat, omni cætero robore exercitus firmandum ratus, cùm propter accessum qui inter litus paludémque patet, quicquid laboris ac discriminis futurum erat, uenturum inde appareret, uexillum magnum Hungarorũ ducibus Franco Bano, Agriensiꝙ episcopo illic potissimũ statuit: Despotũꝙ cum suis, ac Iulianũ cum crucesignatis illorũ ordinibus inseruit. Nec procul à tergo penes currus & munitiones uetuti subsidiariã aciẽ cõstituit, uexillũ diui Ladislai sub Varadiẽsi episcopo,

adie-

adiecto ei Lescone Bobricio, cum parua manu Polonorum: sibi autem cum Valachis nullum certum locum designat, ut minimè turbatis ordinibus, quó cunque res & periculum uocaret, accurreret, & nullum destinatum locũ tuendo omnia tueretur. Amuratus autem cum peditibus reliquoq; equitatu subsequens, pręmiserat expeditissimorum equitum circiter sex milia. Qui à principio minimè se apertis locis committentes, hostium uires magis inspicerent, quàm tentarent: ostendereq; ita se illi primam ad dexteram in collibus, unde totum exercitum ordinemq; facile ęstimare possent. Cæterùm seu pugnæ auidi, seu Christianorum paucitate contempta, ex interuallo sagittis hostem irritabant. Sed cum Franco Agriensis q; suos continerent, ne fracto per acclíuum primo impetu, languidi ad hostem in collem peruenirent, Turci timorem id rati, paulatim descendere in æqua, inq; ipsos ordines impressionem facere ceperunt. Tum Franco id uerò minimè ferendum præfatus, hostes scilicet qui paucis antè diebus suppliciter pacẽ petẽdo ad decertandum ferro nullum esse in se momentum confessi forent: qui superiori anno totiens ex acie fugissent, qui scopulorum niuiumq; latebris ueluti precariam uitam degerent, ultrò uictoribus insultare. signum dedit suis: identidem iactans, ut uirtutis felicitatisq; suæ memores, in aciem prodirent. non sustinuit irruentes Turcus: retróque per acclíuum uersus, celeritate equorum se uulneribus eripiebat. Superuenit interim reliqua equitatus multitudo, parsq; in desinentem iam uallem se recepit. pars inuecta in regios subeuntes cliuum deturbat eos, agítque in præceps. Illi uerò rursus in plano congregati, aciem restituunt: pugnandóque acriter, quantum hostium ex collibus in æqua descenderat, penes uallem, ipsam in fugam uertunt, atque insequuntur. itaque Varadiensis non tam militarium artium quàm sacrorum peritus, cum uideret terga dari à Turcis, relicta iam pridem statione sua, cum magna militum manu ueluti ad partam uictoriam accurrit: fugientibusq; instando, temerè unà cum Despoto & Agriensi peruenerat ad confertissimum agmen in postremo uallis. unde à multitudine reiecti in sinistram, Despotus quidem ad ordines suorum, qui pauci adhuc stabant, se trãstulit. Varadiensis autem eadem locorum inscitia qua acies turbauerat, per paludes ad montes euasurum se ratus, in aquam se immisit: fœdaq; equi ac sua luctatione, diu prius in cœno uexatus, tandem submersus est. Agriensis uerò ad lacunam circumuectus, Galatã petere instituerat. Mox tamen mutato consilio ad suos in pugnam rediit, nec postea usquam cõparuit. processerat uincendo Turcus iam ad diui Vladislai uexillũ. nam Despotus cum Franco & Iuliano superabundante hostiũ multitudine, à collibus ultrà quàm ferri posset, cũ suis retrò ad munitiones cesserant. ibi diu ancipiti marte pugnatũ. sed ubi Lesco, qui audendo hortandoq; certamen extraxerat, multis uulneribus undiq; cõfossus, moribundus ex equo cecidit, haud dubiè res Turcorũ superior remanserat: nec iam milites tantum, sed currus etiam oppugnabantur. Quorũ non nullos impetu primo euersos, ut diripi rex uidit, cum Hunniadiano properè illuc mouit, ne quod aduersæ pugnæ unicũ præsidium suis futurum erat, ab hoste præriperetur. Eius aduentu fortuna subitò mutata est. uersi enim in fugam Turci, ultra duo millia passuum cæsi fugatiq; sunt. tantus erat ardor insequẽtis à tergo regis: qui reuocante impensius Hunniadiano, tandẽ omissis fugientibus, rursus Iuliano & Franco laborantibus accurrit. Redintegrauerãt enim prælium Turci ex tota illuc ualle conuersi. Super uentu igitur regis acrius iterum certamen utrinq; coortũ, uariaq; adhortatio: hinc sacra, religiones, arę, tẽpla, uictoriæ, cum decoribus prius partis, fœdęq; hostiũ fugę. Gratulationes præterea & laudes à tot principibus nationibusq; adeptæ. Ad extremũ, Christianæ rei spes, ab eius diei fortuna pendẽtes iactabãtur: illinc

non

A non tam imperij quàm etiam nominis Turcici finis, nisi uincerẽt, ostendeba
tur: Asiam & mare illi obiectum, ab hostibus teneri: quæ in Europa ad id lo
corum habuissent, in euentu eius pugnę periclitari: non fore quò reuerteren
tur uicti: quacunq; declinassent, mortẽ cruciatumq; iampridem præparatum
incursuros. ad necessitatem pugnandi accedere, q; non tantum uiribus & nu
mero, sed causa etiam superiores essent. nam contra ius fasq; per speciẽ pacis
lacessiti. Insisterẽt ergo acriter, Deum fœderis testem formidinem fugamq;
& cędem, in pacis fideiq; uiolatores conuersurũ. Cæterùm non segnioribus
animis uiribusq; pugnantibus militibus, q; duces adhortabantur, magna u
trinq; cędes edebatur. Sed ingens Turcorũ numerus suorũ stragẽ sentiri nõ
sinebat. Stetitq; diu anceps prælium, tandẽ ab illis fuga incœpta multo cruẽ
tior fuisset, si non à cæde ad prædam Christianos auertissent: cameli onerarij
casu eis oblati quà hostibus instabant: ubi equi etiam odore aspectuq; insue
torum animalium consternati, haud facilè sessoris arbitrio se dirigi patieban
tur. Hunniadianum in diuersum fortuna suorum abstulerat. nanq; undiq; in
tentus, & laborantibus ubiq; properè accurrens, ad mediam uallem proces
serat, ubi sinistra acies impressionem hostis uix sustinebat. Cæterùm restitu
to illic prælio, de rege sollicitus, cuius iuuenilis animus periculosæ audacię
suspicionem faciebat, inuenit eum ad Ianizaros pedestre militum genus pe
netrasse, ibiq; pugnam substitisse. Magna uis non hominum modò, sed equo
rum etiam ceciderat, alijs gladio confossis, alijs detruncatis cruribus ad ter
ram prouolutis. Nec iam solum, sed cadauerum strages pugnando calcaba
tur: adeoq; concitatis animis instabãt urgebantq; uicissim, ut rabies, non stu
dium uincendi uideretur. perrupit tamen Vladislaus aduersam aciem: abla
tusq; inter hostes longè à suis, creditus est iam tum aut cęsus, aut captus. itaq;
B haud multo pòst, cum Turci terga iam uerterent, Christiani quoq; ex diuer
so ueluti rege amisso fugæ se committũt, eodemq; tempore pars utraq; cede
re inceperat: adeò fortuna cuiq; sua erat ignota, in tam uaria frequentiq; ui
ctoriæ inclinatione. Sed ubi Ianizari Christianorum motum animaduertere,
sistunt ipsi pedem, pugnamq; instaurant. Hunniadianus autem qui uideret
trepidatione ac formidine in suos conuersa, ubiq; ordines turbatos, fœdeq;
à multis aciem deseri, concitato equo per confertissimos hostes ad regem per
uenit: patefactaq; suorum fuga & pauore, ut retrò se ageret, obtestabatur, mi
nimè de rerum summa desperandum dicens: quippe adeò raros in acie perijs
se, ut iactura uix apparitura foret, si priusquam superstites fugiendo dissipa
rentur, ad munitiones & currus se cum illis reciperet. in uita ipsius non mo
dò regna, quibus præerat, sed uniuersam quoq; Europam Christianumq; no
men periclitari. Cum interea nihilominus acriter ille in hostem ferretur, cæ
demq; & fugam quocunq; se uerteret committendo, donec equus ingenti in
latus uulnere accepto præcipitem per armum dextrum effudit. Nec mora,
superuenientibus Ianizaris, telorum multitudine non tam confossus est, q;
obrutus. Substitit paulisper Hunniadianus, corpus regium, si fieri posset, re
cuperaturus. Sed cum reliquis effusissime diffugientibus, paucos admodum
Valachos, qui remanserant, tam multorum impetum secum minimè laturos
intelligeret, ubi unum atque alterum conatum frustrari uidit, haud quaquam
nefas ducens supereſſe aliquem post regis interitum, qui acceptam cladem
ulcisci posset, ignominiámque eam delere, ad suos retrò se recepit: indeque
cum post fugam iampridem à Despoto initam, Iulianus desperatis omni
no rebus cedendum suaderet, sub ipsum creptusculum per montes in ua
stam siluam se recepit. Multi que alij, quos nulla prius aut trepidatio aut fu
ga suorum à pugna auerterat, subsecuti sunt illum ad deserta & montes, inter
quos Franco & Iulianus: totiens eo in prælio & fugere & fugare utrinque
conti-

contigit,ut uictoria tandem non sit à uictoribus intellecta. Nam Turci, quorum fugam rex à primo congressu fuerat insecutus, trepidationem in ciuitates circumtulerant,quasi debellato exercitu,uictor hostis ad eas oppugnandas statim copias esset admoturus:& qui pugnare ad noctem usque perseuerauerant, haud usquequaque uicisse credentes, incertiq; quò se Christiani recepissent,dum silentium,quod erat intra currus insidias credunt, biduo à direptione prædę abstinuere. In tota ea pugna regis uirtus in primis enituit,ut pote in ultimo mortalium operum quod esset obiturus,omnia tum constantis ducis,tum fortissimi militis munera impleuit,occursando pauentibus,retinendo cedentes:atq; ubi plurimum laboris,spem aliquam semper afferendo,cõsilio,manu,uoce,tam hosti insignis quàm suis conspicuus, mortis suæ signa præcesserant,dum armaretur,delapsa manu armigeri galea:& equi,cũ insicen suro admouebatur,fera insolitaq; obluctatio: præterea instructis iam aciebus inter expectendum hostis aduentum, sereno trãquillo q; cœlo atrox subitò uentorum uis oborta,pleraq; uexilla regium q; inprimis dilacerauit, ab hastaq; detraxit: & mox conquieuit,& paulopòst dimissum conuentum, in quo decreta in Turcos secunda expeditio, cum qui conuenerant se quisq; ad prę parandum digressi essent,mota est adeò uehementer terra,ut non priuatim tantum ædificiorum partes,ut assolet, deiecerit, sed pleraq; oppida penè tota,in prodigium usq; ad solum excusserit, fluuiorũ etiam quorundam cursus alueos q; commutauerit,tenuerit q; uulgo fama, propter subsecutam frugum caritatem uel semina,uel agros exinde degenerasse. Quot uerò ex utraque acie ceciderint,haud facilè ratio iniri potuit.nam per uallẽ, per q; omnes colles circum frequens & uaria fuga & cędes fuit. Multi in lacunam & paludem delapsi immersiq;. Multi etiam latè in siluis uepribus q; occisi. Turci regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnam,quæ hodie quoq; uisitur,cum inscriptione rei gestæ,in eodem loco statuerunt. Hungari uero & qui cum illis deserta petierant, prę ter Valachos,locorum inscitia non facile ad Danubium peruenere. Si quos tamen fortuna illuc egit,fame,uigilia,siti, frigore,lassitudine,cæteris q; malis, adeò prius afflixit,ut sæpe doluerint q; non hosti potius iugulandos se præbuissent. Errãtes per solitudinem,aut inedia dissoluit,aut ad terras hostiles perlatos seruitus excepit. Maior q; multo fuit erroris clades,quàm pugnæ aduersæ. Iuliano inter fugiendum uis illata, seu prædæ cupiditate,seu quia uulgo,quasi auctor patronus q; perfidiæ, inuisus erat. id constat saucium seminudum q; in deuio saltu exhalãtem animam à Sanoceo obequitante inspectũ, admonitum q; q; euentus tandem planum fecisset,non fuisse Deo cordi ea quæ contra fœdus & iusiurandum more magis argutorum hominũ,quàm ex æquo & bono disputasset, cum execratione relictum. Hunniadianus superato Danubio, cum paucis per Valachiam citatissimo itinere in Hungariam properauit,ne rei malè gestæ fama,seditionem tumultum ue aliquem intrin secum excitaret:aut Frederico & Boemis nouarum rerum in orbitate regni occasionem simul & consilium suggereret,

DE

DE VRBIS CONSTANTINOPOLEOS IACTVRA CAPTIVITATE'QVE AD

Sanctißimum Dominum nostrum diuinum Pontificem, Leonardi Chiensis humilis Theologiæ professoris, Mitylenæi Archiepiscopi, Historia.

A 

Lere mihi magis licet, Beatissime Pater. Et fortè dum gladio impetebar à Teucris, salubrior mors mihi fuisset quàm uita. Verùm quoniam narrationes siniſtræ tum uerè prosunt auditoribus, si prostrati resurgant, uti quibus occisos parentes ab hostibus dicimus, animi ad uindictam mœsti uigoro-sius excitantur. Narrabo igitur & flens & gemens Constantinopoleos proximè his cernentibus oculis discrimen ultimum & iacturam. Nec dubito Pater sancte, præcessisse me multos, qui rei gestæ seriem eidem S. retulerunt. Confert enim multorum in unum relatio. Sed quoniam quæ ui su magis quàm quæ auditu uerius exponuntur, quod scio loquar: & quod ui di, fidelius contestabor.

Cum igitur Reuerendissimus pater D. Cardinalis Sabinensis pro nomine Græcorum Legatus, in eius famulatum me ex Chio uocasset, ego summa cum animi mei diligentia, ut fidem sanctæ Romanæ Ecclesię fortiter constanterq; uti debitum exigit, defensarem, captabam perinde & mores & naturam Græcorum, argumentisq; ac sanctorum Theologorum dictis agebam intelligere, quod eorum esset studium, quod propositum, quæ rationes, quis finis eos à uera intelligentia, debitaq; obedientia uel reuocabant, uel retrahebant.

B Intellexi planè præter Argyropylũ artium magistrum, Theophilum Palęologo, Hieromonicosq; quodam paucos, & alios laicos, quod ambitio Græcos quasi omnes captiuasset, ut nemo esset qui zelo fidei, uel salutis suæ motus, primus uideretur fieri uelle suæ quàm opinionis & pertinaciæ contemptor. Ex una parte, ad fatendum articulum Sancti spiritus urgebat eos conscientia. Ex altera, ne meliorem Latini quàm Græci de ueritate fidei intelligentiam habere crederẽtur, elationis tumor abducebat. Verùm quoniam nec ratio, nec auctoritas, nec uarię Scolarij, Isidori, Neophytiq; opiniones aduersus Romanæ Ecclesiæ fidem stare poterant, actum est industria & probitate præfati Domini Cardinalis, ut sancta unio assentiente Imperatore Senatu'que, (si non ficta fuit) firmaretur, celebrareturq; secundo Idus Decembris, Spiridonis Episcopi sancti die.

Itaque ea peracta, mox tempestas Teucri oborta, urbem Constantinopolis, Galatam, cæteraq; adiacentia oppida absorbuit. Vt uerbum Esaiæ uerum sit dicentis: Tempestas conuulsa absque ulla consolatione. Qua tempestate concussus, ego quoque captus sum, & pro demeritis meis uinctus cæsusq; à Teucris, non fui dignus cum Christo saluatore configi. Reminiscor ergo beatissime Pater, cum primùm de unione facta Græcorum, eidem Sanctitati epistolas serioſius destinassem, inter alia dixisse: Nos propter futuram Teucri obfidionem, quam indies expectabamus, inter spem & desperationem constitutos esse. Spes de tuo expectato subsidio dabat fiduciam, timor de Græcorum pertinacia desperationem suggerebat. Heu quę spes in populo duro graui iniquitate, qui tot annis sine uita spirituali abscisus à capite permanebat. Quomodo non desperati, quomodo non abiecti à Deo, qui tantis dissimilitudinibus, tantis fictionibus, tantisq; scissuris ab Ecclesia elongati Romana, in cordis duritia permanserunt? Etenim iam captiuati, urbe, templis, auro, laribusq; propulsi, in Latinos retorquent offensam, asseuerantes: Quoniam

D unio-

unionem, inquiunt, fecimus, summoq; Pontifici commemorationem dedi- A
mus, meritò indignatum Deum.

O pertinaces homines, inquio. Si malum est hoc, prisci, Basilius, Athanasius, Cyrillus, cæteriq; patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis, mali censendi sunt, quòd sanctam unam eandemq; fidem cum Romana Ecclesia omnium Christianorum magistra coluerunt. Non hæc causa est, quòd unionem, sed quoniam unionem non ueram, sed fictam fecistis. Hac de re merito indignatum Deum, hac de re iusta animaduersione in hostium manibus uos esse deductos. An non sponsionē de unione, sancto iuramento apud Florentinam Synodum conscriptam uiolastis? obedientiam declinastis? sententiam Decreti occultastis? An non summi Dei nuncij (ô Græci) uestram perditionem iugiter prędixerunt? qui aures, ut aspis, impiè obturastis, & sanctam Ecclesia m catholicam matrem fidelium obaudistis. Flete miserias uestras, arguite uosmetipsos, & non alios condemnetis.

Mos obstinatorum hic est, sanctos aspernari Dei nuncios: uti Sedecias, cæteriq; Iudæi in Babylonem traducti, Hieremiam direptionem captiuitatem'que Hierosolymorum prædicentem, contempserunt. Certè hactenus stetisset Ilion, si Cassandram Priamus pater audiuisset, si Prophetas Hebræi, si Sibyllam Romani, si uos quoq; Apostolicos nuncios dudum audissetis. Id circo non mirum, si in pœnam tanti criminis, inspirata mox tempestas inualuit, quam spiritu sancto docti, quoque à multis annis futuram esse prædixerant. Sanè ut beatissimi patris N. primi summi Pontificis execrationem in prauos Græcos per illud: Vergentis in senium seculi corruptela &c. prętermittamus. Tabula illa, quam Leoni sapienti ascribunt, apud Monasterium sancti Georgij de Mangana cōstructam, uetusto tempore in Constantinopoli occultatam, mysterio iam signo detectam iacturam demonstrat. Hæc Pater beatissimus cellulis distincta quadratis, imperatorum ordinem, successionem'que ponebat, finiendum tamen in hoc ultimo Constantino: Ita quoq; Patriarcharum alia in longum tracta tabula, ordinem præscribebat. Nam ille spiritu Prophetico illustratus, tot cellulas figurandorum Imperatorum tabulæ inscripsit, quod à primo Constantino magno Constātinopolis conditore, usq; ad ultimam captiuitatem futuri erant. Itaq; indies cellulæ illæ repletæ unam modò & ultimam, in qua hic, sub quo urbs perijt, collocandus erat: si coronatus fuisset, uacuam prætendunt. Morsenus perinde uir sanctus, Sagittariam gentem contra Constantinopolim futuram, cuius portum inclytum caperet, exterminandosq; Græcos, seculis multis antè prædixit. Erythræam autem nostrę de Græcorum iactura uaticinium legentibus patet. Ioachim autem Abbas, meo iudicio, Constantinopolis iacturam in Papalista denunciat, cum dicit: Væ tibi Septicollis manibus truncatis, quasi auxilio destitutam. Septicollim autem Græci ἑπτάλοφον uocant. Vt quid igitur Latinos damnant? Cur inuehunt nobis, cum uera scribimus? contra quos tot aperta uaticinia protestantur. Non ergo unio facta, sed unio ficta, ad fatale urbem detrahebat excidium, quo diuinam iram maturatam in hosce dies uenisse cognouimus.

Excitatus itaq; in furorem Deus, misit Mehemeth regem potentissimum Teucrorum, adolescentem quidem audacem, ambitiosum, temulentum, Christianorum capitalem hostem, qui nonis Aprilis ante Constantinopolis prospectum cum tercentis & ultra milibus pugnatorum, in gyro terræ castra papiliones q; confixit. Milites maiore numero equestres, quanquam omnes pedes magis expugnabant. Inter quos pedites, ad regis custodiam deputati audaces, qui ab elementis Christiani, aut Christianorum filij retrorsum conuersi, dicti Geniczari, ut apud Macedonem Myrmidones, quasi quindecim milia. Ad tertiū autem diem, captato urbis situ, machinas innumeras, craticulasq;

A lasq; ex uirgultis uiminibus que contextas, circum muralis uallum, quibus pugnantes tegerentur, fossatis admouit. Initium confusionis hoc nostrum fuit, ut qui telis, machinarumq; lapidibus, iuxta datum ordinem eminus repellendi erant, neglectis singulis, cominus proximare permiserunt. Tantum eorum ordinem in struendis machinis, tãtam promptitudinem, tantam acietum prouidentiam, quidam aut Scipio, aut Hannibal, aut moderni belli duces admirati fuissent.

Sed quis, oro, circumuallauit urbem? qui, nisi perfidi Christiani instruxere Teucros? Testis sum quòd Græci, quod Latini, quòd Germani, Pannones, Boetes ex omnium Christianorum regionibus Teucris commixti, operaeorum, fidemq; didicerunt: qui immanius fidei Christianæ oblíti, urbem expugnabant. O impij, qui Christum abnegastis. O satellites Antichristi, damnati gehennalibus flammis, tempus hoc uestrum est. Satagite augere uobis pœnas, quas luatis æternas.

Horribilem perinde bombardam, quanquam maioralia, quæ confracta fuit, quam uix boum quinquaginta centum iuga uehebant, ob partem illam murorum simplicem, quę nec fossatis, nec antemurali tutabatur, Calegariam dictam figentes, lapide qui palmis undecim ex meis ambibat in gyro, ex ea murum conterebant. Erat tamen murus perlatus, fortisq;, qui tamen machinæ tam horribili cedebat. Inde, quia maior confracta, Regis animum afflictabat, ne tristicia in tanto certamine afficeretur, iussit mox aliam longè maioris formæ conflari, quam, ut aiunt, industria Calilbasciæ consularis Baronis amici, artifex nunquam ad perfectum conduxit, alijs mediocribus innumeris collidere urbem machinis undequaq; conabantur. Scloppis, spingardis, zarbathanis, fundis, sagittis dies noctesq; muros, homines q; nostros ue
B xabant, mactabantq;. Existimauit enim hostis Christianos esse paucos, quos assidua prostratos fatigatosq; pugna, urbem tueri non posse. Ignominiose igitur factum est, ut primo illo congressu, Teucri obstaculũ non inuenerint. At indies doctiores nostri facti, parauere contra hostes machinamenta, quæ tamen auarè dabantur. Puluis erat nitri modica, exigua, tela modica: bombardæ si aderant, incommoditate loci, primum hostes offendere maceriebus alueis que tectos non poterant. Nam si quæ magnæ erant, ne murus concuteretur noster, quiescebant. Interdum in cuneos hostium emissæ, & homines & tentoria exterminabant. Nec enim inuanum iaciebantur, quas illas hostes declinare non poterant. Itaque cadebant Teucri icti torneis telis, lapidibus que. Vulnerabantur & nostri: qui quandoque uallum egredientes, ad manus decertantes, & occidebant, & occidebantur. Victoria ex hoc equius tyronibus nostris, quod egrediebantur impauidi, quàm Teucris dabatur.

Verùm quoniam malo fato, Iohannes Longus Ianuensis de Iustinianorum prosapia, duabus cum nauibus suis magnis, & armatis circiter quadringentis mare decursitans, fortè ueniens, stipendio ascriptus Imperatoris, ducatum militiæ obtinuit, strenuè defensare urbem uisus, reparationi demolitorum murorum uigilantius agebat. Teucri animum, uiresq; deludere uidebatur. Nam quanto hostis mole ingentis lapidis muros conterebat, tanto hic animosius sarmentis humo, uasisq; uinarijs intercompositis, reparabat. Qua dere Teucrus delusus, cogitauit non cessandum ab ictibus machinarum, sed fortiori cura, subterraneis cauis furari urbem. Minerarum fossores, quos ex nouo brodo conduxerat magistros, accersiri iussit. Lignis instrumentisq; aduectis, solerti cura, uti imperatum, actum est, ut mox per cuniculos tentarent fundamenta suffodere, penetrareq; omnifarium urbis muros. At cum à fundamentis (ô rem mirabilem) primum iam uallum, antè

que murale, mirando cum silentio subcauassent, Iohannis Grande Alemani, ingenioſi militis, rerum bellicarum doctiſſimi, quem Iohannes Iuſtinianus militiæ dux centurionem cõduxerat, induſtria & ſagacitate opus detectum eſt, exploratorúmque id firmatum relatione, animos omnium commouit. Græci, cum dudum Barſicham, Ammi, Amorath'que genitorem huius, priſtinis bellis fruſtra laboraſſe, in cauanda urbe cognouiſſent, impoſſibile per hunc fieri poſſe firmabant. Quorum opinio ex facti euidentia confuſa eſt. Ita que penetralia hæc noſtris reconfoſſionibus detecta, urbem non læſere. Ti morem tamen ingentiſſimum, à fundamentis confoſſa turris, ligneis ſtylis bituminatis innixa nobis incuſſit. Sed ut res in lucem uenit, repulſis igne & ſulphure hoſtibus, è latebris reconſtructa, mox timorem excuſſit.

Compoſuit perinde ligneas turres iuxta uallum, humo plenas, pellibus boum circumtectas, ex quibus foſſatis clàm terram, quiſquilias q̃, ut facilis eis fieret ingreſſus, immittebant. Crates deinde innumeras ex uirgultis, uiminibus' que contextas, cattos oblongos, ſcalásque rotatas, currus caſtel latos, talia q̃ machinamenta, quæ uix Romani aduerſus Pœnos conſtruxiſſent. Bombarda præterea illa ingens, eo quòd Caligaream ſtrenuè repara tam aduerſus non proficeret, alium locum Bactatineæ turris, iuxta Sancti Romani portam inde dimota, lapide in ea æſtimatione mille ducentarum librarum interdiu collidit, colliſum concutit, concuſſum exterminat. Ruina turris antemuralis foſſatum replet, æquat q̃: ita ut uia hoſtibus, qua decurrere poſſent, ſtrata cerneretur: niſi quia concitè introrſum, uti in Caligareæ demolitione, reparatio facta fuiſſet, haud dubio impetu urbẽ intraſſent. Itaq̃ Teucrus, demolitum quamprimum reſtauratum ut conſpexit murum, Non Græcorum, inquit, ſed Francorum hoc ingenium eſt, ut tanta reſiſtentia fiat, tanta pugna, quos nec innumeræ ſagittæ, nec machinarum, ligneorum q̃ caſtrorum horror, nec intermiſſa obſeſſio deterret.

Agebant interea Galatæ, ſiue Perenſes, quanquam prudentius, ne in Ponte de caſtrum ſtruxiſſet Teucrus, ſollicitam prouidendi curam, nunc amorum, nunc militum, clanculò tamen, ne hoſti, qui pacem cum eis ſimulabat, innotuiſſet, quæ res renuiſſet, ne auxilium poſthac Græcis conferre potuiſſent. Sic ſimulata illa pax urbi ad tempus profuit. Ego, iudicio meo, ni fallor, arbitror apertam guerram Perenſibus à primo ſalubriorem, quàm fictam pacem. Quidam Teucrus neq̃ caſtrum, quod demolitionis eorum cauſa fuit, condidiſſet, neq̃ guerram poſthac tam terribilem intuliſſet. O Genuenſes iam quodammodo cicutati, ſileo, ne de meis loquar, quos externi cum ueritate dijudicant. Vbi ſunt priſci inclyti Genuenſes, qui Galatam, accincti gladio, uti qui reparabant Hieroſolymam, condiderunt? Illi cum effuſo cruore & ære tuos ne æs ueſtrum cupidi, & ſanguinem effunderetis, cum uecordia illam mundo decoram Teucro tradidiſtis, ſi tamen tradere potuiſtis.

Sed ut hiſtoriam proſequamur, interea fatigati noſtri de præſidio diffidebãt. Nam neq̃ ex Genua, neq̃ ex Venetijs, quibus (pace eorum) mitti debuit, auxilium mittebatur. Neque aliunde ſpes erat, niſi ex Deo, cuius qui prudentius tarditatem metiebatur, ex myſterio fieri autumabat, quòd infidelitas, irreligio, magna q̃ crimina Deum potius irritabant. Vide beatiſſime Pater, quàm dignum, quàm rectum iudicium. Celebrarunt unionem Græci uoce, ſed opere negabant. Aiebant quidem Magnates, quorum cruor hoſtili gladio iam irrigat terram: Detur ſummo Pontifici commemorationis honos, ſed decretum Florentinæ Synodi non legatur. Cur hoc hypocrita? Vt deleatur, inquit, ex decreto, quod ſpiritus ſanctus non æquè ex filio, quemadmodũ ex patre procedit. Cur item hypocrita? ne erraſſe uideantur Græci, ſi dicant duos ſancti Spiritus productores. Sed cur item oro, hypocrita? Ne detur ei, qui

qui totam sibi ex officio captare cupit gloriam. Intendebat ex una parte Scholarius, ex altera Chirluca quando ad præsentiam semet Apostolicam conferre, ut hi essent qui soli rem intellexisse uiderentur, qui que primi laudarentur tantæ unionis autores. Aduersus enim Legatum multi inuidia clancu lò torquebantur. Ergo dixi: Pateris ne, ô Imperator, ut hæc ambitio scindat Ecclesiam, ut huius gratia, diuina ira magis magis que merito accendatur? Cur non è medio pertinaces illi tolluntur? Acquiescere Imperator uisus, Metropolitas ad concupiscendum Scholarium, Ysidorum, Neophytum complices que iudices constituit uerbo quidem, non facto. Nam si pusillanimitatem Imperator excussisset, hanc fidei illusionem uindicasset. Qui enim hominibus, Deo spreto, complacet, uti que confundetur. Cohercendi quidem illi erant qui si fuissent, morbum pestiferum non propagassent. Sed ignoro, utrum me Imperator, aut iudices damnandi, quibus correctionis uirga, quanquam minæ intercessissent, aberat.

Continuata igitur obsidionis tempestate, clausa urbe, ducentarum et quinquaginta fustarum ex diuersis Asiæ, Thraciæ, Ponti que litoribus, contra urbem disposita classis uenit, inter quas, triremes sex, & decem biremes, septuaginta reliquæ fustæ unis banchoremis. Cymbæ etiam barculæ que sagittarijs ad ostentationem plenæ uehebantur, quæ cinctum cathena portum, & manibus rostratis bene armatis, Genuensium septem, Cretensium tribus colligatum, intrare non ualentes, eminus ad stadia centum Propontidis ripa anchoras figunt. Et cum proximare non auderent, mare à longè sulcantes, ligna mina, lapides, alia que machinamenta castris opportuna deferebant. At cum Teucrus tribus iam in locis concussos lapidibus muros machinis, desperaret, memoratu cuiusdam infidi Christiani, ex colle biremes intromittere iu
B rat. Est enim portus ille beatissime Pater, in longum angustum que protractus, cuius Orientalem plagam colligatæ naues, & cathena muniebant: inde hostibus aditus impossibilis erat. Quare, ut coangustaret, circumuallaret que magis urbem, iussit inuia æquare, ex que colle suppositis lenitis uasis lacertorum sex, ad stadia septuaginta trahi biremes, quę ascẽsu grauius sublatę, post hac ex apice in decliuum, ad ripam lenissimè sinus introrsum uehebantur. Quam nouitatem puto, Venetorum more, ex Gardaæ lacu, is qui artificium Teucris patefecit, didicerat. Ita nos magis territi, cogitabamus eas aut igne aut lapide exterminare. Sed neque hoc profuit. naues illæ maioris nocumenti nobis erant, machinis undequaque tutatæ. Sic iam perdito portu, necesse fuit ex postis, ut maritimos custodiremus muros, diminuere milites.

Perinde hoc ingenio non contentus Teucrus, aliud quoque, quo nos terreret, magis construxit, pontem uidelicet longitudinis stadiorum circiter triginta, ex ripa urbi opposita, maris qui sinum scinderet, uasis uinarijs colligatis, sub constructis, confixis que lignis, quo exercitus decurreret ad murum prope urbis iuxta fanum: imitatus Xerxis potentiam, qui ex Asia, in Thraciam Bosphoro exercitum traduxit. Nõ restabat ergo nisi nauium cathenę que diametralis tuitio, quę transitum ingressum ue classi prohibebat.

Interea ex Chio in nostrum subsidium tres Genuenses armis, militibus, frumento que conductæ naues, unam Imperatoris, quæ ex Sicilia frumento onusta aduentarat, comitem ducebant. Quas ut mox uicinas urbi, classis quę excubabat, applicare uidisset, concitè strepentibus tympanis, tubis que sonantibus, intuentibus nobis, obuadit, fingens Imperatoris nauem expugnare uelle. Teucrorum Rex ex colle Perensi, fortunæ exspectans euentum, proconspicit. Fiunt tunc celsi clamores, triremes maiores nauibus hærent, tenant Imperialem, sed protectam à nostris audacius inuadunt, certamen ineũt, focum machinis adhibent, sagittas iaciunt, sic atrox pugna committitur. Na

ues, Mauritio Genuense Catano imperante, ex aduerso repugnãt. Ibi Dominicus de Nouaria, & Baptista de Fellíczano Balanerij patroni Genuenses, ardue pugnam prosequuntur. Balistarum horribilium missilia iaciuntur, exq; coronis naualibus infra Teucrorum commixtam classem infiniti lapides demittuntur. Tuetur se egregiè Imperatoris nauis. Succurrit Flectanella patronus. bombardæ perstrepunt, fit ululatus in cœlum, confranguntur galearum remi, Teucri sine remissione sauciantur. Rex, qui ex colle circumspicit quòd classis perit, blasphemat, urget equum in salum, uestimenta cum furore conscindit, ingemiscunt pagani, & totus exercitus afflictatur. Quid ultrà? Bellum recensetur, inualescit pugna: & tantis classem telis lapidibusq; obruunt, tot Teucros occidunt, ut declinato Marte, ad litus remeare non possint. Exploratorum & profugorum relatu didicimus, quòd decem propè milia cecíderunt, alij gladio perempti, & sagittis, & machinis: alij confossi uulneribus, flebilem exercitum reddiderunt. Erant quę inuaserunt naues, inter triremes & biremes circiter ducentæ. Confusa tunc Regis ambitio est, paruiq; reputata potentia, quòd tot triremes nauem saltem unã cęperint. Naues ergo (Deo gratias) non læsæ, nec uno saltem homine perdito: aliquot tamen uulneratis, noctu saluæ cum iucunditate portum intrant.

Rex contrà classis præfectum Balthoglum oppidò indignatus, precibus baronum concessa ei uita, sententiam tulit, quòd officio & bonis omnibus priuaretur. Cogitauit itaque odio accensus in naues, ex colle Galatæ Orientali plaga, uel eas lapidibus machinarum obruere, uel à cathena repellere. Dispositis itaque & ex ripa Occidentali bombardis, satagit omni acuitate artificis naues infringere, referens Perensibus: quoniam, uti dixerant, piratarum erant, quos Imperator condixerat, contra eas agere uelle, quæ inimicorũ suorum essent. Itaq; artifex cui prouisio negata fuit ex nostris, ad Teucros reductus, quanto ingenio potuit, naues frangere studuit: nescioq;, quo fato, resultans, bombardæ à colle lapis; centurionis nauem, forte ob crimen, uno ictu confodit: quæ extemplò mercibus onusta, fundum mersa repetijt, maximum discrimen quidem inferens. Quo casu reliquę ne confringantur, muro Galatæ protectæ hærent. Mirandum quidem Dei iudicium, ut immissis quinquaginta & centum propè lapidibus, quibus perforatæ multæ Galatæ domus, & commulier optimæ famæ interempta fuit, inter triginta congloba-tas, illa sola perijt.

Erant perinde in portu triremes mercatoriæ tres Venetæ, duęq; agiles in portum, ad tutelam earundem designatæ: quas magno cum hortatu Imperator auri, in menses propè sex, pro tuitione urbis restare fecerat: quæ pacem cum Teucro simulantes, non nisi clanculum præstabant Græcis patrocinium. Verùm cum notulæ fugæ aliquandiu earum patuissent, tum quòd merces exfundis, supellectilémque traducebant, actum est, ut nullo pacto, quòd populum tituba ssent, prohibitione Imperatoris, quę restabant traducerentur, quin imò deonustæ in terram reportarentur. Res hæc Venetis indignationis fomitem ministrauit, utpote quòd libertate, priuilegijs, pro honore dominij eorum nactis, uerecundius priuarentur. Sed sedatis posthac animis, suo arbitrio relicti, spondent Veneti omni fide & studio, finem usque belli tueri urbem.

At posthac inter Venetos & Genuenses Galathæ oborta dissensio est, quòd alter alterum fugæ suspicionem improbrassent, asserentibus Venetis, ut tollatur suspicio, quòd è nauibus suis gubernacula, carbasa que apud Constantinopolim in saluo deponant. Indignati Genuenses: Et si pacem, inquiunt, consultu etiam Imperatoris, pro salute Græcorum, quæ communis est, qua proba dissimulatione supportamus cum Teucro. Absit tantum faci-

facinus, ut Peram toto orbe pulcherrimam, uxores, liberos, thesauros q̃ deferamus: quam usque ad sanguinis effusionem defensare disponimus. Gubernacula, carbasáque nostrarum nauium, ne exiguo precio inclytus Genuæ decor apud uos sit, non in aliena potestate, sed in nostra seruabimus. Nunquam fugæ licentia nobis datur, si res nostras arbitrio nostro seruamus. Pacata posthac cuncta sunt, agentibus Venetis de triremibus suis uti uoluissent.

Crescente perinde angustia, consultũ est, si quomodo intromissas hostium fustas urere nostri possent. Clanculóque una dierum ante lucem, duabus nauibus per Iohannem Iustinianum capitaneum dispositis, cum aliquot biremibus ad ripã uehendis, parato foco & machinis. Fit detractis nauibus, dato ordine, ut cymbæ rectæ, quas Barbotas dicimus, biremes q̃ sequerentur: hoc ideo, ut munitæ saccis lana plenis naues, prius ex machinis acciperent lapidum ictus. At Iacobus Cocha, uir Venetus, armatam ex nautis triremium Venetarum, imperialem biremem iuxta ordinem datum, gloriæ & honoris auidus, laxatis remis, præuenientem conuertat: mox q̃ ut ab hostib. cernitur, heu grauem sortem bombardæ, lapide medio penetratur cum omnibus armatis, æquore biremis absorbetur. Heu Pater beatiss. graue discrimen ut uno ictu Neptuni furor immerserit. Etenim res hæc detecta relata q̃ Teucris, agit, ut dum nostri percutere uoluere, ipsi prius percussi sint. Sed quid dicam, beatissime Pater? accusare ne quempiam licet? silendum mihi est. Qui casus acerbum luctum nostris dedit, & unde exierunt naues, cum confusione retraxit. Ex mersis inde supernatantes quidam, ad litus capiuntur ab hostibus, quos impius rex ante oculos nostros crastino decollari iussit. Nostri exacerbati, quos habebant captiuos carcere Teucros, ad muros in suorum
B prospectu, immanius trucidant. sic̃ que impietas crudelitate commixta, bellum atrocius fecit.

Simulauit posthac Teucrus pacem facere uelle, exploratoribus ficte̊ referentibus: pœnituisse eum, quòd guerram, quasi stimulatum ab Vngaris, intentasset. Statuit q̃ caduceatorem. Sed hæc res conficta patuit. Quia nec demoliri oppidũ, quod in Propontide struxit, nec restaurare quæ uastarat, permittebat. Quod q̃ magis angebat, infidentia erat Teucri, qui iusiurandum fœdus q̃ nunquam seruarat. Cur igitur pacem quærit immanis & inuidus hostis? Percunctatus, ex more esse intellexi, ut antequàm certamen generale cõmittant, hostes optione pacis petendos, ne ea prætermissa, Deum non propicium, sed iratum in tanto marte sentirent. Ita q̃ delusionem eius præscientes, salutem nostram Deo cõmisimus, dies nostros dinumerantes in amaritudine cordis, & plenitudine, letaniis, sacrificio, thure, prece placandum Deum prædicabamus. ieiunia indiximus imperare nostris, ut solus Deus pugnare pro nobis dignaretur. Sed quid proderunt Deo missæ preces, si ex corde nõ sint, si pollutæ manus habentur, si impia & inconfida corda consistunt? Iniquitates enim diuiserunt inter nos & Deum. Sabbata nostra, Kalendæ, incensum, sacrificia in abominationem uersa sunt. Et quem propicium sperabamus habere Deum, habuimus scelerum nostrorum ultorem. Pauci admodum & maiore numero ex Græcis imbelles, scuto, lancea, arcu, gladio, natura potius q̃ arte militabant, maiores galea, thorace, lorica, gladio, lancea: quidam in arcu & balista doctiores, sed propugnaculis impares numero agebant, quoad sciuerant, & poterant. Cadebant Teucri, qui audacius adhærebant. Sed quid si centum in die cecidissent, innumeri illi quanto cadere, tanto resurgere plures uidebant̃. Si unus ex nostris cecidisset, tum præcipuè cordatus uir, centũ perdidisse flebamus. Græci ad sex millia bellatorũ nõ excedebant. Reliqui, siue Genuenses, siue Veneti, cum his qui ex Pera clàm ad prę̃sidiũ accesserãt, uix

ſummam trium milium æquabant. Sed quid agimus in ore leonis, quid fra-
ola in ore urſi, quid unus contra mille? Etenim noſtri uix urbem ponto ter-
raq; obſeſſam, circumuallatamq;, quam octo & decem miliaria complectunt,
muniebant. Sed ô Græcorũ impietatem, ô patriæ direptores, ô auaros: quos
cum ſæpenumero lachrymis perfuſus inops Imperator, rogaſſet ut pro mi-
litibus conducendis, pecuniam mutuarent, iurabant ſe inopes, exhauſtosq;
penuria temporum, quos poſthac ditiſſimos hoſtis inuenit. A paucis nihilo-
minus quædam ultronea oblatio facta eſt. Cardinalis herc le omne ſtudiũ ha-
buit, in ferenda ope, in formandis turribus & muro. Quid aũt Imperator per
plexus agat, ignorat. Conſulit barones, ſuadent non moleſtari ciues anguſtia
temporis, ſed recurrendũ ad ſacra. Auferri igit̃ & conflari iuſſit ex ſacris tem
plis ſancta Dei uaſa: ſicuti Romanos, pro neceſſitate tẽporis, feciſſe legimus,
exq; eis pecuniã inſigniri, dariq; militib. foſſoribus, cõſtructoribusq; q̃rem
ſuã, nõ publicã attendẽtes, niſi ex denario cõueniſſent, ad opus ire recuſabant.

Anguſtia igitur afflictus Imperator, diſpoſitis in propugnaculis militi-
bus quoad potuit, antemurale ſolum urbis, uallumq; ſat uidebatur tutari poſ
ſe. Bellum itaq;, paucitate ſuorum diffidens, tolerat, & ſpem omnem in Io-
hanne præfecto Iuſtiniano repoſuit. Bene ſiquidem, ſi fata ſecundaſſent. Iux
ta ergo ſe eodem capitaneo cum tercentis commilitonibus Genuenſibus po
ſito, ſplendidis refulgentibus armis, delectis quidem coadiunctis Græcis
aliquot ſtrenuis, circa illam partem murorum Sancti Romani reparatorum,
ubi magis urgebat pugna, Imperator ſtetit. Mauritius inde Catanæus, uir
nobilis Genuenſis præfectus inter portam Pighi, id eſt, fontis, uſq; ad Au-
ream, cum ducentis baliſtarijs, commixtis etiam Græcis, contra ligneum ca-
ſtrum, pellibus boum contectum oppoſitum accuratè decertat. Paulus
Troilus, Antonius de Bochiardis, fratres, in loco arduo miliandri, quo urbs
titubabat, ære proprio & armis, ſumma cum uigilantia, noctu dieq;, & ſpina-
gardis horrendis, & baliſtis torneis uiriliter pugnam ſuſtinent: qui tanta ani-
moſitate, nunc pedes, nunc eques defendunt, ut Horatij Coclitis uires, repul
ſis hoſtibus, æquare uiderentur. Nam nec muri fracti concuſſione, nec machi
narum turbine territi, ęternam ſibi memoriam uendicant. Theodorus Cariſti
no ſenex, ſed robuſtus Græcus in arcu doctiſſimus, Theophilusq; Græcus,
nobilis Palæologo literis eruditus, & ambo catholici, cum Iohanne Alema
no ingenioſo, Caligaream concuſſam reparant, proteguntq;. Contarenus in-
ter Venetos clariſſimus, Contareno capitaneus Aureæ portæ & adiacentes
turres uſq; oram maris uiriliter pondus ſuſtinens, hoſtes impugnat. Græci
perinde alij, ſuis diſtributi pugnaculis, aciem, mare, terramq; in urbis gy-
rum proſequebantur. Palatij Imperialis cura Bailo Heronymo Minotto Ve
netorum commiſſa eſt. Cardinalis à conſilio nunquam abſens, S. Democrij re
gionem ad mare defenſabat. Cathalanorum conſul turrim ante Hippodro-
mium tutabatur, uerſus Orientalem plagam. Chirluca curam portus, totiusq;
maritimæ regionis inuigilabat ad deferendum præſidium. Hieronymus Ita
lianus, Leonardus de Langaſco Genuenſis, cum multis ſocijs, Chſiloportã,
& turres, quas Aueniadas uocant, impenſis Cardinalis reparatas, ſpectabant.
Flamines monachiq; ſupra muros undequaq; collocati, pro ſalute patriæ exe-
cubabant. Gabriel Triuiſano, ſubtilium galearum nobilis Venetus, corda-
tiſſimè à turri Fani, uſq; ad Imperialem portam, ante ſinum cum quadringen
tis Venetis egregijs, decertabat. Groſſarum uerò galearum præfectus An-
dreas Dieio cum reliquis, triremes potius pauidus, quàm portam cuſtodie-
bat. Naues perinde armatæ buccinis iugiter & ululatibus Martem inuita-
bant. Demetrius ſocer N. Palæologo, Nicolausq; Gudelli gener, præſiden-
tes ut decurrant urbem, cum pleriſq; in ſuccurſum armatis, reſeruantur.

Taliter

A Taliter ergo pugnatoribus, siue ducibus, siue tyronibus ordinatis, expectabatur constituti Martis generalis insultus, quo sæpenumero territi Græci, postes, nunc agris, nunc uineis colendis, nūc uoluptatibus laxti, ex industria declinabant. Fingebant quidem rei familiaris curam, etiam qui graues uidebant. Alij inopiam accusabant, qua ad opus lucrandi gratia cogebant. Quos cum absentes corripuissem, periculum non modò suum, sed omnium Christianorum allegans, respondebant: Quid nobis cum castro, si penuriam sustinet domus mea? ita quòd magna uis erat reducendi ad muri custodiam. Ob hoc, paucitatem hostes captantes pugnantium, audaces facti, uncinis uasa, quæ in propugnaculis posuerant nostri, demolito muro detrahebant. Quandoq; itidem lapidem ingentem, uallo ex resaltu collapsum, quem magna illa bombarda, muro iniecerat, cum rubore nostro, cum retiaculis extraducunt, reproïciuntq;. Sed ubi custodes, ubi milites euagantes, ubi lapides, ut prohibeant uel repellant? O quàm malum præsagium. Quid erit, inquio, quando uelut torrens Tigris, irruet exercitus?

Ordo perinde ex hoc datus est, ut panis per familias æquè distribueretur, ne illius curandi gratia, uti se excusabant, à castro recederent, neq; famem potius populus, quàm gladium expauesceret. Quam quidam humanum sanguinem sitientes, uel occultato frumento, uel aucto precio prætendebant. Sed hæc iniquitas non fuit causa mali, sed ordinis confusio. Seueritas à Principe aberat, nec compescebant uerbere aut gladio, qui neglexissent obedientiam. Idcirco quispiam suis efferebatur uoluptatibus, blandimentisq; ex natura demulcebant iratum Imperatoris animum, delusus improbe à suis, bonus ille, dissimulare malebat iniurias.

B Interea capitaneus generalis Iohannes Iustinianus, totius fortunæ obseruator, ut præsensit proclamatione Teucrum præstò daturum certamen, agebat confestim murorum, quos machina contriuerat, reparationem, petiuitq; sibi à Chirluca magno duce consulari, communes urbis bombardas, quas contra hostes affigeret. Quas cum superbè denegasset: Quis me, capitaneus inquit, ô proditor, tenet, ut gladio non occumbas meo? Qua ignominia indignatus, tum quòd Latinus exprobrasset eum, remissius pòst rei bellicæ prouidentiam gessit, Græciq; que quàm secretius, quòd Latinis saluandæ urbis gloria dedita esset, odiose ferebant. At capitaneus, Ioannes Mauricij Cataneï præfecti, Iohannes de Careto, Pauli Bochiardi, Iohannes de Fornarijs, Thomæ de Saluaticis, Lodixij Gatilusij, Iohannes Illyrici, aliorumq; Asiatorum Græcorum consultu, acies, munimentaq; refecit. Cuius prouidentiam Teucrus commendans, dixit: Quàm uellem penes me præfectum illum Iohannem honorandum. Magnis hercle donis, auroq; multo corrumpere illum studuit. cuius inflectere animum nunquam potuit.

Operosa autem protegendi uallum & antemurale nostris fuit cura, quod contra animum meum semper fuit, qui suadebam, in refugium muros altos primos nō deserendos. Qui si ob imbres negligentiāq; uel scissi uelinermes propugnaculis essent à primo dum propositū guerræ interuenit, reparari potuissent, reparandi custodiendiq; que erant: qui non deserti, præsidium urbi salutis contulissent. At quid dicam? arguamne Principem, quem semper præcipuo honore ueneratus sum, cuius fidem erga Romanam Ecclesiam intellexi, nisi pusillanimitate uinceretur? an potius eos qui ex officio muros reficere debuissent? O quorū animæ fortè damnant, Manuelis Giagari dudū inopis, & Neophyti Hieromonaci Rhodij, si audeo dicere, prædonum, non cōseruatorum Reipub. quibus ueluti Reipub. tutoribus, aut ex aujs intestatisq; bona relicta, muris ascribi debebant, priuatis potius cōmodis impendebant. Primus uiginti prope milium florenorum seruus, pditionis monachus

quos

quos posthac reconditos urna, septuaginta milium gazam relinquunt Teucris. Idcirco urbs prædonum incuria in tanta tempestate periit. At cum omnia Græcorum ineptia opera reprehendantur, non mirum, si hoc illustre sanctis Imperatoribus institutum monimentum egregium, Reiq; publicæ tutamentum, esca prædonibus fuit. Quam postea sero si reparare uoluerunt, duo defuerunt, æs & tempus: quæ poterant, si guerram intendebant, opportunius & importunius extorquere: sed innata non sinebat procrastinationis ineptia. Omnem ergo spem in fossatis & antemurale posuerũt. Quibus tandem perditis, ad altissimũ desertum murũ coangustatis, abilitas non fuit. Prudentius Hebręi, qui perdito uno muro, deinde ad secundũ, deinde ad tertiũ se cõtulerunt: quibus annis quatuor Vespasiani atq; Titi obsidionem tulerunt.

Vox inter hæc ex castris, exploratorum relatu fit, quòd triremes, naues-que aliquot in subsidium ab Italia mitterentur: & Iohannes Pannonum dux exercitus, Blancus uulgo nuncupatus, ad Danubium contra Teucrum congressurus aduentasset. Qua concitatus exercitus discinditur. Cur, inquiunt, tanta mora periclitatur exercitus frustra contra muros pugnaturi? aduersus regem, Teucri clamant. Etenim quanquam maximus numerus esset, quam infinitis sagittis machinassent urbem, utpote ad muros inuadendos, timidi, uecordes, uictoriam diffidebant. Calilbascia enim regis uetustior consularis baro, grauitate, consilio, rerumque bellicarum experientia pollens, Christianis fauens, regi semper dissuaserat, ne urbem Constantinopolis molestaret, eo quòd fortitudine situs, rerum fertilitate, prouidentiaque non tam Græcorum, quàm Latinorum munita, inexpugnabilis erat, quæ proauorumque, patrisque guerras annis multis tolerauit. Quodque peius, quia eius iniuria lacessiti omnes Christianorum reges principesque, ad eandem tuendam facile prouocarentur. Tu ergo rex, pacem da tuis. Noli Genuenses Venetos que uicinos, qui tuis semper proderunt, hostes reddere, iramque Christianorum aduersus gentem tuam prouocare. Maxima est potentia tua, quam pace maiorem facis, quàm guerra. Finis enim belli uarius est, quem aduersitas sæpenumero magis quàm prosperitas comitatur. Zaganus iunior, secundus consularis baro, Christianorum hostis, tum præcipuè Calilbascię æmulator, maximam esse regis sui potentiam, aduersum quem nulla gens possit, suasit contra Græcos guerram, potentiam exiguam habentes, quorum mœnijs, machinis collidendis exercitus innumerositate & diutina fatigatione, qui nec ex Italis expectassent præsidium, faciliter expugnandos. Nec uoce illa reuocandum esse regis animum, quæ conficta fuisset. Genuenses scissi, Veneti oppressi ab Duce Mediolani, nullum daturi sunt præsidium. Thuracau Thracialis militiæ princeps, Calilbasciæ commendare propositum non audens, ad guerram regem animauit. Eunuchus tertius consularis baro, dicta confirmat. Iuniores igitur belli duces: O rex, inquiunt, quis peremptor gentilitatis nostræ, timiditatem nobis incutit? Decet inuictissimum principem nostrum, res magnas & cogitare, & aggredi, & quemcunque euentum permagnificè ferre. Zaganus perinde ut uidit multitudinem bene dispositam, Da, inquit, bellum rex, quoniam dijs fauentibus, uictoriæ gloriam consequeris. His itaque uerbis animosior factus rex, inquit: Fortunam tentare licebit. An Macedonis potentia, mea maior fuit, cui orbis minore cum exercitu paruit? Quis aut genitor meus, aut auus aut proauus, tanta potestate, tantis machinis ut ego urbem hanc oppressit? Constitue Zagane diem belli, compone exercitum: Peram, ne subsidium hostibus conferat, circumualla: & quæ ad militiam spectant, omni cum maturitate dispone.

Itaq; ut Calilbascia senior cõsularis, cõplacuisse regi Zagani æmulatoris sui

A ſui conſilium intellexit, diffinitumq; eſſe certamen, clàm internunciis admodum fidiſſimis, ut amicus Imperatori cuncta denunciat. Hortaturq; ut nõ expaueſcat temulentiſſimi adoleſcentis inſaniam: nec terreri minis eorum qui magis timuiſſent: nec indoctiore multitudine commoueri. Cuſtodes ſint uigiles, & pugnam perſeuerantes expectent. Frequentes enim epiſtolæ ad Imperatorem ex Calilbaſcia portabantur.

Ergo proclamatum eſt in caſtris edicto, ut quarto Kalendis Maij, die uidelicet Martis, præuijs diebus tribus, quibus luminaria Deo accendant, Deum inuocent, integra die abſtineant, parati ſint omnes ad prelium, daturi Chriſtianis generale certamen, altiſſimaq; uoce præcones uoluntate regis urbem triduo ad ſaccum eſſe bellatoribus donatã. Iuratq; rex per immortalem Deum, perq; quatuor milia Prophetarum, per Machmetum, per animam patris, per liberos, perq; enſem quo cingitur, omnem depopulationem, omneq; hominũ utriuſq; ſexus genus, omnemq; pariter urbis theſaurum atq; ſubſtantiam, liberè bellatoribus donatam: nulloq; pacto, quæ iurat, uiolare. O ſi audiuiſſes uoces ad cœlum elatas (Illalla, Illalla, Machomet Ruſſolalla: ſcilicet quòd Deus eſt, & ſemper erit, & Machmetus eſt ſeruus eius) quidem obſtupuiſſes. Sicq; factum eſt. triduo luminaria Deo accendunt, ieiunant die, nihil uſq; ad noctem guſtantes: inuicem congaudentes, inuicem conuiuantes, ſeipſos, quaſi ad inferos die certaminis abituri, oſculis reſalutant.

Nos tantam religionem admirati, Deum propitiatorem profuſis lachrymis precabamur, ſacras imagines proceſſionaliter compuncti, per uallum urbemq; transferentes, nudis pedibus, mulierũ uirorumq; turbis conſequentibus, deprecabamur cum pœnitudine cordis, ne hæreditatem ſuam Dominus demoliri permitteret: et quòd dignaretur fidelibus noſtris in tanto certamine

B porrigere dextrã, qui ſolus Deus, & nõ alius, pro Chriſtianis pugnare potuiſſet. Itaq; noſtrã ſpem totam in Deo ponentes, conſtitutũ certaminis diem confortati, uigoroſius expectabamus. Propter q̃d aſcitis Senatu, Baronibus, bellicapitaneis & cõmilitonib. ab Imperatore uniuerſis, ſermo talis habitus eſt:

Quoniam uiri nobiles, militiæ illuſtres duces, uosq; commilitones Chriſtianiſſimi, appropinquantem certaminis horam conſpicimus, conſtituendos uos hoc in loco propoſui, ut planè ſiquidem intelligatis conſtantiam ueſtram magis ac magis firmandam, utpote qui glorioſe ſemper aduerſus hoſtes Chriſti dimicaſtis: iam patriam urbem q; toto orbe perinclytam, quam inuidus Teucrus duos & quinquaginta dies coangueſtauit, ueſtris altis ſpiritib. commiſſam habeatis. Neq; uos muri, mole ingentis lapidis ab hoſte contriti exterreant, quoniam tota uis in Dei præſidio, in lacertisq; ueſtris, uibratis excuſſisq; gladijs in hoſtes exercenda eſt. Scio indoctam illam multitudinem, ex more, magnis congreſſuram ululatibus, infinitisq; à longè ſagittis, non perſonas noſtras, quas iam ſtrenuè armatas conſpicio, ſed murum, thoraces, ac ſcuta noſtra impetere. Neq; enim more equorum, quos Pœni, dum Romanos aduerſus decertarent, per elephantorum inuiſam horribilitatem deterrere uoluerunt, ululatibus eorundem, hac in pugna timorandi eſtis, aut fugandi, quin potius animandi hercule conſtantius. Beſtiæ enim ſi fugantur à beſtijs, uos qui homines eſtis magnanimes, beſtias illas uiriliter ſuſtinentes, in eosq;, ueluti agreſtes apros lanceas, mucroneſq; ueſtros transfigetis, ut intelligant, cum animalium dominis, nõ cum animalibus eos bellaturos. Cognoſcitis, quòd impius & infidus hoſtis pacem noſtram iniuſtè perturbauit, iuſiurandum & fœdus inter nos exactum uiolauit, colonos noſtros meſſis tempore interfecit, coloniam depopulauit. Caſtrum, quod quaſi ad uorandum Chriſtianos ſit, in Propontide ædificauit, Galatam q; ſimulatione pacis circundedit. Minatur nunc Conſtantini magni urbem, patriam

ueſtram

ueſtram, profugum Chriſtianorũ auxilium, & omnium Græcorum tutamen tum capere, & ſacra Dei templa equinis ſtabulis profanare. O' Barones mei, ô fratres, ô filij Chriſtianorum, æternum decus defenſare curetis. Vosq; Genuenſes, uiri quidem magni cordis, et inclyti, qui infinitis uictorijs triumphatis, qui urbem hanc matrem ueſtram, multis aduerſus Teucros certaminibus ſemper protexiſtis, eia agite, robur ueſtrum, animoſitatemq; contra eos uiriliter oſtendatis. O' Veneti, uiri quidem potentiſſimi, quorum gladio ſæpenumero Teucrorum ſanguis effunditur, quiq; diebus noſtris, per Plordano excellentiſſimum claſſis noſtræ præfectum, tot galeas, tot infidorum animas ad inferos crebrò deſtinatis, quiq; uti ueſtram hanc urbem ingenuis & magnis uiris decoraſtis, extollatis nunc celſos animos ad certamen. Vosq; commilitones, ueſtris præfectis omnem obedientiã exhibentes, intelligite, quòd hic dies eſt gloriæ ueſtræ, in quo ſi ſanguinis guttam fuderitis, coronam uobis martyrij, & gloriam parabitis immortalem.

Itaq; finito ſermone, omnis Chriſtianorum cœtus, conſtantem ſe animum habere ſpopondit. Repetit Imperator: Eſtote igitur omnes in actu uirtute parati craſtino: quo Deo fauente, uti ſperamus, uictoriam conſequemur. Confortati poſthac Græci, qui primùm, quaſi pauidi bellum declinabant, uirtuteq; confirmati, priuatis poſt terga dimiſſis rebus, ad certamen communis ſalutis euentum, conſtanter alacriterq; conſpirant. Suisq;, per capitaneos, duces, tribunos, centuriones, decarios, propugnaculis ordinatis, nocte quæ Martem præcedebat, maximis excubijs infra uallum, ualuis urbis, ne quiſquam retrocederet, clauſis, pernoctarunt. Audiunt igitur parari machinas, uehi caſtratas bigas, uallis ſcalas rotatas admoueri. Claſſis inter hęc, ut circundet portum et urbem, diſponitur. Pons iuxta urbis ripam applicat̃, omniaq; machinamenta inſtantius præparantur: præpoſitisq; minus robuſtis, minus doctis, ut dum lux uenerit, robuſtiores milites ſint recentes. Certamen inchoant, noſtri magna cum animoſitate reſiſtunt, hoſtes machinis & baliſtis repellunt, & extraq; parte proportionabiliter occiduntur. Tenebroſa nox in lucem trahitur, noſtris uincentibus. Et dum aſtra cedũt, dum Phœbi pręcedit lucifer ortum, buccinis extraq; crepantibus parte, tympanis perſtrepentibus altiſſimis clamoribus miſſis, Illalla, Illalla, in Martem conclamans, conglobatus in gyrũ conſurgit exercitus. Vna ergo hora omnem terra & mari urbem inuadunt. Machinas primùm excutiunt, ſagittas cœlum obſcurantes immittunt. Econtra noſtri miſſilia inuiſa demittunt, Spingardas in globum iaciunt. Scinditur exercitus horribili Chriſtianorum reſiſtentia. Tunc fiunt clamores in cœlũ, uexilla alacrius expandunt̃. O' mirandas beſtias. Conſumit̃ exercitus, & immenſurata audacia uallum intrare præſumit. Cadunt lapidibus obruti Teucri, morti multi ſuccumbunt: & ſe inuicem conculcantes, tentant per ruinam muros ſcandere. A' noſtris quidem ſtrenuè repellunt̃: ſed uulnerati noſtri multi pugnam declinant. Stat capitaneus Ioannes, ſtant cæreri in ſuis propugnaculis. Duces ſuccurrunt urbis capitaneo deputati. Imperator, Eia, inquit, uiri fortes, iam laxatur exercitus hoſtiũ, corona uictoriæ nobis utiq; datur. Deus nobiſcum eſt, agite conſtantem pugnam. Inter hęc malo urbis fato, heu Iohannes Iuſtinianus ſagitta ſub aſella configitur: qui mox inexpertus iuuenis, ſui ſanguinis effuſione, pauidus perdendę uitæ, cõcutitur. Et ne pugnatores, qui uulneratum ignorabant uirtute frangantur, clàm medicum quæſiturus, ab acie diſceſſit. Qui ſi alium ſuo loco ſurrogaſſet, ſalus patriæ nõ periſſet. Pugnã inter hęc arduam committunt. Imperator ut uidit deeſſe capitaneum, ingemiſcens quò ſcilicet ierit, percunctatur. Noſtri ut ſe uident ſine duce, reſilire e locis incipiunt. Teucri conualeſcunt, horror noſtris incutitur. Deſiderio enim cuncti deſiderabant ex periculoſo illo loco ſcire quid contigiſſet. Quod prę-

fectorum,

A sectorum, qui singula, quæ sinistra uel prospera euenissent, nunciare debebãt, negligentia prætermissum est. Terrebaturq; acerbum illud bellũ magno cum silentio, his qui longè stetissent. Fatigabantur igitur nostri plurimũ: & quem reparauerunt Bachatureum murum, hostium compressione paulisper deserũt. Quo inspecto, dij iudicant Teucri, propter repletionem, quam ruina collapsa fecerat, æquo calle posse transire. Irruendum igitur est, inquiunt, & ueluti impetuosus turbo, uno impulsu muros ascendunt. mox mœnibus uexilla figentes, hilaritate pleni clamant uictoriam, gladio pugnant: & quoad possunt, omni cum uirtute nostros uel exterminare, uel subijcere moliuntur.

At Imperator infelix, ut uidit Capitaneum desperatum: Ha me miserũ, inquit, perit ne urbs? O infortunatam sortem: Siste precor Capitanee. nam tua fuga alios incitat ad fugiendum. Non est mortale uulnus. patere dolorem, & siste uiriliter, ut spopondisti. At ille salutis, gloriæ, suiq; oblitus, uti altam quidem primò magnanimitatem, ita posthac pusillanimitatem ostendit. Debuit enim, si poterat, uulneris dolorem sufferre, non recedere: si uir erat à seipso, uel saltem alium, qui stetisset, loco sui surrogare. Franguntur ex hoc omnium commilitonum animi, habetantur uires & Capitaneum fugientem, ne pereant, insequuntur. Da cliẽtulo, inquit Capitaneus, clauem portę, quam mox referatam satagunt magna cum compressione transire. Refugit Capitaneus in Pæram, qui pòst Chium nauigans, ex uulnere uel tristitia inglorium transitum fecit. Imperator insuper, ne ab hostibus capiatur: O quispiam, inquit, ualens tyro, propter Deum, ne Maiestas uaſris uiris succumbat, meo gladio me transfigat. Inter hæc Theophilus Palæologo, uir catholicus, iam perdita urbe, me, inquit, uiuere non licet. Teucrorumq; pondus aliquandiu

B iustinens, & decertans, securi discinditur. Ita Iohannes Sclauus Illyricus, ueluti Hercules se opponens, multos prius mactat: deinde gladio finiuit uitam hostili. Se inuicem pòst nostri, ut portam ingrediantur, uita oppressi pereũt. Quibus innixus Imperator cadens atq; resurgens, relabitur, & compressione princeps patriæ è uita demigrat. Perierũt igitur ex nostris & Latinis & Græcis se inuicem conculcantibus in portæ exitu, circiter octingenti.

Inde Teucri altum murum decurrentes, ex alto quos possunt lapidant: Cuneusque unis uocibus per antemurale descendens, in fugam omnes nostros compellit. Rumorem iacturámque ex fugientibus audientes Paulus Troilúsque Bochiardi, uiri Latini, urbis ciues cum aliquot Græcis strenuis Latinisque equis insedentes, ob inuidos uadunt. Hostes fortè maiorem numerum quàm essent, autumantes, terga uertunt. Paulus in Teucrum urget equum: lanceáque unum transfodiens, cæteros in fugam uertit. Et ne ex alto lapidibus obruantur, ad Troiolum inquit: Haa perijt ciuitas, nósque facilè ab hostium multitudine circumdati, spem uitæ perdemus. Et sic ictus securi Paulus in uertice, fuso cruore, cum fratre pòst redẽptionẽ ad Galatã cõfugit. O rem mirabilem, ô stuporem. nec dum Phœbus orbis perlustrat hemisphærium, & tota urbs à paganis in prædam occupatur. Concitè igitur omnes pedes decurrunt, quoque resistentes gladio feriunt. Imbecilles, decrepitos, leprosos atque infirmos trucidant. Obsequentibus uitam parcunt. Sanctissimę Sophiæ admirandũ templum, quod nec Salomonis æquat, profani atq; infidi ingredientes, nullam sacris aris reuerentiam, neq; sanctis imaginibus agunt: quin potius exterminant, oculos sanctorum suffodiunt. Sanctorum quoque reliquias uel dilacerant, uel dispergunt. Sacrilegæ manus mox sancta Dei uasa usurpant, argentum, aurum, tam sanctarum imaginum quàm mulierum, sacculis infarciunt. Fit clamor & ululatus, ad cœlum, & omnis sexus, omnis homo, omne aurum, omne æs, omnisque supellex, omnisque urbis substantia, in prædam uertitur. Securibus scrinia scindunt, fundos fodiunt pro thesauris,

qui tanti reperiũtur,& noui & ueteres,ut nulla sit urbs seculo, quæ tantis affluat,& omnes absconditi in manus eorum peruenerunt. O Græci iam miseri,& miserabiles, qui inopiam fingebatis. Ecce iam in lucem uenerunt thesauri,quos pro urbis subsidio denegastis.

Triduo igitur in prædam decursam ciuitatem depopulatámque regis Teucrorum ditioni dicati admodum relinquunt. Traducitur ad Papilliones omnis substantia & præda, uinctíq; omnes ad sexaginta millia funibus Christiani captiuantur. Cruces ex templorum apicibus parietibus q; euulsę, pedibus conculcantur,uiolantur mulieres,uirgines deflorantur,mares iuuenes in turpitudinem maculantur. Sanctimoniales reliquæ, etiam quæ apparentes fuerunt,luxu fœdantur. O Deus meus,quàm iratus uideris, quàm immisericorditer faciem à fidelibus auertisti. Quid dicam? filebo aut narrabo in Saluatorem & sanctas imagines illatas contumelias? Parce mihi Domine, si tam fœdum scelus enarro. O confusionem Christianorum, si Christi Dei iniurias uindicare retardent. Sacras Dei scilicet sanctorum effigies humo prosternunt, quibus super non modò crapulam, sed luxuriam complent. Crucifixum posthac per castra præuijs tympanis deludendo deportant, spuutis, blasphemijs, opprobrijs iterum processionaliter crucifigunt, pileum Teucrale, quod Zarchula uocant, capiti superponentes, deridendo: Hic est Deus Christianorum. O Dei patientiam, bene uideris iratus, bone Iesu, ut pro peccatis nostris tantas iniurias iterum toleres indignatus.

Parta autem uictoria, Teucri Bacchanalia, festosq; dies celebrant, quibus rex fortè temulentior factus, sanguinem Baccho miscere uoluit humanum. Vocatis igitur ad se Chirluca, cæterisq; Baronibus consularibus, reprehensis quòd non suasissent Imperatori, uel pacem petendam, uel dandam suæ ditioni urbem: Chirluca, qui cogitauerat eius gratias captare, aduersus Perenses, Venetosq;, qui arma, milites, consiliumq; dedissent, culpam retorquere curauit, quorum gratia Imperator resistentiam fecisset. Volensq; ille miser, qui semper gloriam mẽdacijs & schismate captare concupiuit, Calilbasciam uetustiorem, loco & prudentia primum Teucri Baronem, amicum admodum Græcis, quòd crebris literis ad Imperatorem missis, eius animum detraxit, utq; fortis staret, accusauit, Epistolasq; seruatas in fide Regi præsentauit. Quibus oppidò commotus,* nactam terram Peræ, nescio nisi Deo reuocante, & demoliri & trucidare disposuit. Calilbasciam ex hoc primùm uinctum mancipari turri, deinde omni auro & substantia priuari: posthac in Adrianopolim translatum, uita priuari iussit. Cuius mortem lamento flebili ægrè totus exercitus tulit.

At Chirluca malitiæ pœnam non euasit, qui protinus perditis primùm in bello duobus liberis maioribus, alio impubere luxui regali reseruato, coramq; oculis tertio filio cæso, cum cæteris Baronibus decollatur.

Bailum itidem Venetorum, reliquosq; delectos nobiles, & filium gladio extingui iubet. Consulemq; Caraconensium cum duobus. pariter etiam Catharinum Contareno uirum humanissimum, cum sex nobilibus Venetis, iam primùm redemptis, contra omnium fidem, nisi septem milibus aureorum uitam emissent, morte uticq; affecisset. Expletis autem Bacchanalibus, concessa licentia, traditis in captiuitatem Græcis, fortè patriam non uisuris, in suas regiones Teucri reuertuntur.

O miseros,& miserabiles Græcos, qui Latinos prohibuere, ne sacra contrectarent, uel aris libarent suis, iam profanis & collimosis dederint: et qui unionem fidei cõtempserunt, iam quoq; dispersi, in unum peccati pœna conuenire non possunt.

Hæc præcogita Pater beatissime, qui uices Christi geris in terris, cuius interest

A intereſt tãtas Chriſti iniurias & fidelium ulciſci. Igitur moueat te diuina pietas, & miſerere Chriſtianitatis tuæ, qui ſcis & potes, cui ad nutum omnes Chriſtiani principes uindicaturi Chriſtianorũ iniurias, facile obtẽperabũt. Aliàs, ſcito in tantam iam ſuperlatum pompam, ut non erubeſcat dicere, Sinum Adriaticum penetrare, Romamq; uenturũ. Moueat igitur te iterum Pater beatiſſime, fides Petri, moueat Chriſti inconſutilis amictus, ſpongia, & mucro perditi, dilaceratæ ſanctorum reliquiæ, ędes ſacræ euerſæ, & profanata ſterquilinijs Dei templa.

Sed uide connexam pariter iacturæ tempeſtatem, ut Perenſes, dum urbem captam uident, in fugam quaſi amẽtes uertantur? Fiunt ex ipſis qui non dum naues aſcenderant Teucrorum ad ripam incurſantibus fuſtis in prædam. Captiuantur matres, liberis relictis, & econtrà. Alij æquore compreſſi merguntur. gemmæ ſparguntur, & inuicem ſeipſos ſine pietate prædantur, ut uerum ſit, quòd fugit impius, nemine perſequente.

Quid dicam? ô poteſtas Peræ, ô prauum & inſulſum tuorũ conſilium. Oratores terrore concuſſi à Perenſibus regi ut claues offerant mittuntur. Ille periucundè intelligens, quòd poteſtatem non habeant, ſuſcipit, in ſeruos q; fœderatos acceptat. Conſtituit Teucrum rectorem, proſcribit fiſco omnium profugorum ſubſtantiam. Turres, murumq; ciuitatis dirui iubet. obtemperant, & ſe ut ſalui ſint, ei, neglecto Genuæ mandato, mancipant. Turremq;, in cuius acumine Chriſti ſignum crucis, à quo & denominabatur, uſq; ad fundamenta euertit. Sicq; qui liberi erant, pacemq; tenebant, iam ſerui ſunt, non ſine pœnitudine: à qua uix unquam liberari poterunt, niſi ex te Põtifice ſummo. Quem ut Deus animet ad uindictam, oramus, fidentius ſupplicesq; precamur. Datum Chij, decima ſexta die Auguſti, Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimotertio.

B

DE CONSTANTINOPOLITANAE VRBIS EXPVGNATIONE ISIDORI *Rutheni Cardinalis, Sabinenſis Epiſcopi Epiſtola.*

ANNO Domini M.CCCC.LII. ciuitas Conſtantinopolitana cum eſſet obſeſſa à Turcis, miſerunt Græci oratores ad ſummum Pontificem Nicolaum quintum, implorantes auxilium & pecuniam, quos non exaudiuit Nicolaus: indignum ducens, Italiam exhauſtam pecunijs propter expenſas guerrarum grauare nouis exactionibus: perma xime cum ſciret, Græcos ſe ſuis pecunijs poſſe iuuare, ſi exponere uellent, conducendo gentes. Sed nudati omni more Reipublicæ, & tantum priuatæ rei conſeruandæ intenti, in hoc inciderunt iudicium, ut icti & capta ciuitate ſerui effecti, res priuatas ſuas & publicas perdiderint. Et quod habuiſſent, ſi uoluiſſent expendere, patuit, quòd magnæ diuitiæ & thesauri multi reperti ſunt apud plures perſonas, etiam mulieres. ſed cupiditas excæcauit eos. De ipſa autem captione dictæ ciuitatis per Turcos, Reuerendiſſimus Pater & Dominus Cardinalis Ruthenus, Epiſcopus Sabinenſis, Græcus nomine Iſiodorus, qui tunc ibi erat legatus Papæ, ſic ſcribit: qui præſens fuit, ſed manus illorum euaſit, ne occideretur uel caperetur: quia ingreſſis in ciuitatem Turcis, habitum dimiſit, & apparatũ Cardinalatus: & ueſtibus uilibus indutus, inter fugientes è ciuitate ſe immiſcuit incognitus. & in dead Peram ciuitatem, non longè à Conſtantinopoli diſtantem, ſe duci per mare curauit. Audite hæc, audite omnes gentes, percipite qui habitatis or-

bem. Audite hæc omnia qui fidelem orbis partem colitis ministri, pastores & principes omnium Ecclesiarum Christi: uniuersi quoq; reges & principes Christicolæ, ac uniuersus Domini populus cum religiosis cunctis. Audite, & notum sit uobis, q; præcursor ueri Antichristi, Teucrorum princeps & dominus, seruus autem tot dominorum, quot uicinorum, cuius nomen est Mahomet, inimicus crucis Christi, hæres rei & nominis illius primi pseudoprophetæ & latoris legis spurcissimæ Agarenorum, filius Sathanæ omnium flagitiosissimus, qui furijs infectus, & insania, sanguinem Christianorum sine intermissione sitit, nec extingui ualet eius sitis post eorum innumeras cædes: tantoq; odio contra Christum & membra eius mouetur, ut eradere nomen eius de terra nitatur. Et inspecto aliquo Christiano sibi obuiãti, se inde existimet fordidatum, ut oculos abluat, & os, immundum se profitens prius. Hoc igitur tam terribile & horridum monstrum, exigentibus demeritis Christianorum, iusto Dei iudicio, in eos sæuire & grassari permissus, ciuitatem imperialem nouam Romam, olim felicissimam, nunc miserrimam & omni calamitate oppressam, Cõstantinopolim diu obsessam cepit, expugnauit, spoliauit omnibus bonis, & penè deleuit. Quis autem (ut uerbis utar prophetæ) dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut plorare ualeam die ac nocte interfectos populi illius, & scelestissima sacrilegia in ea captura perpetrata? Quis huius horribilitatis memor, non obstupescat, non lithargicus fiat, non præ dolore obmutescat? Nec tamẽ cuncta enormia explicabo, ne piæ aures refugiant: sed ex paucissimis relatis cogitentur alia. Hic nefandus, nominibus blasphemiæ plenus, ciuitate recepta post decapitationẽ Imperatoris cum omni sua progenie & nobilitate plurimos ferreis manicis & compedibus alligatos, ac collis eorum funibus cunctis, extra urbem deduxit nobiles, plebeios, monachos & monachas, mares & fœminas, uirtute & conditione præclaros, uituperabiliter detractos, multis iniurijs refertas, ut meretriculas & in lupanari prostitutas trahebant. tanta & talia contra eos agebant, quãta de brutis animalibus & qualia sine rubore fari minimè quis ualeat. Adolescentulos utriusq; sexus à parentibus segregabant, & diuisim de eis precio negociabantur. Infantes coram genitoribus suos ut agniculos mactabant. Matres filijs, & geniti genitricibus priuabantur. Germani à fratribus, uxores à uiris, nurus à socribus lugentibus & ululantibus segregabantur. Disiuncti consanguinei & amici, in diuersis regionibus seruiuenditi ducebantur. O quàm amaræ lachrymæ, quanta suspiria, quot clamosi singultus inter amicos & notos? quæ miserabiles uoces emittebantur inter tantas cædes, seruitutes, expulsiones & contumelias? Principes, baro nes & domini, bubulcorum, porcariorum, homuncionũ effecti sunt famuli. Intra decẽnium pueros ad ritus suæ perfidæ sectæ compellebant. Heu quomodo obscuratum est aurum fulgidum sapientiæ, per tenebras ignorantiæ? aurum dignitatis per ignobilitatem seruitutis? Quomodo mutatus est color optimus Græcę eloquentiæ in barbariem Turciæ? lapides sanctuarij illi qui erant constantes in fide, dispersi sunt in capite omnium uiarum iacentes prostrati. De cæteris sileamus: humana sunt. Sed de iniurijs, subsannationibus, contumelijs, opprobrijs, sceleſtibus erga diuina, quæ lingua ualeat explicare? Quis intellectus capere? Quæ aures patienter audire? Ni fallor, nunquam ita inhonoratus Deus. Venerunt gentes gehennæ deditæ in hæreditatem tuam, quæ Israel est te uidens per fidem. Polluerunt templum sanctum tuum, Ecclesiam nobilissimam sanctæ Sophiæ cum alijs. Imagines Domini nostri Iesu Christi, & martyris eius, uirginis gloriosæ, & sanctorum ac sanctarum Dei, insignia uiuificæ crucis conspuentes, con-

frã

A fringentes, conculcantes, sacrosancta Euangelia, missalia, & reliquos Ecclesiæ libros dilacerantes, deturpantes, comburentes. Sacras uestes sacerdotum, reliquaq; ornamenta Ecclesiæ scindentes, ad indumentũ suum & ornatum sumentes, uel pro uili precio conferentes uasa Domini, eius cultui dedicata, & in eis comedentes & bibentes, in reliquorum conflata ad profanos usus transferebant. Posuerunt denique carnes sanctorum tuorum morticina seruorum tuorum, reliquias beatorum corporum escas uolatilibus cœli, dispergentes hinc inde carnes sanctorum tuorum, quos occidebant bestijs terræ: quia non erat qui sepeliret. Altaria suffoderunt, inuocantes nomen maledicti Mahumeti, eum laudantes de uictoria. Omitto præ pudore, quòd mingebant, stercorisabant, omnia uituperabilia exercebãt in templis, imaginibus, & reliquijs sanctis. Sancta canibus dabant, margaritas sacramentorum ante porcos proijciebant. Cum hæc recolo, totus ex horrore contremisco, nec ulterius stylo exarare queo illorum piacula, & fidei Christianæ religionis dedecora & irrisiones iniecta. Monasteria tam monachorum quàm monialium inuadentes, omnia diripiebant, eijcientes illos de habitationibus suis: xenodochia infirmorum destruebant. Et si de multis & magnis excidijs & exterminijs ciuitatum historiographi etiam gentilium referant, ferè nulla posset desolationi huius coæquari. Nullum incolam intrà reliquerunt, non Græcum, non Latinum, non Armenum, non Iudæum: urbem ipsam suis ciuibus nudatam quasi desertam effecerunt. Eorum actus & opera propijs oculis uidi, & cum aliquibus constantissimis uiris unà plura perpessus sum mala & pericula, licet de manibus eorum me eripuerit Deus, ut Ionam de uentre ceti. Expugnata Constantinopoli, Peram non multum distantem occuparunt, mœnia eius ad solum usq; deducentes. Ex

B campanis ecclesiarum bombardas conflauerunt: crucem quæ erat in cacumine turris eius, cum ipsa turri contriuerunt. Rempublicam ad nihil deduxerunt, iudicem & principem eius Turcum constituentes. Pedagia, quidagia, impositiones & grauamina illuc applicantibus uel permanentibus suapte statuerunt. His atrocissimis rebus non contentus callidissimus & cruentissimus Mahumet, Christicolarum summus inimicus, ad ulteriora se extendit, & triremes inter magnas & paruas iam centum septuaginta præparauit, & ad mare Aegeum misit ad insulas Cycladas sibi subijciendas. Exinde se præparat cum infinito exercitu ad tres urbes notabiles & potentes, prope Danubium sitas transmigrare & expugnare. Vnam, quam uidelicet Periston nuncupamus, aliam Forobium, tertia Bellostadum. Intendens pòst totam percurrere Vngariam, spoliare, deuastare & conterere, ut nemi-nem retro se dimittat impedire, ad alia proficisci uolentem: quoniam ad Italiam quàm citius transmigrare contendit: preparare quoque conatus galias magnas & paruas trecentas, naues magnas uiginti, pedestrum & equestrum exercitum ultra centum milia. Et sic à Dyrrhachio Brundusium transire contendit: quæ ciuitas sita est in regno Apuliæ. Quapropter deprecor, exoro atq; exhortor uos omnes Christicolas, ut zelo fidei & Christianæ religionis, pro uestra libertate gladio cingamini, & tam diros hostes diuini cultus, & omnis sanctimoniæ & uitæ moralis. Et primò quidem, abijcientes omnem dissensionem, æmulationem, remittentes inuicem offensas, sicut & Christus donauit omnibus pacem & unionem summopere inter uos amplectamini, ut uniti & inde fortiores effecti, confidentes in adiutorio altissimi (cuius est uictoria & bellum, non multitudinis) ipsum Sathanam cum satellitibus suis sub pedibus uestris conterere ualeatis. Licet enim multitudine confidat & feritate suorum, plures tamen sunt qui nobiscum sunt: imò

Dominus militiarum, pro cuius fide & religione pugnatis: ita quòd centum ex uobis persequi & superare ualeant mille ex illis, & mille ex uobis decem millia. Ignauia enim & imperitia belli innata sunt eis.

DE NIGROPONTI CAPTIONE

Fidelis quidem & prępotens urbs Nigropõtensis Christiani nominis titulo fideq; insignis, abolim Venetianę ditioni & potentatui subiecta. Ciuitas profectò oppidò populosa, negotiosa, sed & rerum omnium opulentissima, ciuiumq; optimorum refertissima. Terra quoque & mari diligẽtissimè munita, portu præsertim tutissimo de mari gaudens: denicq; muris & mœnibus & turribus firmissimis undicq; cincta & circumsepta, ita ut prorsus inexpugnabilis omnium opinione crederetur. Quæ etiam ciuitas Chalcides alio uocabulo cognominata dignoscitur, in insula Euboia sita. Insula inquam in frumento, uino & oleo, cunctis q; terrę nascentibus maiorem in modum fertilis & fœcunda, potissimũ autem aptis pro nauium galearumq; fabrica lignis abundans, hoc modo sub Turcorum uenit potestatem & direptionem. capta & expugnata anno Dominicę incarnationis M.CCCC.LXXI. uertente. Clarissimis quidem Venetis semper ab olim Turcos oppidò fuisse infestos, tum ob eorum in Christum fidem finceram, tum etiam maximum eorum cui inuidebant potentiam. nemo qui grauissima inter eos hincinde habita dissidia, bella ultro citroq; fortiter gesta, guerrarum strepitus & cruentos sæpe congressus legit uel audit, dubitare potest. Hinc itaq; & hostili animo in ipsos Venetos Turcus infestus, & nobilis atq; prędiuitis Chalcidis Euboeæ situs opportunitate, opibus quoque & celebritatis gloria allectus, anno quo suprà Omarium Bechum principem Bassum cognominatum, tyrannus ipse Mahumet cum exercitu copioso nauali & terrestri ad expugnandam ciuitatem ipsam Nigropontensem destinauit. Tandẽ post longã urbis obsidionẽ ipsemet cum longè copiosiori exercitu ex Byzantio admouit: ponteq; facto ex nauibus trans aquam profundam satis & latam, quæ urbem præterfluit, militem in litus traiecit: & ex ea parte qua non putabat, muros aggredit, machinis quatit, oppugnat, iactuq; plurimorũ lapidum sphæricorum diruere festinat. Nam & traditor quidam omnium nequissimus & pessimus machinarum scilicet omnium quę in ciuitate, in mœnibus, in turribus atque propugnaculis erat magister & præfectus Thomas scilicet Liburni cognominatus, signum Turcis dedit, & in loco suæ stationis muros ubi debiliores erant, bombardarum ictibus uerberarent, facile ruituros. quod factũ est. Sicq; proditione res acta est, non æquo Marte pugnatũ. Interea classis Venetiana in subsidiũ & tutelam urbis & ciuiũ obsessorũ missa negligentius agens, uagabat per mare capiẽdis Ianuensium & Cataloniorũ aliorumq; Christianorũ nauibus intenta magis quibus ad suã firmandã classem ratibus adiunctis, Venetianus capitaneus, cuius res gratia aduenerat, non satis probè est, psecutus. Cum enim prępotentẽ nimis iam haberet classem, quę rem cõficere, pspere Deo propitio potuisset, ad insulam quidẽ Euboiæ properauit, seq; ostendens maximã obsessis iam undiq; ciuibus ex urbe spectãtib. lętitiam suo aduentu infudit, ita ut manus utraq; præ animi & cordis exultatione & iocunditate expanderent in cœlũ: sed ita strauit eos iniquus ille capitaneus spe sua, opinione fefellit, turbauit exitu infausto, tristitia affecit ingenti, haud dubiè quin longè maiori q; antè gaudio lętificaret. Nam cum tanta esset fretus classe, ipse formidolosus inter inimicorum

A rũ morsus, mortisq; horrendæ cruciatus ciues fideles dereliquit, & præclarę urbis miserã dã direptionẽ prospiciẽs, nihil prorsus effecit, neq; propius uoluit applicare, cũ tamẽ omnes põtes q̃s Turci fecerãt facilè sua classe armatissima irrũpere potuisset. Cũq; omnes singularũ patroni nauiũ p̃ classẽ passim cõtra eũ conclamarẽt, grauiterq; omnino suã negligentiã ferrent, crebrò ingeminantes, Cur trepidaret, cur non accederet, cur de industria tam insignem, tam fidelem, tam opulentã ciuitatẽ perditũ iri permitteret? Ille surda hęc aure hauriens, in eodem loco immobilis inutilisq; permansit. Itaq; dum in mari nil agitur, & classis in uanum perseuerat fixa, atq; defensionis signũ obsessis ciuibus nullũ prorsus datur, quin potius tutationis fiducia sub oculis eripitur. Turcorũ princeps animosius agẽs, res bellicas fauẽtib. fatis prosperè uotiuéq; prosequitur. ad mœnia properat intrepidus, assultũ parat, ordinat cõflictum: & quod in talibus conducit plurimũ, accitis militibus, accurata eos oratione corroborat, præmia etiam magna pollicẽs his qui primi muros cõscẽderẽt, atq; ita uniuersorũ animos adeò reddidit in pręliũ auidos & accẽsos, quod per duos dies noctesq; cõtinuas cũ ingẽti fragore, summo studio uiq; maxima urbẽ oppugnabãt. Quãquã enim a ciuibus deintus machinis grauissimè uulnerarẽtur, ac inter bõbardarũ ictus ueluti canes interficerẽt, repellerẽturq; eminus nõnũq; omniũ generũ missilibus: suorũ tamẽ inter necẽ & stragem innumeram plurimamq; mortis imaginem tanto cum impetu & conatu Turci irruptos occuparunt muros, imò tanta alacritate alter alteri succedere contendebat, ut eorum nemo pedem referre, stare nemo coopertus sit: cuncti uerò animosissimè assilire uisi, quanquam frequentissimè interirent. Bis eos muris auolasse ferunt, bis inde fuisse præcipitatos nostrorum audacia: tandem uerò ubi nostri auxilio classis quam sub oculis cernebant penitus destituti, longaq; fatigati oppugnatione, & exhausti laboribus, rem omnem perditam uident, fracti animis in urbis forum pariter cõueniunt: & con
B fortati diui sacramẽti Eucharistię uel conspectione uel sumptione irrumpentibus iam Turcis, manus enixissimè cũ eis cõserunt, trucidant quotquot possunt, neciq; dant innumeros, & orcis infernalibus immittunt, donec tandem & ipsi pro Christi fide constantissimè agonisantes, mortem subeunt haud dubiè beatam. Et quod fœmineo sexui magnopere glorioſum extitit, hãc inter cædem miserabilem, plurimas egregia forma fideq; fœminas, tum nuptas tum uirgines, armis indutas ferunt more Amazonum pugnauisse: sicq; inter reliqua mortuorum cadauera fuisse repertas, quasi non antea uoluissent occũbere quàm perfidissimorum Turcorum suis tenellis animis effudissent cruorem: quo uel sic inimicum nobis sanguinem libassent, & præstitissent obsequium Deo in ipso suæ articulo mortis. Verùm uiri illi ciuesq; clarissimi proditorẽ illũ nefariũ Liburni superius memoratũ, superstitẽ habere nolentes, dignis prius supplicijs pro reatu de eo sumptis, crudeliter interemerunt. Hæc inter agendum urbis duntaxat prætor Paulus Erico appellatus, in arcem confugit, adhærentibus sibi paucis quibusdam primoribus ciuitatis, paucis aliunde euadentibus. Capta itaq; Turcus urbe, uictoriaq; adepta omnes Italici generis puberes palis acutissimis fecit affigi, alios saxis elisit, alios sectos per mediũ diuisit, alios uarijs pœnis atq; horrendis affectos cruciatib. ad supera (haud dubiũ) trãsmisit: Græcanã tamẽ gentẽ sub hasta uendi præcepit. Vnde factum est, ut omnes Chalcidis plateæ & uiæ cruore occisorũ replerentur. Interea prætoris urbis filia unica, uirgo castissima, puella decora facie & uenusto aspectu, Turco ob suã pulchritudinem ingentẽ adducta, cum turpitudini & fidę cõmixtioni cõsentire prorsus renueret, protinus iugulata, proq; fide castitatis martyrio procul dubio coronata: sponso uirginũ Christo

ſponſa ipſa in æuum eſt in cœlis coniuncta. Porrò qui in arce erant, data ſibi à Turco fide de uita ſeruanda, pactóque firmato, quòd ſalui euaderent, ſi arcem liberè in deditionem traderent: exinde confidenter exierunt. Sed mox egreſſos ipſe fœdifragus tyrannus arce potitus, omnes ad unum iuſſit extemplò trucidari. Hunc in modum (profectò miſerandum) ciuitate perdita, occiſis incolis, cæde expleta, Venetorum capitaneus claſſe ſoluta, qua omnium arbitratu ſola omnipotentis uoluntate excepta, facilè tantam defenſaſſet urbem, ſi uir fidus & fortis fuiſſet: cum paruo honore, fructu nullo, opprobrio ſempiterno rebus infectis, imò turpiſſimè neglectis, Venetias remeauit: moxq; apud Senatum accuſatus, defenſionis quidem locum accepit. Sed poſt multas inuanum adductas falſas rationes & excuſationes in peccatis, tandem non ſatis dignam pro meritis accepit ultionem. Exilio relegatus, atque perpetuò profligatus cum omnibus ſuis à ciuitate Venetiarum in oppidum, cui eſt uocabulum Vtinum. Ita res hæc finem accepit triſtem prorſus, & infelicem.

M. ANTONII COCCII SABELLICI DE PVGNA INTER VENETOS ET TVRCAS AD SONTIUM AMNEM COMMISSA LIBER, QUI ALIÂS DE VETUSTATE AQUILEIÆ, SEXTUS EST, & BELLUM TURCICUM INSCRIBITUR.

PRAEFATIO.

ACCIDIT mihi quod & illi qui poſtquam ex alto portum conſpicere cœpit, remis cum omni nautico inſtrumento caſu aliquo amiſſis, etſi rem in diſcrimen adductam uidet, ſalutem tamen non deſperat, quippe qui propinquum portum uel naufragum ſe tenere poſſe nõ diffidit: ego quoque quum à principio operis ad hunc locum certo auctore non omnino caruerim, factum eſt, ut ubi finem ſpectare cœpi, neminem mihi ſupereſſe uideam, quem ſecutus, ultimam huic noſtrę lucubrationi manum poſſim imponere. Puto ego, nec fallor, fuiſſe aliquos, qui hæc quoq;, de quibus ultimo hoc libro dicturi ſumus, memoræ tradiderint. Sed quia illi ipſi adhuc in obſcuro ſunt, reſtat ut quicquid laboris in eo eſt, id totum noſtra induſtria & diligentia ſuſtineamus, quibus paulum annixi ſpero ſuperis beneiuuantibus futurum, ut cætera ad uotum conſecuti, extremam, ut dixi, manum feliciter huic operi imponamus.

AVdita patriæ defectione Lodouicus, haud in re tanta cunctandum ratus, quum aliquot barbarorũ milibus per Auſtriam ducens in Patrianos fines tumultuoſe erupit. Primo impetu Cluſinam arcem munitiſſimam in anguſtijs alpium occupat. Nec procul inde Abbatiam, quam primo libro Motij appellatam diximus. Apparebat in tanta rerum conſternatione hoſtes non mediocrem cladem relaturos, niſi Venetæ copiæ ad hoc ipſum miſſæ, illorum conatus cum adhuc in anguſtijs alpium ſtatiua haberent, opportuno aduentu oppreſ-

A oppressissent, barbari non tantum pugnã detrectauere. Sed ne uenientem qui dem hostem expectare sunt ausi, quippe qui incursandi postulãdiq; patriam potiusquã pugnandi consilio uenerant, atq; ita paucis post diebus q; tumul tuari cœptũ erat, patria omnis pacata est. Receptis paruo negocio locis quę in hostiũ potestatẽ cõcesserant, nec multo interiecto tẽpore, cum aliquãto ma iore hostiũ manu Ludouicus in patriã reuersus est, atq; sub primũ impetũ Mansanũ per proditionẽ, nec nõ Rosoaciũ recepit. sed hæc quoq; expeditio haud priore illa, de qua proximè diximus, felicior fuit. Audito Veneti exer citus aduẽtu, cõtinuò barbari patria excessere, quos abeuntes ipse belli au ctor secutus est. sed quũ adhuc quoq; res nouas moliretẽ, Basiliẽsi cõuentu de functus est. Hæc tumultuosa tẽpora pacatior rerũ status excepit, siquidẽ per aliquot annos pax subsequuta est: apparabatq; cũ hac patria pręclarè actũ, cui polt tot & tãtos motus cõtigisset in Venetorũ præsidio cõquiescere, nisi taci ta quadã, quę cuiusmodi sit, nescio inuidia, quę humanã felicitatẽ diuturnã es se non patitur, factũ esset, ut ab extremo septẽtrione cõparatus hostis in Italiã quãdoq; irrupisset, qui patriæ huius ocia non solũ uerteret, sed ferro & flam ma terram ipsam, penè ad interitum affligeret. Turcos eam gentem uulgo ap pellant. alij Turcas dicendũ affirmant. ij Melam auctorem habẽt, qui Turcas & Thissagetas nõ lõgè à Ripheis mõtibus cõstituit, quos uastas ait incolere siluas, ac ferinis carnibus uictitare. Cæterũ ratione quoq; nituntur, ut quem admodum Getæ dicũtur Sarmatæ, Scythæ, & Thissagetæ, ita Turcæ nõ Tur ci dicendi sint. sed consuetudo tenuit, ut Turci potius dicantur. Sũt itaq; Tur cę ipsi origine Scythę: & ex his, ut Hieronymus, Pio Põtifice auctore, tradi dit, quos inter Hyperboreos montes Alexander Macedo ferreis repagulis clausit. Hi Pipini Gallorum regis tem poribus Asiam inuaserunt, Halanos primùm inde Colchos & Armenios, nouissimè minoris Asię populos. multi uariq; fuere eorum conatus. sed cum circa Hellespontũ angulum quendam B occupassent, non destitere fraude potiusquàm armis suos fines propagare, donec nobilissimam urbem Cõstantinopolim oppressere. quo successu elati, Thraces, Triballos, Macedones, Aetolos, Dardanos, & Acarnanes breui tempore subegere. Mysię quoq; regem inde uictum trucidarunt. Peloponen sum, quanquam horum quidam ante Byzantium captum Turcorum armis cesserant, ut dolo potius quàm uirtute adepti sunt, quam in suam potesta tem redactam miserabili clade affecerunt. Trapezuntinum quoque Impera torem cum ipso imperio sustulerunt: & breui quum duo iam imperia euer tissent, quatuor regna, uiginti prouincias, ducentas fermè urbes, & Bernar dus Iustinianus orator clarissimus deplorat in ea oratione, quam ad Sixtum Pontificem habuit, Christiano nomini eripuisset, & quod omniũ calamito sissimũ fuit, quum Euboici freti angustias Chalcide expugnata reclusissent, late longeq; eorum arma euagata Italiæ fines, quod nemo futurũ credidit, in festare cœperũt. Nec cõtenti adhuc limites ipsius terræ attigisse, ferocissimo conatu diffractis Italiæ claustris in ipsa penè uiscera uulnus adegerũt. Quorũ calamitosas irruptiones ex ordine referã, si pauca prius de his quę interim in ipsa patria euenerũt, breuiter retulero. Dũ adhuc procul Italia Turcorũ opes (ita ut dixi) inualescerẽt, patriæ status quũ ab externis motibus satis pacatus esset, domesticis discordijs nõ omnino caruit. quã quã ne illę quidẽ ad eos qui in Venetorũ fidẽ uenerãt, magnopere attinere uitæ sunt. Per id enim tẽpus Portunaonia ciuitas graui seditione iactata est. Quũ enim alij antiqua ciui tatis iura tuerentẽ, uellẽtq; suo loco esse, alij ad prefectũ arcis summã rerũ om niũ traherẽt. erat autẽ præfectus tũc Federicus quidẽ Barchius, homo natio ne Italus, sed barbari fastus & superbiæ plenus. Hic indigne ferẽs publicã admi-

administrationẽ quorundã in potentia sibi denegatũ iri ad illorũ conatus op
primẽdos, nouũ in exteriore parte arcis posticũ designauit: id quo minus fie
ret, aliquã diu uiri illi populares obstitere: quorũ Mãtuani & opibus & aucto
ritate principes habebantur. Apparebat publicã fortunã in eius manu fore
qui arci prẽsideret. sed audaci incepto ob publicũ & priuatũ periculum ab
stitere, pro tẽpore scilicet quieturi, quãdo se nihil obuiam eundo proficere
cernerent. Verùm illud in primis eorũ conatus auertit, quòd ipsius uiri aucto
ritate nõ mediocrẽ apud Federicũ Imperatorẽ esse constabat. Sed ne sic qui
dem ferocissimi hominis animus prẽsenti cõtumelia exasperatus placari po
tuit. Quippe qui in ultionẽ erectus, non multo pòst per internuncios ma
gna spe prædæ quosdã facinorosos homines q̃ potuit occultissimè suborna
uit, ut quãtas possent copias cõtraherẽt, atq; ad cõstitutam diem sibi adessent.
quod quum illi impigrè fecissent, momento tẽporis ciuitas nil tale suspicans
oppressa est, atque miserabili modo direpta. ingens fuga ab optimo quoque
facta, & inprimis ab his qui ob pristinas simultates sciebant se prẽfecto inui
sos. Multa & magna flagitia in miseros ciues edita: qui haud tã citò prẽsenti
calamitate defuncti essent, nisi publico Venetorũ edicto infestissimũ prẽsidiũ
iussum fuisset abire. quod ipsum ut aliquãto maturius fieret, Nico. Sauorgna
num, homo spectatæ inter patrianos auctoritatis Portunaonem missus est.
Per hos fermè annos Turci primũ Italiã erupere. Istria fœdè populata, usq;
ad Sontiũ amnẽ tumultuose deuenere: atq; uillis aliquot circa flumen incen
sis, multisq; mortalibus captis, rerò abiere. Ex illo tẽpore publico nomine
ad pẽrsentiendos futuros hostiũ motus exploratores q̃ lõgissimè missi sunt.
speculæ & quãplurimæ tũ in ipsa patria, tũ extra cõstitutæ: magnus prætorea
equitatus ad præsidiũ patriæ missus. Qui per uillas amni proximas diuisus
est. Sed hæc omnia partim fefellit, partim subito aductu turbauit hostis: qui
nõ lõgo interiecto tẽpore penè antè affuit, quàm domo profectus diceretur. S
Ingentẽ trepidationẽ attulit improuisa eorum eruptio. Nam ubi in ulteriore
fluminis ripa conspecti sunt, cœptũ est ab his trepidari, qui citeriorẽ ripam
præsidio tenebant. Sed ne apertè fugam meditari uiderentur, facto impetu in
quàm pauciss imos barbarorum, qui sub primum aduentum tumultuose ad
mnem traiecerant, secunda uigilia noctis in Seruiani insulam cõcessere. Hos
stis autem quum sub primam lucem nudatam præsidio ripam uidisset, præ
missis qui loca proxima ultra amnem diligenter explorarent, ne in aliquas
præcipitaretur insidias, cognita præsidij fuga, fluuium superat, atq; passim in
prædam & populationem effunditur. Incensis q̃ uillis aliquot, in Vtinensem
agrum irrupere. tria milia passuum ab Hunnio hostes conspecti sunt: atq; ob
ipsum creditum est, eos ad oppugnandum oppidum uenire. Continuò ad ar
ma conclamatum est. Terror ingẽs uniuersam ciuitatem inuasit. Clamor plo
ratibus fœminarum mixtus, strepitusq; temerè discurrentium terrorem aug
gebant. uidi ego nobilissimas matronas cum cœtu puellarum in sacris ædi
bus inter altaria & sanctorum imagines prostratas, supinis manibus diui
nam opem implorare. ubiq; clamores & querelæ exaudiebantur. uix alia el
se potuisset captæ urbis species. Creditũ à multis est, in tanta consternatione
nobilissimũ totius patriæ oppidũ facile eo die capi potuisse, si ad portas usq;
hostes obequitassent. Sed illi quia ignari erãt, quò se Venetæ copiæ recepis
sent, quas pridie in ripa fluminis cõspexerãt, nec quo cõsilio decessissent, prę
sidio ab effusiore cursu abstinentes, cõtinuò se ad signa receperũt. Nec mul
to pòst magna mortaliũ multitudine in prędã acta, patriæ finibus abscesserũt.
Et quia ob rem feliciter gestã apparebat hostẽ non quieturũ, sed maiore tu
multu, maioribusq; conatibus Italiã repetiturũ, placuit Venetis firma muni
tione

tione obstruit: quicquid uadi esset inter Goricianũ põtẽ & Aquileiæ paludes, missi sunt qui locũ cõsiderarẽt: & breui cõstitit inter omnes munitionẽ ipsã cõmodius positũ iri super antiquã fluminis ripã, qui aliquãtisper à recẽti alueo distat. Accita ad id opus sunt publico decreto multa hominũ milia. Quibus Citadinus Fratrinas iure cõsultus homo singularis industrię prefectus est. munitio aũt haud uniformis fuit. Sed iuxta paludes ubi densissima nemora fuerũt ex crassis proceris q; arboribus succisis, at q; inter se quadã inexplicabili ratione cõtextis cõstitit. Apertis uerò locis glebæ cum gramine in speciẽ quadratorũ lapidũ recisæ in latitudinẽ septenũ pedũ locabãt: super illas saligini stolones & uirgulta quędã apta ad radicãdũ sternebãt. mox & alia glebarũ manus imponebat. Ex huiusmodi materia per aperta (ut diximus) loca eductũ est opus: quod quidẽ pinnarũ serie interiectis q; turribus urbici muri speciẽ procul spectãtib. exhibebat. Cæterũ in locis quibus flumẽ uada habuit, trãsitu faciliora bina castra uallo & fossa cõmunita sunt: eorũ hæc Gradiscana dicta: illa uerò Folianica, à nominibus uillarũ quæ in ipsis locis fuerãt. Folianica illa post cladẽ ad ripã fluminis acceptã, de qua paulo pòst dicã, deserta sunt. Altera uerò præsidio ad hũc diẽ retẽta, at q; magna ex parte Frãciſci Throni cura & diligẽtia ad hoc ipsum publico decreto in patriã missi muro circundata. De eo loco primo libro diximus. Opus aũt à Mũdina amne ad Goricianũ pontẽ traductũ, c. & amplius cõtinet stadia: nũc pleriq; locis solo penè æquatũ est, uel ea parte, qua gloreosa cõstitit materia, quã imbriũ copia facile resoluit. Cæterũ è regione põtis, de quo proximè diximus, ex eadẽ materia cõstructus est ager in parui castelli speciẽ: ad quẽ tuendũ missi sunt pedites aliquot, inde bina castra mille circiter passus inter se distãtia maiore præsidio firmata ad tria milia equitũ fuere. pedites quoq; his adiecti, sed pro numero equitũ nõ multi. Apparebat itaq; ex eo quòd uada quæ hosti paruissent insuperabili obstrusa essent munitione, & q; eadẽ illa haud infirmo tenerentur præsidio, fore ut hostis Italia abstineret. Iccirco tota patria uelut nullũ ab hoste tũc periculũ impendisset, pacatè agebatur: sed quãto securior fuit illius tẽpestatis status, tãto maiore clade terra ipsa oppressa est. nihil est quod in bello æquè ac ipsa securitas obesse soleat. Ita sanè accidit, ut quũ minimè affuturus hostis putaretur, infesto agmine in ulteriore Sontij ripa cõsederit. De numero hostiũ inter eos qui in castris fuere, minimè cõstat. octo barbarorũ milia fuisse quidã credidere. Alij numerũ in maius extollũt. Ingens tumultus sub primũ eorũ aduentũ in utriq; castris exortus est. Conclamatũq; repentè ad arma: fuissetq; cõtinuò in alterutra ripa cõcursũ, nisi militẽ ad id utrinq; se expediẽtẽ nox ipsa oppressisset. Venetę utrorũq; castrorũ copiæ inter se iũctę insomnẽ noctẽ egere. iussi equites in stratis equis armati corpora curare. Imperium copiarũ omnium penes Hieronymum Veronensem fuit, hominem à primis annis militię assuetum, qui clara magna q; fecerat stipendia. erant & alij complures illustres uiri: Ioannes Antonius Caldorus cum filio, Anastasius Flamminius, Hercules Maluetius, Ioannes Iacobus Iacobi Picinini Ducis olim clarissimi filius, Iacobus Badoarius, Philippus Nebulonius, Georgius Galesius, ac plerique alij, qui honestissimè ordines ducebant. Inter hos ea nocte consultatum est, esset ne aperto campo cum hoste confligendũ, an castra potius tuenda. Quibus defensis, apparebat hostem haud multo longius progressurũ, ut tanto post se præsidio relicto, non esset sibi integrum retrò cum uellet redire. Sed fato (ut ita dicam) eos rapiente cunctis speciosius uisum est hosti quacunque rumpere conaretur occurrere. Vniuersum itaq; equitatum in tris grãdiores turmas diuisere, ut quadrato agmine non temerè cum hoste confligeretur. ductores ipsi inter se turmas sortiti sunt. Sed dum hæc in Venetis castris geruntur, barbarus interim non magis aperta ui

quàm

quàm insidijs agendum ratus, continuò circumacta suorum ala, sub occasum A
solis castellum, quod ponti imminebat, oppresso quo tenebatur præsidio oc-
cupat. quàm paucissimi in proximum pontem confugerant, atque se pilis qui-
bus impositus est, soluta utrinque pontis materia, tueri parãt. Sed illicò telo-
rum multitudine penè obruti, in subiectum flumen præcipitati sunt. Aberat
locus à castris ipsis ad quatuor milia passuum: quo accidit, ut nec oppugnatio
ipsa aggeris cognita sit, nec cum nocte illa tumultuosè nunciatum esset, castel-
lum cum præsidio oppressum crederetur. Asabecchus autem (hoc enim illius
expeditionis duci nomen fuisse accepimus: alij uerò non Asabecchum, sed
Marbecchum appellatum fuisse aiunt) ubi pontem in sua esse potestate uidit,
locum ad insidias aptum circumspicere cœpit. Quo reperto, intempestano
cte ad mille lectos equites tacito agmine fluuiũ transnare iubet. Sunt qui cre-
dant, eos ponte traductos. his ꝙ imperat in insidijs esse: atꝙ intentos signum
ad erumpendum expectare: quo accepto, ex improuiso hostem inuaderent.
Vbi uerò illuxit, barbarus expeditissimam equitum alam, superato amne ad
hostium castra, si nemo interim occurrat, ire iubet: atꝙ portis obequitãdo, hos-
stem ad pugnam elicere: iniectoꝙ certamine, cedendo sensim ad insidiarum
locum pertrahere. His autem aliquãtisper à uado progressis, Hieronymus Ve-
ronensis cum speculatoria suorũ manu fit obuius. reliquus equitatus in tres
diuisus turmas, uti iussus erat non longè subsidio sequebat. Cõtinuò utrinꝙ
ferociter est concursum. sed barbari momẽto tẽporis quasi uicti, de industria
cessere. cedentes uictor urget, atque aperto campo palatos hostes insequitur.
Sed nemo omniũ in festius barbarũ premere ꝙ Hieronymi filius iuuenis im-
piger atque gloriæ cupidus. hunc ferocissimè pugnantem audax iuuenũ ma- B
nus præsenti successu elata sponte sequebatur. Id ægrè ferre callidus senex,
atque identidem clamitare, non esse temerè instandum barbaro: scire se eam
gentem non nisi de industria tam leuiter meditari fugam. Et quia in angusti-
as locorum iam propè uentum erat, omniaque circumiecta loca suspicionis
plena apparebant, iubet dato signo suos ab effuso cursu reuocari. tum barba-
rus uersus in pugnam, prælium ferociter instaurat. Hieronymus primam tur-
mam præstò sibi subsidio adesse mandat: nam ex altera parte fluminis Mar-
bechus, ut suis auxilio esset, tumultuosè mouerat: & iam uis ingens hostium
in citeriorẽ ripam amnis transnauerat. Rex integrata pugna hostis ad Grã-
mam usqꝙ. qui torrens per Pogoretanas ualles præcipitatur, reiectus est, hic
dum totis uiribus Veneti hostem urgerent, atque conatus eorum, qui supe-
rato fluuio suis opem ferre studebant, utpote ex superiore loco facilè sustine-
rent: & breui quum in pręsentem pugnam intenti essent, alacríque animo pu-
gnarent, dato repentè signo ex Licinisii uertice, qui capitibus pugnantium
ad lęuam imminebat, barbarorum manus ex insidijs coorta cum horrifico
clamore & strepitu in subiectam turmam effunditur. Tantus pauor sub pri-
mum clamorẽ Venetis iniectus est. Apparebat enim se undiqꝙ circumuentos,
ut momento temporis diceres non eos esse, qui modò tam strenuè pugnabãt.
Sed ubi unicã spẽ salutis in armis esse cernere, paululũ cedere conati sunt, ut
apertiore loco res gereretur. Sed tam uiolenta impressio ex superiore loco ab
hoste in eos cædentes facta est, ut in arctissimum locum compulsi, se pugnæ
expedire nequirent. Inter inferos barbarus & à fronte & à dextra eos in urbẽ
coeuntes, fœdissima strage prosternit. Sic momento temporis prima turma
hostiũ multitudine obruta est, & ad unũ fermè omnes cæsi, præterquam pau-
cissimi uiri illustres, qui se hosti dediderũt. Ductores aut proximè turmæ ubi
primam aciem circumuentam uideret, atqꝙ undiqꝙ hostes ferociter & cum hor-
rifico clamore, ut mos est gentis, instare, cedere cæperunt, ut in apertã plani-
ciem euaderent. uerùm id tanta trepidatione factũ est, ut illicò fugientiũ spes-
cies

A cies potius quàm ſedentiũ his qui in extrema acie conſtituti erant, præbuerint continuò omnes quaſi uicti circumſpectare fugam cœpere. Adeſt interim uictor hoſtis, turbatoſq; ſua ſponte ordines cum ſtridore inuadit: quibus minimo negocio ſolutis, aperta fit fuga. Pro ſe quiſque ſine imperio in deuia & proximos ſaltus euadere conatur: hos barbarus paſſim inſecutus ſternit, atque fœdiſſimè trucidat ad Moſſam uſque, & ulterius cædes diſtracta eſt. pauci relictis equis, et armis abiectis, in ppinquos ſaltus abiere. Ceciderunt in ea pugna Hieronymus, penes quem totius equitatus imperium fuiſſe diximus, cum filio, Iacobus Badouarius, Anaſtaſius Flamminius, & plerique alij uiri illuſtres. Reliqui fermè omnes capti. Nec uictoria hoſti incruenta fuit, ipſo Marbecho duce grauiter uulnerato, multisq; ignobilibus cæſis. Sed quicunque in ea pugna ceciderant, in unum coaceruati, Marbechi iuſſu combuſti ſunt. Id' que ex eo ſuſpicari libet (nam nihil certi alioqui de hoc compertum habeo) quoniam in tanta noſtrorum cæde nullus barbarus repertus eſt. Id' que ad terrorem inijciendum factum credibile eſt, quaſi ita acciderit, ut tot hoſtibus cæſis incolumis acies barbaro cõſtiterit. In hunc maximè modum ad Sontium pugnatum eſt. Cuius cladis fama tãtum terroris uniuerſæ patriæ attulit, ut qui in oppidis erant, uix ſe tutos futuros putarent. Frequens fuga nocte illa quæ diem pugnæ ſecuta eſt, ex uillis & agris facta dicitur. Poſtridie autem cum iam multum diei proceſſiſſet, repentè circa Hunnium compluribus locis fumei globi attolli cœperunt, quibus cognitum eſt hoſtem adeſſe, atque momento temporis, quaſi inter barbaros ita conueniſſet, quicquid uillarum inter Sontium & Tiliauentum fuit, hoſtili manu deflagrauit. Eram ego per id tempus Tarcenti: quò ob peſtilentem annum ex Hunnio conceſſeram: auditaq; clade ad ſontium accepta, in arcem, quæ uico imminet, cum multis mortalibus me receperam. ex eo loco


B proſpectus in uniuerſam patriam latè patet. inde atrociſſimum patriæ incendiũ non ſine lachrymis ſpectaui: fœdum ſiquidem fuit interdiu uidere tantum culti & amœni ſoli fumo & caligine opertum: ſed longè fœdius atrociusq;, ſub primas tenebras: ac per reliquum noctis cernere aciem unam flammarum à Sõtio amne ad Tiliauentũ extenſam, ut nihil medium eſſe uideretur, quod non ignis occupaſſet. Quam ſpeciem ardentium uillarum denſitas, quæ circiter centum numero fuere, exhibebat. auſim ego affirmare nullo unquã tempore tam atrox incendium à mortalibus uiſum, niſi fortè fabulis poetarum credendum putamus, qui portentoſa illa de Phaetonte mẽdacia confinxere. ſed nos hæc omnia copioſius in noſtris poematibus: quorum hoc cædem Sontiacam, illud incendium Carnicum inſcripſimus. multa proinde, quę ad rei atrocitatem attinent, ſilentio præterimus. Hoſtes ea nocte pluribus locis caſtra habuere. ubi autẽ illuxit, onuſti præda, ingentiq; captiuorum multitudine in unum coiuere, atque in caſtra quæ ad ripam Sontij fecerant, læti receperunt. Poſtridie mota ſigna: & quum à flumine unius diei itinere receſſiſſent, abeuntium ſpeciem præbuere. Quod quum ita omnibus perſuaſum putarent, denuò haud minore tumultu quàm prius in patriam cruperũt, denſo agmine ad Tiliauenti uſque ripam proceſſere: ſuperatoq; impigrè flumine, cis ultraq; pleriſq; uillis incenſis, ingentẽ cladem Tranſtiliauentanis attulere. plures fermè quàm prius mortales in prædam acti ſunt. hi ubi ad ſuos rediere, continuò Marbechus patriæ finibus exceſſit. Manſere aliquandiu utraq; caſtra ſine præſidio, fuerunt qui conſulerent ea diruenda. Sed pluribus è republica uiſum eſt ea nouo præſidio muniri debere. Atq; ita non multo pòſt Carolus Fortebrachius cum ualidiſſimo equitatu ad utrorumq; caſtrorum pręſidium miſſus eſt. quibus nuper initis, ducis' que ipſius diligentia non pręſidio tantum, ſed ualido quoque opere munitis, ingẽs Turcarum manus ſub meſſium ferias in Sontij ripa tumultuoſe conſedit. Poſtridie barbarus ſuperato fluuio ante Gradiſcana caſtra aciem explicuit, nul-

lam pugnadi moram facturus, si hostis in pugnam descendere uoluisset. Illeue rò recentis cladis memoria territus, suos intra uallum instructa acie quasi per occasionem erupturus continuit. Barbarus cum ad altam diem in armis fuisset, cernereq; hostem nihil temerè cõmissurum, digressus idem ad quatuor millia passuũ intra Medeę montem & Cromonem castra locat. Postero die inter Cromonem ipsum & Mansanum per apertas ualles ad radices mõtium conuertitagmen. trigínta barbarorum millia fuisse traduntur, qui per abrupta et confragosa alpium loca ipsius locorum incolis aditu difficilima in eam Germanię partem euasere, quam nunc Zeliam uulgò appellant. Ego Iuliam, uti primo libro testatus sum, potius dixerim: aut quod à uero non abhorret, Ciliam. Multa interim et horrenda, & quæ uix fidem sibi uendicent facinora tum aduersus alpium difficultates, tum etiam in audaces incolarum conatus per eos dies ab his edita. Quorum illud silentio indignum uideri potest, quòd pluribus locis, ubi in abruptas rupes uentum est, equos uestibus alligatos in subiectas crepidines demissos aiunt, & inde in alias, donec in imas ualles esset descensum. interdum uniuersus penè equitatus, uel certè magna pars eius, uti ex ipsis uestigijs cognitum est, per adeò declíuia loca præceps datus est, ut per ducentos fermè passus non modò illis locis pedibus quispiam uadere possit, sed ne cõsistere quidem, nisi uirgulto sese aliquo applicuerit. Est & illud non indignum memoria, quòd ubi per iuga alpium usq; in montanæ Carniæ fines decurrissent, nunciatumq; interim esset, montanos incolas iuga montis, qui Lanceæ dicitur, qua unicum eis iter in Germaniã patebat, occupasse, intrepidè ad locum progressi, neq; immensa motis altitudine, quæ in ipla penè nubila uerticem erigit, nec ascensus arduitate deterriti sunt, sed subnixi cutis per aduersam rupem ad hostem repsere uerius, quàm dixerim subiere. Quo audaci incœpto territi, qui præsidio erãt trepidare cœperunt. inde in fugam turpiter dilapsi ingentis cladis hosti materiam præbuere. Hæc ultima fuit Turcorũ expeditio aduersus Venetos in Italiam. Nam paruo interiecto tempore, Veneti cum Mahumeto eius gentis imperatore fœdus percussere. Ad quod publico nomine sanciendum Benedictus Triuisanus, uir magni consilij & auctoritatis Constantinopolim missus est, unde certissimam Venetis pacem reportauit. Hic idem non multo post patriæ administrationem ex prætura sortitus, præter alia multa iustitiæ & innocentię exempla, quibus publicum munus auspicatus est, domesticas discordias & inueterata odia, quibus tota fermè patria ad id tempus laborarat, sapientissimè sustulit: atq; nomina quædam peregrinarum factionum pessimo exemplo inducta adeò restinxit, ut illorum memoria ad hunc diem prorsus obsoleuerit. Verùm diuina quadam prouidentia id factum uideri potest, ut cuius opera hæc terra cum reliqua Italia grauissimo bello quando q; liberata fuerit, eodem prętore domestica seditione liberaretur. Debebunt itaque semper Triuisanę familię hoc nomine Foroiulienses, quòd hoc ipso uiro auctore, & externa & domestica sint otia consecuti, quæ ex illo tempore, unde patriæ antiquitatem scribere orsi sumus, sortiri non potuerunt.

CORIOLANI CEPIONIS

DALMATAE, PETRI MOCENICI IMPERATORIS Veneti gestorum contra Turcas,

LIBER I.

A 

VM Venetijs nunciatum esset, Othomanum Turcorum principem ingentibus copijs terra mariq; Euboeam inuasisse, Chalcidemq; eiusdem insulae urbē intra paucos dies expugnasse, omnesq; insulas atq; ciuitates Graeciae copiarum magnitudine Othomani perterritas, iam non in uirtute, sed in fuga spem habere: nam classis Othomani numerū trecētarū nauiū expleuerat: terrestres uerò copię centū & uiginti millia militū excedebāt. Ciuitas trepida atq; de statu rerum sollicita, etiā, ppriae saluti diffidere cœpit. Tunc & supplicationes indictę, & uota publicè priuatimq; suscepta, si status reipublicae integer maneret. Tum Patres rogati cōueniunt: fit frequens Senatus: graues atq; uariae sentētiae dicuntur. Tandē nihil potius in re fore decernunt, q̄ eligere probatissimū Imperatorem, qui & auctoritate sua labantes ac fractos animos sociorū & subditorū confirmaret, & uirtute atq; animi magnitudine tanto hosti obuiā iret. Fit Senatus decretū, ut Nicolaus Canalis Imperator reuocetur: deinde omnibus suffragijs ad tale negocium idoneus Imperator designatur Petrus clarissima familia Mocenica ortus, quae gēs à primordijs ipsius urbis inter patricias familias semper habita est. De qua etiam multi clarissimi Imperatores naualis belli gloria uiri illustres fuere. Thomas denicp inclytus Venetorum dux, qui ob magnitudinē B rerū gestarū cœlo & immortalitate dignus extitit. Petrus quoq; ipse non minus ob uitę integritatē, atq; fidei sanctimoniā, q̄ ob animi magnitudinē & belli peritiam clarus habetur. Quapropter & strenuus Imperator, Senatorq; optimus, & ciuis bonus semper existimatus est. Itaq; accepto imperio, armata trireme, festinè atq; sine mora nauem conscendit, intraq; paucos dies Fauonio flante Venetijs soluit: prosperaq; nauigatione usus, non post multos dies in Greciā uenit. Postq̄ igitur ad eam prouinciam delatus est, nihil antiquius ratus, q̄ fractos animos sociorū, prę sentia sua atq; oratione confirmare, omnes insulas atq; ciuitates Graeciae percurrit: benigna oratione ciuiū deiectos ac prostratos animos erigit, excitatq;: affirmās no uera uirtute, sed dolo Othomanū Chalcidē expugnasse: qui tanquā latro ex insidijs inopinātes atq; imparatos aggressus erat: breuiq; se effecturū, ut Othomanus ad sua tutanda, potius q̄ ad aliena rapienda uires atq; animū intēdat. Vbi satis cōfirmatos omniū animos perspexit, nauigationē Eubocā uersus dirigit. Iamq; fretū quod Eubocā à cōtinenti diuidit intrauerat: quū offendit Nicolaū Canalē Imperatorē collecto undiq; magno numero nauiū, distributisq; ordinibus Chalcidem aggredi, atq; oppugnare uelle. Statuerat enim fortunam experiri, si quo pacto amissam urbem recuperare posset. Nicolaus conspecta naue Mocenici (ex signis aduertit successorem aduenire) euestigioq; naui desiliens, scapham ascendit, & ad Mocenicum uenit. Vbi complexi atq; consalutati inuicem sunt: Nicolaus, Vides (inquit) optime Imperator, uides magnitudinem classis, quam accitis undiq; nauibus cōparaui, omnibusq; ad oppugnandam urbem necessarijs instruxi. Praeterea distributis partibus Praefectis ac turmarum ducibus, qua quisq; urbem oppugnaret, ordines optimè disposui. Qua propter magnam spem in manibus urbis recuperandae habes. Igitur trado tibi imperium, rem à me inceptam prosequere, absq; dubio urbe potiturus. Mocenicus uerò reipublicae potius, quàm dignitatis suae habitaratione, ne aduentu suo ipse nouus, & consiliorū sui antecessoris ignarus rem turbare uideret, respōdit: Nicolae, perge ut cœpisti, dūmodo reipublicae profi-

cias, me uel ſociũ, uel comitẽ habeto ad omnia munia à te mihi mandata para-
tũ, modò urbem amiſſam recuperare poſſis. Nicolaus nihil ſe agere uelle reſpõ
dens alienis auſpicijs, imperio ſe abdicat. Tũ Mocenicus Nicolaũ potius ma-
gnificè, quàm ex animo loquutũ, conatusq; fruſtra fieri aduertit. Nã & copiæ,
quas Nicolaus expoſuerat, obtruncatis duobus pręfectis triremiũ, in fugã uer
ſæ, aliquot etiã naues tormentis, quas bõbardas appellamus, fractæ atq; perfo-
ratæ erant, quæ uix, ne ſubmergerentur, ſe ſuſtinebant. Itaq; amiſſa ſpe potiun
dæ urbis, cuiuſcunq; generis naues ſubitario apparatu excitas, omnes dimiſit:
& quoniã iam tranſacta æſtate hybernũ tẽpus appetebat, cum reliqua claſſe na-
uium longarum ad Peloponneſi urbes ſe recepit. Ibi enim ſtatuit futurum ex-
pectare annum, habens in animo adueniente ęſtate aliquod pręclarum facinus
facere, quo poſſet acceptam cladem ſuperiori anno amiſſæ Eubœæ, reſarcire.
Interim tamen & naues inualidas reficere, & alias circum Aegeas inſulas mit
tere, ad confirmãdos ſociorum animos, operam dabat. Dum hæc in Græcia ae-
guntur, deſignãtur Venetijs duo legati, uiri ætate graues, maritimiq; belli haud
ignari, Marinus Malipetrus & Ludouicus Bembus, quorum conſilio Impe-
rator in bello adminiſtrando uteretur, qui armatis triremib. appetente uere ad
Imperatorem maturè ſe cõferunt: cum eo ſimul quid æſtate noua agẽdum, quid
ue eſſet potiſſimum & ad opprimendum hoſtẽ, & reipub. ſtatũ cõfirmandum
deliberaturi. Ferdinandus quoque Apuliæ rex, ex fœdere miſit naues roſtra-
tas decẽ, ſub Rechaiẽſio duce, qui ex cõfilio Imperatoris noſtri bellũ cõtra Tur
cũ geſturus eſſet. Othomanus Turcorũ princeps, ueritus (opinor) ne ob amiſ-
ſam Eubœã Chriſtiani principes ſimul cõſpirarẽt, belloq; ſe opprimerent, ex-
periri ſtatuit, ſi quo pacto rẽ cũ Venetis cõponere poſſet, uel tẽpus trahendo ae-
trocitatẽ Chalcidicæ cladis lenire, uſus opera atq; miniſterio nouercæ ſuæ, mu
lieris Chriſtianæ, Georgij olim Tribalorũ Deſpotæ filiæ. Quæ cognita priui
gni uolũtate, ex ſuis domeſticis fideliorẽ Venetias miſit. Cui mãdat, daret ope
ram, ut Veneti legatos ad Turcum mittant: affirmans, ſi uenerint, ex ſententia
rem compoſituros eſſe. Mittuntur ergo duo legati, Nicolaus Coccus, & Fran-
ciſcus Capellus: qui conſcenſa naui, primùm ad Deſpotæ filiam, quæ in quo-
dam uico Macedoniæ à priuigno ei dato, tunc manebat. Inde alloquuti mulie-
rem, terreſtri itinere Byzantiũ ſe conferunt: ubi ſaluato ex more gentis Turco-
rum Principe, reliqua per internuncios agũt. Et cum de cõditionib. nõ conue-
nirẽt, legati per literas, quas pacis cõditiones Turcus offerret, Senatũ certiorem
reddunt. Veneti reiectis cõditionib. ex Senatus decreto legatos domũ reuocãt.
Interim Frãciſcus Capellus febri correptus moritur. Nicolaus alter legatus, pri-
mùm piſcatoria nauicula Lemnũ: inde nactus Venetã triremẽ, Cretã ſe cõtulit.
Dũ legati, pficiſcuntur, dũ de cõditionib. agitur, in mittẽdis etiã atq; remittẽdis
literis, tota ęſtas effluxit. Qua etſi Imperator cupiditate arderet patrare aliquod
egregiũ facinus, & ſe & ſuorũ maiorũ gloria dignũ, diſſuadentib. tamẽ legatis,
nihil actũ eſt. uerebant enim, ne barbarus hoſtis bello laceſſitus, oratoribus ui
ris nobilib. atq; innoxijs manus inferret. Igitur iam inſtante hyeme, dux regiæ
claſſis Neapolim ad regem ſe recepit. Marinus q; Malipetrus cũ Ludouico
Bẽbo legati domũ reuocantur. Veneti de cõpoſitione rerũ cũ Turco ſpe reiecta,
in ſequentẽ annũ bello ſe præparare ſtatuũt. Mittuntur ergo oratores primùm ad
Romanũ põtificem, deinde ad regẽ Ferdinãdũ, quatenus eos monerẽt, ſuade-
rentq; ut ad opprimendũ cõmunẽ hoſtẽ peſtemq; pernicioſiſſimã Chriſtianæ
religionis, animũ atq; uires intendãt. Põtifex accepta benignè legatione, ſe pro
uirili ſua nõ defuturũ, pmiſit. Ferdinandus quoq; rex ſummo ſtudio nauare eo-
perã in annũ futurũ pollicitus eſt. Imperator etiã miſit nuncios cum literis, &
ad magiſtrũ Rhodiæ religionis, & ad regẽ Cypriũ, ut uere ineũte bello ſe præ-
pararent, naues q; ex fœdere debitas mitterent. Interea ipſe cũ claſſe circũ Ae-
geas inſulas obnauigat. Timebat enim, ne hoſtis nactus opportunitatẽ, aliquã
ex

A exfœderatis ac subditis insulis opprimeret. Nã multa in eis oppida debilia ac male munita sunt. Dũ in his locis cũ classe morat̃, accepit uicũ Ionię opulẽtissimũ, temerè sine pręsidio esse. Situs est in cõtinenti, ex aduerso Chiorũ oppido, Passagiũ incolæ uocãt, in quẽ totius penè Asiæ prouinciæ merces cõportant. Inde Chiũ deuehunt̃. Ea urbs his tẽporib. sub Genuensiũ ditione simul cũ insula posita, omnibus ferè Italiæ populis cõmune emporiũ est. Quapropter Passagiũ, & frequentib. habitatorib. & tabernę in eo mercibus repletę sunt. Igit̃ sub Iucano tẽpore Imperator cũ classe ad litus uico proximũ applicuit. Ibi milites exposuit, ac nauales socios, quibus addidit etiã non paruã partẽ turbę remigũ. Omnibusq; prefecit magistrũ suę nauis, quẽ uulgò Comitũ appellãt, qui è uestigio instructa ac disposita acie, uelocissimo gradu ad uicũ tendit. Coloni ac uici habitatores, subito hoste ac insperato malo perterriti, ad proximos mõtes diffugiũt. Nostri uicũ habitatorib. uacuũ, sed omni barbara merce refertũ, intrãt, diripiũt, distrahuntq; omnia: pictis tapetis, uersicolori ac serica ueste, pãnoq; hircinæ lanæ, quẽ Zãbilotũ dicũt, & omni alia preciosissima merce se onerãt. Cætera ferre nõ ualẽtes, cũ tectis supposito igne cõburũt, prędãq; omnẽ ad naues referũt. Imperator ditata classe ad reficiẽdas naues in hiberna Methonã se recepit. Brumæ enim tũc erat tẽpus, annicq; pars sæuissima. Nec Methonæ illi multos dies manere licuit. Motus enim crebris rumoribus, qui de Turcorũ classe ferebant̃, Lẽnũ uersus nauigare statuit. Erat autẽ fama, Othomanũ ad occupãdã eã insulã quadraginta triremes optimè instructas pręparasse. Itaq; Imperator paratis necessarijs, acceptoq; cõmeatu, uelocissimo cursu cũ tota classe Lẽnũ se cõtulit. Cõperit ibi de Othomani classe rumorẽ falsum fuisse. Lẽnos insula duo oppida habet, Palæocastrũ, & Cocinũ appellãt. Cocinũ terræmotu quassum funditus corruerat: maxima etiã pars murorũ ac turriũ Palęocastri, quę Imperator
B summo studio reficere ac restituere curauit præsidiũq; militũ, quos ex Pelopõneso adduxerat, oppido imposuit. Cõpositisq; insulæ rebus, inde soluẽs Methonam reuersus est. Dũ illic naues reficere, necessaria q; ad bellũ parare studet, Venetijs designant̃ duo legati, uiri ob res gestas domi forisq; clarissimi, Stephanus Malipetrus, & Victor Soprãtius, qui sumpto magistratu naues cõscendũt, ad Imperatorẽq; se maturè cõferũt. Vbi habito simul colloquio, cõmuni cõsensu statuũt, pręter nauales copias, decẽ equites in singulas naues accipere. per omnes enim urbes Pelopõnesi, quę Venetorũ sociæ ac subditæ sunt, habẽt Veneti mercenarios equites, natione Epirotas, quos Græco uerbo Stratiotas uocãt, uiros magni animi, & ad omne facinus peragẽdũ paratos, q crebris excursionib. totã illã partẽ Pelopõnesi, quę Othomano subiecta est, deuastãtes penè ad solitudinẽ redegerũt. Hæc gens natura ipsa hoc illi tribuẽte, est rapacissima, magisq; ad prędã, q; ad pręliũ apta atq; instructa. Vtũt̃ scuto, ense, atq; hasta, pauci lorica, reliq; bõbycina thorace cõtra hostiũ arma se muniũt: equos etiã exectos ad sustinendos uel lõgissimos cursus aptos habẽt. Prę cęteris tamẽ uirtute et exercitatione pollẽt, qui Neapolim inhabitãt. Ciuitas est Pelopõnesi in Argiuo rũ agro sita. Igit̃ imperator et legati simul cũ tota classe, Neapolim se cõferũt. Equites nauib. imponũt: inde ad excurrẽdas ac deprędãdas Asię maritimas prouincias, totis uirib. cõtẽdũt. Grecas aũt prouincias atq; insulas Othomano subditas imperator nunq; uel minimo dãno afficere uoluit: quoniã pręter pręsidia, atq; magistratus ab Othomano impositos, populi omnes Christiani sunt. Asia uerò prouincia tota barbara atq; infidelis, Machometanęq; superstitioni dedita ac deuicta est. Quapropter totã Greciã pręternauigãs, Lesbũ uenit: atq; ad Oriẽtale promõtoriũ insulę, quoniã ea pars habitatorib. uacua erat, habẽs portũ tutissimũ cũ tota classe se cõtulit. Ex oppositio est Aeolia regio opulentissima, habẽs oppidũ maritimũ Castri appellatũ, sitũ in agro Pergameno. Pergamus fuit olim ciuitas in tota Asia celebrata, in qua primùm usus chartæ ex pellibus caprinis inuentus est, quã obrẽ & Pergamenæ dictæ sunt. Huius urbis reges ma-

iori parti Asiæ imperitarunt: quorum ultimus Attalus Philopater Romanũ A
populũ hæredem instituit: nunc uix uestigia quidem tantæ urbis apparent. A-
ger tamen propter fertilitatem frequẽtibus uicis habitatur. Itaq; intempesta no-
cte Lesbo soluens, ad ulteriora litora summo mane uenit. Expositis equitibus,
magna etiã parte naualium copiarum, omnibus præposuit Iacobum Parisorũ
magistrum classis, quẽ uulgari ac uernaculo sermone Admiraliã dicimus. Hu
ius officium est, cursum nauigationis dirigere ac disponere, nauali etiam turbæ
ius reddere, & ob leuia delicta in eos animaduertere: grauiora uerò peccata pu
niẽdi Imperatoris munus est. Quo duce ac præfecto posthac Imperator ad om
nes excursiones usus est. Igitẽ dux locato ad subsidia idoneo numero equitũ, ad
ditis etiã naualib. socijs ac militib. cæteros omnes ad depopulãdũ agrũ misit.
Qui uelutiè carceribus missi, citatissimo cursu omnes uicos circũiacẽtes excur
runt, magnũ numerũ mortaliũ capiunt, omniũ pecorũ greges agunt. Prętera ua
ria supellectili se ac armẽta onerãt. Dum nostri cũ pręda reuertunt, equites ho-
stiũ ex proximis locis excíti, simul coeunt. Nam qui manus nostrorũ effugerant,
clamoribus atq; ululatib. omnia cõpleuerant. Itaq; cuneo facto, hostes prius edi-
to magno clamore, sperantes prædã recuperare posse, nostros aggrediunt. No-
stri uerò equites cõuersis equis, magno impetu prælio ineunt. Obtrũcatis mul
tis ex hostibus, cæteros in fugã uertunt. Itaq; omnis pręda ad naues reducitur.
Equites interfectorũ hostiũ capita imperatori offerũt, singulos aureos in singu
la capita accepturi. Nã Imperator, p miserat unicuiq; interfecti hostis caput de-
ferẽti, aureũ se soluturũ, quod semper postea seruatũ est. Imperator oneratis prę
da nauib. ad quandã insulã desertã ac portuosam, quam nunc sanctã Panagiã uo
cant, quę inter Chiũ ac cõtinentem sita est, se recepit. Ibi omnem prędam expo
suit, elegitq; treis quæstores & præfectis nauiũ, duos Venetos, tertiũ Dalmatã,
quẽ morẽ etiã creandorũ quęstorũ semper tenuit. Quæstores uerò primùm de-
cimã totius prædæ, iuxta antiquissimũ morẽ Venetorũ, Imperatori dant. Equi
tes ex præda per eos capta, factis partib. duas, p se retinent, tertiã quęstoribus assi-
gnant, ita enim cũ Imperatore cõuenerãt. Captiui aũt omnes, quos naualis tur-
ba cæperat, quæstoribus tradunt, quos omnes posita hasta sub corona uendunt.
Deinde pecuniã hoc modo distribuunt. Primùm omnib. ex naualib. qui hostẽ
captiuũ adduxerant, tres aurei dant. Deinde impensæ uictus equitũ, quas præ
fecti nauiũ fecerant, soluunt. Reliqua pecunia equis portionib. in naues diuidi-
tur. Legatis uerò quantũ singulæ naues acceperant, duplũ datur. Prefecti acceptam
pecuniam portionẽ tertiam sibi retinentes, reliquã inter naualẽ turbam pro con
ditione hominũ diuidũt. Quibus expeditis, Imperator nocturna nauigatione
ad insulas Cariæ adiacentes uenit, depopulaturus eam partem regionis, quæ
olim Gnidiorum ager fuerat. Gnidus autem fuit ciuitas Cariæ, ppter duos por
tus ac naualia clara & celebris. Cuius dirutæ & euersæ multa monumenta etiã
nunc extant. Nam & theatri ędificium, & tectorũ ac templorũ quadrati lapidis
mœnia semiruta & dissiecta uisunt. Ager quoq; absq; alia mitiori cultura, à pa-
storib. tantum habitat. Igitur Imperator sub lucem, ad quendam sinum illius
regionis, Barbanicola uocatum, applicuit. Euestigio emissi equites ac naualis
turba absq; ordine omnia percurrunt: maximũ numerũ hominũ cuiusq; ętatis
ac sexus capiunt. Præterea pecoris quantũ ad usum satis nemine resistente acci
pit. Aliarũ rerũ præter paucos tapetas & centones nihil. Ex centonib. enim illa
gens & tabernacula portatu facilia (quoniã stationes pascendi pecoris gratia sę
pe mutãt) & culcitras dormiẽdi causa faciũt. Imperator imposita in naues omni
pręda, ad Delon insulã uenit. Hęc olim ob insigne Apollonis tẽplũ, et sacrorũ
cęremonias cõuentib. uniuersę Grecię celebrata fuit, nũc deserta ac inhabitata
est. Extãt tamẽ tẽpli, et amphitheatri uestigia albi marmoris: colũnarũ q̃q; ac si
gnorũ maximus numerus. Colossus etiã cubitorũ qndecim, cũ hac inscriptio
ne, ῥαζὸς ἀπόλλωμ. Sũt et cisternę multę, mirę magnitudinis, etiã nũc aquarũ ple
næ.

A neq. Hic per quęstores ex instituto omnis pręda diuisa est. Deinde facta licitatio ne, captiui uenduntur, pecuniaq; redacta ex cõsuetudine diuidit. Quib. peractis, Imperator quoniã cõmeatus classe defecerãt, ad Pelopõnesi urbes diuertit. Interim nauigandũ uerò ad Malæũ, promontoriũ, Rechaiensius regię classis dux cum decẽ septẽ triremibus, ei occurrit. Vbi nauticorũ more, celeumate ac signis inuicem cõsalutati, simul Methonã ueniũt. Ibi imperator accepit, Cardinalẽ q̃q; legatũ Põtificis Romani cum classe aduenire. Deinde acceptis cibarijs, simul cum regio duce, ad insulas Asiæ adiacentes maturè se cõtulit. Habent Rhodij oppidũ opere ac defensorib. munitissimũ, ac inexpugnabile: q̃d Castellũ Sancti Petri uocãt, situ in ea parte Carię, q̃ Coo insulę opposita est: ad q̃d multi Christianorũ seruitutẽ Turcorũ fugientes, ex tota Asia q̃tidie se cõferunt: & quoniã extra munitiones hostis omnia tenet, oppidanis ne lignã di quidẽ gratia exire licet. Hic mira de canũ sagacitate ac solertia narrantur. Habent em̃ oppidani ultra quinquaginta canes, q̃s nocte extra munitiones tenent: ad q̃s si quis Christiano rum peruenerit, benignè excipiũt, et cum plausu ad oppidũ ducũt. Si uerò in hostiem inciderint, latratib. persequunt & dilacerãt. Et si cui hęc mira ac incredibilia uidẽt, legat Plinij in Naturali historia, q̃ de hoc animali multa maiora tradidit. quapropter Imperator, ut oppidanis ad necessaria exire, atq; euagari lõgius facultas daret, circũiacentes uicos oppido depopulari statuit. Ergo tota nocte nauigãs, dum adhuc tenebrię essent, ad litora oppido ꝓxima uenit. Sed cum aduertisset uel minimã partem nauiũ secũ esse, nihil agendo, diẽ operiri statuit. Silentio em̃ lunę nox obscura erat, impedientib. etiã cursum nõnullis scopulis, rectores nauiũ per errorẽ alia ex parte cuiusdã promontorij, naues appulerant. Sed cum iam illuxisset, præfecti aduertentes Imperatorẽ secũ nõ esse, solutis funib. ac sublatis ancoris, ꝓmontoriũ circũremigantes, maturè se ad Imperatorẽ con-
B ferunt. Imperator ilicò exponere equites, partemq; turbæ naualis iubet: iamq; diei hora prima erat. Incolę uisa classe, imbellem turbã ad mõtes fugere cogũt: Ipsi se ad conferendã manum cum hoste præparãt, uirib. ac asperitate loci freti. Hi em̃ uiri, propter assiduas cum oppidanis cõcertationes, præ cæteris Asiaticis uirtute pollent. Nostri uisa aduersariorũ audacia, instructi procedũt: & cum ad iactũ lapidis iam uentũ esset, magno clamore ab utraq; parte edito, infestis armis cõcurrunt. Atrox prælij cõmittit. Equites impedientib. præruptis saxis, nostris nõ multũ auxilio fuere. Nauales uerò socij ac milites, eminus plumbea glande tormento emissa, & sagittis, comínus ense & hasta hostẽ feriunt. Hostis q̃q; missilibus, quib. maximè prędualebat, nostrorũ multos sauciat. Stetit aliquã tulũ anceps prælij. Tandem nostri & numero & uirtute superantes, obtrũcatis multis hostem in fugã uertunt. Multi uiri capiuntur. Cæteri ad præruptos montes, atq; inuios anfractus se recipiũt. Nostri fusis fugatisq; hostibus, per omnes uicos ad deprædandũ discurrũt, ferro igniq; cũcta deuastãtes. Itaq; deprędatis omnibus, maximè tapetis onusti, ad naues redeũt. Nam in his locis mulieres pręcipuè sunt operariæ, tapetorumq; textrices quæ nõ solũ ad usum, sed etiã ad mercaturã operã suã exercent. Homines pauci, præter aliq̃t mulieres, q̃ asportandi sua cupidæ nõ aufugerãt, capiuntur. Allata sunt Imperatori hostiũ capita, absq; numero. Hostes uiui in prælio capti q̃ plurimi. Ex nostris desideratus nemo. Sagittis uulnerati ad quinquaginta sunt. Quarta deinde die ad quendã locum Cariæ, q̃ nũc Tabia dicit, summo diluculo uenit. Ibi coeuntia ex utroq; latere maria, magnã partẽ Cariæ peninsulã efficiũt. Ager Halicarnassæorũ olim erat, q̃ ciuitas fuit regia Principũ Carię, in qua Artemisia regina Mausolo uiro suo monumentũ mirę magnitudinis acopere insigne cõstruxit, q̃d et ex uiri nomine Mausoleũ appellauit. Et postea inter septẽ mirabilia mundi cõnumeratũ est. Ex q̃ etiã omnia monumẽta p̃clara Mausolea dicta sũt. cuius nos inter urbis ruinas uestigia uidimus. In his locis homines ignaui, et ab agricultura abhorrẽ

tes,paſtoriciam exercent. Itaq; equites ac pedites expoſiti,curſim omnia pera-
grant. Prædã ingentẽ hominũ ac pecorũ agũt, quam abſq; mora ad naues addu
cunt. Aſſumpta ergo Imperator in naues prẽda,ad inſulã inhabitatã,cui Capra
riæ nomen eſt,uenit. Ibi ex inſtituto iam more prẽda omnis per quæſtores no-
uos diuiſa,deinde poſita haſta captiui uẽditi,& pecunia diſtributa eſt. Nã mos
erat imperatori nouę prædę,nouos quęſtores deſignare. Dum hęc agunt,nun-
ciatũ eſt legatũ Põtificis cũ claſſe adeſſe. Igit Imperator inſtructa armis,ſignisq;
ornata claſſe obuiã ei ꝓcedit. Cui occurrẽs ipſe,& tota claſſis,celeumate,ac cę
teris quæ lætitiã animi exprimere & oſtendere ſolẽt,legati aduentũ excipiũt.
Deinde imperator ad legatũ ſe cõtulit. Quo ſalutato, Audiſti (inquit) forſitã ac
legiſti optime pater,multa quæ Senatus Venetus pro fide Chriſtiana,ac liber-
tate Eccleſię,ſtrenuè et magnificè geſſerit,nũc etiã uides. Nonus eñ iam annus
uoluit,ex q̃ Veneti cęteris Principib. Chriſtianis torpẽtib. pręter Ferdinandũ
regẽ,graue & periculoſũ bellũ gerũt,ac ſuſtinẽt. nec nos pœnitet laborũ & im
penſæ,modò reipub. Chriſtianæ ꝓfuturi ſimus. Quoniã igit his diebus Aeo-
liam atq; Cariã,opulentiſſimas barbari hoſtis regiones,omnia ferro igneq; ꝓ-
ſternẽdo,peçore ac colonis expoliaui: nũc quia ades,tuo ductu atq; auſpicijs cę
tera agent. Tum Cardinalis: Et legi,& audiui,& etiã nũc uideo,egregie Impe
rator,Venetoru animũ in defendenda religione Chriſtiana,ſupra omnes reges
ac principes pręcipuũ fuiſſe. Venetosq; ſuis armis multas Chriſtianorũ gentes
ac ꝓuincias à barbarorũ rabie defendiſſe. Tu q̃q; magis, q̃ cæteri Imperatores
operã nauaſti, audaciamq; rabidi hoſtis tua uirtute fregiſti. Igit macte uirtute,
ad reliqua agẽda ſtrenuè perge. Ego aũt, ut par eſt hominẽ religioſum, ſupplici
oratione Deum optimũ maximumq; precabor,ut tibi felices ſucceſſus tribuat.
Copię uerò quas adduxi,tuũ imperiũ ſequent. Venit ad eos et regius dux. ipſe
eñ cum ſua claſſe aderat. Itaq; ſimul collocuti, Samũ diuertũt, ibi deliberaturi
quid potiſſimũ agẽdũ ſit. Samos inſula deſerta eſt,olim ob fertilitatẽ celebratiſ
ſima fuit. Nũc feris tantũ cuiuſq; generis referta,mellis q̃q; ſylueſtris per ſyluas
paſſim abundãs. Aquis etiã dulciſſimis undiq; ſcatens. Hic eq̃s, cæteras q̃q; co-
pias ad reſumẽdas uires, atq; animi laxãdi gratia exponũt. Milites ac turba o-
mnis uenationi incumbit, per ſaltus q̃q; ac ferarũ latibula diſcurrũt. Dum uarię
feræ capiunt, adoleſcens quidã Dalmata natione & lingua,urſo miræ magnitu
dinis occurrit. Dũq; eum uenabulo trãsfigere ſtudet, urſus uitato ictu adoleſcẽ
tem occupat, atq; ꝓſternit. Iuuenis pręſenti animo ambas auriculas eius manu-
bus apprehẽdit, caputq; ferę à ſe tãdiu remotũ tenuit, ne ab ea dentib. laceraret,
q̃ad alter adoleſcẽs eiuldẽ gentis accurrẽs, urſum à tergo gladio interemit. Ca
dit itaq; ubiq; magnus numerus ferarũ: tota claſſis uenatione repleť. Agunt fe-
ſti dies, gregalis turba epulis ac uino indulget, præcipuè Illyrici, quorũ inter na
uales copias maximus numerus eſt. Pateris uina ꝓpinant, canticis ad bibendũ
ſocios inuitãtes. Vbi ad ſatietatẽ repleti ſunt, actorũ memores, unuſquiſq; ope
ram ſuã iactãdo magnificè extollit. Solent eñ rebus bene geſtis etiã ignaui glo
riari. Interim principes cõgregati qd potiſſimũ agendũ ſit, cõſultant. Tum ex cõ
muni ſententia Atalią Pamphyliæ urbẽ, quę ab Atalo Philadelpho cõdita eſt,
ſubitario apparatu oppugnare ſtatuunt: ſperantes ſi derepente improuiſam ag-
grederent, abſq; bõbardis et murorũ deiectione urbe potiri. Atalia, urbs eſt lit
toralis omniũ maritimarũ Aſię ꝓuinciæ maxima: habens portũ multis turrib.
ab utroq; latere munitũ & catena clauſum: ꝓpterea Aegyptijs ac Syrijs merca-
torib. celebrata. Quamobrẽ totí ꝓuincię cõmune emporiũ eſt. Igit Imperator
p̃fectos nauiũ ad ſe uocat, utí ſcalas & crates binas aut ternas in naues cõficerẽt
iubet, quib. ſtrenuè paratis, Samo ſoluit: Zephyro flãte Rhodũ prętergauigãs,
uelociſſimo curſu ad inſulas Chelidonias delatus eſt. Rhodij quoq; duas trire-
mes in auxiliũ mittunt. Erat autem numerus uniuerſæ claſſis nauiũ octuagin-
taquinque

A tequinq;. Ex quibus Pontifex decem & nouem miserat: regiæ decẽ & septem erãt: Rhodiæ duæ: Venetæ quadraginta & septẽ, in quibus Dalmaticę duodecim. Nõ nullæ ex Venetis ad munia obeũda ab Imperatore eis demãdata abe-rant. Hic Imperator inito nauiũ numero ad urbẽ tendit: distabat aũt millia pas suũ sexaginta: hora erat diei ferè decima. Itaq; tota insequẽti nocte, aduerso uẽto remigando, hora diei tertia, ad litus urbi, pximũ classem appulit. Hinc Victorẽ Soprantiũ legatũ, cum decem nauibus, ut portũ oppidi capiat, mittit. Stephano Malipetro alteri legato, cum reliquis naualib. copijs, à parte cõtinentis urbem oppugnare iubet. Equitib. mandat, ut pximũ collẽ urbi præsidij causa capiant. Omnes monet, essent memores pristinæ uirtutis, pugnaturi cõtra barbarũ hostem, imbellẽ atq; imparatũ, pro religione Christiana, ac maiestate Veneti imperij: ostendẽs urbẽ opulentissimã auro, argento, preciosaq; supellectili refertã: quam si caperẽt, diuites domũ esse redituros affirmat. Omnes alacri animo oration Imperatoris accipiũt. Quibus dimissis, ipse cum legato Põtificis, ac regio duce in naui se cõtinet, inde si qua necessaria postea forẽt, subministraturus. Equites ergo uelocissimo cursu in omnia excurrũt, prędã hominũ ac pecorũ agunt, deinde ad collẽ sibi demonstratũ se cõferũt. Victor Soprãtius impulsa remis naue, celeri cursu ad portũ uenit: ac primus magno impetu, ingruentib. undiq; bõbardis, telis ac sagittis catenã fregit, atq; portũ intrat. Subsequunt reliq; naues. nostri q; primũ turres omneis, quę circa portũ erãt, trucidatis defensoribus capiũt. Erat extra muros ad portũ suburbiũ optimè ædificatũ, in quo habitabãt maximè mercatores, exponendarũ atq; imponendarũ in naues merciũ, cõmodi gratia: qui omnes uisa classe, subito malo perterriti, relictis omnib. in urbem cõfugerant. Erant tabernę pipere, cinnamomo, garyophylo, thure, tapetis, & alia omnifaria merce plenæ. Nostri desilientes è nauib. maturè omnia diripiũt. prędamq; in naues imponũt: deinde supposito igne, tecta omnia cõcremãt. Et quia ob altitudinem murorum urbem scalis oppugnare nulla spes erat, muros suffodere tentãt. Rhodius præfectus cum suis militib. ad portã urbis accedit, dolabris & securib. portarũ claustra frangere ac deijcere aggressus. Interim oppidani ex opposito portas muro obstruũt, sagittisq;, ac alijs missilib. desuper nostros feriũt. Saxa maximi põderis demittũt. Præfectus Rhodiorũ dum acriter operi instat, ingẽti saxo ictus, cõterit: quẽ sui mortuũ euestigio ad naues referũt. Ignis cõflagrãtib. tectis, ac impellẽte uẽto nostros perturbat, & ab oppugnatiõe submouet. Interim à parte cõtinentis Stephanus Malipetrus urbẽ corona cinxerat, atq; ad muros militẽ admouerat. Erat urbs ab ea parte duplici muro, ac fossa munita. Nostri aũt admotis scalis interfectis defensoribus strenuè primos muros capiũt. Vbi ad secũdos uentũ est, scalę nõ dimidiã murorũ altitudinẽ equare potuerãt, tũc desperata scalis expugnatiõe, trabes undiq; muro apponũt, cratib. desuper iactis cõtegũt. Quib. paratis, nostri crates subeũt, ac muros suffodiũt. Ad portas etiã urbis, quę Occidentẽ spectãt, ligna, tædã, & aliã aridã materiã coaceruantes apponũt, & igne supposito claustra lignea portarũ cõburũt. At oppidani has q; ualidissimo muro muniũt. alij per muros discurrũt, saxa et alia põdera in suffodientes muros deuoluũt, sulphur ac picem ardentẽ ad cõburẽdas crates, q; nostros à saxis defendebãt, demittũt. Tũc nostri milites eminus sagittis ac glãde plũbeo tormẽto excussa, oppidanos à defensiõe murorũ deturbare tentãt, multos uulnerãt, ac interficiũt. Oppidani etiã bõbardis & alijs missilib. in nostros pugnãt. Nõnulli saucij ex nostris cadũt. atrox pugna ubiq; committit. Legatus obequitãs instat, hortat, ut rem strenuè gerãt, obtestãs. Præfecti q; que nauiũ omnes, pro uirili sua operã nauare studẽt, et munia sibi demandata strenuè exequunt. Erat in urbe mulier Christiana, Illyrica natiõe, multis annis in seruitute uitã degẽs, quę per muros discurrẽs, sicubi nostros cessare, ac remissè rẽ agere animaduerterat, increpabat: Quid cessatis uiri? uultis ne urbẽ opulentissimam,

tíſſimã,atq; omni barbara gaza refertã,maleq; munitã,ignauía atq; ſocordia ue
ſtra relinquere? Iam maximã partẽ defenſorũ ueſtris armis cõfoſsã eſſe affirmo.
Quam cum barbarus quidã ſic loquentẽ audiſſet,obiurgare cœpit,ac flagra in
terminari. Illa periculi oblita,atq; quemcũq; exitũ fortuna datura eſſet, ſecura
ueſtẽ cõponit,ac ex muro deſilijt,quã ſemiuiuã noſtri excipiũt. Illa Chriſto ani
mam cõmendans,inter manus noſtrorũ expirat. Itaq; mulier egregia ſeruitutẽ,
quã uiua nõ potuit,moriẽs effugit. Noſtri exanime corpus ſepeliũt. Dum à no
ſtris pro gloria accupiditate potiundæ ciuitatis,ab hoſtib.pro patria,libertate,
coniugib.ac liberis,ubiq; acerrimè res geriẽ: nox interueniẽs pugnã dirimit.
Legati ad claſſem redeũt,relicto ad urbẽ idoneo præſidio,ne quis exire aut in
trare urbẽ poſſet. Principes ad legatorũ aduentũ coeũt. Legati acta referunt: ſi
mul edocent, urbẽ prę alto muro ac ualido undiq; munitã, & defenſorib. ſatis
inſtructã eſſe. Propterea ſine bõbardis, quib.muri,pſternerent, potiũdæ urbis
nullã ſpem eſſe, & quoniã iam hybernũ tẽpus appropinquabat: & ad uehendas
ex Pelopõneſo bõbardas, multorũ dierũ erat opus: nec claſſis abſq; portu tuto
manere poterat. Nam tota ora Pamphyliæ importuoſa eſt,unicũ urbis portũ ha
bens, uix quindecim nauiũ capacẽ: ſinusq; Pãphylię apertus ac expoſitus,ma
ximè quoq; Vulturno & Auſtro,q uenti pręcipuè Pãphylio mari ſęuire ſolent.
Igitur ex cõmuni ſentẽtia decernũt,in craſtinũ obſidionẽ ſoluere: & deuaſtatis
omnib. quę extra urbẽ ſunt,inde recedere. Erã taũt ſuburbana magnificis tectis
ædificata, & quæ frequentib.uillis ſpecioſæ urbis facié prę ſe ferebãt. Horti q;
que erãt arborib. pomiferis egregiè exculti,ac fontib.undiq; manãtib.irrigui.
Noſtri itaq; ſequenti die, igne ſuppoſito tecta cõburunt,arbores ferro ſuccidũt,
cuncta,pſternendo deuaſtãt. Quib.impigrè peractis,Imperator inde ſoluẽs,in
tra paucos dies Rhodũ uenit. Qui dum Rhodi eſſet, aduenit Vſunaſani regis,
Perſarũ Orator, q Cardinalẽ,ac Imperatorẽ, & reliq;s Principes claſſis adiens
narrat ſuaſionib.ac monitis Katarini Zeni uiri patricij Venetorũ oratoris,regẽ
Perſarũ ad opprimendũ Othomanũ in expeditione eſſe,& iam eius duces cum
expedita manu,magna audacia Armeniã minorẽ Othomano ſubditã inuaſiſſe.
Tocatq; ualidiſſimã urbẽ ciuſdẽ regionis,et nõnulla alia oppida cępiſſe: deinde
affirmat Perſas eqs uiris ſatis ſuperq; abũdare. Perſas q; haſta,enſe,ſagittis ad
pugnam idoneos. Cęterùm reliq; inſtrumenti bellici ignaros atq; expertes eſſe.
Proinde pontificẽ Rom. Venetos atq; alios principes Chriſtianos ſe adire uel
le dicit, oraturus uti regẽ ſuũ tormẽtis ad expugnãdas urbes, & ad ſummouen
dum eminus hoſtẽ neceſſarijs iuuarẽt. Cardinalis,ac Imperator cum reliqs prin
cipibus, oratoris uerba benignè accipiũt,& ad impetrãda q petebat, bene ſpe
rare iubẽt. Inſuper ualidiſſimã claſsẽ uiris atq; armis optimè inſtructã oſtentãt,
affirmãtes ad omnẽ nutũ regi Perſarũ ubiq; præſtò eſſe futurã. Itaq; dimiſſo o
ratore,ſe ad agendũ q ad per tẽpeſtates liceret, præparãt. Eſt ex parte occidentis
oppidi ſancti Petri,de q ſuprà mentionẽ fecimus, Termeriũ Myndiorũ,pmon
toriũ,multa millia paſſuũ in mare excurrens,uerſus Coũ inſulã: regio aprica,
uentis omnib.peruia,uinetis atq; oliuetis,cęteriſq; arborib. fructiferis optimè
cõſita,frequentib. q; uicis bene habitata. In qua regione uiri tantũ in præſens
per autũni tẽpora colligẽdorũ fructuũ gratia remãſerãt: nam,ppter belli metũ,
& excurſiones ſuperiorib.diebus,ppinquis locis factas,mulieres ac puerosad
mediterranea loca abduxerãt, ad quas terras delatus Imperator, binis excurſio
nib.ex utroq; latere,pmõtorij factis,cũcta depopulat,pſtratis quęcũq; igneaut
ferro uaſtari poterãt. Hic occiſorũ hoſtiũ q reſiſtentes interfecti erãt, allata ſunt
capita centũ & triginta ſeptẽ. Cęterũ captiuorũ magnus numerus,q omnes ſub
haſta uenditi, & pecunia inde exacta,facta etiã portione,põtificijs ac regijs mili
tib.diuidit. Inde ſoluẽs Imperator cũ tota claſſe, ad Naxõ inſulã uenit. Ibi em
oneratiæ naues pane onuſtæ ex Imperatoris iuſſu claſſem expectabãt. Et quo
niam

Iam autumni ultimũ tempus erat, regius dux, accepta missione, cum sua classe domũ pfecturus recessit. Pontificis legatus cum Imperatore nostro, anteq̃ hyems ingrueret, aliquod egregium facinus edere statuũt. Edoctus eñ erat Imperator, Smyrnã urbem Ioniæ opulentissimã, malè munitã esse. Cuius maxima pars murorũ, ob uetustatem corruerat, quos ciues longa pace usi, restituere neglexerãt. Et quoniã in longissimo sinu urbs sita est, & à frequenti nauigatione multũ recedens, bellũ ne senserat quidẽ. Ciues eius securi & absq̃ metu uitã agebãt. Igitur Imperator Naxo soluens, primũ ad Pstrã insulã inhabitatã uestigia tantum antiq oppidi habentẽ, uenit. Inde nocturnis nauigationib. tertia die appetente luce, ad Smyrnã uenit. Cuius pars in mõte, maxima aũt in plano sita est: sed mõtana melius habitata. Tunc nostri maturè è nauib. desilientes, totã urbem corona circũdant. Multi scalis, alij per ruinas murorũ (nam ut prędixi, pluribus in locis muri interrupti erãt) muros ascẽdũt, in urbẽq̃ desiliũt. At Smyrnęi subito & insperato malo oppressi, trepidi, quid potissimũ agãt, nesciũt. alij arma capiũt, & ad ruinas murorũ hosti occurrũt, atq̃ cõgrediunt. Sed à nostris et numero et uirtute superati, sine mora trucidant. Alij tecta ascendẽtes, tegulis ac lapidib. nostros infestant. Mulieres q̃q̃ pauidæ cum adultis uirginibus, ad templa, quæ illi Moscheas uocãt, cõcurrunt: passis crinib. aras amplexãtes, pphetã suũ inuocãt. Multę cum paruis liberis domi se obstruũt. Nostri urbe potiti, omnia deprædãtes, per totã urbẽ discurrũt. Alij filios è cõplexu matrũ abstrahũt, ipsas q̃q̃ matres capientes. Alij muliebrẽ turbã de templis extrahunt, Machometũ inuocantẽ reluctantes, per crines apprehensas trahũt. Quędã uidua cum in monumentũ uiri sui incidisset, cõplexa monumentũ, quasi uiuũ ad auxiliũ uocabat: subindeq̃ dicebat, En quos nunquã uiuos ulla uis separare potuit, nũc barbarus hostis diuidet. Et cũ nullo modo inde abstrahi posset, miles stricto gladio spõte prębenti ac distẽdenti collũ, caput abscidit, inquiens: I nũc, & marito tuo te cõsocia. Multi mãcipia spernẽtes, ornamẽta mulierũ preciosa, uestes pictas cuiusq̃ generis, uasa ęnea Damasceno opere egregiè cęlata, auro argẽtoq̃ distincta, ac aliã preciosam supellectilẽ diripiũt, ac distrahũt. Vbiq̃ gemitus, ubiq̃ luctus exaudit. Tota urbs planctib. atq̃ ululatib. cõpleť. Interim quidã effugiẽs, pręfecto urbis, quẽ illa gens Subasã uocat, tũc in uilla manenti nunciat urbẽ captã ab hostibus atq̃ direptã esse. At Balabanus (nomen id pręfecto erat) cõuocata haud parua manu è pximis locis, equitũ, ac peditũ instructa acie ad urbẽ subsidij ferẽdi gratia tendit. Tũc nostrę classis magister q̃ cum equitibus, & classiariorũ non paruo numero, extra urbẽ ad resistendũ, si qua uis ingrueret, paratus stabat, uiso hoste obuiã progredit. Et cum iam propè essent, hinc inde edito magno clamore laxatis habenis, atq̃ aduersis hastis cõcurrunt: Subsequunt pedites. Cruenta pugna cõmittit. Nostri uerò milites, q̃ equitibus mixti erãt, à duce edocti, pręlõgis lãceis hostẽ in faciẽ feriebãt. Pugnatũ aliquandiu est pari Marte. Dum hostes acrius instãt, Petrus Frasina, uir strenuus, & inter equites nostros clarus, Balabanũ hostiũ ducem, gutture hasta trãs fixo, equo deiecit, ac reluctanti caput abscidit. Tunc alij alios aggrediẽtes, pternũt. Hostes multis obtrũcatis in fugã uertũt. Deinde fusis ac fugatis hostibus, abscissisq̃ interfectorũ capitib. uictores lęti ad urbẽ redeũt. tũc nostri maximè expoliatãur bẽ, supposito igne omnia tecta atq̃ ædificia cõcremabãt. Itaq̃ urbs antiqua uaria fortuna, ac multis monumẽtis insignis, horarũ spacio in cineres collapsa est. Hic uidimus multa antiqua monumẽta quadrati lapidis, ac marmore magnificè ędificata, quorũ nõnulla corruerãt, quędã etiã extabãt. Inter quę Homeri monumentũ cum statua & inscriptione Græcis literis. Ager q̃q̃ urbi circũiectus optimè excultus, ac Melo fluuio interfluẽte irriguus, frequentib. uillis habitabat, q̃ omnia igne et ferro à nostris pstrata sunt. Delata sunt interfectorũ hostiũ capita ducenta & quindecim. Captiuorũ innumerabilis turba. Imperator omni præ-

ni præda nauib. impoſita, ad quaſdã inſulas olim habitatas, nunc deſertas, tantũ aquis ciſternarũ ueterum abundãtes ſe contulit. Ibi expoſiti captiui, poſita haſta omnes uenduntur. Reliqua præda abſq; ſorte militi cõceſſa eſt: quod etiã Imperator in reliquis excurſionib. ſemper ſeruauerat. Itaq; quæſtores iam ex cõſuetudine pecuniã omnẽ diuidunt. Deinde quarta die Imperator in Clazomeniorũ agro copias expoſuit, ad locũ qui nũc Caput Stilari dicit. Clazomenæ oppidũ fuit in fine ſinus Smyrnæi poſitũ, Anaxagora ciue ſuo, qui Archelai Phyſici, et Euripidis poetæ præceptor fuit, clarũ. Et quoniã omnes circũ adhærentiũ locorum incolæ exẽplo Smyrnææ cladis perterriti, ad mõtana & mediterranea loca ſe cõtulerant, pauci, qui ad cuſtodiã domorũ remanſerãt, à noſtris intercipiunt. Abducta eſt tamen camelorũ ac reliqui pecoris nõ parua copia. Quibus peractis, Imperator quoniã iam hibernũ tempus inſtabat, Pelopõneſum uerſus curſum ſuũ dirigit. Itaq; Subſolano flante, cum legato Põtificis intra paucos dies Methonã delatus eſt. Et cum iam hibernũ tẽpus adeſſet, legatus Põtificis Romam redire ſtudens, anteq; recederet, cõplexo atq; exoſculato Imperatore, Habes (inqt) clariſſime Imperator, optimũ teſtem uirtutũ tuarũ. Pont. & cæteri Italiæ Principes, egregia tua geſta audientes, me referente, obſtupeſcent, & admirabunt. Perge uir magnanime, ut cœpiſti: tua em gloria immortalis futura eſt. Imperator etiam maiora, quàm quæ ipſe de ſe ſperabat, pollicitus eſt: modò Chriſtiani Principes, Venetos ſuis opibus ad conficiendum bellum iuuare uellint. Quibus dictis digrediunt. Cardinalis Italiã petiturus, Methona ſoluit. Imperator cum tota claſſe, ſe Neapolim, muniendæ urbis gratia contulit.

CORIOLANI CEPIONIS PETRI MOCENICI *Imperatoris geſtorum*

LIB. II.

DVM Imperator operi inſtat, Antonius magnæ audaciæ, ac ſtrenuæ uirtutis adoleſcens, natione Siculus, auſus memorabile facinus ad eum uenit: narrat, ſe Chalcide à Turcis captum, exinde multo tempore Calipoli, ſeruum fuiſſe: dumq; ibi degeret, perſpexiſſe naualia Othomani Calipoli abſq; excubijs incuſtodita manere. Præterea, domum iuxta naualia eſſe magnam, ac omni inſtrumento nautico refertam, uelis, funibus, & cæteris ad inſtruendã claſſem neceſſarijs, & quæ poſſent ſupra centum triremes optimè inſtruere. Paratũ ſe eſſe, Imperatori affirmat, domum illam cum tota claſſe crematurũ, modò neceſſaria ad rem peragendã ſibi tribuant. Opus ſibi eſſe piſcatoria naui, cum ſex comitibus, qua ſimulato mercatorio negotio, caſtella Helleſponti, quæ Dardanellos uocãt, penetrare poſſit. Nam Othomanus, ubi maximè Helleſpontus coit, duo munitiſſima caſtella ex utraq; parte inuicem oppoſita ædificauit, ad quæ multas bombardas miræ magnitudinis conſtituit. Præfectiſq; caſtellorũ mandauit, ſi qua nauis illis inuitis tranſire uellet, bõbardis fractã ſubmergerent. Igitur Imperator collaudato adoleſcente, promiſſis eum onerat, ſi ea quæ animo cõceperat, exequereť. Deinde ab eo quæſita maturè expedit. Antonius paratis neceſſarijs intra paucos dies munitiones Helleſponti ſimulato mercatore ſuperat, eademq; die Calipolim uenit, atq; uenalia poma exponit. Nauiculã enim his onerauerat, ut & mercaturã ſimulare, & inſtrumenta rei neceſſaria tegere poſſet. Tum aduenięte nocte uigilia ſecunda, ad domũ exploratã et ſibi cognitam tendit: fractiſq; forcipe clauſtris, domũ intrat, & pluribus in locis ignem ſupponit: & quoniã interrelicqua, picis ac ſeui magna copia erat, ignis uehementi impetu abſq; mora cuncta cõprehendit, flammamq; extra tecta uomere cœpit. Dum Antonius ad naualia tendit, nauibus etiã ignem ſuppoſiturus, ciues fragore ignis excitì, undiq; concurrunt. Antonius turba ac clamore diſcurrentiũ ciuium perterritus, omiſſis naualibus ad nauiculã propriã confugit, atq; Helleſpontũ traijcere ſtudet. Iam ulteriori

A teriori litori appropinquabat, quum ignis temerè per nauiculã iactus, puluerem
sulfureũ comprehendens, nauiculã exurere cœpit. Antonius submersa nauicu-
la cũ comitib. in terram desilijt, & in proxima sylua se abscõdit. Interim domus
cum omnib. quæ in ea erant, tota cõburit. Sequenti die Subassa urbis cũcta per
scrutari iubet, si quo pacto incendij auctorem inuenire posset, prẽmia magna in-
dicib. proponens. Quũ ergo scrutatores primũ poma fluitãtia, deinde nauiculã
submersam offendissent, animaduertunt mercatorem illum hesternũ poma uen-
dentem, tale facinus patrasse. Igit armati ad persequendũ Antoniũ mittunt, qui
prodentib. eum uestigijs, quoniã per arenosam humũ iter fecerat, confestim ad
syluam tendũt. Et iam ad latebras Antonij propè uentũ erat, quũ Rado magni a-
nimi adolescens, manu prõptus, natione Dalmata, Butuani oppidi accola, unus
ex comitib. Antonij, strenuè mori cupiẽs, stricto ense in hostes irruit: atq; duob.
obtruncatis, ipse telis ac lapidib. undiq; obrutus occidit. Antonius cũ relíquis
comitib, uiuus capit, uinctus q; ad Subassam perducit. Subassa uerò tãti facino-
ris patratorẽ interficere nõ sui officij esse ratus, Antoniũ & comites ad Othoma
num principẽ suũ misit. Quem corã se adductũ Othomanus interrogat, qua sua
iniuria, quóue hostiũ beneficio, in se tantũ facinus cõmittere ausus erat. Tũ An-
tonius intrepidus: Quasi uerò nescias te omnes bonos cõmunem pestẽ omniũ
gentium iure persequi debere. Tu eñ omnes principes tibi cõterminos nulla da
ta occasione patrijs regnis expoliasti. Tu perfidè nulli deditorũ fidẽ seruasti. Tu
tuorũ sanguine nunq; satur fuisti. Tu deniq; Christianũ nomen, quę gens sola ue
ri Dei cultrix est, extinguere conaris. Quapropter fateor egregiũ facinus ausus
sum, & utinã mihi in caput tuũ idem liceret. Othomanus admirata adolescentis
audacia, abductum cum comitibus interfici iussit, qui è uestigio per mediũ secti
sunt. Itaq; egregius adolescens supra conditionẽ suam ausus occubuit. Senatus
B Venetus ob Antonij merita, quæ ei non potuit, fratri puero, & sorori uirgini tri
buit. Nam & fratri salariũ annuũ, & sorori dos ex publico data est. Interim dum
Imperator ad muniendã urbẽ Neapolin hiberno tẽpore studet, & ut naues refi-
cerentẽ, operã dat: nuncius quidã cum literis regis Persarũ ad Imperatorẽ uenit,
eadem quæ & superior eius orator afferens. Quẽ quũ audisset triremi impositũ,
Venetias misit. Veneti & oratorib. regis & literis Catarini Zeni sui apud regẽ
oratoris moti, magnũ numerũ tormentorũ cuiusq; generis parãt. Vasa etiam ex
auro & argento conuiualia, Parisini operis egregiè cælata, multũ panni lanei te-
nuissimi, multũ serici uermiculo tincti, auroq; intexti, ad regiũ usum, omnia regi
Persarũ dono daturi. Præterea centũ iuuenes, qui tormenta exercerent, deligũt:
hisq; preficiunt Thomã ex Imola oppido Flaminię, quod olim Forũ Cornelij
dicebat. Præterea ad hæc regi deferenda oratorẽ designant, uirum patricium Io-
sephũ Barbarũ, ætate grauem, & linguæ Persicæ haud ignarũ. Tum omnia para
ta in treis naues magnas imponunt: quæ etsi remis agunt, onerariæ potius q; a-
ctuariæ dicendę sunt. Habent eñ Veneti huius generis naues multas, quas mer
caturę exercendæ gratia ad nmnes, puincias quotannis mittere solent. Quib. pa
ratis, orator Venetijs soluit, ac Cyprũ uenit, ut inde cõmodè cũ Vsunasanus ad
maritima Ciliciæ aut Syriæ uenisset, dona ei offerret. Fama eñ erat, æstate noua
Regẽ ad ea loca uenturũ esse. Deinde ex Senatus decreto, Imperatori mandatũ
est, ut ad omnia Vsunasani mandata semper paratus sit: quæq; maximè cordi Re
gis esse existimaret, omissis cęteris ageret. Othomanus quoq; nõ solũ fama ex-
citus, sed per exploratores de magnitudine copiarũ, ac de aduẽtu regis Persarũ
planè edoctus, ultrà nõ esse sibi cessandũ ratus, bello se præparare, ac hosti occur-
rere statuit. Itaq; præter cõsuetas copias, per omnes puincias ditionis suę, ut quę
que septẽ familiæ singulos armatos mitterẽt, imperat: insuper ab omnib. socijs
ac fœderatis principib. magnũ numerũ equitũ ac peditũ euocat, multos merce-
narios milites omniũ nationũ cõducit. Præter hæc multa millia curruũ ad mu-

G nienda

nienda castra parat, singulis currib. binas bōbardas imponens. Tormentorū quo
que omniū generū incredibilem copiā, atq; hominum qui tormenta exercere uti
erant, magnū numerū parat. Quib. expeditis, omnes copias de Thracia in Asiam
traiecit. Ipse etiā munito Byzantio, ac ualido præsidio ad urbē cum minore filio
relicto, exercitū ad occurrendū hosti subsequit. Huic em̄ urbi maximè timebat.
Verebat em̄ ne si Venetorū classis munitionē faueū Hellespōti superasset, expu
gnata urbe potiret. Imperator noster, quoniā acceperat Caramanos, regis Persarū
socios atq; amicos, quos Othomanus paterno regno spoliauerat, Ciliciæ mari
tima oppida obsidere. Audierat etiā maiorē fratrē ex Caramanis inter raros ami
cos Viuna sani esse, regi placere cupiēs, fratrib. regnū Ciliciæ recuperare statuit.
Itaq; omissis cęteris ubi forsitā res melius geri potuisset, Venetisq; magis cōdu
ceret, uerno iam tēpore refectis nauib. et instructa classe, equitib. quoq; assūptis,
Ciliciā uersus nauigat: ac Rhodū ueniēs, à Rhodijs duas naues accepit. Inde sol
uens, Cyprū ad regē amicum ac fœderatū diuertit. Rex quoq; Cyprius quatuor
triremes, cum duce Zāperio, imperatori dedit. Imperator cū tota classe Cypro
soluit: deinde ad Ciliciæ littora, Seleuciæ, pxima uenit, ubi tunc Caramanus ob
sidendæ Seleuciæ gratia, castra habebat: in portūq; sancti Theodori nunc appel
latū, cum sua classe se cōtulit. In hoc loco olim Veneris oppidū fuit, propter op
portunitatē loci, frequens piratarum habitatio. Nunc etiam tanū Veneris, extra
oppidi ruinas in littore maris extat, miræ magnitudinis, quadrato lapide egre
giè ædificatū. Hic Cassābeg, minor ex Caramanis fratrib. (Piramet aūt aliter Ci
licū regulus in exercitu regis Persarū erat) oratores ad imperatorē mittit, qui ue
nientes aduentū imperatoris gratulant. addunt etiā, Caramanos semper ob pater
nam amicitiā cum Venetis, in eorū uirib. maximam spem habuisse. Tum nar
rant, iam quartū esse mensem, ex quo tria oppida Ciliciæ princeps eorū obsidet,
Sichinū, Seleuciā & Coricū: quę si cępisset, toto regno esse potiturū affirmāt: &
& quoniā uiris idoneis, & tormentis ad expugnā das urbes opportunis indige
bat, orātuti regi socio, & Venetorū amico, suis armis paternū regnū ab Othoma
no per iniuriā occupatū recuperet. Tum imperator oratores bene sperare iubēs,
à se dimittit. Deinde Victorē Soprantiū legatū suū ad Caramanū ire iubet. Cui
mandat uti de statu rerū edoctus, quid potissimum agendū sit, cum eo agat. Vi
ctor equo ad Caramanum maturè se confert: salutatoq; regulo, Ab imperatore,
inquit, missus uenio, ut tibi referrē & ob patris tui, & ob regis Persarū, cui nunc
fœderati sumus amicitiā, se cum ualidissima classe in subsidiū tibi uenisse. Qua
propter à te doceri uult quo in statu res sint, quid'ue primū agendū sit, ut ex com
muni cōsilio, quid potissimū in re fit, agat. Tunc Cassābeg imperatori gratias a
gens, inquit, Nunq; me spes de Senatu Veneto falsum habuit: nūc etiā re ipsa per
spicio, Venetos præter cæteras nationes amicos & fœderatos in calamitate posi
tos suis opib. iuuare. Cæterum cū plures menses sint, ex q̄ hæc oppida Ciliciæ
frustra obsideo, quia nec milites strenuos, nec machinas ad ea oppugnāda necessa
rias habeo. Nā totus meus exercitus, exceptis paucis prætorianis, ex gregarijs
militib. collectus est, gēte magis agris colēdis, q̄ bellis gerendis assueta. Vestra
mihi ope qui & militib. exercitatis, & tormētis ad expugnandas urbes idoneis
abūdatis, opus esse uideo. Deinde narrat tria oppida à se obsideri, quorum duo
Othomani præfecti tenent. Tertiū uerò Mustapha quidā Cilix, homo perfidus
per iniuriā occupatū habet, qui olim ex intimis amicis eius fuerat, nunc fortunā
sequēs, Othomano adhæret. Propterea nihil magis ex re esse affirmat, q̄ Sichinū,
in quod Mustupha se contulerat, expugnare. Quo oppresso, eius exēplo omnes
Cilices in fide mānsuros esse dicit. Soprātius accepta Caramani sententia, ad im
peratorē rediit. Quę cū Caramano agitasset, refert. Igit̄ imperator Coriolanū Ce
pionē Tragurītanū, triremis præfectū, ad perspiciēdū oppidi situ, ad munitiones
mittit, ut exploratis omnib. sibi cuncta referat. Itaq; Coriolanus omnibus per
spectis,

A spectis, ad imperatorem redit, narratq; oppidũ à mari duo millia passuũ distare, situm in monte arduo & excelso, à parte etiam Orientis prærupto: cæterùm tenui muro, nec pinnis distincto circundatũ. Oppidanorum quoq; turbam imbellem. Oppidũ ergo situ munitum opere, & defensoribus inualidũ esse. Quapropter uel expugnatione oppido potiri, uel ad deditionẽ hostem adduci posse affirmat. Quib. acceptis, imperator Lodouicũ Lombardum Venetum, nauis præfectum, Coricum cum decem nauib. misit. Cui mandat, dum ipse oppugnationi Sichini instaret, ille obseruet, ne quis maritimo aditu cibaria oppidanis afferat. Nã à continenti Caramani milites Coricũ obsidebant. Deinde imperator cum reliqua classe ad Sichinũ se recipit. Copias omnes exponit, ac magistro classis mandat, uti tumultuario apparatu oppidũ aggrediat: experiaturq; an absq; bõbardarum usu oppidũ capere posset. Itaq; magister cum omnib. classiarijs ad oppidũ tendit, muros corona circundat. Scalis, cratib. & alijs ad oppugnationem necessarijs muros subeunt. Præfecti nauiũ unusquisq; cum militib. suæ nauis oppugnationi instat. At oppidani saxa ui subeuntes deuoluũt, quæ per prona mõtis ruentia, nostros obterunt. Tela desuper ingerentes, à muris summouent. Oppidani quoniã neq; pinnis neq; tabulatis tecti pugnabant, ad omnes ictus erant expositi. Itaq; à nostris sagittis & alijs missilib. tormentis excussis, multi uulnerati occidunt. Tunc magister quũ neq; scalis, neq; alio apparatu absq; murorũ deiectio ne oppidũ capere posse aduertisset, receptui signo dato, ab oppugnatione destitit. Nã & muri prælti, & aditus ad muros per prerupta saxa, ac decliuas semitas oppugnationẽ difficilẽ præbebant. Oppidani (tametsi multi ex eis ceciderãt) quasi uictores elato animo iactabãt: Ite Veneti, mari & piscib. dominamini. Imperiũ cõtinentis et urbiũ Othomano relinquite. Magister ergo imperatori refert nihil sea absq; bõbardis proficere posse: si oppido potiri uult, bombardarũ ministerio
B opus esse affirmat. Imperator sequenti die caduceatorẽ ad Mustaphã mittit, ut ei referat, quatenus fidẽ potius, q; arma Venetũ experiri uelit: & nisi oppidũ dedat, omnia extrema esse passurũ. Mustapha uerò respondit, Venetorũ arma iam expertũ esse: se & situ loci & munitionib. inexpugnabilẽ scire: nec longam obsidionem timere, quoniã re frumentaria abundaret, propterea nec oppido cedere uelle, nec fidei se cuiusq; credere affirmat. Imperator accepto Mustaphæ responso, equũ ascendit. simul cum legatis inter ingruentes ex oppido sagittas & alia missilia oppidũ circumequitat, omnia diligenti æstimatione lustrans. Tum demũ aduertit à septentrionali parte muros nõ multũ ualidos, & montem minus decliuũ atq; arduum esse, facilemq; aditũ ex ea parte oppugnatorib. prostratis muris ad oppidũ fore. Igitˇ duas bombardas ex oppposito à parte Boreæ locare atq; aptare iubet. Mustapha cum aduertisset ingentes machinas trahi, cæteraq; omnia ad se expugnandum parari, insperato malo perterritus, uirum grauẽ ex suis sibi intimum ad imperatorem misit, uti sibi suisq; omnib. incolumitatem liberamq; facultatem abeundi cum omnib. suis rebus quò uelit paciscatˇ, oppidum imperatori dedat. Imperator data publica fide, Mustapha quò uelit libere abire permisso, oppidũ per deditionem acceptũ, è uestigio Hisupho Caramani præfecto qui aderat tradidit. Quibus peractis, cum omnib. copijs Coricum uersus nauigat. Interea nauigandum aũt Zancius à rege Ferdinando classi dux constitutus, cum decem triremib. uenit. Coricus à duabus partibus mari alluitˇ, tertia à cõtinenti profundissima fossa munitur, duplici ac ualido muro undiq; circundatˇ. Portum habet à parte fauoniũ, quem intraturis non procul à muris oppidi transeundum est. Ex aduerso à parte austri, trecentos passus ab oppido distans, insula Eleusia adiacet, quam totã occupat antiquum ædificium albo ac quadrato lapide magnificè constructũ. Hæc quondam regia Archesilai fuit. Oppidani multas bombardas & alia tormenta per eam partẽ muri, quæ portui oppposita est, disponunt, phibere his posse rati, ne quis portũ illis inuitis intrare possit. Imperator oppido adnauigans, omnia prius circũspicit: deinde sublimis ac eminens in puppi, cursum ma-

nu magistro ostendit, qui inter frequẽtes bõbardas, & ingruẽtia tela, primus por A
tum subijt. Subsequit regius dux: deinde legati, ac tota classis. Imperator expos
tis copijs, ad præfectũ mittit, qui eum monerẽt, ut oppidũ dedat: quod nisi dedi
derit, quicquid uictoríb. inuictos licet esse passurũ. Mos est Turcorũ príncipum,
à ducib. qui in alienas prouincias excursiones faciunt, de omnib. captiuis quin
tam partẽ accipere. Maximè uerò eligere solent à decimo ad sextum decimũ an
num adolescentulos. Si captiui desunt, per omnes regiones sui imperij, Christia
norũ filios inuitis patrib. accipiũt, quos à religione Christiana, & ueri Dei cul
tura ad superstitionẽ Machometanã traductos, præceptoríb. instituendos distri
buũt, à quíb. omnibus artib. militaribus instruunt. Qui adulti cũ príncipe milí
tant, hos Ianizaros uocãt. Si qui genere aut ingenio præstãt, illos ad maiorẽ dig
nitatẽ euehunt. Ex his duces exercituũ, Subassas regionũ, præfectos oppidorũ
ac arciũ creant. Cætera turba partím ad præsidia oppidorũ, partím ad custodiam
corporis príncipũ manet, eosq; in bellũ & in prælíũ, uel quó cunq; ierint sequũ
tur. Hæc cohors totius Othomani exercitus robur ac penè inuicta manus est. Nã
omnes uictorias & iste princeps, & eius maiores, horũ armis ac uirtute consecu
ti sunt. Ex hac igit cohorte erat oppidi præfectus, natione Illyricus, nomine Hís
mail, ex inferiori Pãnonia, inter Ianizaros ab ipsa pueritia educatus, cui Otho
manus dederat ad oppidi præsidiũ milites centũ, & quinquaginta. Hísmail re
spondit nõ se esse Mustaphã Cilicẽ cum pastoríb. atq; agricolís uili turba ad præ
sidiũ oppidi missũ, sed ex prætoriana cohorte præfectũ, cum Ianizarís uíris stre
nuis, ab adolescẽtia in puluere, uulneríb. & sanguine uersatis, quí omnia extrema
pati, p fide parati essent. Imperator accepto Hísmailis respõso, oppidũ circũam
bulat, locũ idoneũ bombardis captãs. Itaq; omníb. perspectis, duas bombardas
magnas, & ad prosternẽdos muros idoneas à parte Occidẽtis, tertiã ad insulã op
pido ab austro oppositã ponere ac aptare statuit. Magister classis iussu imperato
ris ad extrahendas bõbardas, & ad reliqua ad earũ opus necessaría toto studio in
cũbit. Opus est em bõbardas ualído opere munire, ut operi instãtes, machinas
que regentes, tuti, ab hostiũ tormentis tecti, opus suũ exercere possint. Igit in tra
hendis atq; aptandis machinis, cæteroq; apparatu faciẽdo, aliquot trãsiere dies,
per quos nostri oppidanos lacessere, & iagittis alijsq; missilib. infestare non cessa
runt. Oppidani quoq; suis bõbardis ac telís ab opere nostros propellere & de
turbare studebãt. Itaq; nõnulli ex nostris, multi ex oppidanís uulnerati cadunt.
Et iam parata erant omnia ad destruẽdos muros, illa etiam bõbarda quę ex insu
la missa muros quatiebat, iam non paruã partẽ primi muri diiecerat. Cũ Hísmael
uidens à parte austri partẽ murorũ prostratam, ex alía parte prope muros oppidi
duas bõbardas magnas oppositas, atq; opere munitas, metu perterritus, sibi &
comitib. incolumitatẽ pacisci. Oppidũ imperatorí tradit. Imperator acceptũ
per deditionẽ oppidũ cum omni instrumẽto bellico quod in oppido erat Cara
mano dedit. Hísmaelẽ & comites ex pacto à nostris nauibus in Syriã deuehi iu
bet. Ipse deinde ad littora Seleuciæ proxima se contulit. Seleucia urbs antiqua
fuit à Seleuco uno ex successoribus Alexandri ædificata, quinq; millia passuũ à
mari recedens. Fuit aũt ciuitas ampla, egregijs uicis, ac alijs multis monumẽtis
olim clara, quã præterfluebat Calicadnus amnis subiectos campos qui lati sunt
irrigãs. Extant adhuc multa uestigia ædificiorũ præcipuè iuxta ripam fluminis.
Hic uidimus præter ruinas templorũ & amphitheatri, porticũ quadratam, cuius
maximã pars præter tectũ integra erat, colũnis ac signis & omni statuario opere
ornatissima: quã intuens ingemui, opus egregiũ, magnæq; impensæ, barbarorũ
incuria cõcidisse. Oppidũ aũt quod nunc extat, arx tantũ huius urbis fuit: sitũq;
est in mõte excelso, ac undiq; decliuo, ualidissimo muro antiqui operis, & fossa
munitũ. Huic præerat Hesibegus genere Græcus, ducentos Ianizaros sub se ha
bens. Imperator magistrũ classis ut sitũ oppidi ac munitiones exploret mittit, si
mul ut Hesibegũ moneat, oppidũ per iniuriã ab Othomano occupatũ, Caramã
nis

nis auito & paterno iure debitũ restituat. Igit magister maturè se ad oppidũ con
ferens, cuncta diligenti æstimatione primũ circũspicit. deinde euocato Hesibe
go, inquit: Scis' ne Seleuciũ Sichino, aut Corico munitiorẽ, nec te Mustapha uiro
genere et uirtute nobili meliorẽ. Nec Hismaele uirib. & rerũ usu strenuo fortio
rem esse, qui potius clemẽtiã cp uires imperatoris nostri experiri maluerũt. Quo
rum exẽplo tu quoq oppidũa, d quos hæreditario & pprio iure spectat, restitue
re debes: quo d nisi nunc feceris, dũ res in integro sunt, ubi imperator bõbardas,
& cætera tormenta, ad oppidũ ad mouerit, cũctaq oppugnationi necessaria pa
rauerit, nulla spes cõsequendæ ueniæ ab eo tibi relinqueẽ. Tũ Hesibegus: Viros
fortes exẽpla sequi nõ debere. Vnicuiq à natura suũ ingeniũ datũ esse, respõdit.
Seq principi suo in fide mãsurũ affirmat. Magister accepto præfecti respõso, ad
imperatorẽ redijt. Cui refert oppidũ situ & opere munitissimũ esse. Præfectũ ora
tione à se ad deditionẽ adduci nõ potuisse. Tũ si oppido potiri uult, opus uirib.
nõ uerbis esse. Imperator cognita Hesibegi sentẽtia, magistro mandat, ut oppu
gnationi se præparet. Magister accepto mandato, toto pectore ad exequẽda im
peratoris iussa incũbit. Locũ castris iuxta oppidũ expedire, uiamq ad trahẽdas
machinas præparare iubet. Hesibegus quũ ex oppido hæc fieri uidisset, ueritus
(opinor) si imperator ad ulteriora processisset, postea locũ ueniæ sibi non futurũ,
ad imperatorem unũ ex suis mittit cum his uerbis: Inuicte imperator, clementiã
tuã in alijs expertus, me et oppidũ tibi trado: maloq tuã, cp Caramani fidẽ expe
riri. Proinde mitte aliquẽ ex tuis uirũ idoneũ, qui oppidũ in deditionẽ accipiat.
Tum imperator collaudato præfecti cõsilio, Victorẽ Soprantiũ legatum suũ ad
hoc munus exequendũ mittit. Victor è uestigio se ad oppidũ confert. Tunc op
pidũ à præfecto per deditionẽ accipiẽs, Caramano (nam & ipse aderat) tradidit.
Hesibegũ quoq cum eius cohorte, opera & suasione legati, Caramanus ad mili
tandũ secum mercede cõduxit. Deinde Caramanus aduertẽs opera ac uirtute im
peratoris nostri regnũ sibi recuperatũ esse, equũ sella argentea, & faleris bullatis
ornatũ, pardũq mansuetũ imperatori, ob rem bene & pspere gestam dono mi
sit: simul gratias ei agit, quòd nullis suis præcedentibus meritis, uirib. & uirtute
propria regnũ sibi recuperasset. Dũ hæc in Cilicia agunt, de regis Persarũ exer
citu, ac Othomani expeditionibus, propter locorũ distantiã, nihil ueri, pręter ua
nos rumores afferebat. Imperator ergo quum in Cilicia Trachea, nihil quod agi
posset, reliquũ esset (nam omnis Cilicia maritima, usq ad Taurũ montem, in Ca
ramani ditionẽ uenerat) ne tempus amitteret, Lyciã (quoniã ea regio adhuc inta
cta erat) petere statuit. Cæterùm quia regẽ Cypriũ, ex fluxu uentris aduersa uale
tudine laborare audierat, ad eum uisendũ diuertit, quẽ graui ualetudine oppres
sum offendit. Solatus cp eum ad patientiã morbi hortatus est. Tũ rex, Vides, in
quit, clarissime imperator, me ex afflictione grauissimi morbi ad extremũ uitę es
se perductũ. Vitalem eñ spiritũ me deficere sentio. Igit uxorem meam grauidã
cum posthumo hæredem instituo. Ea est filia Marci Cornerij conciuis tui, quam
Senatus Venetus in filiã adoptans, mihi in matrimoniũ dedit. Ergo si fata me ab
strahent, uxorẽ & regnũ Senatui Veneto cõmendo. Te uerò per amicitiã nostrã,
perq maiestatẽ imperij Veneti, rogo atq obtestor, si mors me occupauerit, hære
des meos, & regnũ ab iniuria defende. Imperator de ualetudine regẽ bene spera
re iubet: nam & ætate integra, & corpore robusto facilè morbũ superaturũ affir
mat. Tũ si (ut est uita mortaliũ incerta) diem suũ obierit, pollicet & Venetũ Sena
tum, & se cuius ipse imperator erat, eius hæredib. ad defensionẽ regni in omni
discrimine nunq defuturũ. Itaq cõfirmato regis animo, ab eo digredit. Inde ce
leri nauigatione ad insulas Lyciæ adiacentes cum tota classe uenit. Cum aũt acce
pisset in ea regione esse oppidũ opulentissimũ, Mycra appellatũ, non multum à
mari recedens, ad id oppugnandũ animum intendit. Oppidũ situm est in monte
arduo & excelso, qui in medio conuallis mari adiacentis, & undiq montib. cir
cundatæ assurgit. Extra cõuallẽ sunt campi feracissimi, aç Lorymo flumine irri

gui, propterea frequentibus uicis habitati. Igitur imperator summo mane cum classe ad littus extra conuallem applicuit. Equites & classiariam turbam exposuit, qui citatissimo cursu per omnes campos discurrunt. Vicos expoliant, atque depopulantur. Ingentem prædam hominum, & aliarum rerum agunt. Quibus peractis, in portum oppido proximum totam classem reduxit, omnesque copias exposuit. Erat ad præsidium oppidi Charagus Tribalus, cum centum & quinquaginta Ianizaris, quem imperator misso caduceatore, monet, quatenus oppidum dedat: nec expectare uelit, ut prostratis muris, capto oppido, ipse uictus suorum ludibria spectet. Tunc Charagus respondit: Tali se genere ortum, ut omnia extrema pati, quàm fidem maculare malit. Se autem & situ, & muris, & defensoribus inexpugnabilem fore. Oppidumq; suę fidei creditum, nulli quàm principi suo, à quo illud acceperat, tradere uelle affirmat. Imperator acceptо præfecti responso, oppugnationi se præparat: & quoniam unicus aditus erat, & hic quoq; perangustus iuxta litus maris ad conuallem erat (nam cætera omnia perpetuus mons in theatri formam claudebat) uallo locum ac fossa munire iubet. Præsidium ad obseruandum aditum imponit, ne si potens hostis aduenisset, nostros ab oppugnatione deturbare, & oppidanis subsidiũ ferre posset. Deinde captato loco tres bombardas magnas à parte Occidentis oppidi, quartã ab Austro locat. Oppidum circumobsidere, ne quis intrare aut exire possit, mandat. Tunc impigrè omnibus, quæ ad exercendas machinas opportuna erant paratis, bombardarũ crebris ictibus, muros quatiendo prosternere ac deijcere incipiunt. Milites quoq; interim aditum ad oppidum tentantes, oppidanos lacessunt. Qui dum nostros propellere studeant, detecti, eminus à nostris sagittis uulnerantur. Et oppidani nostros circumquaque & præcipuè machinarum operi instantes, missilibus omnium generum perturbare ac ferire non cessant. Interim Aiasbegus, Subassa illius regionis, collecta haud parua manu equitum, ad oppidum subsidij ferendi gratia tendit. Tum nostri equites ubi acceperunt hostem aduentare, maturè arma capiunt, equos frenant, ac conscendunt. Compositо ac quadrato agmine hosti occursuri progrediuntur. Et cum iam ad conspectum uenissent, hinc inde subditis calcaribus citato cursu concurrunt. Nostri primo congressu multos hostium equis deijciunt. Aiasbegus à Petro Bosichio præfecto nostrorum equitum hasta confossus occiditur. Cæteri absque mora omnes in fugam uertuntur. Multi hostium occisi, nonnulli uiui capti sunt. Reliqui proximis syluis ac paludibus se tutati sunt. At nostri uictoria læti ad imperatorem redeunt. Interfectorum hostium centum quindecim capita afferunt, uiuos sexagintaquatuor adducunt. Imperator hostium capita hastis affixa ad prospectum oppidanorum opponi iubet. Et iam duæ turres oppidi bombardis deiectæ erant, murus etiam, qui intra turres erat, corruerat, cum Charagus aduertens suos, qui suppetias oppido ferebant, fusos ac fugatos, nullamque spem præsidij sibi iam reliquam esse, & murorum partem prostratam, ciuibus etiam maximè ad deditionem hortantibus, non esse amplius expectandum ratus, ad imperatorem misit, omnia præter libera capita cum oppido imperatori tradens. Igitur imperator accepto oppido, Charagum cum oppidanorum turba abire quò uellet permisit. Præda militi concessa est. Oppidum igne succensum, ac solo æquatum. Erant suburbana propter forum mercatorium latè frequentibus tectis habitata. Horti quoque ob irriguum solum egregiè excolti. quę omnia igni ferroque deuastata sunt. Quibus peractis, imperator inde soluens, Fiscum uenit. Fiscus olim Lyciæ oppidum fuit, Rhodiorum ciuitati è regione situm, cuius nunc uix uestigia extant. Ager tamen uicis habitatur, quos omnes nostri deprædati sunt. Imperator ad maiora tendens, Hellesponti munitiones superare statuit, aliqua graui iactura hostem afficere cupiens. Quapropter præfectos nauium ad se uocat, quibus consilium suum aperit, tum uti naues paratas & instructas habeant, iubet. Dum imperator in his occupatus est, uenerunt ad eum duo oratores

Oratores missi à Karola Cypri regis sorore, quæ iam multis annis, regno à fratre expulsa, Rhodi morabatur. Hæc nupta est Lodouico ducis Allobrogum filio uiro ignauo, qui relicta uxore domi, inter concubinas luxurioseuitam dedit. Oratores imperatori referunt regem Cyprium mortuum esse, à quo Karola hereditario regno per iniuriam expoliata erat. Proinde orant imperatorem, uti amici olim regis Cypri filiam, & fœderati Venetorum Allobrogum ducis nurum suis opibus ad recuperandum hæreditarium regnum iuuare uelit, asserentes Karolam ex legitima uxore, fratrem ex concubina natum esse. Tunc imperator respondit, Iacobum regem Cyprium, socium & fœderatum Venetorum, regnum legitimè possedisse. Non enim legum formulis, aut litium contestatione, sed armis atque uirtute regna in ius principum cedere. Regnum autem non tantum sorori, uerùm etiam Genuensibus, qui multo tempore maiorem partem insulæ per tyrannidem occupatam tenebant, propria uirtute recuperasse, ac iure possedisse affirmat. Nunc reginam per adoptionem Senatus Veneti filiam cum posthumo, quoniam grauida erat, regni hæredem relictam esse, quam & Senatum Venetum, & se contra omnes reginæ aut regno iniuriam inferre uolentes defensurum affirmat. Oratores accepto responso, tristes recedunt. Iam imperator instructis omnibus, Hellespontum uersus nauigare parabat, cum redduntur ei literæ à Katarino Zeno oratore, quibus certior fit regis Persarum exercitum, & Othomani Turcorum principis non multum inter se distare, & ad paucos dies collatis signis prælium inire, & armis rem decernere uelle. Præterea orator imperatorem monebat, ut quàm primùm ad Ciliciam se cum tota classe conferret, affirmans propediem Vsunasanum illuc uenturum esse, cum eo de statu totius belli acturum. Igitur imperator mutata uelificatione Ciliciam uersus nauigationem dirigit. Et cum equites pabulo equorum indigerent, imperator omnes copias in agro olim Myreneorum exposuit. Myra fuit ciuitas Lyciæ, una ex sex ciuitatibus quæ inter reliquas Lyciæ urbes magnitudine & auctoritate præstabant: nunc euersæ multa uestigia extant, præcipuè monumenta mortuorum in uiuo saxo cauata, quæ columnis & alijs signis ex eodem saxo incisis atque insculptis ornata sunt. Nostri discurrentes paucos homines qui custodiæ causa in uicis remanserant, capiunt. Nam cæteri metu perterriti, ad inuia saxa, & rupes montium se receperant. Hordei autem atque tritici magnam copiam afferunt. Igitur imperator imposito in naues hordeo, quod ad multos dies equis sufficere poterat, inde soluens Cyprum diuertit. Cum ad urbem Famaugustæ uenisset, reginam adijt, quæ recenti funere regis in mœrore posita, ac graui dolore afflicta lugebat. Igitur imperator multa exempla humanæ fragilitatis, uariæque fortunæ instabilitatem referens, reginam solatur. Tum ei operam suam, quandocunque ea indigeret, amplissimis uerbis pollicetur. Regina tametsi insanabili uulnere afflicta, & præ tristicia manantibus lachrymis, uix uultum attollere, uix uerba proferre poterat, tamen leuatis oculis gratias imperatori agit, se, & regnum supplici oratione ei commendans. Imperator leuato aliquantulum animo reginæ, eam relinquens Ciliciam adnauigat, Vsunasanuũ ibi expectaturus. Dumque in portu Corici cum classe esset, uenit ad eum Lodouicus Laoridanus, pontificiæ nauis præfectus. Nam Pontifex maximus legatum miserat Laurentium Zanum archiepiscopum Spalatensem cum decem triremibus, qui Rhodum ueniens, ulterà progredi noluit, nisi prius de aduentu suo, quidque in animo sibi esset, imperatorem moneret. Igitur Lodouicus imperatori refert archiepiscopum legatum à Pontifice missum, Rhodum adueniisse, eumque scire uelle an alia quod egregium facinus gesturus esset, se quoque socium (si id in animo est) uenturum polliceri. Tunc imperator respondit: Ego & superiori anno & præsenti multa bene & prosperè gessi, quæ etsi pro magnitudine ani-

animi eius,legato forsitã parua uidentẽ,hosti tamen grauia,& Christianis principibus magnifica atq; egregia uisa sunt, & nisi omnib. nota essent, possem referre quæ ab Hellespõto ad Syriã mari adiacentia nostris armis, nostraq; uirtute prostrata ac deuicta sunt,nunc quoq; nõ ad minora toto animo incumbimus. Legati aũt aduentus in manu ipsius est,tamen si uenerit,& ob reuerentiã Pontificis, quẽ ego summè ueneror, & propter ipsius legati personã, qui in agro Piceno diu in armis uersatus,belli haud ignarus est,nobis gratũ erit. Lodouicus accepto respõso,ad legatum reuertit. Imperator cum iam multos dies circũ litora Cilicię moram traxisset,nihilq; de progressu regis Persarũ afferret,tãdem reddunt ei literæ à Katarino Zeno,in quib. continebat,regis Persarũ copias cum Turcis bis conflixisse. Othomanus duos magistratus summos habet.unũ Bassan Anatoliæ,alterũ Romaneæ appellat. Ille omnib. prouincijs Asiæ, hic Europæ Othomano subditis præest. Horũ & in administratione imperij cõsilio,& in bello gerendo opera maximè utit. In primo prælio filius regis cum triginta milib.equitũ,Bassa uerò Romaneæ cum quadraginta milib.congressi fuerant. Et quoniã equites Persarũ & uiris & equis,Turcis multũ præstãt,Turci ne primum quidẽ cõgressum Persarum sustinentes,in fugam uersi erant, & penè omnes occidione occisi. Bassa ipse cum multis principib. interfectus est:alij uiui capti ad regem adducti. Rex prospero successu elatus,postero die omnib. copijs Othomani castra circundat. Othomano mos est in medio castrorũ sibi priuatim munitiones facere,et in eis se quasi in arce cõtinere. In hac quoq; expeditione,circiter quatuor millia passuum in circuitu locum uallo fossaq; munierat. Currusq; cathenis compactos,circumquaq; post uallũ obiecerat,singulis plaustris binas bombardas imponens, præterq; eas ingentem copiam tormentorum cuiusq; generis ad defendẽdas munitiones dispositerat. Ad hæc regenda,ad quindecim millia uiros in administratione bombardarũ aliorumq; tormentorum exercitatos locauerat. Intra uallum habebat equites uigintiquinq; millia,quos de toto exercitu delegerat. Hi maximè Thraces atq; Tribali erant. Peditũ quoq; quos Ianizaros uocat, uiginti millia erant,manus propè inuicta,& Macedonicæ phalangi persimilis. Persæ ergo fugatis reliquis copijs Othomani,milites qui intra uallum erãt,cum aduertissent hostem munitionib. appropinquare, igne suppositio, omnia tormenta simul excutiunt,quib. hostem miserabiliter affligunt. Hic filius regis adolescens audacissimus,inter primos acerrimè pugnans,plumbea glande tormento excussa traiectus occubuit. Cæteri Persæ tum exemplo suorũ,quos passim mutilatis membris,atq; fusis uisceribus iacere uidebant, metu perculsi, tum equos terribili fragore tormentorũ,atq; insueto tonitru bombardarũ perterritos regere non ualentes,terga uertunt. Turci eruptione facta fugientibus instant. At regij subditis caribus celeri fuga hosti se surripiunt. nam totus exercitus regius equitum erat. Turci Persarum castra inuadũt,omnia impedimenta diripiunt, nec ultrà hostem persequi ausi sunt. Rex ad montana Armeniæ incolumis cum exercitu se recepit. Ibi enim uxor cum liberis eius erat. Othomanus, quoniã hostem castris atq; impedimentis exuerat,dimisso exercitu uictorem se existimans,Byzantium uersus tendit. Regiæ copiæ fuere in hac expeditione,trecenta & quinquaginta millia. Othomani exercitus trecenta & uiginti millia expleuerat. Ex regijs ad decem millia,ex Othomani quadraginta millia desiderati sunt. Rex ergo non copijs, nec uirtute militum ab Othomano, sed arte atque tormentis superatus est. Imperator his ex literis Katarini Zeni cognitis,qui eum etiam monebat,ne hoc anno ultrà regem expectaret(nam instante hyeme in hyberna exercitum rex ducturus erat) Cilicia soluens, Cyprum concessit, de filio nato reginæ gratulaturus, quem antea enixam audiuerat: simulq; si qua ad tutandum regnum necessaria forent, prospecturus. Vbi in regiam uenit, post gratulationem regina uolente puer ab imperatore, & legatis ad sacrum fontem suscipitur, puerocq; paternũ nomen inditum est. Baptizato puero, à regina digreditur. Erat Cypri Andreas

Cor-

A Cornarius reginę patruus, uir mã ſueti animi, atq; benigni ingenij ab adoleſcentia optimis morib. inſtitutus, potiusq; iniuriã pati q̃ inferre paratus. Huius conſilio regina in adminiſtratione regni maximè utebat̃: quẽ imperator ad ſe uocat, de conditione regni, de fide hominũ ab eo inquirit. & num aliquid timeret, aut alicuius rei indigeret, interrogat. Ille, tranquilla ac tuta eſſe omnia, reſpõdit, nec in præſens alicuius rei opus eſſe affirmat. Imperator tamen inopinata etiã metuẽs, præter illas triremes magnas, quæ tormenta, & alia dona regi Perſarũ mittẽda aduexerant, duas alias addidit, quas præſidij gratia Famaguſtæ reliquit. Præfectis nauiũ mãdat, uti dicto Cornarij audiẽtes ſint. Interim legatus pontificis cum duabus triremib. ad imperatorẽ uenit, reliquas octo à Quæſtore q̃ impenſę faciendę gratia à põtifice prępoſitus erat, abductas Chiũ uerſus eſſe narrat. Legatus de pugna regis Perſarũ cũ Othomano ab imperatore edoctus, cum eo reuertit̃. Itaq; ſimul Cypro recedũt. Et quoniã omniũ animi ad regis Perſarũ copias atq; exitũ intenti erant, imperator ueritus, ne Othomanus ſolita aſtutia ad deprimendos hoſtiũ animos, regẽ Perſarũ fuſum atq; fugatum à ſe diffamaret (Solet em̃ ſæpe re etiã malè geſta lætitiã, atq; alia ſigna uictoriæ præ ſe ferre) primũ Rhodum, tum Chiũ, deinde alias inſulas, atq; ciuitates Græciæ adnauigans, omnib. affirmat, regẽ, tametſi caſtra amiſiſſet, prælio tamẽ & occidione hoſtiũ multo ſuperiorẽ extitiſſe, nec credi debere Othomano hoſti fallaciſſimo. Quib. perſuaſis, Sporadas atq; Cycladas præternauigãs, Pelopõneſum uenit, Methonãq; ſe recepit, quoniã iam hybernũ tẽpus aduenerat, & ab amicis literas acceperat, quib. certior factus erat, ſucceſſorem propediem ſibi deſignatum iri. Ibi expectare ſtatuit Senatus decretum, quo domum reuocaretur. Legatus pontificis cum duab. triremib. (nam reliquas octo ne uidimus quidem) & regius dux cum ſua claſſe Græcia ſoluentes, in Italiam ſe conferunt.

B

CORIOLANI CEPIONIS

PETRI MOCENICI IMPERATORIS

Geſtorum liber tertius.

IAcobus rex Cypri potitus regno, omnes inſulæ nobiles atq; principes, quoniã partes Carolæ ſororis ſuæ ſecuti fuerant, alios exauctorauit, alios in exiliũ miſit. aduenas homines poſtremæ cõditionis, & qui piraticã exercuerãt, ad ſummũ gradũ prouexit. Horum maior pars erat ex illa regione citerioris Hiſpaniæ, quæ nunc Catalonia dicit̃. Qui mortuo rege, uſi rapto uiuere, ſuo non contenti, tametſi à rege ampliſſima patrimonia donata poſſiderent, res nouas moliebant̃. Inter eos erat archiepiſcopus Cypri. hic à rege ſuo, ad Ferdinandũ regem Apuliæ legatus miſſus fuerat: qui audita morte ſui regis, ad occupandũ per tyrannidẽ Cypri regnũ cum ſuis popularibus in quorũ manu arces ac magiſtratus totius pene inſulæ erant, animũ conuertit: ad hoc magno ſibi uſui fore exiſtimans, ſi Ferdinandi regis Apuliæ filio ex concubina nato, Iacobi regis Cypri filiã eiuſdem conditionis deſpõderet, multis ſuaſionib. ad contrahendũ matrimoniũ regem perpulit. Igitur rex unũ ex ſuis fidum cum archiepiſcopo, datis duabus triremib. quæ eos deueherẽt Cyprũ, mittit. Imperator cum audiſſet duas regias triremes, quę ad ſe non diuerterant, Cyprũ uerſus præternauigaſſe, cauſam profectionis earũ ignorans, Coriolanũ Cepionem, & Petrũ Tholemeriũ, Dalmatas præfectos cũ duabus triremib. illuc mittit. Quib. mandat, ut reginã adeant, ſuoq; nomine eam ſalutent: & ſi res exigeret, imperatorẽ cum claſſe, ad omnẽ ipſius reginæ uolũtatẽ uẽturũ polliceãt̃. Deinde ſi quid noui in illo regno eſſet, ut ad ſe celeriter redeãt, iubet. Interim dux Cretenſiũ imperatori rumore quodã motus ſcribit, Cyprios animũ ſyncerũ nõ habere, atq; res nouas moliri. Quapropter imperator Victorẽ

So-

Soprantiũ legatũ cum octo triremib. præter illas duas quas iam miserat, Cyprũ A
mittit, ut uideret ne quid detrimẽti regnũ illud caperet. Victor abiꝯ mora Me
thona soluens, præmissas triremes Cretæ consequit. Coriolano uti præcedat iu
bet, mandata ab imperatore accepta exequat, se cum reliquis triremib. subsecutu
rum ꝯ primũ affirmat. Interim archiepiscopus Cyprũ appulsus, amicis atꝯ po
pularib. suis consiliũ aperit, & ad occupandũ regnum suadet, facilè illos tyranni
dem regni obtinere posse affirmat. Regis Ferdinandi filiũ, puerũ esse docet, cui
regis filiã puellã etiam despõdere uolebat. Regẽ quoꝯ suũ infantẽ esse ostẽdẽs,
illos inter duos pueros dominaturos, modò Andreã Cornariũ, reginæ patruũ, è
medio tollerẽt. Et ne Venetorũ potentiã pertimescerent, multa illis cõmentatus
est. Tũc homines perfidi, obliti iurisiurandi, quod sanctissimè seruandæ fidei gra
tia reginæ præstiterãt, scelestũ cõsiliũ archiepiscopi approbãt. Andreã Cornariũ
uirũ innocentissimũ morti destinãt, & ad occupandũ regnũ per tyrannidem con
iurant. Sequẽti itaꝯ nocte dato signo, omnes ad arma concurrunt. Primũ reginæ
medicũ cum quodã ciue Pilinzapa nomine, reginæ fidos atꝯ intimos, qui metu
perterriti in cubiculũ ad reginã confugerant, inter manus ipsius reginæ trucidãt,
deinde ad inquirendũ Andreã tendunt. At ille audita cæde medici, ad arcẽ con
fugerat: ac à præfecto arcis exclusus, inter duos muros arcis delituerat. Quẽ quia
dam Nicolaus, Epirota genere, uir omnib. ꝓbris obnoxius, coniuratis prodidit:
qui ad locũ ueniẽtes, data fide Andreã euocant. Tũ satellites cõiuratorũ simul cũ
Marco Bembo, Andreæ ex sorore nepote, eum trucidãt: uestibusꝯ expoliatos,
nuda corpora relinquũt, quæ quidã dispẽsator Andreæ in æde diui Dominici se
peliuit. Ex fœdere antiquo Veneti prætorẽ Cyprũ mittũt, qui Venetis in ea insu
la ius dicit. Erat tũc prætor Nicolaus Pasqualicus, ad quẽ cõiurati cõueniũt. An
dreã ob auariciã à militib. quib. mercedẽ non soluerat, occisum narrãt. Se in fide
reginæ & in Venetorũ amicitia mãsuros affirmãt. Prætorẽ rogãt, ut Senatui Ve
neto, & imperatori scribat, Andreã sua culpa à militib. mercenarijs, quos stipen
dio fraudauerat, interfectũ esse. Se quoꝯ oratorẽ Venetias et ad imperatorẽ mitte
re uelle dicũt, qui & fidẽ eorũ integrã regi suo cũ matre, & amicitiã perpetuã Se
natui Veneto polliceat. Prætor tametsi eos falsa locutus sciret, tamẽ tẽpori infer
uiens, omnia se facturũ, ꝓmittit. Deinde cõiurati ad regiã conueniũt. Tũ filiã re
gis, puellã annorũ sex, filio regis Ferdinãdi etiã impuberi despõdent. Titulum
principis Galileæ, & multa prædia doti, ꝓmittunt. Hoc apud Cyprios successo
res regni gaudẽt. Quib. peractis, unã ex regijs triremib. cum illo regio nuncio,
qui cũ archiepiscopo uenerat, uti regi Ferdinãdo acta significet, mittunt. Deinde
metuentes Venetorũ potentiã ne se opprimerẽt, anteꝯ ipsi suas opes firmassent,
oratorẽ Venetias, & ad imperatorẽ classis mittunt, ut atrocitatẽ cædis Cornariæ
leniat: & si qua expeditio contra eos futura esset, rem quoꝙ modo posset, ꝓtrahe
ret. Literas quoꝯ reginę nomine, eiusꝯ manu adscriptas, & ad imperatorẽ & ad
Senatũ mittunt, quib. continebat Andream à militibus, ꝓpter eius auariciã occi
sum: se cum filio regnũ libere administrare, omnesꝯ sibi fidos ac dicto obedien
tes esse. Nam regina tyrannide oppressa, omnia ex tyrannorũ uoluntate agebat:
& hæc non ex sua, sed ex coniuratorũ sententia scripserat. Deinde tyranni fibi fi
dos ac scelerũ conscios arcibus præficiunt. Et quoniam in ærario nihil pecuniæ
rum erat, tyranni multa uasa regis argentea cõflant, satellitib. suis stipendiũ datu
ri, nummũ percutiunt. Dum hæc aguntˉ, duę triremes ab imperatore missæ Cy
prũ ueniunt. Extra portũ Famaugustæ ad scopulos anchoras demittunt. Hic Co
riolanus cum socio cognitis reb. rem dissimulare ad tempus statuit, tamẽ ad con
firmandos bonorũ animos, tyrannorũꝯ deterrendos, deliberat ex aliqua uerisi
mili causa reginæ nunciare legatũ cum octo triremibus aduentare, imperatorẽꝯ
non post multos dies esse uenturum. Itaꝯ ad reginam accedens, se ab imperatore
missum esse dicit, uti nunciaret quoniam imperator audiuerit Sultanum Aegy
ptiorum principem Carolæ regis sorori regnum Cypri polliceri. Legatum cum
de

A decẽ nauib. præmiſiſſe, ſe quoq; ppediem cum tota claſſe eſſe uenturũ, ut omnes intelligant Senatũ Venetũ, et ipſum imperatorẽ, reginã & regnum Cypri contra quoſcunq; tueri uelle. Quo nuncio regina aliquantulũ cum omnib. bonis recreata eſt. Tyrãni hæc audiẽtes, ſuæ ſaluti diffidere cœperũt. Quarta poſt die, Soprãtius Legatus cum octo triremibus uenit, extra portum naues reduxit, nec ipſe urbẽ intrare uoluit. Duo ex cõiuratis accepta fide ad legatũ ueniunt, Andreę auaritiã accuſant, ſuã ac ſuorũ innocẽtiam apud legatũ approbare conant. Tunc ſe et ſua omnia Senatui Veneto credituros pollicent. Legatus tametſi uerba factis nõ cõuenire aduerteret, tamẽ ſi cõſilio eos a diſcrepiſcentiã reuocare poſſet, tentare ſtatuit. Igit cõiuratis reſpõdit, Andreæ cædẽ nõ publicam, ſed priuatã iniuriam eſſe eos, modò in fide regi ſuo manere uelint, Senatũ Venetũ amicos habiturũ affirmat. Ad hanc rem non uerbis, ſed factis opus eſſe. Proinde ſi uera ſunt quę pollicent, arces ac uectigalia regni reginæ reſtituãt. Illi ex cõmuni conſilio reliquorũ omnia ſe facturos promittũt. Legatus cum plures dies in cõponẽdis rebus cum tyrãnis cõſumpliſſet, nihilq; ab iis præter uerba ſe habere poſſe aduerteret, ad Senatũ atq; ad imperatorẽ ſcribit, reginã, ac regnum graui tyrãnide oppreſſum, nec à ſe tyrãnos ad ſanius conſiliũ oratione adduci potuiſſe. Itaq; ad liberandũ regnũ, armis atq; ualidiore expeditione opus eſſe. Iam imperator ſuccenſorẽ ſibi Triadanũ Grittũ, uirum acris ingenij, atq; in rebus exercitatũ ętate tamen pergrauẽ, utpote qui octuageſimũ & quartũ annum expleuerat, deſignatũ eſſe audiuerat, ſimul cum eo duos legatos, Lodouicũ Bembũ qui ante biẽnium legatus etiã fuerat, & Iacobũ Marcellũ, uiros magni animi, atq; in re nauali plurimũ ueriatos. Quare Senatus decretũ, quo miſſus in patriã redire poſſet expectabat, cum coniuratorũ orator ad eum uenit, mãdata exequit. Imperator increB patũ oratorẽ à ſe dimittit. Tũ non ſecus ac par eſt in tali re motus nõ eſſe ceſſandum ratus, magiſtrum claſſis ad ſe uocat, ut naues inſtructæ, claſſisq; parata ſit, iubet. Fortè tunc aderant triremes magnæ ſeptẽ: quatuor, quæ Alexandriã mercatoriq; rei gratia petebãt: tres, quæ ob eandẽ rem Syriã uerſus, proficiſcebant. Imperator omnes à curſu ſuo retinet. Alexãdrinas Cretã mittit. Magiſtratui, q̃ in ſtatutis Cyprię ſint, ſignificat. Sunt Cretę ſtipẽdiarij equites multi, quorũ maiores, cum coloniæ in illam inſulã à Venetis deducerent, equis militaturi prædia acceperant. Igit duci Cretenſiũ imperator mandat, ut q̃ maximum numerum equitũ comparet, nauibus Alexandrinis imponat. Præterea iubet, ut quaſcunq; naues onerarias nactus fuerit, cibarijs oneret, mercenarijs militib. ex præſidijs ciuitatum deductis, ac ſagittarijs Cretenſibus compleat: has omnes copias ad ſe expectandum Rhodum mittat. Ibi enim omnes copias colligere, deinde Cyprũ petere ſtatuerat. Tres naues Syriacas Neapolim mittit, præfecto urbis ſcribens, ut quantũ naues ferre poſſent, in eas equitũ imponat, curſuſq; earũ Rhodũ uerſus dirigat. Ipſe ex urbib. Peloponeſi præſidiarios milites aſſumẽs, in naues diſtribuit. Præterhæc equites in ſingulas decẽ aſſumit: duas triremes magnas, quæ claſſi neceſſaria ſubminiſtrare ſolẽt, cibarijs ac tormẽtis ad expugnãdas urbes neceſſarijs onerat. Equitũ etiam quantũ ferre poterant, imponit. Tum per omnes urbes atq; inſulas Græciq; edictũ mittit, q̃ præcipit, ut quæcunq; naues Veneti nominis ad eas applicuerint, capitis pœna, et bonorũ amiſſione indicta, Cyprũ ſe conferant. Quib. ſtrenuè paratis, imperator cũ omnibus copijs Rhodũ uerſus tendit. Inter nauigandũ reddunt ei literæ à Soprãtio legato, quib. ſignificabat Cyprũ à tyrãnide oppreſſam: & quę animum tyrãni haberent, quid ue ipſe cum illis egiſſet. Imperator ex literis legati, reb. cognitis, maturè ſe Rhodũ cõtulit. Dum ibi aliquot dies moratur, nõdũ omnes apparatus undiq; uenerãt, quos ipſe expectare ſtatuerat, ut cum ualidiſſimis copijs ad inſulã accedere, & hoſtem opprimere poſſet. Literas à Soprantio accepit, ex quibus cognoſcit, tyrannos metu perterritos aufugiſſe, remq; Cypriam iam in uado eſſe. Regina autem ſcribebat, etſi prin-

príncipes tyrannidis,auditis copijs atq; ingenti imperatoris aparatu,metu perter A
riti,pfugíssent,restare tamẽ multos,qui omniũ cõsiliorũ participes tyrannorũ fue
rant,& qui multa contra ius & fas dixerant & fecerãt.Præterea plurimos etiã pr
ter noxios esse,qui nunc ad potentiam suã cuncta trahendo omnia perturbabant.
Totumq; regnum in magno discrimine esse affirmabat. Quapropter uehemẽter
imperatorem rogabat, obtestabaturq; ne se ac regnũ in maximo periculo positũ
desereret,sed cũ omnib.copijs ad extirpandã tyrãnidem, & componendũ regni
statũ uenire maturaret. Imperator lectis literis reginæ ac legati, diligentiq; æstiꝰ
matione omnib.pensitatis,cum omni apparatu Cyprũ se cõferre statuit. Primũ
ut regnũ à tyranníde uendicatũ cõponeret,deinde ut omnib.ostenderet Veneto
rum potentiã cum res exigerẽt,q; in expedito sit. igit cum omnib.copijs Rhodo
soluens,Cyprũ uersus tendit,atq; intra paucos dies Famaugustã uenit.Hic Im
perator ut armati adsint,omnib.iubet.Deinde media urbe in cãpo diui Nicolai,
ante regiã,ipsa regina cum omnibus Cypriorũ principib. inspectante,exercitũ
lustrauit,omnesq; copias in conspectũ dedit.Regina & príncipes uiso ingẽti ap
paratu, obstupuere,admirãtes imperatoris nostri studiũ ac diligentiã,qui media
hyeme, sæuiente mari, fœdaq; tempestate nonnunq; interpellante, tantas copias
ex diuersis locis tam breui tempore cõtraxerat. Imperator inito numero copiarũ,
naues mercatorias,cæterasq; omnes quæ undiq; euocatæ aduenerãt,præter ro
stratas suæ classis soluit.Equites cuiuscq; generis cũ militib.ex præsidijs deductis
domum remisit, sagittarios Cretenses tãtum retinẽs. Deinde ex Veneta natione
præfectos delegit,quos cum præsidio Cretensiũ sagittariorũ omnib.arcibus præ
fecit.Quibus expeditis,quoniã post fugã tyrannorũ regina multos ex satellitib.
cõprehensos in carcere retinebat,Imperator habita quæstione cædis, participes
atq; cõscios supplicio affecit. Cæteros suspectos cuiuscq; cõditionis in exiliũ mi
sit,multos noxios,maleq; animatos per insulã delitescentes, aqua igneq; interdi B
cto,pscripsit: & nõnullos qui studio reginæ cõtra tyrãnos operã suã nauauerãt,
cognita causa,ex bonis tyrannorũ remunerauit.Et iam ab imperatore omnia cõ
posita,et regnũ pacatũ ac quietũ erat,cum reddunt ei literę Nicolai Marcelli Du
cis Venetorum,cum Senatus decreto,q; prouincia Cypri ei demandabat. Multa
Dux in expeditione facienda imperatorẽ monebat,ut de retinendis nauib.nego
ciatorijs,de equitibus Cretensib.ac Epiroticis,de militibus præsidiarijs,quæ o
mnia imperator,admonitiones Ducis ac Senatus superãs,cõsilio ac diligentia sua
iam fecerat.Hoc mirũ.Nã quicquid post mortẽ regis Senatus ad cõseruationem
regni fieri iussit,omnia imperator suo cõsilio prẽoccupauerat,etsi iam nihil quod
ageret relictũ erat,tamẽ ex Senatus decreto Cypri manere,& successorẽ expecta
re ei necesse fuit.Interim uenit Iacobus Marcellus nouus legatus,qui ab Senatu
cum pecunia ad cõducendos ex Peloponeso equites missus fuerat. Cæterũ audi
tis ab imperatore gestis, omisso negocio pecuniã ad imperatorẽ detulit. Impera
tor accepta pecunia Marcellũ cum decẽ triremib.ad tutandas Aegeas insulas mi
sit.Et cũ iam per multos dies Cypri successorẽ expectasset, nihil de aduentu suc
cessoris audiret,tandẽ reddunt ei à successore literæ,quib. significabat se in terrã
Græciã uenisse,sed ex Senatus decreto Cyprũ accedere nolle,quoniã totũ negõ
ciũ illius regni ei demandatũ erat.Imperator acceptis literis successoris sui, cete
nens regni statũ optimè constitutũ,& omnia quieta & pacata esse,domum redire,
quoniã iam tempus exposcebat, statuit. Victorẽ Soprantiũ legatũ,qui etiam ex
Senatus decreto in expeditione terrestrib. copijs prẽesse iussus fuerat,cũ decẽ tri
remib.ad præsidiũ regni Famaugustę manere iussit.Ipse reginã adijt.quã benigne
allocutus,Venetorũ potẽtia,& opera sua,regnũ à tyrannis liberatũ,eiq; restitutũ
esse dici. In posterũ etiam si opus fuerit, & Senatus nomine,& suo, maiora pro
mittit. Regina collaudato imperatore, Senatui Veneto & imperatori gratias a
git.Ipsum patrem ac liberatorẽ regni appellat.Quẽ ob res bene ac pspere gestas

A scuto egregij operis, ac uexillo serico, uermiculo tincto, atq; auro picto, cum regijs signis donat. Legatis quoque minora uexilla dedit. Imperator regina ualere iussa, atq; regio puero, quem regis mater in manib. tenebat exosculato, inde digreditur. Ipse relicto legato, cum reliqua classe Cypro soluit. Dura nauigatione usus, remis aduerso uento Etesijs flantib. (quoniam æstas erat) primùm Rhodum, deinde Cretã, pòst Methonã uenit. Hic accepit hostem Scodram oppidum multis annis Venetorum ditioni subditum, ingenti apparatu obsidere. Scodra sita est in monte excelso, undiq; prono ac decliuo, aliquibus etiã in locis præcipiti, in ea parte Illyrici, quę ab Epirotis occupata, nũc Albania appellat. Regio fertilis, omnib. ad uictũ mortaliũ necessarijs abundãs. Ex parte occidẽtis oppidi est lacus, octuaginta milia passuũ in circuitu patẽs. nomẽ ab oppido sumit, & lacus Scodræ appellat, ex quo fluuius exit, qui prę terfluẽs radices montis in quo oppidũ situ est, alluit. Hunc fluuiũ incolæ Bolianam uocãt. Scodram priscis temporib. Plinio teste, Drino quoq; amnis à parte Orientis præterfluebat, qui mutato alueo nunc iuxta Lyssum decurrit, ab ostio Bolianę decem milia passuũ Orientẽ uersus, bino ostio mare intrat. Cuius fluuij ad Scodrã, & alueus siccus, & pontis uestigia extant. Miror cur nec Plinius, nec Strabo diligentissimus geographus, de lacu tam insigni, nec de eius fluuio ullam mentionem fecerint. Hi ambo fluuij nauigabiles, etiam onerariarũ nauium ad multa milia passuũ capaces sunt. Planicies inter eos ac circuma diacentes campi ita fertiles sunt, ut semina temerè iacta, & absq; diligentiori cultura mirabilem fructum ferant. Hic ab incolis pecora quoq; pascuis repelli dicunt, ne nimia satietate interimant. In circuitu regionis montes sunt prælti atq; asperi. Humiliora colles aprici tenent, uinetis oliuetisq; optimè cõsiti. Maritima huius regionis propter paludes, syluę cæduæ occupãt, quæ ad naues fabricãdas multã materiã præbent. Quamobrẽ Othomanus, qui spe orbis imperiũ amplecti uidet, hanc regionẽ & ad alendos exercitus, & ad fabricandas naues, conseruandamq; classem propter duo flumina opportunã existimãs, Scodrã caput, atq; arcẽ totius regionis expugnare statuit: quã si cepisset, nõ dubitabat totã regionẽ in suã ditionẽ esse cessurã. Sperabat em redacta in potestate Albania, exemplo Alexandri & Pyrrhi, Epirotarũ regũ, cum classe Adriaticũ sinũ trajicere: & quod illi nõ potuerãt propter exiguas uires, se ualidissimo apparatu, ingentibusq; copijs Italiã occupaturũ. Igitur Solimano Bassæ Romaneæ expugnandi oppidi prouinciã demandat. Hic captus in Pannonia inferiori, quam regionẽ nũc Bossinam dicimus, puer admodũ ob egregiam formam Othomano dono datus est, quẽ ille eunuchũ fecit, & in cõsuetudinem stupri habuit. Deinde superiori anno iam uirum in locũ illius Bassæ, qui in Persico prælio occubuerat, ad summũ magistratũ prouexit. Cui ad octo milia Ianizaros ex sua cohorte, & centũ opifices ad fundendas atq; exercendas bombardas dedit. Bassa omnes duces prouinciarum, quæ citra Hellespontũ sunt, Othomanoq; obediunt, ad se uocat, uti quisq; cum suis copijs adsit iubet. Quingentos camelos, qui æs deuehant ad cõflandas bombardas parat. Quib. expeditis, cum toto exercitu per Macedoniã, deinde Tribalorũ prouinciã pertransiens, in Albaniã uenit, omnes circumiacentes campos Scodræ copijs suis occupat. Hic inito numero copiarũ, octuaginta milia hominũ in exercitu se habere cõperit. Itaq; distributis patribus oppidũ undiq; obsideri iussit. Et ne quis exire aut intrare oppidũ posset, diligentissimè obseruari mandat. Opifices ad fundendas bombardas, operam intendunt. Bassa cæsis trabibus in proxima silua, infra oppidũ, mare uersus fluuiũ ponte iunxit. Cui Alibegũ audacissimũ Tribalorũ ducem cum suis copijs præsidio locauit. Imperator intellecta obsidione Scodræ, etsi successorem suum cum aliquot triremib. illuc profectum esse sciebat, tamen ne

in aliqua parte reipub. deesset, maturè se ad Albaniam trãsferre statuit: & cum Corcyram uenisset, reddunt̃ ei literæ Venetorũ ducis, cum Senatus decreto, quo demandabat̃ ei prouincia Albanię defendendę. Accepto igitur decreto, absq; mora cum Stephano Malipetro legato suo, Albaniã se contulit: atq; ostium Bolianæ intrans, Triadanũ Grittũ successorem suum, cum Lodouico Bembo eius legato offendit. Mocenicus etsi ex Senatus decreto solus cuncta agere poterat, tamen ut est minimè ambitiosus, semper publicã utilitatem suę dignitati præferens, omnia ex cõmuni consilio successoris facere & disponere statuit. Miserat Senatus Leonardũ Buldum legatũ, uirum multarũ rerum usu sapientem, & qui in Albania multo tẽpore uersatus fuerat, ut terrestribus copijs in hac expeditione præesset. Hunc imperatores cum quatuor triremib. Catarum miserũt. Catarus urbs est Dalmatiæ, in sinu Risonũ sita, ciuib. frequens. agrum q̃q; amplum & bene habitatum habet. Hanc Risonij diu bello uexati, propriã sedẽ relinquẽtes, in tutiori loco ædificarũt. Imperatores Leonardo mandant, uti Iuanum Cernoium, qui Illyricis lacum accolentib. dominatur, fœderatum & amicũ Venetorum adeat, uiroq; suadeat, ut collectis omnibus copijs, tam suis q̃ ex ciuitatibus quæ Venetis parent aduocatis, terrestri itinere Scodræ subsidiũ ferat. Leonardo iubent quatenus fabricatis nauibus, per lacum simul cum Iuano ad Scodrã suppetias laturus se cõferat. Deinde quinq; triremes, ut Drinonẽ intrantes, præsidio Lysso sint, mittunt, q̃niam Lyssi oppidum in plano situ ac malè munitũ est. Insula nõ parua Lyssõ adiacet, quam Drino diuisus bino ostio mari influens efficit. In hac se penè ex omnibus uicis Albaniæ incolæ cum rebus receperant. Igitur præter triremes multa nauigia bene armata, ut insulam tuerentur, mittunt. Dyrrhachium quoq; quatuor triremibus, & equitum Epirotarum præsidio firmant. Hæc ciuitas maximè tempore bellorũ ciuilium celebrata fuit. Nam Pompeius omnes apparatus belli contra Cæsarem in eam cõtulerat, nunc ppter aeris malignitatem deserta ac penè inhabitata est. Multa tamen monumenta egregię urbis in ea adhuc manent. Inter quæ statua equestris ænea ad portam quæ cõtinentem spectat posita est. Hanc (quoniã sine inscription e est) alij Theodosij imperatoris, alij Constantini esse asserunt. Hanc urbem Veneti propter cõmoditatem portus impositio præsidio custodiunt. Butuano etiam, atq; Antibaro & Olchino militũ ac nauium præsidia mittunt. Olchinũ prius Colchiniũ dictum est, à Colchis conditum. Cuius ciues etiam nunc nescio quid feritatis cõditorum suorũ retinentes, hospitibus duri atq; infesti sunt. Imperatores cum reliqua classe iuxta tẽplũ Sergij martyris in cõspectu oppidanorũ manẽt. Tẽplũ à mari quatuordecim milia passuũ distat A tẽplo ad Scodrã q̃nq; milia passuũ sunt. ultra q̃dẽ fluuius pluribus in locis uadosus, triremes, alias q̃ grãdiores naues trãsire nõ patit̃. Ex hoc loco imperatores oppidanis, & oppidani imperatoribus, q̃tidie mane ac uesperi, accẽso igne, cõstantis animi signũ ostẽdebãt. Boliana infra tẽplũ, octo milia passuũ, ex utraq; parte, saxoso colle occurrẽte in arctissimas fauces coit. Hũc locũ incolę Scalã appellãt. Trãsfuga q̃dã imperatoribus refert, hostem trabes ac cathenas parare, fauces q̃ fluuij occludere uelle affirmat. quapropter imperatores, instructis nauibus, & hostes simul ad occupandum locum cõtendunt. Cum nostri ueniissent, iam utraq; ripa à cõfertissimo hoste occupata erat. Hostes nostros sagittis infestãt. Nostri uerò lapidibus & glande plũbea tormentis excussa, hostem affligunt: telaq; cuiusq; generis ingerentes, multos uulnerãt. Et quoniã nostri tecti ac muniti, hostes aũt ad omnem ictum expositi præliabant̃, nec aliquod telum à nostris in cõfertissimos hostes incassum mittebat̃, multi hostiũ cadebant. Igit̃ hostes multis occisis, pluribus uulneratis, nostris liberum locum relinquentes terga uertunt. In hoc certamine Turcorum circiter quingenti interiere. Ex nostris etsi

multi

A multi ſagittis uulnerati ſunt, ne unus quidem deſideratus eſt. Imperatores relictis quatuor triremibus ad præſidiũ loci, cum reliqua claſſe ad Martyris ędem ſe recipiunt. Interim Baſſa ad deſtruendos muros quatuor bõbardas magnas, duodecim minores, quibus tecta oppidi deijceret, fuderat. Itaq; die noctuq; nõ ceſſabat crebris ictibus bõbardarũ muros, pſternere, qui nõ multæ craſſitudinis, ob uetuſtatem etiã debiles ac inualidi facile ruebant. Erat in oppido Scodræ Prętor, & totius Albaniæ Legatus, Antonius Laoredanus, clariſſima familia ortus, uir maximi animi, indefeſſiq; ingenij, & omnia extrema pro patria ſubire paratus, qui præſenti animo omnia circumſpiciens, ubi muros lapſuros aduertebat, palos defigebat, quos tranſuerſis trabibus firmabat: deinde interiectis cratibus, ex terra & ſtercore equino, cuius in oppido magna copia erat, aggerem quindecim pedũ latum & uiginti altũ extruebat. Supra aggerem, dolia uinaria terra repleta, loco pinnarũ diſponebat, quibus oppidani tecti in hoſtẽ pugnare poſſent. Laoredanus adoleſcentem quendã, Epirotã genere, fidentis animi magnis, pmiſſis perpulit, ut ſuas literas imperatorib. deferat. Adoleſcẽs acceptis literis, nactus, tonitruis ac nimbis ingruentibus, horridã et obſcuram noctem, per media caſtra hoſtiũ euadit, Imperatoribusq; literas reddit. Quib. Antonius ſcribebat, ſe ſitu loci uirtute oppidanorũ, munitionib. à ſe extructis inexpugnabilem exiſtimare. Cæterùm quia euentus belli dubius erat, Imperatores rogabat, ut ſibi ſubſidiũ ferre conarentur. Nam ipſe quoq; rem difficilẽ fore cernebat, quoniã ualidiſſimus hoſtis omnes aditus firmis præſidijs occupauerat. Imperatores lectis literis, ad Leonardum, ut rem acceleret cum Iuano, ſcribunt. Leonardus ſua diligentia omnia expedierat, & Iuanus nõ paruã manũ peditum, quibus Georgiũ fratrem ſuũ præfecit, collegerat. Leonardus præter

B quatuor naues, quas ipſe fabricauerat, fluuiaticas lyntres triginta inſtructas & bene armatas in claſſe habebat. Eſt mons à ſinu Riſonũ uſq; ad Boliana perpetuus, qui quaſi quodã promõtorio decliuus in ripam Bolianæ ex aduerſo Scodræ deſinit, totus ſaxoſus, & aſper, equeſtribusq; copijs inuius. Igitur ſtatuta die, Georgius per dorſum mõtis, Scodrã uerſus copias ducit. Leonardus cum claſſe per lacum adnauigat. Miſerant collegia, quæ Veneti ſcholas uocant, q; niam triremes propter fluminis uadum ad oppidũ peruenire nõ poterant, nauiculas piſcatorias armatas ſeptuaginta. Imperatores magiſtrũ claſſis cum expeditione nauicularũ, uti cum noſtris, ſi quo pacto ſe cõiungere poſſet, mittunt. Ille tabulis undiq; tectis nauib. ne ab hoſte utranq; ripam obtinente ſagittis in ſe ſtaretur, remis innixus, aduerſo flumine, ad oppidum tendit. Nec hoſtis interea ceſſabat. nam quæ apud nos agebantur, à transfugis edoctus erat. Igitur ad radices mõtis, quò Georgius uenturus erat, duodecim milia lectiſsimorũ equitũ cum duce Canſabego opponit, pontemq; duplici præſidio munijt. Supra oppidum unde Leonardi claſſem uenturã timebat, minores bombardas in ripa fluminis diſpoſuit. Sagittarijs, cæterisq; militibus, qui noſtros miſsilibus tormẽtis excuſsis propellerent, locum muniuit. Georgio ergo ex monte deſcenden ti, Canſabegus inſtructa acie occurrit: & cum ad lapidis iactũ uentũ eſſet, ſagittis & alijs miſsilibus inuicem eminus prælianter. Maximè Illyrici ex ſuperiori loco lapidib. fundis excuſsis Turcos affligebant. Nam Georgius, ppter equeſtres copias hoſtium, monte deſcendere, & campis ſe credere nõ audebat. Nec Canſabegus equeſtribus copijs, intercedentib. præruptis ſaxis, montẽ aſcendere poterat. Leonardus cum è lacu in fluuiũ claſſem inducere uellet, offendit flumen piſcatorijs ſtructuris, totum quaſi de nduſtria ad prohibendũ aduentum claſſis, impeditũ. Hoc em in loco magna captura piſciũ fit. ex qua Veneti quinque millia aureorũ uectigal exigere ſolent. Itaq; claſſiarij ultrà pgredi nõ ualentes, in primo aditu fluminis, cum Turcis manũ cõſerebant. Hic quidã Turcus iactabundus obequitabat, ſæpius inclamitans, ſi quis Venetorũ ſingulari certamine ſecum pugnare auderet, extra tecta nauium exiret. Tum unus ex naua-

libus socijs Illyricus natione è naui prosilijt, cum hoste congredit. Dum Turcus arpe eum ferire studet, Illyricus ictũ scuto excipiens, Norico ense Turci latus hausit, hostemq; equo detractũ expoliat, caputq; ei abscidit, quod in nauẽ rediens ante pedes ducis magna cum laude, piecit. Interea magister classis cum sua expeditione ad pontem uenit. sed cum nec transire pontem, nec hoste prohibente destruere posset, sagittis tantũ, & glande plumbea, Turcos pontem tuentes uulnerabat. Igitur cum nostri duces frustra conatus fieri aduertissent, signo receptui dato ab incepto desistunt, & ad stationes suas copias reducunt. Deinde imperatorib. referũt, Bassam ualidissimis præsidijs cuncta firmasse, nec sine magna equitũ copia oppidanis subsidiũ se ferre posse affirmant, quoniã tota regio campestris erat. Imperatores, reiecta in præsens spe subsidij, quoad Senatus ualidiores copias præparet, totã spem in situ oppidi, & oppidanorũ uirtute ponunt. Interim nouus imperator cum Lodouico Bembo legato suo, grauí morbo corripit. Nam tota regio Bolianæ adiacẽs, insalubris atq; pestifera est. Paludes enim & stagnantes aquæ, crassam nebulã exhalantes, aerem corrumpũt, qua peste tota penè classis correpta atq; prostrata erat. Igitur Triadanus cum Bembo legato suo, pcurandæ salutis gratia, Catarũ se cõferunt. Mocenicus & ipse nõ satis ualidus, finem oppugnationis cum Malipetro expectare statuit. Iam Bassa omnes muros Scodræ deiecerat, & Laoredanus noua munimenta è terra ac stercore erexerat, nec hanc munitionem bõbardæ destruere poterant. Nam omnia saxa bombardarũ mollis materia in se recipiens, nihil detrimenti sentiebat. Eunuchus ad Laoredanũ mittit, uti oppidũ dirutũ atq; prostratũ dedat. Quod si fecerit, magna præmia à principe suo accepturũ, interq; primos apud Othomanũ eum futurũ promittit. Nec expectare uelit, ut capto oppido, victoris licẽtia per omnes gradus atq; sexus fine discrimine uageẽ. Tum Laoredanus respondit, Nõ esse se ex illa colluuione Othomani ad pręfidiũ oppidi electũ, sed ex patricij Venetorũ gente, cuius maiores nõ oppida sibi credita hosti tradere, sed urbes expugnare, & hostẽ in deditionẽ accipere soliti essent: se uerò fidei integritatem, patriæq; amorẽ omni gazæ, atq; opibus Othomani lõgè præponere. Ille uerò si uir & non mulier, ut fertur, est, oppidũ muris nudatũ capere festinet. Igitur Bassa, spe deditionis amissa, crates ac pluteos, quibus sui tecti munitiones subirent, præparat. Tum harpagones, manus ferreas, atq; falces longis hastis prefixas milites habere iubet. Scalis opus nõ erat. nam per ruinas murorũ ad summitatem munitionũ euadere poterant. Igitur primò crates & pluteos ferẽtes ad ptegendos qui sequebanť, præire iubet. Deinde hastatos, quibus Ianizaros scuto & ense tantum leuiter armatos, ut ad munitiones expediti euadere possent, interposuerat, subsequi mandat. Post hos sagittariorum atq; aliorũ militũ ingentem copiã, qui glande plumbea, atq; alijs missilib. oppidanos à defensione deturbarent. locat. Itaq; disposita acie, ac distributis ordinibus, ante lucem undiq; ingentib. copijs montem circundat, & ad oppidũ tendit. Interim oppidani ad summouendũ hostem se præparant. Erant in oppido multa uasa uiminea, fimo bubulo oblita, in queis oppidani frumenta seruare soliti erant. Ea uasa pice, tæda, stupa, sulfure cõplent, quæ igne incensa in hostẽ demissuri erant. Saxa ingentia per munitiones disponunt. maiores bõbardas paruis lapidib. suffarciunt, ut uno ictu simul excussi plures uulnerare possent. Quibus paratis, oppidani omnib. missilibus instructi, taciti ex industria, quo usq; hostis munitiones subiret, expectant. Turci magno clamore edito, corona oppidum aggrediunť, per ruinas q; murorũ ad munitiones euadere conanť. Tum oppidani præsenti animo hostem telis obruũt, nõnullis harpagones, & manus ferreas extorquent. Viminea uasa ardentia in hostem demittũt, quę pestis Turcis maximè ineuitabilis erat (Confertissimo eñ hoste totus mons erat oppletus) uasa rotunda per decliuũ mõtis se rotantia, obuios quosq; a durebãt. Tum saxa ingentis magnitudinis deuoluunt, quæ in subiectas petras per pro-

na

A na montis sæpius incidentia maiore impetu ferebant, atq; cateruas Turcorum proterebãt. Lapides quoq; plures simul bõbardis excussi, nõ singulos, sed turbam inimicorũ occidebant. At Turci indignati per aceruos cadauerũ, bellua-rum more ruentes, munitiones ascendere conabant. Sed oppidani magnanimi atq; audaces ubiq; aderant, saxa, ignem, ac tela ingerentes hostem prosternunt, à munitionibusq; summouẽt. Nec Laoredanus aliquo in loco deerat, circumeundo cuncta prospiciebat, si cubi rariores, saucios aut fessos defensores uide-rat, plures integros submittebat. Omnes hortabat: obtestabaturq; per unicum uerum atq; immortalem Christianorũ Deum, per integrã fidem quam erga Se natum Venetum habebant, à quo magna præmia defensi oppidi accepturi e-rant, ut memores uirtutis suæ, & Christianę religionis, patriã, liberos atq; cõ-iuges à crudelissimo barbaro defenderent. Nec Bassa cessabat, cum reliquis du cibus circumeundo, Turcos claua ferrea percutiendo, tanquam pecudes ad op pugnationem subagere. Et cum duas horas ante lucem, ad quartũ diei oppu-gnatio durasset, nec aliquid Turci proficerent, sed ubiq; passim caderẽt, proprijs corporibus suorũ cadauera tegentes, tandem diffusi in fugã terga uertunt. Op-pidani eruptione facta, tergis hostiũ insistunt, fugientes usq; ad radices montis persequendo trucidant. Tum multis signis militarib. potiti, & spolijs occiso-rum onusti, in oppidũ reuertunt. In hac oppugnatione, Turcorũ ceciderũt tria milia, inter quos præfecti ac duces magni nominis quatuordecim. Vulnerati absq; numero, quorum magna pars postra occubuit. Ex oppidanis septem tan tum desiderati sunt, uulnerati quinquagintanouem. Oppidani sequenti die, li gna, fasces, & aliã aridam materiã corporib. occisorum hostiũ superiaciunt. De inde igne suppositio cadauera cõcremant, uerentes ne fœtida corpora aerem cor B rumpant, morbumq; oppidanis inferant. Imperator cum accepisset apud Sco-dram à nostris rem bene & prosperè gestam, nihilq; ultra de expugnatione op pidi dubitaret, diligentiorem curã ad cõualescendũ adhibere statuit. Nam & morbus in dies crescebat, & iam audierat Ludouicũ Bembũ Legatum, Cata ri diem suum obijsse. Triadanũ quoq; Grittũ successorem suum, graui morbo oppressum, proximum morti esse. Multos præterea ex præfectis triremiũ naturę cõcessisse. Eadem sibi metuens, ad medicos Ragusium cõcessit, relicto ibi Ste phano Malipetro legato, etiã non satis ualido, qui imperatori affirmat nunquã à Boliana se recessurum, etiam si certa mors sibi instaret, nisi prius hostis obsi-dionem Scodræ solueret. Ragusium est ciuitas Dalmatiæ, quam Epidauren-ses, Epidauro à Gothis euerso, auspicatiore loco cõdiderũt. Vrbs est libera, le-gibus atq; moribus optimè instructa. Habet Senatum atq; magistratus ordi-nem quoq; patriciorũ & plebis distinctum. Patricij soli rempub. administrãt. Plebs tantum suis rebus studet, de publicis minimè curiosa est. Hæc ciuitas præ cæteris Dalmatiæ urbibus, publicis & priuatis operibus magnifice ex-tructa est. Habet & naualia, ac portũ cathena clausum. Ciues etiam in diuersis prouincijs mercaturã exercentes, cæteros Dalmatas opibus superant. Hic im-perator aduocatis medicis potionib. ac medicamẽtis sanitatẽ procurat. Ciues etiã ipsi tanq; in aliquẽ præsentẽ Dei ac uindicẽ Christianę reipub. certãtes, in im-peratorẽ officiosi sunt. Nam fama rerũ gestarũ imperatoris Mocenici omnia im pleuerat. Bassa cum aduertisset expugnatione Scodrã capere nõ posse, & lõgo tempore oppidũ obsidere nõ audebat, quoniã acceperat à Venetis ad se oppri mendũ magnos apparatus fieri, bõbardas quas fuderat, in frusta cõcidere iussit, ut æs camelis exportari posset. Erat oppidulum, Dagnũ nomine, à Scodra sex milia passuũ distãs, qd nostri in aduẽtu Turcorũ quoniã malè munitũ erat, sup posito igne succensum dereliquerant. Huius castelli muros Bassa, ut aliqd fe-cisse uideret, destruere et solo equare iussit. Quibus peractis, obsidionẽ soluẽs exercitũ dimisit, ipse in Macedoniã se recepit. In hac obsidione oppidani maxi

me siti laborauerant, penuriáque aquarum multas angustias sustinuerant. Nam A
puerorũ, senum, & mulierum, debilis turbæ, siti cõfecti supra duo milia occu
buerant. Nec aliquis oppidanorũ cum uiderent coniuges & liberos ante ocu
los deficere, animũ ad deditionẽ conuertit. Et nisi obsidio soluta esset, quoniã iã
in oppido aquæ, quod uix ad tres dies, modicũ quiddã singulis distribuendo
sufficere poterat, nõ erat, decreuerant omnes uno impetu armati in hostẽ irruere,
re, & ibi cũ hoste uiriliter præliãdo, sanguinẽ suũ ulti occũbere. Itaq; soluta ob
sidione omnes ad fluuiũ ruũt: desideratáq; multis dieb. aqua se satiãt. Hic mul
ti aqua repleti stupidi rigentibus membris, statim mortui conciderunt. Impera
tor audito hostis discessu, cum neq; medici, neq; medicamenta Ragusina ali
quid eum iuuarent, graui ualetudine oppressus, Venetias se contulit. Nec post
multos dies Triadanus nouus imperator Catari moritur. Stephanus Malipe
trus Mocenici legatus, cum hostis suo discessu secura omnia reliquisset, classem
dissoluit. Præfectis nauium mandat, uti se ad salubriora loca conferant, suam,
& nautalium turbæ sanitatẽ procurent. Nam penè omnes Bolianæ morbo cor
repti iacebant. Ipse quoque infirmus Venetias proficiscitur.

Licet nunc mihi in fine opusculi affirmare, cum multa egregia facta Veneto
rum legissem atq; audissem, nullum tamen extitisse Imperatorem, quem Mo
cenico, inuictæ uirtutis imperatori cõferre possim. Nã quis eo sapientius futu
ra præuidit? quis instãtia prudẽtius dispositit? quis deniq; solertius ac diligẽ
tius cũcta administrauit? Omnia enim cõsilia hostiũ præoccupãs, nullũ locũ
inferẽdæ iniuriæ inimicis unquã reliquit. Prælia nõ minori audacia, quàm feli
citate iniit, & cõfecit. Patiẽs laboris, somni parcissimus, uictuq; militari potius
quàm imperatorio cõtentus erat. Sẽper sollicitus & intẽtus ne hosti occasionẽ
rei bene gerẽdæ daret, ipse nõ cessans hostẽ aliqua insigni clade afficere. Nã præ
ter urbes captas, & prouincias ab eo desolatas atq; euersas, multæ naues onera
riæ Turcorũ mercibus onustæ, & suprà quadraginta biremes cũ lẽbis piraticis
interceptæ sunt. Piratas omnes captos supplicio affecit. Naues uel igne cõsum
psit, uel ad cõmodũ urbiũ, quæ Venetis subditæ sunt, reliquit. Itaq; toto qua
driennio quo ipse imperiũ administrauit, respub. Veneta ne minimo dãno
affecta est. Hũc ego uirũ nõ tantũ nostris imperatoribus, sed Romanis illis ma
gni animi atq; egregiæ uirtutis præferre ausim. Nã hic non ut illi qui uana am
bitione inflati, caducis honoribus inhiãtes, & ad propriã potẽtiam omnia re
ferentes cuncta gerebant, sed Christianæ religionis, & uero amore patriæ cap
tus, semper propriæ etiam saluti publicum commodum prętulit. Non digni
tates ei defuere, quas quo uehementius fugiebat, citius consequebatur. Nam
& ante imperium censuram integerrimè administrauit. Princepsq; in Senatu
rogandarum sententiarum sæpius fuit, & legationibus ad Pontificem & Im
peratorem Romanum plerumq; functus est. Imperium administrans absens,
frequẽti consilio procurator Diui Marci creatus est. quæ dignitas prima post
ducatum apud Venetos habetur. Et iam domum reuersus, nondum satis pro
curata ualetudine, mortuo Nicolao Marcello duce, uniuersa ciuitate in hanc
sententiam concurrente, Dux Venetorum constitutus est, quæ dignitas in
star Lacedæmoniorum regum apud Venetos habetur. Dux urbi præpositus
ac reipub. Princeps omnia ex Senatus cõsulto administrat. In hoc tantum à La
cedæmonijs Veneti differunt. Nam illi duntaxat ex duabus familijs reges con
stituebant: Veneti ex qualibet patricia familia, modò moribus & uirtute præ
stet, ducem suum creant. Nunc ego summum immortalémque Deum precor,
uti Mocenicus imperio suo, rebus bene ac prosperè gestis reipublicæ
statum firmauit, ita nunc etiam princeps atq; dux suo ductu at
que auspicijs, Venetorum imperium longe latè
que propaget.

DE

DE RHODI VRBIS ET IN-
SVLAE OPPVGNATIONE, BERNARDO
de Breidenbach auctore.

A  ODIE urbis obsidionem descripturus, causas in primis nar
rare instituí, qua Turco tyrannum Mahumetum potissi-
mè impulerunt, ut tanto conatu Rhodios aggrederetur. Li
cet enim cum Turcis non parua dissidia Rhodij habuerũt
abolim, tamen cum eo qui nunc imperat, post Constantino
polis expugnationem grauia gessere bella. Inimicus qui-
dem uires indies augens, insolentior redditur. Cumq; qua-
tuor & uiginti circulo annorum complures sibi uicinas ditiones subegisset,
animo inflatus ægrè admodum egit Rhodiam urbem, equitumq; Hieroso ly
morum ditionem finitimam eius imperio liberam absolutamq; esse: maximè
q; diuerso tempore quatuor classibus instructis, castella & Rhodiorum agros
inuaserit, obsederit, oppugnauerit, ex quib. ignominiam, discrimen & cladem
reportauerit. Ex Turcis namq; multi trucidati, palo suffixi, furcis suspensi, sa-
gittis affecti, lapidibusq; cæsi: calamis præustis suffossi, gladijs obiecti, mem-
bratim discerpti, perierunt, terra mariq; succubuerunt hostes. Conspecta i-
gitur Rhodiorum militum generositate, quod ui assequi non potuit, dolo,
uersutia tentare decreuit. Sæpius submissis sibi Græcis qui sibi parent, con-
fœderationem cum Rhodijs inire æqua conditione permissa, dummodo quid
piam tributi titulo concederet. Cum uero reiectũ uectigal sæpenumero uide-
B ret, arte pacem tractat: eam ratam habet, si tacita tributi conditione orator Hiero
solymorum cum munusculis tribunal suum adeat: arbitratus quidem se mune
ra tributi titulo accepturũ, quæ Rhodiorum magister munera uocitaret. Falli
tur quoq; hostis hoc condimento, nec Rhodij conditionẽ recipiunt, eiq; con-
iungi contemnunt, qui fidem Christi persequitur, quã ex professionis uoto tu-
tantur, defendunt, iuuant. His de causis rabidus hostis odium contra Rhodios
inexorabile concipit, menteq; destinauit urbem, si posset, perdere, & Rhodio
rum nomen penitus delere. Impulsus quoq; est quorundam persuasionibus,
qui ad Turcos defecerant, abditaq; urbis cognouerant. Inter quos primũ locũ
obtinuit uir nefarius & perditi ingenij Antonius Meligabo Rhodius, nõ in-
fimo loco natus, qui rem domesticam iam pridem dilapidauerat. Is rei dome-
sticæ penuria ductus, diutius cogitans quónam modo Rhodijs infestus esset,
ciuitatisq; situm, ædificia describens, ad Turcũ traiecit. Cõstantinopoli quoq;
degens bonæ pollicitationis spe urbis potiundæ data, quendã Bassam Græcu
lum ex nobili Palæologorum familia natum, ad nefandum facinus allexit. Se
cutus est huius uestigia Euboicus quidam Demetrius Sophonia, uir quidam
superstitiosus, & maleficus, qui post Euboicã direptionẽ ad Turcũ defecit. ali-
quãdo Rhodi habitauit, & postea nũcij nomine de pace tractauit. hic etiã sua-
sor obsidionis extitit. Exactis itaq; his in oriundis suadẽdisq; annis tribus, tã
dem res Bassæ placuit. Profuit ad id inducendũ apostatarũ plurimorum qui fi-
dem abnegauerant iniquitas, qui peruersorum suasus probarunt. Asserebat
proditor Antonius urbẽ nonnullis locis ueteribus muris uetustate collapsis,
facilimè inimico patêre, ac paucos ciues defensoresq; adesse: & plerunq; com-
meatuum triticiq; penuria laborare: subsidia à longinquis regionibus Rho-
dios expectare, qui tempori adesse non poterint. Idem testatur Demetrius, id
quoq; sequaces astipulant. His iactis fundamentis suadebant facinus aggredi
oportere. Dum hæc Byzantij agitarentur, Rhodiorũ clarissimus princeps ac

magíster Petrus Danbuſſon,uir quidē magno & excellenti ingenio ac prudentia illuſtri familia apud Gallicam Celticam natus,quem ea non latebant: diuino inſtinctu doctus uetuſtiora urbis loca delapſa & minus inuenta toto triennio magnificè erexit,muniuit,ampliauit,excogitauitq; frumenti, uini magnā & cōmeatuum copiam comparare,religioſoſq; & mercenarios milites accire, quo urbem tueretur,pro quibus deuehendis & conducendis epiſtolas mandatorias ad diuerſas urbis prouíncias deſtinauit.Ita nutu Dei & magiſtri opera ciuitas munitur, cōmeatus comparantur,naues ac milites ad tuitionem accedunt.Proditor Antonius horum inſcius, arbitratus omnia apud Rhodios negligentius præteriri,inſtigabat Baſſam ut properet & rem memoratu dignam aggrediatur,idipſum ſuadere conatur Demetrius. Quo effectum eſt,ut Baſſam ad Turcum ea ex ordine referret:ſæpius quoq; inter Turcí ſatellites re agitata, de Rhodiæ urbis expugnatione conſultatur.de qua uaria oritur ſententia,quibuſdam narrantibus rem penitus imanem eſſe,nec id poſſe facile conſequí ob urbis magnificentiam, & militum generoſitatem, qui Aſiaticis pares cenſeri non debent, quibus mortem potius oppetere quàm aliquid turpiter imbecille loq; agere animo eſt: aliis rem facilem cauſis aſſertis affirmantibus, nec tamen paruo tempore quibuſuis magiſtrum prouidiſſe. Quare ſi cum celeritate atq; diligentia exercitus maritimus atq; terreſtris comparetur, urbem haud dubio expugnaturum iri putant. Accerſuntur ad hanc conſultationem definiendam machinarum uiri periti,inter quos numeratus eſt Georgius uir uafro ſubtiliq; ingenio,qui ex eis ad Turcum dudum defecerat. Conſtantinopoli quoq; degens,uxorem & liberos nutriebat,à Turco dilectus, & plurimis gratijs dotatus.Is aliquando Rhodi fuerat,urbemq; deſignauerat,ſed tunc non tam munita fuerat.præterierant namq; anni uiginti ab eo tempore quo eam uiderat. Deſcripſerunt quoq; & Turcí iuſſu plures egregij artifices Rhodiæ urbis ſitum, ſed Georgius cunctos ſuperauit. Magnis itaq; rationibus adductis, uicit tandem ſententia,ut urbis oppugnatio ui magna fieret.Huic fundamēto inhærentes,nullos tam craſſos muros eſſe,qui machinarū impetu demoliri nō queant: magnamq; Turcí eſſe potentiam, qui duo imperia, duodecim regna, totq; prouincias totasq; urbes ſubegit.hoſtem quoque non parum mouit Rhodiæ urbis ſitus ad comparandas claſſes aptiſſimus, inſulæq; celebritas magnis laudibus ab antiquis prædicata, quam ob loci magnificentiam, aeris ſalubritatem, & ad Orientis prouincias Chriſtianorum ſubigendas commoditatem,potentes quondam Romani bene uolam & ſibi amicam reddidere.Putatq; ſi hoc potitus fuerit,finitimis ſubactis ditionibus fines ſuos per Aegeum Ioniumq; ſacile pelagus perlaturum. Reſiſtentibus itaque quibuſdam pręclaris Baſſis in ſiniſtrum præſagientibus, claſſis inſtauratur, exercitusq; comparatur: decretumq; eſt ut milites terreſtres iter faciant, traiectoq; Helleſponto per Aſiam in Lycíam,quæ Rhodiorum inſulæ adiacet, pergant,& per fretum Lycium à Phiſco antiqua continentis ciuitate duodeuiginti milibus paſſuum diſtante Rhodum nauigent: reliquus uerò machinarum & belli ingeniorum apparatus cum parte copiarum claſſe deuehitur.Baſſa Palęologus expeditionis præfectus claſſem conſcendens,Antoniū perquiri iubet,quē paulo antè morte turpiter obiiſſe comperit. Accerſito igitur Demetrio,ſatellitem adhibet:tunc paſſim rumor exijt,claſſem & copioſum exercitum in Rhodios parari. Turcus, ut hæc res lateret,aditus portus, paſſus cuſtodit,phibetq; ne quis nunciū deferat.ſed non ualuit eius aſtutia magiſtri ſolertiam prohibere, qui aſſiduè literis & nuncijs ex Turcia apparatū intelligit. nōnulli quoq; ex nuncijs in dolo uerſati ſunt.Nam cū exercitus in Lycía degeret,claſſem operiētes affirmauerūt uita exceſſiſſe Turcū,et ex aliis cauſis exercitū illic adeſſe. Dū hic rerū ſtatus eſſe ſumma cura princeps noſter hoſtiū dolos acutè perſpiciēs,cūcta diſponit, & de

præ

A præsidijs Langonis castelli sancti Petri, Feracli, Lindi, Moneleti ordinat, quę loca defensoribus, cõmeatibus, machinis, & cæteris bellis aptis muniunt. Omnis plebs cũ supellectili Rhodũ & oppida intrat: hordeũ quod maturũ fuit, colligit: quantocyus frumentũ crudũ (nõ dũ enim messis aderat) quod urbẽ circundabat, prout cuilibet facultas fuit, populus eradicat, colligit, & in domos portat. Dum hæc magno cum tumultu agerentur, uigil in specula montis, qui in occidentem uergit, sacello sancti Stephani sacri nunciat classem apparere, extensis q; uelis nauigare. Magna quippe populi frequentia ad hoc spectandum concurrit: tota ciuitate trepidatur, populíque clamore cuncta resonant: classis Phiscum nauigare properat, ut milites qui terrestre iter fecerant, conscendant: & Rhodiorum freto transito, repentè uelis conuersis ad nostra declinat litora, appulit itaq; ea classis uelorum centum. Decimo Calendas Iunij, anno incarnationis uerbi diuini millesimo quadringentesimo octuagesimo, militeq; primùm in terram exposito in uertice mõtis sancti Stephani, & circa eius montis colles castrametati sunt, machinas quoque & bellica ingenia in litus exonerant eo in loco quem ab ipso monte defluens aqua abluit, qui à Rhodijs obice collis spectari non potest. His peractis, pars ad deuehendũ terrestrem exercitũ Phiscũ nauigat. In classis aduentu quidã Turci equestres pedestresq; uersus urbis mœnia audacia quadam freti irruunt: irruptione aũt à nostris facta, hostes fugant, fundunt, quidã quoq; ex eis trucidant. Postea dum nostri comesarentur, altera eruptione facta Turci propelluntur, caduntq; nonnulli. Ex nostris uerò miles unus perijt, qui incautus manum conferebat: cuius spolia & cadauer nostri sibi uendicant. Turci capite abscisso illud lanceæ suffigunt, ad suos quoq; cum plausu reuertunt. Postridie eius diei qua classis appulit, hostes tres B ingentes machinas in hortis ecclesiæ sancti Stephani Antonij uicinis, arboribus omnis generis fructuum cõsitis collocat, turrim quoq; sancto Nicolao dicatam in uertice montis sitam oppugnare conatur, easq; machinas lignearum munitionum propugnaculis operiunt, defenduntq;. Nostri uerò munimentis quæ Repara uocant, conspectis, tria tormenta quæ Bombarda uocantur, ab hostium dextra in hortulo palatij militum Auerniorum statuunt: eiusq; diei diluculo Georgius machinarum egregius artifex, de quo habitus est sermo, repentè ad fossæ ripam quæ magistri palatium munit, uisus est, amicè omnes salutãs, clamansq; ut introducatur, ab rerum ignaris penè confoditur, defenditur ab aliijs, extemploq; ad magistrum perducitur. Vir enim erat corpore procero, forma eleganti, satis eloquẽs, magna astutia, cui Germania patria est. Rogatus de causa aduentus respondit: Zelo fidei compulsus, & publico Christianę religionis commodo suasus ad nostros defeciisse. placidè excipitur, laudaturq; propositum, si in eo persistat. De hostis exercitus q; habitu, dispositione, qualitate consultus, constanter, prudenter intrepideq; respondit. Inter cætera edocet numerum militum omnis generis centum millia uel circiter adesse: classem eam quã diximus machinas sedecim ingentes deuexisse, quarum longitudinis dimensio duorum palmorum & uiginti fertur. quæ uehementissimo, uelocissimo iactu globos saxeos rotunditatis palmorum nouem, plerosque undecim torquent. De huius uiri defectione uarię quidem sententię suboriuntur. Quidam exploratorem affirmant, & fugam commento asseruisse, ut Rhodios fallat. non nullorum assertio fuit, eum callidũ & maleficum uirũ esse, multaq; olim effinxisse. Quibusdã alijs sentientibus, & in bonã partem defectionẽ interpretantibus, q; prudens esset & pœnitens erroris id fecerit, sapideq; intelligeret hæc Rhodijs machinare non posse, ubi tam prudentem principẽ, & expertissimos milites sciret degere. Auget suspicionis epistolę ex castris Turcorũ in ciuitatẽ sagittis missę, q; Georgiũ insimulãt, & ab eo cauendũ esse dictitãt. Magister ingenio solers & perspicax Georgium arcta custodia seruari iubet, sex robustissimis comitib. adhibitis in his quæ machinarum iactum & bellorum ingenia spe-

nia ſpectant ipſius arte cautè utitur. Omni igitur conatu Turci ad expugnatio A
nem turris & molis ſancti Nicolai incumbunt, ſi huiuſmodi potiantur, putant
urbem in ſuam poteſtatem facilè uenturã. Eſt enim moles ipſa trecentorũ circi
ter paſſuum in mare protenſa, miro artificio ab antiquis manufacta: quę ſuo pro
greſſu portum triremibus aptũ à parte occidentis efficit. Cuius introitus canti
bus concluditur, ut triremis introire uix poſſit. In molis quidem uertice ſepten
trionem ſpectante arx, de qua ſermo eſt, magnificè noſtra ætate erecta eſt, ubi
priſcis temporibus coloſſus ille ingens Rhodius, unum de ſeptem mirabili
bus mundi, poſitus erat. Qui poſt tres & quinquaginta annos quo fuſus eſt,
terræmotu corruit, oſcp portus Rhodij ſpectat. Machinis quocp illic collocatis, ſublimes quæ dã turres, quæ portũ claudunt, ualidè oppugnari ac diruinã
ues quocp, ne portũ ſubeant, prohiberi haud difficilè poſſunt. Loci igitur & tur
ris opportunitate hoſtis allectus, omni conatu arcẽ aggrediẽ, quatit, oppugnat,
iactucp trecentorũ lapidũ ſphæricorũ diruit eam, præſertim partẽ quæ occiden
tem ſpectat. Ruina quidem turrim munit. Licet eñ ſuo pondere ictuũcp uehe
mentia ſaxa ingentia, ex quib. ædificata erat, laberenẽ, tamen materia, calce, are
na & lapillis immixtis confecta, adeò demoliri non potuit, quin turris potior
pars ſtaret, ex quo facilis aſcenſus hoſti negetur, terrori fuit tanti ædificij la
pſus. Multorũ eñ annorũ opus illuſtre temporis momento ruit: præter quocp
plurimorũ opinionẽ ingentes & impetuoſę machinæ, illam arcem lacerãt, de
turpant, deuaſtant. Cum aũt turris labefacta uix tutabilis uideretẽ, ſtatuit magi
ſter, induſtria, ingenio, uigilantia roborecp militũ eam arcem tutari, quæ muro
rum craſſitudine defendi non potuit. adhibitis uiribus, ſumma cura parantur
quæ turri & moli præſidio ſint. Milites igitur in primis ſtrenuiſſimi deliguntẽ
qui locũ defendãt. uallumcp ex lignis efficiẽ, quod turrim claudat, foſſamcp cau
tibus exciſis circumducunt. collocatur in turri præſidiũ ualidũ pro loci capaci
tate. Turris namcp iuſſum magiſtri, qui aſsiduo cogitatu tuitioni loci inuigi
lans nõ formidat, cimba uectus diruptã arcẽ uiſere dũ machinę lapides torque
rent, calce & lapide oppleẽ, ut locus uix cõmilitonũ capax reddatẽ. cõſtituiẽ &
aliud præſidiũ equeſtriũ & pedeſtriũ in antemurali, ſqd à turri ſancti Petri ad in
feriorẽ Mandrachij partem protendiẽ, quæ tranſitũ turris prohibeant. Humile
namcp mare & uadoſum illic tranſiri poteſt, ubi & uegetũ munitiones paratæ,
& tabulæ clauorũ infixione infeſtæ, in profundo fixæ ſunt, quæ impedimento
eſſent hoſti uadenti. In uallo aũt radicis molis milites electiſſimi locati ſunt,
qui pugnantib. noſtris præſidio ſint, ubi magiſter inſignis armis aurocp fulgẽs
facinori clariſſimo intẽdebat. Diſponunẽ ea parte murorũ urbis bombardę &
tormẽta, quę triremes & Turcorũ nauigia expugnẽt, perfringantcp; ppè quocp
cautes eius arcis cimbæ combuſtilib. cõpletæ ſtationẽ habent, quæ in oppu
gnatione incendanẽ, & hoſtiũ claſſi incendium afferant. His reb. magno ſubti
licp ingenio diſpoſitis, fiunt uigiliæ, præſtolaẽ hoſtium inuaſio. Demum exor
to lucifero, dum zephyri placidè flarent, Turcorum triremes à litore cautium
montis ſancti Stephani ſoluunt: ſuperatocp Saburræ promontorio, nauigant,
eamcp turrim propugnant. Primo congreſſu antequam in terram deſcendant,
ingenti clamore & tympanorũ ſono uoces edunt, ut terrori multitudo ſit. Noſ
tri aũt in armis diſpoſiti præſtò adſunt. cũ eñ triremes turrim propugnãt, ma
chinæ ſaxa iaciũt, præſidiũ quod in turri locatũ erat armorũ ui baliſtis iactucp
lapidũ hoſtem propulſat. Pelluntẽ Turci, fugantur, trucidanẽ. Ea in pugna, quę
admodum poſtea à perfugis relatum eſt, ſeptingẽti Turci interiere, plurimi ue
rò uulnerati ſunt. Victoria potitus princeps inſigni equo uectus, illuſtri comi
tatus phalanga, urbem more triumphantis intrat, ſacellumcp quo imago ſa
cratiſſimæ uirginis, Philermi montis miraculis percelebris, poſita erat, uiſi
ſitans gratias agit: & demum ad reficiendos animos militum domum re
uertitur, perdita tunc ipe arcis moliscp potiundæ: uiſocp ualido præſidio, Tur
ci gra-

A ci grandioribus uiribus arcem aggredi, aliaq; loca oppugnare, mœnia diruere ſtudent, ut defenſoribus diſtractis, uno momento molem & loca diruta inuadant, ne uires noſtrorum unitæ eſſent: & dum diuerſas partes tutari cogi taremus, negligentius in moleres agitur. Sequenti igitur nocte magno clamore uirorum onera ſubeuntium cuncta reſonant, machinas ad mœnia Hebręorum uehunt. ante hos muros octo ingentes machinas collocant, quæ munitionibus defenſæ, in mœnia ſaxa grandia iaciunt. Aliam machinam prope radicem molis quæ ad Septentrionem uergit, in cuius uertice damnati extremo afficiuntur ſupplicio, ponunt que in uertice montis, ut inde in molendina ſupra molem ædificata globos ſaxeos torqueant. Hoſtium propoſito agnito magiſter ſolita prudentia cuncta dirigens, diuinis ſupplicationibus cum populo & cõmilitonib. innitens, munitiones ad interiora urbis parat. Iudęorum ædes quę in pomœrio erectę erant, diruunt. uallum paratur, foſſa cauatur, & murus foſſæ ſummæ arte & diligentia obijcitur. Interdiu noctuq; operi intenditur. non magiſter, non baiulini, non priores, non milites, non ciues, non negociatores, non matronæ, non nuptæ, non uirgines opertæ uacant: lapides, terram, calcem humeris portant. Auro, argento, ſupellectili nõ parcit, ut publicæ ſaluti conſulatur. machinę hoſtium uehementiſſimo impetu mœnia quatiunt, & faciem egregiorum lapidum diruũt. Tanta enim erat iactus uiolentia tormentorum, ut omnibus admirationi fuerit: nullusq; Rhodi degens, ubi ex omni natione Latini nominis nonnulli uerſabant, cõpertus eſt, qui nõ affirmaret ullo unquam tempore tales machinas uidiſſe aut audiuiſſe. Id quoq; Georgius perfuga affirmauit, & nuſquã terrarũ tam grandes inueniri aſſerit. Dum em̃ ſaxa iaciunt, in lapidum exitu ſonus ingens editur, qui tonitrui inſtar reſonat, fumusq; tanquam nubes craſſa diuturno tempo
B re in aere uento fertur, quorũ ſonus plerunq; ab oppidanis caſtelli Rubei auditus eſt, quod à Rhodis centum millibus paſſuum orientem uerſus diſtat. Ipſę quoque machinæ mirabilius quiddam efficiebant. Machinarum poſteriora in munitionẽ quæ palis terræ affixis fabricat, tam grandẽ impetũ reddebant, ut inſtar motus terræ ædificia urbis paululũ hoc pulſu mouerent. Spe igit in mœniũ tuitione perdita, totis uirib. uallo, foſſa & munitionib. interioribus tutamẽ cõſtituimus. Nec hæc hoſti ſufficiũt. aggredit quippe alio terre uexare. Collocat em̃ omni ex parte tormenta & mortaria quæ ex tranſuerſo ædificia urbis uerberẽt, diruant, mortalesq; cõterant. Hæc tormenta Mortaria dicta, interdiu noctuq; ſaxa in aera ſublimè iaciunt. erat quippe populo ingenti terrori qui in aere tam grandes globos ſaxeos cõſpiciebat. Non em̃ paruam anxietatem id noſtris incuſſit. plus em̃ noctu q̃ interdiu terroris attulit. nullus in priuatis domibus tutus medebatur. quilibet latebras quærita-
bat. uerùm ei uulneri mens humana medet. Iuſſu magiſtri mulieres, infantes & omnis imbecillis ætas in pomœrio arcis collocantur, ubi pinnæ craſſa tra
be protegebantur. Eò nanque tormenta rarò pertingebant, nec globi decidebant tam frequentes, cum urbis frequentiora loca (ut fieri aſſolet) dirigebantur, ut mortales cõterant, domosq; quatiant. Iuuenes uerò & robuſti qui interdiu ſaxa ſuſcipiebant, tormenta facilè uitabant. Noctu aũt quidam cauas ſub terraneas, quidã ualuas craſſiſſimas, quidam fornices & ſacras ædes frequentes ſub eis trepidum ſomnũ carpebant. Hoc quoq; miraculo fuit, nutuq; Dei factum eſſe haud aliter creditur, qui publicis ſupplicationibus aſſiduè Eccleſijs & altaribus exorabat: & cũ plura ſaxa machinæ torquerent, pauci tamen mortales & quædam bruta eorũ iactu interierunt, quæ potius domorũ ruina iactu lapidis collapſarum, q̃ ſaxei globi pondere attrita ſunt. Hoſtes quoq; heſperũ uergit, ex quo proſpicitur, collocant, quæ aſſiduè urbem & loca æditi
id parum arbitrati, duas machinas ex grandiorib. in eminentiori loco qui ad

cijs

cĩs frequentiora saxa torquent. Nec ipsæ machinæ licet terrori essent, damnũ A
insigne ediderunt, nec mortales occiderunt, præpeditæ, nõ ambigo, orationi
bus, quæ Deo, eius genitrici intemeratæ, & beato Ioanni Baptistæ fiebant.
Bassa uerò principis nostri uigilantiam & ingenium conatibus suis infice-
re coniectans, magistrum dolo interficere aggressus est, submissis quibus-
dam qui defectionis prætextu eum adoriretur. quo effecto, arbitratur rerum
facilè potiturum. Hoc quidem nefandum facinus perfuga quidam uenено
perficere statuit, comite accito, qui postridie cum toxico urbem intraret. His
perfugis Bassa grandia pollicetur, facinus perficiant. Qui prior ingressus est,
examini prudentũ, tormẽtis subĩcit, contrariis sermonib. deprehenditur, cri
menq; ultrò pandit, monetq; ut caueat princeps, quia plurimę in eũ sunt pa-
ratæ insidiæ. Damnatus perfuga, securi percussus interijt. Cũ uerò sceleris co
mes uenenũ gestãs, ad nos trãsiret, à quibusdã uix confoditur. unde perterri
tus ad Turcos reuertit. Dũ hostis Italię stationis mœnia oppugnat, nocte ad
ripã fossæ, munitionẽ ac repagula diligentius erigit. hostilib. munimẽtis fos
sæ adhibitis cõspectis. de his dirimendis consiliũ agit. Deliguntur fortissimi
iuuenes quinquaginta, quibus miles ordinis pręficitur egregius. Eruptione
itaq; facta per fossas occulti nostri uadũt. Vbi ad partẽ munitioni obiectã uẽ
tum est, scalis erectis ripam fossæ extẽplo cõscendũt. sagittis, gladijs, & saxis
hostes persequũtur, fugãt, trucidãt. Ea in pugna Turci decẽ gladio cæsi sunt,
munitio fracta. Egregij iuuenes uictoria potiti, quatuor capitib. hastis affixis
urbẽ ouantes intrant, oppidanorũ ingenti plausu excipiũtur. Magister uicto
res munerib. donat, ad incitandũ iuuenũ animos, & alios ad quæq; egregiè
obeunda alliciendos. Paucis diebus interiectis, Turci turris potiundæ desi-
derio compulsi, superioriq; repulsa accensi, arcem sancti Nicolai grandiori
conatu, arte & ingenio aggrediuntur, munimenta quoq; & propugnacula ia B
ctu machinarum demoliuntur. quo ĩ proteritur, summa diligentia restituitur.
parant ad conflictum ligneum pontem, qui ex sacello sancti Antonij turris
in molem transitum præbeant. Pons autem ex lignis uarijs ratibusq; con-
nexis, quibus asseres clauis confixæ erant, construitur. latitudo sex milium
equo gradu à fronteq; dimicantium capax fuit: longitudo uerò tanta erat, quę
litus utrunq; contingeret. Pontem in mari Turci ad ripam molis traducere
ingenio proponunt. Ancoram enim rudenti alligatam, quo fune pons in ul-
teriorem molis ripam natare compellatur. A nostris arte cognita, nauta qui-
dam rerum maritimarum non ignarus, noctu undis se obruit, anchoram sol-
uit, fune cautibus remissius alligato, qui parua ui dissoluatur. Egregium faci-
nus ad magistrum detulit, qui aureo munere donatus, gaudens comitũ plau-
su ad stationem molis reuertitur. Turci comperto dolo, cum primùm pontis
deiectionem experiuntur, decepti statuunt scapharum remigio pontem ad ri
pam transuehere. Hostis quoque tantæ rei intentus, ad oppugnationem trire
mes triginta parat bene quidem munitas, & ad conflictũ ornatas. Præter has
quoq; adijciunt nonnulla oneraria nauigia, Parandarias uulgò dictas, ex qui
bus quædam machinis & saxeis globis, tormentis adaptatis, onustæ fuere,
ut si turris uictoria potirentur, repentè ex eo loco portum, turres, mœniaq; di
ruerent, prosternerent, demolirentur. Nec prætermittunt celeriores cimbas
disponere, quæ Turcorũ strenuissimos quosq; ad molem deuehant, qui primi
nostros aggrediantur, & cum eis manus conserant. quibus præliantibus, cæ-
teri ex ponte & triremibus in molem descendant. imponuntq; triremib. & pa
randarijs non paruas machinas, quibus nostros prosternere possent. Grandes
quoq; machinę quę turrim diruerãt ad tẽpus ineundi cõflictus officio fungan
tur. Princeps uerò noster rerũ summæ inuigilans, subtiliq; ingenio & solerti
mente cuncta dijudicans, fretus strenuissimi cuiusq; cõmilitonis sentẽtia, qui
ex

A ex Occidentali natione aderant (nec defuerunt plerique indigenæ Græci ingenio manuque prompti) summa cura arcis defensioni consulit. Suspicati enim post primam pugnam, quod contigit, turris & moles propugnaculis, fossa uallo que abundantius que munitur, accersitis operarijs ferè mille, qui interdiu noctu que cautibus excisis, rupibus que demolitis, quod expetitur conficiunt, nec impensarum parcitur sarcinis. Præsidia quoque in turris ruina collocantur, pariter & alia præsidia in radice molis disponuntur, quæ nostris casu urgente opitulentur. Rebus sic ad pugnam paratis, subdubitauere nostri, ne Turci duobus locis urbem eodem momento aggrederentur, ut uires partirentur, et quod cupiunt facilius conficiant. Cui incõmoditati & periculo magistri prudentia prouidit: præsidia quoque robustissimorum in mœnibus Iudæorum ac Italiæ stationis quæ iam iactu machinarũ partim demolita erant statuit, qui tuitioni intendant, nec suo sine iussu discedant. Non est qui sanè nõ dijudicaret ac sentiret, nostram salutem in turris tuitione collocatã esse: quo fit, ut uno ore omnes tanquam fidei ueri athletæ, eius tuitioni consulerent, & ut commune Christianorum domicilium seruarent. In quo plurimorum equitum Hierosolymorum ac nobilium, infirmorumque, Latinorum pariter, Græcorum, Rhodiorumque uirtus & animositas emicuit, qui concordi audacia & animositate asylum & tutissimum Christianorum refugium, Rhodiam urbem tutãtur. Duo mercenarij iuuenes qui turris præsidio adscripti sunt, comprehenduntur arma in pelagus deiecisse, qui facinore perpetrato ad Turcum deficere proponunt. crimine damnati, capitis supplicio afficiũtur. Ad turris demum oppugnationem Turci terciodecimo Calendas Iulij intempesta nocte, terra mariq; summo silentio

B accedunt. Vbi uerò pugnam inire conantur, grandi cum clamore tympanorumque sono iuuadunt. nostri quidem arrectis auribus hostium impetum comperientes, ubi eos adesse comperiunt, gladios stringunt, balistis & tormentorũ iactu hostes lacessunt, deturbantque: hostiũ triremes ac cymbæ littoribus adhærent: pons quoque traducitur, quo cõscenso hostes transeunt. Nostræ quidem machinæ in muris collocatæ, globos saxeos torquent: pons natans frangitur: Turci merguntur. quatuor quoque triremes & nauigia tormentis onusta, iactu machinarũ prosternuntur, & undis obruũtur. Turci frequẽtes, qui ex cymbis & triremibus in molem descenderãt, à nostris cæduntur, trucidanturque. ignes etiã in classem solutis lintribus immittũtur. nec Turci impigri bombardis respondent, ignes iaciunt, sagittas impetuosissimas ex balistis & catapultis torquent. Magna ui in obscuro, nisi dum ignes iaculati lucẽ plerunque præberent, acriter pugnatur: & media nocte usque ad horam decimam diei sequentis durãs pugna, propulsatisque hostibus uictisque dirimitur. Vidisses toto triduo hostium cadauera littore iacẽtia, auro, argento, insigniq; ueste fulgentia: & complura mari fluctuantia, quæ pelagi æstus, ut natura solet, in superficie ferebat: quorum spolijs complures potiti sunt, et ex his non parum cõmodi uendicant. Insignis quidẽ hæc pugna fuit morte clarorum uirorum, qui Turcis præerãt, quorum interitus mœrorem & luctum hosti attulit. præsertim generis Turcici, uiri quidẽ strenuissimi, à Turcoque dilecti, mors magno fuit mœrori: cuius cadauer post triduum mari ebulliente, in molis littus deuectum reperitur, eiusque spolijs quidam ex nostris potitur. Perfugę, qui post prælium ad nostros defecerunt, edocent exercitum magnam cladem accepisse, Turcosque ea in pugna duo millia quingentos cecidisse: ex eoque Bassam ingentem mœrorem concœpisse, qui tres dies intra papiliones frequentia commilitonũ

prohibita se cõtinuit, & stragẽ Turco celerius denũciat: eo quoq; mens eius roditur, quòd post tantam ruinam turri illatam arce potiri non potuerit: & quòd tantam in eius oppugnatione ignominiam acceperit, existimãs Turcensem numerosum exercitum inualidum esse, qui turrim diruptam expugnare non ualuerit. Cum autem Turci spem turris expugnandæ perdidissent, conatum, studium, industriam, omnesq; uires ad ciuitatem omni ex parte oppugnandam conuertunt. Et licet ad mœnia Iudæorum ac Italiæ stationis animum potissimè conuertant, non cessant tamen circumquaq; muros uerberare et demoliri. Hostis cœptum opus continuat, assiduoq; conatu aggreditur propositum conficere. Excogitant itaq; Turci ad urbem ingenio occulto propinquare: fossas labyrinthi persimiles effodiũt, quas lignis, arborum ramusculis contextis ædificant, terraq; operiunt, ut latenter ad fossas urbis accedant. Propugnacula quoque multis in locis cratibus de uiminibus contextis ædificant: ex quibus assiduè sagittant: colubrinis quoq; & serpentinis nostros deturbant, fatigant, pensant quoq; eis conducere, & aliquam partem fossę quæ mœnibus adiacet opplere. opera ita ab hoste adhibita lapides congerere non cessant, & occultò in fossam iaciunt. Operis assiduitate pars fossę oppletur, antemurale quoq; æquatur: ex quo & murorum ruina in dorsi formam redacta, facilimus conscensus in mœnia efficitur. Præcellentissimus princeps noster Rhodiorũ magister, his conspectis, diuino quodam ingenio agendis incumbẽs, nihil prętermittere decreuit, quod saluti urbis cõducere uideatur: maturitateq; ac solita modestia utens, militibus ad concionem uocatis conatus & discrimina grauiter & prudenter explicat. adhærebat enim lateri nobilissimus eius frater, excellẽs miles, Antonius Danbusson, dominus de Montelio ad uicecomitem: uir quidem consilio & armis clarus, qui paulo antè ex Gallijs robustis comitatus uiris orientem Sancti sepulchri uisitandi gratia cupiẽs summopere tam glorioso certamini interesse transfretarat. Is enim à fratre patrũ decreto ob fidei integritatem, agendorum experientiam artisq; militaris disciplinam, commilitonum dux & urbis capitaneus designatus, magnanimi & prudentis capitanei munia obijt, & rerum summæ consulit. Aderant non pauci equites Hierosolymorũ præcellentes baiulini priores, senatorij ordinis præceptores & fratres nobilibus familijs in Occidentali plaga nati: affuerũt negociatores, prudentia pollentes, ac Rhodij ciues. Græci quoq; ingenio præditi, qui unanimi consensu de tutanda urbe cõsultant. Excelluit profectò plurimorum cuiusq; generis astantium probitas, generositas, uirtus ac magnanimitas: quorum sententijs excussis, Principis nostri solertia quod optimum dijudicatũ est elegit. Nostri uerò cuiusdã experti suasu machinã uersilem, quod Tribuccum uocant, ingentia saxa in munitiones & hostium fossas torquens, erigere statuunt: ædificaturq; celeriter machina periti uiri sententia, nautarum & architectorũ opera. Quæ ubi erecta est, uir peritus grauia saxa in hostes iacit, multosq; cõterit, munimenta diruit, damnaq; intulit nõ paruipendenda. Excogitatũ quoq; est, eam partem fossę quæ lapidibus à Turcis oppleta erat, euacuare: sed cum id palàm effici nõ posset, cuniculo in pomerio effosso exitũ sub lapidibus nostri habent, & clàm lapides inurbem cõportant. Sentiũt profectò Turci, qui fossæ propinqui erant, lapidum cõgeriem minui, & ascensus opportunitatẽ adimi, nisi quantocyus quod capiunt efficiãt. Atroci enim murorũ ruina cõspecta, statuitur munitionib. inniti, quæ impetũ machinarũ sustineãt. Murorũ igitur lapsui munimẽta & repara nostri obijciũt, quæ in hũc facta sunt modũ. Murus crassitudinis

A craſsitudinis palmorum duorum in pomerio ex oppoſito mœnium ducitur, paliq; ex robuſtiſsimo ligno terræ infiguntur, glis ramuſculis fruticibus quoque intermixtis intus ponitur, aſsiduoq; attritu infuſa aqua firmatur denſaturq;. Prouident inſuper ingenijs hoſtes in ipſo cõgreſſu propellere & propulſare, ignesq; artificioſos parant uarijs modis reconditos, cadis, pice, ſulphure, cõbuſtibilique materie repletis, ac ſacculis laminis ferreis, puluereq; machinarũ refertis, quæ ingenia exitio hoſti futura ſint. Ingens præterea cylindrorũ copia afferẽ, quę in hoſtes ruant, eosq; proterãt. Varia quoq; ꝓpugnaculorũ forma ediẽ, quę Turcis impedimẽto, noſtris ſint adiumẽto. Delectabãt cõſpicientes uirorũ ingenia, quę remedia excogitabãt ac plaudebãt. Adducitur Georgius proditor, forti comitatus caterua ad cuſtodiã data. Conſultus de his quæ tuitioni futura ſint, remiſsius tardiusq; reſpõdet: nec de ſe experimentũ ab eo expectatum præbet, quemadmodũ pollicitus erat. ſperabat quippe uir inquus & callidus, uidẽs murorũ iacturã & facilẽ aſcenſum per ruinã, ciuitatem in hoſtiũ poteſtatẽ futurã: quædã tamẽ protulit, ut eius aſtutiã occultaret. Suadet machinam parari, quæ in machinas hoſtiũ iaciat. Quod ut factũ eſt, Turcus machinæ ictus ex aduerſo dirigit, murumq; nõ parum lædit. Dum hæc agerentur, epiſtolæ ex caſtris in urbem ſagittis diriguntur, quæ Georgium inſimulãt. Nec Georgius licet urbis diſcrimen uideret, uerbis procacibus ſe abſtinet: quæ ut ad notitiã deueniũt, uehemens in eum ſuſpicio oritur, quibus ex cauſis uinculis & carcere arceẽ: deputãturq; qui uirum examinẽt, & cauſas defectionis perquirãt. Examinatus, cõtradictorijs ac cõiecturis ſufficiẽtibus cõuictus torqueẽ. In tormẽto et extra rogatus, ultrò fateẽ, iuſſu Turcorũ tyranni ad Rhodios B defeciſſe, ut urbẽ ſi poſſet proderet, quemadmodũ plura oppida prodidit. Sin minus Rhodi perſiniſtrè uerſaretur, cuncta diligẽtius acutiusq; perquireret, & ſpeculareẽ. Mores quoq; et ſtatus ac cõditiones incolarũ & regionis intelligeret: ac demũ ſi claſsis nõ uinceret, ad Turcũ reuerteretur, docturus quæ ad urbis expugnationem conducerẽt. Proponebat namq; Turcus hanc urbẽ in ſuã ditionẽ redigere: quod ut cõficeret, multis pollicitationibus ac pluribus donis allectus Georgius extitit: crimẽ cõuictus, ſupplicio capitis damnatur, et in propatulo ſpectante populo funę furcę ligato Georgius ſuffocaẽ, & animã exhalauit: populus cum plauſu ad priuatas ſtationes reuertiẽ, lætus & gaudens de nece ꝓditoris Chriſtianæ religionis, qui tot animas perdere uoluit, & ad iugulationẽ & fidei orthodoxę abnegationẽ tot pręclaros uiros caſtiſsimasq; matronas, ſacrasq; uirgines, et plebẽ Chriſtianã perducere ſtuduit. Luit tandẽ pœnas ſceleri debitas uir perfidus, uigilãs, & ſemper aliquid cogitãs. at Turcenſis claſsis præfectus Baſſa, alteras literas in urbẽ iacere ſtudẽtes, Græcos indigenas & ciues Latinos ad deditionẽ hortãtes, uita & ſupellectili ſalua ꝓmiſſa, multamq; immunitatẽ pollicẽtes: ſolũ uerbis ditionẽ expoſtulat, & interitũ militũ, & perniciẽ religionis Hieroſolymorũ affectat: ſi ſecus rebus ſuis cõſulãt, ad unũ omnes interituros affirmat. Putauit uir nepharius populũ infidũ inuenire, & q metu terreret, uel munere allicereẽ: ſed reperit orthodoxæ fidei plebẽ deuotã, ac ordini Hieroſolymorũ fidã, cõſilioq; & armis mutua equitũ & Latinorũ noſtrorũ cõuerſatione expertã. Ea igiẽ in uanũ tentãte, alio utiẽ commẽto. Mittit ad Eccleſiã beatæ Mariæ uirginis Heleomenitræ Græculũ, q dudũ ad Turcos defecerat, qui uigiles alloquẽs, ait: Baſſam, oratorẽ ad principẽ noſtrum uelle deſtinare, dummodo tutus aditus pateat. Reſpondetur, ut illic ad ripã foſſæ nunciũ mittat, aderitq; in Boleuardo, qui nomine magiſtri reſpondeat. Affuit poſtridie Baſſę orator, qui noſtris prius ſalutatis,

ait: Prefectũ classis se non parũ, imò uehementer admirari, quòd tam po-
tenti Principi resistere audeamus, qui duo imperia, tot regna, tot urbes,
tot prouincias, totq; potentatus subiugauit: quare suadet, ut nostræ ur-
bi & agris indoleamus, nec patiamur tam crudele facinus perpetrare,
nec urbẽ diripi, & ad iugulationem uiros, et mulieres ad raptum & igno
miniã duci, bellũ an pax præstiterit dicamus. Pollicetur quippe breui
forma & compendio, pacẽ si libuerit se præstiturũ, & nos possessores ur-
bis & agrorũ permansuros: aliter minas addens, prommittit propediem
ciuitatẽ in suam potestatem transiturã, direptionicq; præbiturũ, & omne
genus crudelitatis executurũ. Qui Principis nostri uice aderat, edoctus
respondet: Non possumus satis admirari, uos qui cum classe & impetuo
sis machinis, castrorumq; copia urbẽ circũdatis, nos ad pacẽ hortari, cũ
id à militantiũ officio alienũ uideatur. Verùm figmẽto agere uidemini,
ut animos tentetis. Sciatis, nec pollicitationes nec munera uestra nos
mouere, aut ad aliquid indecens conficiendũ allicere. nec profectò mine
uestræ nos terrent. Sumus enim unanimes, nec discrimen est inter Græ-
cum & Latinũ. Christũ enim colimus una fide, & firma mente, pro quo
pugnare parati sumus: & mortẽ potius oppetere, quàm Mahumeto con
iungi, sic ut facessant ꝓmissa & minæ quib. nos monere conamini. Cum
uestra classis domesticos lares reuiserit, si oratores de pace tractaturos
mittetis, de re cõsultabimus: cum armati & exercitu præcincti estis, offi
cium bellantiũ perficite, & nobis Deo propitio constanti animo respon
debimus. Cognoscetis quoq;, non cũ Asiaticis et effœminatis uiris con
tendere, sed cum catholicis fortissimis manũ cõserere. Quo dicto Turci
uultu demisso extẽplò discedũt. Cum Turcis maiori conatu, ingenio ar-
teq; resistitur, ipsorũ insania incenditur. Pudet quippe eos tantũ exerci-
tum nõ præualere, & sui tyranni formidolosam potentiã à Rhodijs con
temni. Furibundi itaq; machinis, mortarijs, sagittis, catapultis dies no-
ctesq; urbẽ lacessunt, infestãt, deterrẽt, expeririq; satagunt, si Rhodiorũ
animi facinora obire præclara audeãt, quẽ admdũ præclara & magnifi-
ca uerba proferũt. Secundũ igitur alterũ præliũ ad turrim molis diui Ni-
colai cõmissum, dieb. septẽ & triginta exactis, uires in urbis mœnia au-
gẽt, faciemq; ciuitatis deturpãt. Noua quidẽ urbs crassissimo muro cin
cta, turribus in cœlũ erectis ornata, antemurali quoq; et propugnaculis
aptissimis munita, triũ milliũ quingentorũ sphæricorũ saxorũ frequen-
tissimis ictibus lacerat, deturpatur, demolit: eamq; ruinã plereq; domus
ciuiũ, & magistratus palatia perornata ac magnifica patiunt, ita ut prio
ris urbis facies penitus perdita uideretur, ac tanquã gigantei cadaueris
sarcina prostrata iaceret. Attoniti sunt plurimorũ animi: sed Princeps,
uir quidẽ magna sapientia, generositate atq; magnanimitate, præclaris
ac magnificis comitatus equitibus, pugnatorumq; globo fortissimo sti
patus, spem in Deũ immortalẽ, ac filiũ eius Dominũ nostrũ Iesum Chri-
stũ, eiusq; genitricẽ, præcursorẽ quoq; sanctũ Ioannẽ baptistã dirigẽs,
cunctorũ mentes solidat. nec defuerũt magnanimi Baiulini priores, pre
ceptores ac fratres sacri ordinis, Hierosolymitani pariter negociatores
indigenæq;, & Græci, qui pro fide orthodoxa fortiter pugnare nõ formi
dant. nõ deterrebat profectò animos murorũ formidanda ruina: nõ me-
tum incutiebat facilis hostiũ ascensus, nõ machinarũ impetuosissimi ia-
ctus mẽtes perturbãt. Autumãt Turci, paruo momẽto urbẽ subigere. pu
tant nostri spe & fide pleni, Mahumetanã gẽtem facile propulsatum iri.
Hinc Turci in aurora & solis occasu ad ripã fossarũ fistulis & tympanis
Turcẽsibus solitũ cantũ edunt: exultãt etiã de futura uictoria. Nostri, in
pomerio tubarũ clangore iubilãt, Princeps noster preclarissimus, ingen
ti acumi-

A tíacumine præditus, propediem hoſtilẽ inuaſionẽ futurã cõiectat. Maturo igítur cõſilio præſidia mœniũ inſtituit, hiſq; præſtãtes uiros præficit: ſubſidia quoq; nõ negligit, quibus & electiſsimos ſui ordinis cuiuſuis nationis baiulinos & equites præeſſe uoluit, qui præſtò caſu urgente adeſſe debeãt. ipſe uerò partes ſubſidij nõ recuſat: quinimò aſsiduo labori nõ parcẽs, in pomerio mœniũ lapſorũ reſidet: illic ſomnũ quamuis nõ diuturnum ſumit, cœnitat, uerſatur. Magiſtri ueſtigia ſtrenuiſsimus quiſq; ſequit̃, nec primi, nec mediocres, nec infimi onus recuſant. Turci uerò in caſtris præcones uoce promulgãt, urbis ſupellectilem in direptionem trãſituram, impuberẽ ætatẽ ſub iugũ ut fidẽ abneget mittendã: prouectos uerò & adoleſcentes ad unũ iugulandos: & qui uiui capti eſſent, palis, quos adid exequendũ octo millia parauerãt, cruciandos, ciuitatis ditione Turcorũ tyrãno reſeruata. His diuulgatis, properãt Turci ciuitatẽ aggredi. priuſquã id moliantur, Mahumetũ ſuo more inuocãt, corpus lauãt purgantq; : ſacculos ad rapinã parãt, funiculos ad captiuos religãdos zonis cõnectunt. Pridie quàm pugna iniretur, totaq; nocte diei cõtinuę, ac diluculo quod mane quo pugnatũ eſt prȩceſsit, octo machinæ muris obiectæ, ſaxa ingentia aſsiduè torquẽt: quod loco propugnaculorũ adhibitũ erat, diruũt: uigiles quoq; ac cuſtodes, & mœnium præſidia partim occidũt, ut muris quiſquã ſuperſtare uix poſſet, niſi ſummo aſtu occultaretur, & ſcalas ad ſignũ campanæ paululũ deſcenderet, & demũ cõſcenderet. Nec tempus datũ eſt propugnacula denuò inſtaurandi, cum bombardarũ ictus frequẽtiores eſſent, ita ut tam paruo tempore trecenta uel circiter ſaxa iacta ſint. Turci uerò iactu machinarum peracto, ad ſignũ iactus mortarij, quod pridẽ eo in loco cõſtituerãt, con
B fertiſsimi magno impetu quàm celeriter quinto Calendas Auguſti ruinam orto ſole conſcendunt. Erat namq; facilis, ut diximus, eis aſcenſus: imò facilior q̃ noſtris per ſcalas. ſuperiora quoq; murorũ loca occupãt, trucidato quod illic erat præſidio, quod primò tanto impetui reſiſtere nequiuit, anteq; ſubſidia noſtra ſcalas aſcenderẽt: & illic hoſtilia ſigna ſtatuũt. Idem quoq; faciũt ad turrim Italiæ, cuius uerticẽ oppugnãt. Clamor undiq; oritur, manus quoq; uiriliter cõſeritur, magnaq; ui pugnat̃. noſtri quoq; à dextro ſiniſtroq; cornu fortiter hoſti reſiſtũt: ubi affuerũt glorioſe dimicãtes, miles præſtãtiſsimus dominus de Montelio, capitaneus, armis pollẽs: baiulini quoq; et equites Hieroſolymorũ ac negocia tores, nõ paucíq; indigenę, & cuiuſuis nationis ſtrenui. quorũ quidã inter cõfertiſsimos hoſtes acriter dimicãtes cecidere: alij multis uulneríb. acceptis, uitã ſeruauere. Scalis quoq;, quę quatuor erant, quibus in uicũ Iudæorũ deſcendebatur, una Principis noſtri iuſſu perfracta, qua Turci deſcẽdere cœperãt, ex tẽplo cõſcenſis, clariſsimus magiſter & princeps noſter Petrus Danbuſſon, præclara comitatus cohorte, magno fortiq; animo hoſti ſe obijcit, ſcalamq; conſcendit, hoſtem uiriliter oppugnat, propulſat, quoſdamq; trucidat. Nec aliter ipſe ſuiq; cõmilitones, quibus comitatus erat, pro fide catholica & repub. Chriſtianorum pugnauere, quàm olim glorioſi Machabæi pro cultu diuino & Hebræorũ libertate præliati ſunt: haud ſecus quàm pleríque Romani príncipes pro tutanda patría dimicauere, qui ob ſeruatã rempublicã Patres patriæ meruerũt appellari. Hos enim præcellẽtiſsimos uiros imitatus Princeps & magiſter noſter, diſcrímina nõ formidãs, uulneribus quinq; in corpore ſuſceptis (quorũ unũ lethale cẽſebat̃, niſi medicorũ cura remediũ attuliſſet) Rhodiorũ rempublicã tutatus eſt, ſeruauit, reſtituit. Ob quod præclarũ quidẽ facínus Pater patriæ optimo iure appellãdus eſt. Turci enim per-

pulchrè armati, duo milia quingenti ſuper muros erãt cõfertiſsimi, no-
ſtros ſecum manus conferentes armorum ui propellere nitebantur: pri-
morum tamẽ uirtus inuicta perſiſtens, diuino præſidio ſuffultu nequa-
quam loco ceſsit. Sequebatur quoq; Turcos qui muris potiti erant, in-
gens Turcorum multitudo, quę totum campum adiacentem ruinã, ual-
lum & foſſam expleuerat, ut terra uix conſpici poſſet. Affirmant perfu-
gæ, quadraginta milia Turcorum adeſſe. Pugnatũ eſt duabus horis am
bigua fortuna, modò ad noſtros, modò ad Turcos uictoria inclinante:
tandem diuina clementia Principis & noſtrorum uirtutẽ fouente Tur-
ci funduntur, pulſantur, cæduntur: tantoq; impetu & celeritate terga
uertunt, ut ſibipſis necem & uulnera afferrent. Spectaculo nobis fuit,
quod à noſtris inter pugnandum geſtum eſt conſpicere. ex Turcis quip
pe qui noſtros fortiter laceſſebãt, ſuper muros ſtantes, trecenti à noſtris
in uicum Iudæorũ præcipites trahũtur & impelluntẽ. Erat namq; muri al
titudo ad intra ferè pedum uiginti: hi omnes ad unum trucidati ſunt, &
cadauera uulneribus deformia paſsim iacentia intra urbem uiſa ſunt.
Cum Turci pedem referrent, & ad caſtra tenderent, noſtri eos conſecu-
ti ſunt, & complures intra munitiones occiderunt, quorum ſpolijs ac
inſigni tyranni uexillo, auro argentoq; ornato, quod tantæ uictoriæmo
numento extitit, potiti, magno cum plauſu urbem per murorũ ruinam
intrant. Cecidere ea in pugna tria milia quingenti, quorum cadauera
intra urbem ſuper mœnia, foſſa, munitionibusq; hoſtium & mari reper
ta ſunt. Et poſtmodum ad luem uitandam, quæ paſsim deformia & la-
cera iacebant combuſta, interiere, prout perfugæ diuulgarunt, qui cum
exercitus à Baſſa recenſeretur, aderant, ex Turcis obſidionis tempore
nouem milia: uulneratiq; ſunt milia quindecim: magnisq; incommodita-
tibus exercitum affectum affirmant. Fama ſatis conſtans eſt, & palam à
perfugis uulgatur, Turcos uiſionis miraculo exterritos tanta trepida-
tione loco ceſsiſſe, ac pedem retuliſſe. Aiunt enim, cum uexilla Domini
noſtri Ieſu Chriſti ac uirginis Mariæ, ac S. Ioannis baptiſtę, religionisq;
Hieroſolymorũ in conflictu iuſſu Principis erecta ſunt, crucem aureã in
aere ſplẽdidiſsimam hoſtes uidiſſe. Apparuiſſe inſuper candidiſsimam
uirginem, clypeum & haſtam geſtantẽ: ac hominem uili ueſte obſitum,
ſplendidiſsimo comitatu ſtipatum præſidio adeſſe. Quæ uiſio tantum
terrorem eis incuſsit, ut nullo pacto progredi auſi ſint. Fatẽdum quoq;
eſt, hanc uictoriã de cœlo demiſſam eſſe. quomodo enim tam parua mili
tũ noſtrorũ copia, hoſti potẽtiſsimo iam muris potito reſiſtere potuiſſet,
niſi diuinum præſidium affuiſſet? quomodo tam parua temporis moru-
la, tanta hoſtium manus cecidiſſet, niſi angelus Dei uictoriam attuliſſet,
& inimicos trucidaſſet? Erant enim tot occiſorum cadauera, & ita per-
pulchrè ordinata, ut non horarum, ſed dierum opus eſſe uideretur: & id
potius diuinitùs quàm humanitùs contigiſſe putetur. Quis hoſtem mœ
nia poſsidentem, iamq; uictoria laſciuientem & exultantem terruit?
Deus clementiſsimus. Quis hoſtem, ne ſcalis deſcenderet, antequam
ſubſidia conſcenderent, prohibuit? Deus fortiſsimus. Quis eorum men
tes obcæcauit, ut poſt primam pugnam non aggrederentur noſtros, &
multis uulneribus oppreſſos & defatigatos oppugnarẽt? Deus clemen-
tiſsimus. Quis tam potentem hoſtem, qui tot & tanta regna ſubiugauit,
prohibuit, ne hunc Hieroſolymorum principatum mediocrem quidẽ,
ac cæterorum comparatione tenuem, poſt Conſtantinopolitanæ urbis
excidium ſuæ ditionis faceret? Deus ſapiẽtiſsimus. Agamus igitur gra-
tias de tanto beneficio, ei qui nos ab impiorum manibus præſeruauit,

Turci

A Turci enim ſpe potiundæ urbis ducti, quæuis crudelitatis genera exercere proponebãt: ſed nefando optatu fruſtrati, tanquã pecudes trucidãtur, propulſantur, uincunt. Extemplò pugna commiſſa, ad primum lapidem caſtra & papiliones Turci collocãt: machinas ad littus maris deuehunt, & nauigijs onerãt uulneratos: & quos ex Lycia traiecerãt, multos dies uſque ad eorum diſceſſum in Turciam cum omni ſupellectili reuehunt. Hortos, uineas, prædia, ſi quæ intacta illæſaq; remanſerãt, uaſtant, depopulantur, incendunt, ingenti pecudis multitudine ſubacta. Dum hæc Turci molirentur, & diſceſſum pararent, apparuêre ſubſidiariæ naues, quas præcellentiſsimus Siciliæ rex Ferdinandus, fidei catholicæ deuotiſsimus, Rhodijs mittebat. Quæ ad auram poſt meridiem Turcis cõſpicientibus, cum Rhodiorum plauſu & gratijs Altiſsimo datis, portum intrare non formidant. Hoſtis machinas quas ad hoc parauerat, in eas dirigit: iactu machinarum una detrimentum malo excipit, altera incolumis euaſit: anchoris ante aditum portus naues ſubnixæ, ui tormentorum & maris æſtu feruente, paululum ab aditu diſcedunt. Heſpero adueniente, & procella ingruente, nauis quæ læſa fuerat, portum intrat, altera uela uentis dare compellitur. Poſtridie eius diei, cum ea nauis portum ſubire niteretur, uento deficiente, dum placidum redditur mare, nec longius à claſſe Turcenſi diſtaret, triremes Turcorum uiginti exercitu & Rhodijs conſpicientibus, nauim aggrediuntur, & oppugnant. Qui naui deuehuntur, uiriliter ſe tutantur. Horis uerò tribus nauali prælio machinarum iactu pugnatum eſt: tandem noſtri uictores euaſere. in qua pugna triremium præfectus occiditur. Hac quoq; incõmoditate accepta ad ſuos hoſtis reuertitur, & nauis ſubſidiaria poB ſtera die portum plenis uelis intrare non formidat. Attulerunt profectò hæ naues nuncium, quòd Rhodios non parua affecit lætitia. Pontificiæ quippe literæ recitantur, quæ Rhodiorum animos paterna monitione ſolidant. Subſidia quoque nauium parata pandunt, quæ propediem uentura erant. Præterea grandem expeditionem parari nunciant, quæ nedum Rhodios obſidione liberare, uerùm etiam inimicam claſſem expugnare ac proſternere poſsit. Rhodij læto accepto nuncio, clementiſsimum Rhodianum Pontificem, Sixtum quartum, miris laudibus tollunt, laudant, prædicant, Deoq; pro eius felici ſtatu humiles preces fundunt. Hic quoque rumor ad Turcos tranſit, qui perterriti cœptum diſceſſum accelerant. Exactis igitur nouem & octoginta diebus, Rhodiorum littore claſsis ſoluens, Phiſcum nauigare properat. Illic milites et ſupellectilem exonerat, ubi dies undecim morata, ad domeſticos lares cum clade & ignominia reuertitur. Qui obſidionis pericula expertus eſt, & res publico functus officio cognouit, ad laudem Dei, Chriſtianæ religionis exaltationem, & Rhodiorum gloriam, rerum geſtarum commentarium edidit.

DE CAPTIONE CIVITATIS HYDRVNTINAE.

SAnè poſtea quàm inſula Rhodi diuino potius miraculo, q; aliàs, muris illius pro magna parte ſolo æquatis, à Turcorum obſidione & furore fuit liberata, atque ita ipſi Turci ſpe ſua & conatu impiiſſimo fruſtrati fuerunt: indignè ualde opprobrium illud ferentes, atque plurimis quas eis Chriſtianorum negligẽtia parauit, elati uictorijs, tantis ſtragibus & calamitatum generibus, quibus regna, prouincias, ciuitates, et loca plurima Chriſtianorũ hactenus affecere, nequaquã contenti, neq; ſparſi ſanguinis fideliũ multitudine ſatiati, arbitrabanr facilè ignominiã quam à Rhodianis accepiſſent, in cæteros Chriſticolas poſ-

seretorquere. Proinde classem denuò instaurant ualidissimam, & copio A
sum exercitum parant: partes Italiæ maximè mari Adriatico uicinas, ter
ra mariq; inuadere, & successiuè in diram & miserabilē redigere serui-
tutem animose contendūt: nimirū cum ipse Turcorū tyrannus crudelis-
simus, auro & hominibus abundans, & dominandi mira cupiditate in-
flammatus, optimè intelligeret, gentes sibi uicinas, bellis frequentibus
per eum attritas, arma sumere non audere, & solos fideles Vngaros mu
ri loco ad Orientē remansisse: in Italos ex tūc sæuire decreuit. Ergo post
cæteras cruentissimas iacturas & strages, quas Christianis populis ipsi
nefandissimi hostes fidei Turci in alijs terris intulerūt, post horrēdā tot
ciuitatū euersionē, miserabile excidiū, & lamentabiles atq; uniuerso pe-
nè orbi terrarū notissimos conatus, Rhodiæq; urbis postremò cum in-
genti multitudine gentiū terra mariq; obsidionē, in Apuliā regni Sicilię
prouinciā cum magno exercitu & classe ex Selona applicuēre. Est in ea
prouincia ciuitas quædam archiepiscopali sede insignis, atq; populorū
multitudine et rerum omniū opulentia non minimè præstans Hydrun-
tum appellata, unius noctis nauigatione à prædicta ciuitate Selona,
quæ sub Turcorum est potestate, distans. Hanc ipsi immanissimi Turci
post aliquot dierum obsidionem, & murorum eiusdem machinarum im
petu euersionem: tandem (heu rem miseram & afflictam) cruentissimo
bello, ui & armis cæperunt, expugnauerunt, spoliauerunt, uiris partim
cæsis, partim acerbissimo seruitutis iugo subiectis, matronis stupratis,
uirginibus raptis, sanctimonialibus fœdatis, adolescētibus immaniter
trucidatis, senibus hominum & equorum calcibus conculcatis. Sacer-
dotibus etiam intra ecclesiam pro defensione fidei humiles preces in-
stanter altissimo porrigentibus, ferarum more iugulatis: & ipso archie- B
piscopo Hydrūtino, sene & annoso, pontificalibus induto, sacratissimā
crucem manibus tremulis tenente, serra lignea crudeliter in frusta diui-
so: prægnātibus quoq; cum semiuiuis corpusculis inaudita crudelitate
dilaniatis, atq; dilaceratis. demū ciuitatē ipsam Hydruntinā in suā ditio-
nem redactā, hominibus & numero copioso, muris, uictualibus, uallo,
machinis, armis & alijs ad defensionē necessarijs, mirū in modū muniue
runt. Tandē ipso Turcorū principe Mahumeto haud longè pòst ex hac
luce subtracto, filius eius in regno successor, qui hodie Turcis imperat,
prędatā ciuitatē Hydruntinā regi reddidit Neapolitano, ex causis quas
breuitatis gratia prætermitto. Atque ita Turcis urbe et Apuliæ prouin-
cia pulsis, Christianis incolis denuò Hydruntū inhabitatur. Hæc de hi-
storijs istis breuiter dicta sufficiant.

MARINI BARLETII SCODRENSIS SACERDOTIS, AD SERENISSIMVM PRINCIPEM Leonardum Lauretanum, Venetæ aristocratiæ Ducem illustrissimum, eiusq; sanctissimum Senatum, de obsidione Scodrensi Liber primus.

PRAEFATIO.

CONSVEVERE mortales, Leonarde Lauretane Princeps illustrissime, si quid præter rerum ordinē inter humanas uitæ actiones asperum, durum, miserabile contigisset, quod tum ad detegendam hominum fragilitatem, tum ad mouendos ad commiserationem alterius in alterū animos facere uideretur: illud non solum miserabili quadam admiratione prosequi, sed litterarum etiam monumentis cōmendare. Nam si, ut præclarè docent Stoici, sæculi

A ci, seculi huius fragilem, fluxamq; conditionem considerantibus, id primùm occurrit mortalibus, solum ea de causa proprias esse aduersitates, ut ab immortalibus hoc tantum se interesse cognoscant, quòd illis perpetuæ sunt fœlicitates: homini autem nihil potest esse perpetuum, firmum, stabile. Homines deinde hominum causa tantum esse generatos, ut alter alteri subuenire possit: ac in eo quod licet proprium sit, luctu tamen sæpius & mœrore conficere solet, consolari quandoq;, opem etiam nonnunquem submínistrare. Laudabilis quidem, atq; perutilis fuit illorum consuetudo, ex qua quod ad præsentia tempora pertinebat, inducerentur animi ad eorum calamitates non deplorandas solum, sed etiam leuandas, quorum aduersam mirarentur fortunam: in posteros autem testatum primùm linqueretur, quam potissimum ob causam in tantas ærumnas deuẽtum fuisset, ut cæteris cautum foret, quo moderamine mortalium essent actiones gubernandæ: nec minus etiam miseris succurrere discerent, qui eorum casus non sine dolore legissent. Quæ omnia bona, sancta, probabilia, quum ipse mecum considerarem, Sereníssime Princeps, uenit sæpius sæpissimeq; ante oculos meos, miserabilis illa calamitas, sæuissima fortuna, acerbissimusq; Scodrẽsium casus: quo tam diuturno & atroci bello, tam longa obsidione, tanta denique strage innocentissimus populus afflictus est, ut uel hostium animos sæuos et immites ad misericordiam flectere potuerit: eaq; non semel à me deposcere uidebatur, ut qui eius patriæ fueram iam membrum, & magna pars (si cum duce Dardanio apud Andinum uatem hoc nobis dicere licet) non sinerem tantum facinus ingrato silentio aboleri, sed literarum potius monumentis quoquo modo sacrare studerem. Quo & sparsis per totũ
B orbem, profugisq; ciuibus, exacta pericula malaq; lectitare periucundum esset: et cæteris aliqua in eos commiserationis scintilla suboriretur, quæ posset aliquando laborantibus benignam opem apud clementissimos præcipuè principes implorare. Ast ego quum primùm & Stoici hominis, & boni ciuis officium ad calculum reducerẽ, diuq; hæsitabundus ex una parte pensitarem, quantum humana primùm apud me conditio ualeret, quantumq; deinde patria posset, cui iure meritoq; omnes ad sanguinem etiam usque debiti sunt ciues, non poteram requisitam à me prouinciam satis honestè negare. Contrà, quum Horatianum illud occurreret, quod nostris humeris æquam nos materiam sumere hortatur, ne Helimonis poetæ supplicio digni uideamur, si factis scripta non respondeant: quum meo præcipuè longè impar ingenio munus animaduerterem, nesciebam quid agerem, quò me uerterem, quam'ue in partem potissimùm tenderem. Hinc enim impietatis crimine me damnari uerebar, si postulanti patriæ quod iustum honestumq; fuerat, denegassem: inde temeritatis insimulari, si rem tam præclaram adorsus, & quæ longè me doctiorem scriptorem deposcere uideretur, audaculo quodam impetu aggressus, in medio ipso cursu deficerem: turpiusq; (ut Phauorinus aiebat) mihi foret, & illi, frigidè laudare, quàm acriter insectari. Accedebat & illud, quòd quum apud tantum Principem & Senatum præstantissimum hæc mihi res agenda esset (quorum utrunq; scio nil nisi perpolitum ingenio, elaboratũ industria requirere) & ego præcipuè, qui quàm exiguum foret ingenium meum, aut nulla penitus uerborum facundia, aut sententiarũ grauitate præditum, sed incultũ potius, aridum atq; ieiunũ, & probè scirem, & ingenuè etiam confiterer. Si enim cæteris in rebus scribendis, in historica præcipuè est uarietate difficillimum, ubi et diuersi rerum euentus, excessus dispares, ac uariæ hominum fortunæ, uario quoq; stilo describendæ sunt: ita ut inquies scribentis

tis animus opere paſcatur, & non minus legentium animi delectentur. A
Quæ omnia ſi in mea quæſita fuerint officina, leuia quidem ac tenuia re
perientur: unde fit, ut tanti muneris pondere grauatus, quandoq; ſilen-
dum mihi ſatius duxerim, quàm inculto quopiam apparatu legentium
auribus officiendũ. Sed quia occurrit ex altera parte non ſumma ſolùm
calamitas, qua tam chara mihi patria affecta eſt: ſed admirabilis etiam fi-
des, quam ſemper in extremo etiam quocunq; caſu tuo imperio fideliſſi
mus populus Scodrẽſis ad ultimum etiam ſanguinem ſeruauit, ſereniſ-
ſime Princeps: glorioſiſsima quoq; uictoria, quam contra ſæuiſsimam
tantorum totq; barbarorum rabiem obtinuit: quæ omnia nullo penitus
pacto ingrato ſunt inuoluenda ſilentio, ſed potius quum omnibus ſatis
poſsint amplum ſcribẽdi argumentum ſuppeditare, in lucem emerge-
re digna ſunt: ſtatui, penitus tanto labori & caput & humeros ſubmit-
tere, quo & boni quandoq; ciuis in patriam officium exequi uidear, &
fideliſsimæ ciuitati laudem & gloriam quærere: ut non illi ſolùm apud
clementiſsimos principes gratiam implorem, ſed alias quoque ciuita-
tes, alios q; populos tantæ fidei exemplo ad duces ſuos amandos, colen
dos, tutandos, promptiores reddam: quo à ſuperis primùm demon-
ſtrauero inſperatam fuiſſe fidelibus noſtris ciuibus uictoriam condona
tam, quos tanto negocio tot milia barbarorum tandiu infeſtauerant: ut
non amplius mirum relinqueretur, Saguntinam quondam obſidionem
in Hiſpania, uel Caſilinatem in Italia, acerrimum Carthaginenſium im
peratorem fortiſsimumq; Hannibalem tantopere defatigaſſe. Et demũ
non ſine præmio fuiſſe fideles huiuſcemodi animos derelictos, quibus
omnibus tanta humanitate conſultum eſt. Aggrediar igitur commemo
rare, Illuſtriſsime Princeps, obſidionem, qua Scodrenſes à Meumethe B
poſtremo Turcarum principe, memorabili euentu armis ſunt grauiter
fatigati. Primùm, quia ingens & horrenda fuit: eoq; proceſsit, ut non
prius finem inuenerit, quàm Macedonia tota, Epirus & Dalmatia deua
ſtarentur. Deinde, quia inſolentiæ, & barbaricæ ſæuitiæ fortiter occur-
ſum eſt. Verùm priuſquàm huiuſcemodi rei initium faciam, primò de
Turcarum origine repetam: de qua ſcriptores inter ſe uarij fuere. De-
inceps ſigillatim nomina eorum referam, qui à primo auctore in fa-
milia Ottomana ad hæc uſq; tempora imperium longa ſerie tenuerunt,
Meumethis q; principis maiores extiterunt: quo omnia cognitu clara
magis magis q; in manifeſto habeantur. Quod opus tuæ Serenitati tan-
quam diuino cuidam numini conſecrabo: quæ & mihi ſcribenti, uelut
olim elaboranti in ſuſtinendo cœli pondere, feſſo q; Atlanti Herculem
feciſſe ferunt, benigniſsimas ſuppetias ferat, & opus ipſum à maleuolo
rum morſibus tueatur: quod proprium tuæ ſerenitatis eſt, quæ ſemper
bonis uiris dulce decus ſummum q; præſidium fuit: cui me totum
commendo, trado ac dedo. Sed iam inſtituti noſtri
oriatur exordium.

MARINI

A



E prima Turcarum origine, inter eos qui de ea re scripserunt, uaria (ut uideo) est sententia. Nonnulli stirpis Troianæ eos affirmare nõ dubitant: hac usi ratione, quòd à multis Teucri uocati sint. hi friuola argumentatione freti, facilè conuincuntur. Nulla enim habent monumenta fide digna, unde hanc opinionẽ mutuati uideri possint. Alijs eos gentem esse Scythicam placuit, fœdam & truculentam, quæ uitam ageret parum à belluis promiscuo concubitu & uictu differentem, omnis expers religionis, Augusto duntaxat mense ueluti quædam Saturnalia celebraret. Hæc Imperiũ Romanorum magis audiuit, quàm sensit: nulli tributum unquam, præterquàm Octauio Augusto dedit, & id quidem sponte: quũ proximas regiones annua illi tributa pẽndere audisset. Nonnulli, quorũ mihi sententia uerior uidetur, eos esse asserunt, qui iuxta Tanaim incoluerunt, quorum Pomponius ijs uerbis meminit: Geloni urbem ligneam habitant: iuxta Thissagetæ, Turcæq; uastas syluas occupãt, aluntur q; uenando: hinc quidam certa quadam locorum ratione adducti, Turcas, & nõ Turcos, aut Teucros dicere maluerũt. Hæc gens, quo tempore Pipinus apud Francos regnabat, Caucaseas egressa portas, multos Asiæ populos inuadens, Halanos primùm, deinde Colchos & Armenios, postremò Persas & Saracenos qui tum Persidem tenebant, & agrorum direptionibus, & multa mortalium præda innumerisq; cædibus uexarunt.
Cum Auaribus quoq; certamine acerrimo Turcæ conflixerunt, in quo
B utrinq; plurimi desiderati sunt. Minorem Asiam non intactam reliquerunt: Pontum & Cappadociã omnem depopulati sunt. Præterea mõtes & claustra quædam opportuna occuparũt: quorũ occasione & cõmoditate, latronũ more, clandestinis quibusdã excursionibus maximas sibi uires quæsiuere. Quare assiduis irruptionibus gens ipsa usqueadeò aucta est, & in tantum uiribus creuit, ut æquo marte cum finitimis populis cõtendere de Imperij possessione cœperit. Itaq; per interualla temporũ non solùm Pontum, Cappadociã, Gallatiam, Bythiniam, Lycaoniã, Pisidiam, Phrygiam, Pamphiliam, Cariam, & omnem minorẽ Asiam à Tauro ad oram usq; Ioniæ, et littora Græci maris occupauit: nõ unum sortita principẽ, sed alij aliorũ ducum auspicia & factiones secuti sunt. Iam tricesimus ferè ac centesimus annus agitur, ex quo Saladinus, qui & Turca, & Ottomanus, uir magni animi, sed non multarũ opum, & parui inter priuatos nominis, collectitio milite, & modica manu, quam per seditionem cõparauerat, non solùm Christianos uexare, sed & suos infestis armis inuadere cœpit, & eos sub iuga sua mittere. In hoc secũda usus est fortuna. Nam dum alij principes discordias inter se (quod est regnantibus & ciuitatibus uenenum pessimum) conserunt, & sese inuicem mutuis cędibus laniant: Ottomanus interim undiq; collectis et accitis, qui rapinarum & prædæ cupidi erant, auctoritatem & nomen magnum breui adeptus est. Oppida complura partim ui, partim deditione in potestatem suam redegit. hac tanta et tam fœlici uictoria elatus, tantum sibi nomen & dignitatem peperit, ut & unus omnium primus ex Ottomana familia, incredibili Turcarum omnium cõsensu Rex, quem illi Amyram uocant, creatus fuerit: & ita in animos barbarorum influxerit, ut alium sui generis Amyram, quàm Ottomanum quempiã, in hanc diem patiantur esse neminem. Huic Orchanes filius successit, qui regnandi cupidi-

tate,

tate, atq; animi magnitudine haud patri dissimilis, alios omnes qui ante eum fuerũt, & disciplina militari, & copijs, apparatuq; longè superauit. Erat enim natura liberalis, ingenio leni, moribus facillimis, & ad imperandum prudẽtissimus, adeò ut ijs artibus animos omnium ad se amandum alliceret. Ex quo ingentes copias, maximumq; exercitum undique comparauit, & imperium à patre incohatum mirum in modum auxit. Post quem Amurates filius regnauit, uir quidem animi corporisq; uirtute, reiq; bellicæ peritia plurimùm pollens: qui & ipse occasione oblata, dominationẽ à patre relictam in maius prouexit. Nam quum Theodorus Cantacuzenus aduersus generum suum Ioannem Palæologum, quem Constantinopolitano imperio defraudauerat, quum illius regni tutelam gereret, bellum suscepisset, Amuratem nec renitentem in auxilium suum uocauit: hac tamen lege & conditione, ut bello inter eos confecto, is ad loca propria unde uenerat, rediret. qui quum ex Asia in Græciam per Hellespontum transisset, consultò bellum protrahere cœpit, ut & socerum & generum longinquo bello exhaustos, & eneruatos uiribus, & penitus fractos inuaderet: quod barbarus ex sententia adeptus, illis oppressis Callipolim & Chersonesum primò, deinde maximam Græciæ partem subiugauit: hinc effectum, ut postea palàm & audacter cætera omnia inuaderet, & ad ipsum Græcorum imperium sibi uindicandum totis uiribus intẽderet. Sed dum hæc moliretur, à Milosso Cobilichio, uiro fortissimo, Mysorum principe strenuè obtruncatus est. Hic duos reliquit filios, Solimanum & Paiazetem: qui adrelíquam patris expeditionem, & regni administrationem capessandam non minus ætate idonei, & rerum militarium disciplina, quàm ingenio, prudentia, cæterisq; uirtutibus fuere. At Solimano extincto, res uniuersa ad Paiazetem deducta est: qui magna ui animi & corporis fuit, corpore quidem strenuus, laboris patiens, & suprà quàm cuiquam credibile sit, ingenio acerrimus, magna semper atque difficillima appetens, eaq; ad exequẽdum perficiendumq; audax, promptus, & belli percupidus, atque ardens, ocij & quietis impatiens. in stratagematis & hostibus fallendis calidus, atque uersutus: denique in omni re nauanda, & negocio peragendo, usu, arte, consilio, atque exercitatione peritus atque impiger: ad cauendum cautus, atque prouidus. Præterea fortunæ afflatibus adeò usus est, ut breui tempore post susceptũ imperium, fines suos longè lateq; propagauerit. nam & totam penè Thraciam perdomuit: Mysos Thessalos oppressit, in Macedoniam irrupit: Phocidem, Bœotiam, Atticam occupauit: Illyricos, Tribalosq; assiduis excursionibus, repentinisq; depopulationibus, atque oppugnationibus partim euertit, partim sub iuga sua misit. Byzantium uerò caput & culmen Imperij, uniuerso agro uastato atque direpto ita afflixit, ut de salute sua ciues solliciti, partim de deditione cogitarent, partim ad peregrina et externa auxilia imploranda per uniuersos Italiæ populos, & in superiorem usque Galliam confugerent. Quumq; interea Paiazetes res magnas in Asia atque Græcia gereret, omnibusq; formidini esset, Messageta ille Tomyris, cognomento Tamberlanus, ex Perside profectus, ad occupandam Asiam magna manu contendebat. Cui Paiazetes ingenti ualidoq; exercitu occurrit, ut fines suos tutaretur. Sed fortuna inuida atq; dolosa, cui uel maximæ minimè credendum est: quæ applaudens ei hucusque afflulerat, quanto altius illum extulerat, eo fœdius deiecit atque prostrauit. Nam in Armenię finibus certamine uictus, ducentis milibus amissis captus est: & cathenis aureis currui uinctus, à Tamberlano quasi triumphante

A phante circumuehebatur: qui tandem dimissus, nihil memoria dignum egit, mortemq; in Asia inglorius obijt. cuius filij, qui complures erant, in potestatem Græcorum uenere. Nam quum capto patre periculum euasuri, ex Asia in Thraciam nauigare cõtenderent, in naues Græcorum inciderunt, à quibus & capti sunt. Calapinus natu maior emissus à Græcis, regnum quassatum & penè fractum, & uiribus exhaustũ obtinuit. Quo tempore Sigismundus Pannonum rex non uniuersis copijs collectis, non acie instructa, Danubium trajiciens, ad Calapinũ opprimendum accurit: quo cum, temerario quorundam suorum ausu inito prælio infœliciter pugnãs, amissis castris & impedimentis, turpiter ac fœdè fusus, profligatusq; est: & ipse uix paruo nauigio Danubium transiens, hostiles manus euasit. Qua uictoria erecti sunt hostium animi ad maiora, & efferaciores facti, ad fines Christianorum inuadendos, opprimendosq; iam inde intẽti fuere. Calapino uerò extincto, Orchiræ filio tenella ætate adolescẽtulo, quorundã principum ductu & auspicio regnum occupare conanti, Moyses patruus, & ipse à Græcis dimissus, infestis armis occurrit: & magis proditione, quàm pugna oppressum extinxit adolescentem. Haud multo pòst & ipse, nullo superstite filio decessit: quem Meumethes admodum adolescens frater, tertius ex Paiazetæ filijs subsecutus, regnum citra omne domesticum certamen obtinuit: qui magnis rebus in Europa gestis, in Asia quoque complures Turcarum ui atque armis oppressos, regnis exuit. Huic uita functo successit Amurates filius: qui per id temporis in Asia manens, audita patris morte, per Hellespontum in Thraciam conatus trajicere, Imperatori Græcorum maritimo apparatu prohibitus est. Et Mustaphas natorum Paiazetis reli-
B quus, ut rerum potiretur, à Græcis liberatus, & summa ope adiutus est. Sed Mustapha pugna superato & interempto, Amurates uictor uniuersum regnum obtinuit. Quod non solùm pacatum, tranquillumque effecit, ac ualidè tutatus est: uerùm magnopere auxit, amplificauitq; . nam & in Græcia Thessalonicam, ciuitatem illustrem, celeberrimamq; breui expugnauit. Helidem cæpit: in Illyrico, uniuerso agro incenso, atque depopulato, multa oppida partim ui superauit, partim euertit. Isthmum Corynthiacum summa ui penetrauit: Peloponnesum, regionem tam rebus omnibus fœcundam, quàm munitam, magna Græcorum clade expugnauit: oppida multa in ea cæpit: prædam maximam inde abegit, quam militi omnem concessit: claustra, muros omnes, qui ei munimento erant, perfregit atque dissipauit, ut ubicunque libet, copijs peruagari posset, facilisq; in ea undecunque patẽret incessus, quo etiam tempore Græcis maximam pecuniam imperauit. Hic cum Vladislao Pannonum rege tota acie conflixit: quo fuso, profligato, obtruncatoq;, omnes eius copias penè deleuit. In Epirum tandem irrupit, quum Croiam in obsidione posuit: quam Scanderbegius Epirotarum princeps, magna uirtute atque calliditate perpulchrè ab ipso Amurate extorserat. qui quum ibi duram, longamq; traxisset obsidionem, nec rem ex animi sententia ad optatum finem perduxisset, summo dolore confectus, diem suum obijt. Post quem Meumethes filius successit: qui tot & tanta mala atque damna, tantam pestem, tantam perniciem, tantum denique exitium Christianæ reipublicæ intulit: qui tot prouincias, tot urbes, tot ciuitates, tot regna & imperia sibi subegit, & denique uniuerso orbi timori fuit. Qui quidem postquam gubernacula & totius Imperij sceptrũ suscepit, ueteres leges abrogauit, nouas excogitauit, uectigalia imposuit, copias auxit, duces & proceres de medio

sustulit. mox ad Constantinopolitanam urbem opprimendam toto animo se conuertit, ex quo castellum iuxta littus ad Bosphori ostium non longè ab urbe, tam cautè quàm celeriter extruxit, munijtq; bellumq; statim urbi intulit: quam ingenti, ualidoq; exercitu duraq; obsidione in coronæ speciem circũcinxit: cui omnibus bellicis machinamẽtis adhibitis, omnifariamq; apparatu, tum terra, tum mari undiq; eam omni ui atq; impetu aggressus, quarto & quinquagesimo pòst die expugnauit: ubi quanta cædes & strages promiscui sexus & ætatis edita sit, quot uirgines & mulieres uiolatæ, templa prophanata, cætera flagitia & scelera in contemptum & ludibrium orthodoxæ fidei perpetrata, uel uerbis exprimere, uel lachrymis prosequi, uel oratione complecti qui abundè quærit est nemo. Post uerò tantæ urbis & imperij excidium Peragenuensium colonia tam opulenta, quàm clara, quæ è regione Constantinopolis sita, subitò uehementiq; terrore perculsa, statim Meumethi principi se in potestatem dedidit, qui & muros urbis excindi, & templa dirui atque spoliari, & homines ac mulieres ut iumenta uexari, atque in seruitutem trahi iussit. Hic est Meumethes ille Paiazetis principis huius, qui nunc rerum potitur, pater: uir quidem magnanimus, fortissimusq;, gloria inflammatus, nouarum rerum percupidus, & præliijs assuetus, quum maximam auctoritatem, nomen atque dignitatem apud suos adeptus esset, ibiq; innumeras sibi copias conquisiuisset, suis auspicijs dum uiueret, atrocem hanc ferocitatem in populos gentesq; suas propagans, in eam tandem fortunam descendit, ut breui tempore Mysiam, Thraciam, Peloponnesum, atq; uniuersam ferè Græciam subiugauerit. Elatus itaq; insolentissimus barbarus his successibus, tantoq; rerum fortunæ afflatu, nesciensq; sibi moderari, magna aduersus cæteros Christianos moliri cæpit, magna animo suo uoluere, formidanda minari, nephanda appetere, permagna denique sibi & genti suæ promittere. Progressus est mox in Macedoniam, quæ nunc uernaculo sermone Albania dicitur: quia incolentes eam, omnes ferè Epirotica lingua utunt: cuius quum apud plerosq; dubius sit situs, à proposito parũ digrediens, eius fines describere conabor. Macedonia enim, teste Plinio, centum & quinquaginta populorum, ac duobus inclyta regibus, quondamq; terrarũ imperio, quæ antea dicebatur Aemathia, in Lyssum oppidum terminans, ad Epiroticas gentes in solis occasum extenditur. Ab Oriente Magnesia atq; Thessalia per Strimonem fluuium septem lacubus memorabilẽ, à Septentrione Pæonia atq; Pelagonia protecta: ab Occidente Dalmatia. In cuius ora oppida sunt ciuium Romanorũ, Rhizimum, Ascriuium, Butuauium, Olchinium, quod Prisci Colchiniũ dixere, à Colchis cõditum, & amnis Drino: superq; eum oppidum Romanorum Scodra, à mari decem & nouem milibus passuum distans. Ciuitates illustres Lyssum & Acrolyssum, & Epidamnũ, quod Corcyræi condidere, hoc tempore Dyrrhachiũ appellatũ, propter inauspicatũ nomẽ, & Apollonia ciuitas optimis instituta legibus: in cuius finib. locus est celeber, quem Nympheũ uocitant, teste Strabone: ubi petra est ignẽ uomens, & metallũ semper excrescens: cui fontes subsunt, qui aquas tepidas scatent, atq; ut Posidonius refert, terra est bitumine referta, quæ uineis pediculosis remediũ præbet. Sunt præterea eiusdem populi multi, quorũ Cauchones in pluribus locis habitantes, uirorum suorum excellentia semper per se tenuerũt imperia: à ciuitate uerò Apollonia nõ longè excurrit Egnatia uia Orientẽ uersus, per singula milia passuum lapideis columnis distincta, atq; per stadia mille sexcenta & octoginta protensa,

tensa. Hæc est illa Macedonia (ut Plinij uerbis utar) quæ quondam terrarum imperio potita est. Hæc Asiam, Armeniam, Illyrium, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum transgressa, hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto Oriente possesso, hæc etiam Indiæ victrix, per uestigia Liberi patris atque Herculis uagata. Ad hanc tam inclytam & magnificam, tamq; mirabilem regionem, & principum semper magnanimorũ parentem & altricem, animum aduertens tyrannus, eius fines inuadens, assiduè infestare cœpit, ratus eam quàm facillimè posse opprimere, & subiuga sua celerrimè submittere: sed eum profectò multum opinio fefellit, resq; longè aliter euenit. nam diu cum Epirotica gente laborauit. Annum fermè tricesimũ cum ea in oppugnationibus & assiduis bellis consumpsit: quam neq; ui, neq; ferro perdomare aut superare potuit. Occurrerunt enim ei reguli omnes, et principes prouincię, qui solida inter se firmaq; amicitia, atq; perpetua fide obstricti atq; deuincti simul erant. Cursitarunt in eum uiri fortissimi & constantissimi, acerrimè ei resistentes: ex quo Barbarus rem difficiliorem, & suprà quàm arbitratus fuerat nactus, minus tutè, & non sine maxima suorum cæde prouinciam intrare, & Macedoniæ oram uexare poterat. Post plurimum uerò temporis, siue rerum humanarum cursu & uarietate, siue cœlestiũ permissu, aliter de rebus humanis, & de hoc imperio præscribentium, reguli omnes, quorum quisq; terminos suos facilimè tutari poterat, ex humanis sublati sunt: ita fortè sceleribus nostris exposcentibus, pro quibus iure affligimur, meritasq; persoluimus pœnas, tunc nepharius hostis acrius regnũ undiq; inuadere atq; opprimere cœpit: & ipsum deinde audacius ingressus, frequentius diripere atq; incẽdio dare ausus est. Postremò igitur succedẽs in Imperiũ is Meumethes princeps, qui post Byzantij nobilissimę ac præclarissimę urbis expugnationem, aliud Imperiũ, quatuor regna, prouincias uiginti, ducẽtas urbes, Christianis tantum (ut scribitur) ademit. Inflatus barbarus incremento tantę fœlicitatis, ad summũ facinus aspirauit, cõcœpitq; mente, facilè se omnia expugnaturum, et ad totius orbis principatum breui peruenturum. Callebat quidem astrorum scientiam. Dicebat hoc et diuino nutu, & fatorũ dispositione, ac siderũ positione futurũ esse. Didicerat Græcè, Latinè, Arabicè, Chaldæè, atque Persicè loqui. Nouerat enim, magnorũ uirorũ gesta, præcipuè Cæsarum, Magniq; Alexandri: quorum factis is ualde accensus, hos omnino sibi sequendos proposuerat. Erat quidem magni atq; inuicti animi, ingenio plurimũ pollebat, calliditate atq; astutia cæteris præstabat. Decreueratq; prius perdomita Italia Romam proficisci, eamq; sibi subijcere: sed in primis Epirum sibi expugnãdam dictitabat. Qua, ad id peragendum, ut uoti sui compos fieret, nihil aptius, nihil commodius aut opportunius uideri, nec aliunde, alio'ue modo se ad quod instituerat posse peruenire, cùm propter loci uicinitatem, tum etiam rerum omnium maximam commoditatẽ. nam Epirus ad Ionium, quod Italiam quadantenus alluit, mare protenditur. Illic enim sunt syluæ & arbores excelsæ, maxima frequẽtia, ad naues & triremes extruendas conficiendasq;: illic egregij, optimiq; portus ad quãcunq; etiam ingentem tenendam, ornandamq; classem. Habet quidem agrũ undecunq; feracissimũ, campos amœnissimos, latissimosq;: pascua uberrima, flumina, fontesq; saluberrimos ad saturitatem. His itaq; omnibus callidus atq; uersutus Ottomanus impulsus, Epirotas continuè omni conatu uexare, atq; assiduè premere aggressus est, ut eos aut in ditionem & potestatem suam redigeret, aut penitus subuerteret. sed

quum diu apud illos elaborasset, & uarijs grauibusq; cladibus affectus esset, nec alterum quidem consequi ualuisset, palàm cognouit, indomitam esse Epiroticam gentem: statuitq; aliam sibi uiam eos domandi esse tentandam, unum negocium subeundum, quo pacto à se proculdubio Epiroticæ genti imperaturum iri speraret.

Est autem nostra tempestate urbs Scodra Macedoniæ oræ caput, nec non illius partis Dalmatiæ, quæ ei proxima est. De cuius origine nulla nunc certa extant monumenta, nullaq; certa memoria. nam quum ea bis à barbaris incensa fuerit, ab Antio quoq; Romanorum prætore deleta, tota per se exarsit. Quo quidē tempore constat, uetera urbis momimenta, omnesq; historias de ea conscriptas incendio periisse: tamē quicquid de ipsius origine inuestigare aut reperire potui, & de statu eorum qui in ea uicissim regnarunt, quantum memoria hominum comprehendi potuit, diligenter collegi, eaq; omnia breuiter conscribam. Ferunt enim barbari quidam, eam ab Alexandro Magno cōditam fuisse: quibus non est assentiendum. nam ante Alexandrum Scodra iam condita erat, sed ipsi Meumethani hac ratione utuntur: quia lingua sua Scodram Scandériam uocant, quod nomen ex eorum interpretatione idem est quod Alexandria. Sed hæc est Aegypti urbs ab Alexādro cōdita. Alij uerò dicūt, à quodam Ioanne regulo Epirota conditam fuisse: qui quum in ea aliquot annos imperium tenuisset, à ciuibus, & ab uniuerso populo, qui eius tyrannidem pati non poterat, eiectus est. qui postea populari more ratione usi sunt. At Ioannes ipse regno exactus, dum urbē deserere cogeretur, discedens quæcunque mala, quascunque calamitates & diras potuit, in eam impecratus est. Crederem, si uir ille integerrimus fuisset, ab eo Deum immortalem exoratum fuisse: quoniam & urbs illa, & tota ea regio semper à sæuissimis hostibus uexata fuit, & nullum genus calamitatis reperiri potest quod non sustinuerit. Verùm si mihi cogitāti, quæ de huius urbis antiquitate existimare uelim, audacter in medium proferre liceat, urbem hanc tum uetustate, tum rerum gestarum gloria perceleberem non immeritò existimauerim, tam natura & ipsius situ, quàm fertilitate. Ex quo credibile est, Romanos rerū potitos huc, ut alijs plerisque in locis, ad Barbarorum arcēdas incursiones colonos suos misisse. Hinc apud Plinium legimus, Scodram Romanorum oppidum uocitatum. Quod declinante postmodū Imperio, & re Romana pessum ruente, à Barbaris destructum, desolatum credi potest: ita ut quæcunque extabant monumentis scripta, maximē interierint. Et ideo de eius cōditoribus nihil certi & explorati in medium afferre possumus. Verùm nuper ad manus nostras fragmenta quædam uerius, quàm annales, peruenêre, quæ instaurationem potius urbis huius, quàm ædificationem ad Attauorum nostrorum memoriam referant. In his enim uernacula lingua scriptum est: Rosam quendā, cum Pha sorore sua, primos fundatores urbis Scodræ fuisse. Vnde eius arx Rosapha appellabatur. qui diu fœliciter, quieteq; regnarunt: quibus deinde successisse ferunt (ex hac quæ inter homines memoria extat) Nemagnanum quendam Imperatorem, qui Epiri, Macedoniæ, Dalmatiæ, utriusq; Mysiæ, totiusq; nouæ Romæ imperiū habebat. Qui moriens, filium cæcum Vrosium nomine reliquit, cui ob uirtutem probitatemq; cuncti parebant. Ei Stephanus filius in Imperio successit, & unicum filium Vrosium nomen auí referentem reliquit. Hic uitam silentio & absq; liberis pertransiit, cuius Imperium proceres eius inter se partiti sunt. Nam inferior Mysia comiti Lazaro obtigit, superior autem Nicolao Xuppano, noua uerò Romanis fra-

A bus fratribus obuenit, Vuchasioni, qui etiam regium nomen adeptus est, Andreæ, & Exico. Moncinus quidam Deno, tantum maritimæ urbi præfuit. Ex stirpe uerò & prole Nemagnami Imperatoris, natus est Balsa, qui oram Bolianæ proximam ab urbe ferè usq; ad mare tenẽs, tres suscepit alios: Georgium, Stracimirium & Balsam: qui uiri præclarissimi fuere. Hi enim Scodram, quam ipse Vrosius (de quo suprà diximus) tenebat, aggressi cæperunt. Nondum enim muris cincta erat, sed partim in plano, partim in colle posita, in quo nunc tota est. Hi quoq; Duchainos regulos, & Sophios, ex Aemathia seu Macedonia expulerunt: & Croiam urbem, quæ sub imperio Sophiorum erat, cæperunt: qui victoriam sequẽtes, bellum Stephano superioris Mysiæ regi intulerũt: quem tandem cum uniuerso exercitu fusum profligatumq; ad urbem Ragusium persecuti sunt, & ibi eum obsederunt. Denicq; intercedentibus Ragusæis, pax inter eos facta est, positis confinibus usque ad Neretam fluuium, qui fines Phariæ Dalmaticæ ciuitatis diuidit. Hic enim erant termini Imperij, quod tres fratres tenebant. Dehinc uerò ulterius progessi, Albam Græcam, quæ in Epiro est, Castorium seu Castorilium, & totam Aulonem breui expugnarunt: qui quoad uixerunt (quoniã per id tempus faustè fœliciterq; uitam duxerunt) barbari nunquam Epirum, siue Macedoniã ingredi aut uexare ausi sunt. Multo pòst tempore duo ex his fratribus (minimo natu superstite, qui Balsa appellabatur) ex humanis sublati sunt. tunc quidam Hieurenesius barbarorum præfectus, cum quadraginta milibus Turcarum in Macedoniã irrupit: cui quum Balsa tumultuario repentinoq; milite occurrisset, nec uniuerso exercitu suo expectato, nec ducibus castrorum suadentibus, in eum intrepidè B irruisset (erat enim impiger, magnicq; animi) ab eo in quadam planicie, quæ ab incolis Saura dicitur, prope flumen Aoum, iuxta Albam Græcã Epiroticæ terræ profligatus est, & ipse cum omnibus copijs suis cæsus. Mortuo uerò Balsa, barbari tunc primùm Epirum inuadere atq; uexare cœperunt. Hinc & Castorio, Alba Græca & Croia potiti sunt. Cæterùm Balsæ postea successit in regno Strazimirius Balsichius, familia Balsichiorum oriundus. Hic Scodram, Driuastum, Lyssum, Antibarium, & totum illum tractũ tenuit: ac filium unicum Georgium reliquit, qui Scodram Amurathi Turcarum regi ultro donauit (nondum enim rudi illi sæculo urbes & ciuitates adeò in honore & precio erãt. nondum enim cæca uesanaq; regnandi cupiditate mortalium animi adeò exagitabantur) quam etiam postea successu temporis iterum ab ipso Amurathe donorecepit, eo quòd ipsi Amurathi uirginem quandam formosissimam sibi sanguine cõiunctam tradiderat. Demum Georgius eam urbem (ut fert) Principi Venetorũ pignori dedit, quam amplius nõ exegit. Quæ quidẽ urbs hac tempestate magnitudine rerum gestarũ celeberrima est, eo quòd in monte saxeo posita sit, qui ferè undicq; latissimis campis et feracissimis cingit. Est enim ciuitas ipsa egregiè natura & manu munita, in immensum edita, circuitu non mediocri. nam ab urbe condita, murorum ambitus amplius duo milia passuũ quadrati forma in planum usq; excedebat. Huius partẽ quæ in plano erat, Drino fluuius per medium secabat. super quo ingens pulcherrimusq; pons lapideus extructus erat: qui tantæ longitudinis erat, ut extrema parte Bolianam pertingeret. Cuius uestigia his quoq; temporibus extant: & locus, ubi arx tantummodo posita erat, nunc totam urbem complectitur. Quæ quanta fuerit, illud certissimo argumento esse potest. nam quum ingens barbarorum multitudo eius fines inuaderet, ex uniuersa ferè iuuentute ad sonum

(ut aiunt) campanæ, quinque milia equitum ex urbe in aciem obuiam A
prodibant: quæ quum prope flumen Drinum, quod ab urbe octo mili-
bus nunc distat, cum hoste congressa essent, stragem quàm maximã ple-
runq; ediderunt. Verùm quia Scodrensis miles numero longè inferior
erat, tandem magno, continuoq; bello fessus, cladem insignem suscepit.
Qui ex ea superfuerunt, unà cum familia in arcem confugerunt: hostis
uerò facto impetu in urbem irruit. Et quum eam destitutam reperisset,
sæuissimo incendio totam exussit, atq; euertit. Deinde oppugnare arcẽ
conatus est: quam quũ expugnare non ualuisset, inde discessit: Scodren
sis postea urbis reficiendę & instaurandę curam omisit. Et quoniam arx
ipsa tutior locus uisus est, ibi totam urbem ponere cœpit. Quæ quidem
undiq; natura præceps est, nisi ea parte qua septentrionem spectat, adi-
tum admodũ decliuem habet: à quo collis quidam intra iactum sagittæ
distat, totus uineis oleisq; consitus: super quo Præfectus nouæ Romæ,
quem Bassam Turcæ appellant, priori obsidione tabernaculũ suum col-
locauerat. Ex quo postea Bassæ nomen semper obtinuit. Hæc præclara
& nobilissima ciuitas aeris salubritate præpollet, agro facili negocio be
ne culto, & omniũ feracissimo, aquis satis abundãs. Despicit per uniuer-
sum ferè agrum, nihilq; est quod ex urbe prospicienti impedimento sit:
quin omnes tractus, spacioſos & latos campos intueatur, singulaq; ocu
lis percurrat. Inde enim cultores aspicias, qui agros colũt: messores, qui
fruges maturas metunt: inde molas frumentarias: piscatores, qui hinc
fluminibus, inde lacu amœnissimo magnam piscium capturam faciunt.
Præterea uineas, hortos undiq;, mare, flumina, fontes, lacum, ac omnia B
quæ ad oblectandos sensus à natura procreata sunt. Cuius quidem ur-
bis radices montis ab oriente nunc tantũ riuulus quidam Drini alluit,
ab occidente autẽ Boliana flumen, quæ pisciũ cuiuslibet generis est a-
bundans: ac iugi celeriq; cursu urbem præterfluens, ad duodeuiginti
milia passuũ in mare egreditur. Oritur autem ex illo celeberrimo lacu,
quem omnes recentẽ esse putant: quoniã antiqui scriptores nullã hu-
ius fecere mentionem. ab urbe ferè stadijs sexdecim distat. Ex hoc conji-
citur, hunc, ut multa alia uel flumina uel lacus ex terra post antiquitatẽ
illa erupisse: de quo (quia non est silentio prætereundus) qui de situ or-
bis accuratè scripserunt, non tacuissent. hanc opinionem, id quod à uetu
stioribus loci huius incolis accepi, comprobare uidetur. nam ubi nunc
lacus est (ut illi prædicant) continens olim erat: erantq; iuges ac peren-
nes fontes, ex quibus diuinitùs lacus ille ingens atq; largissimus editus
est: qui quidem altissimus, pulcherrimusq; extat, cuius circuitus centũ
& uiginti millia passuum & amplius complectitur, aerem quoquo uer-
sus saluberrimum diffundens, uarietate magnitudineq; piscium omni
tempore abundans. prædia feracissima, oppida egregia, uicos, complu-
res proximos habet. In eo uerò scopuli extant, in quibus cœnobia pul-
cherrimè extructa sunt, quæ sacerdotes Græcorum frequẽtes incolunt.
Sed nemini hoc mirũ esse uideatur, si lacum hunc recentẽ esse dixerim.
nam apud præstantissimos celeberrimosq; geographos atq; scriptores
inuenimus, persæpe & in mari insulas ac scopulos, & in terra fontes ac
flumina enasci, atq; quotidie emergere. Non abs re fuit in hanc descrip-
tionẽ diuertisse, quo cunctis exploratũ esset, quãti faciẽda hæc urbs es-
set, et cur Turcarũ tyrannus tantopere ciusmodi urbe potiri conaretur.
Igitur deinceps quod proposui, pro uiribus exequar: quòd si fortasse sti
lo deficiã, legentes boni consulent: quia omnia quibus interfui (ut iam
præfatus) & quæ uidi, & passus sum, fideliter exponam.

DE

A CVm igitur Ottomanus Scodram urbem nobilissimam, prouinciæ principem, & caput Epiroticæ gentis, præsidiũ, oculum, robur & munimentum totius regni, ianuam Ionij Adriaticiq; maris, propugnaculum Italiæ, omniumq; Christianorũ esse animaduerteret: spem quàm maximam animo concœpit, si ea potitus foret, se facilem expeditumq; aditum ad totam Dalmatiam, Illyricumq; ac Dauniam habiturum, planeq; uoti sui compotem fore. Et quanquã optimè compertum haberet, urbem illam mirum in modum & natura & manu munitã esse, omniq; præsidio fultam: tamen fretus ui atq; potentia sua, sibi persuasit, eam minimè uires suas & impetum toleraturam, sed breui expugnatũ iri. itaq; ingentes copias ad illam oppugnandam mittere decreuit. Expectatoq; tempore ueris, quod expeditionibus cõmodum & aptum est, præparatis rebus omnibus bellicis, delectuq; quàm maximo habito, Sulimanũ nouæ Romę præfectum toti exercitui præposuit: qui Idibus Maijs præmissis speculatoribus, et leuis armaturæ equitibus (ut eorum moris est) ipse deinceps cum reliquo exercitu maxima pompa incedens subsecutus est, ipsamq; urbẽ & mœnia undiq; circũuallauit: & euestigiò ingenti terrore formidineq; obsessos, undiq; copijs atq; omni genere tormentorum urgere ac opprimere conatus est: & excisis euersisq; muris, omni ui, apparatuq; tum machinarũ bellicarũ, tum fortissimorũ militũ, urbis expugnationẽ tentauit. Longũ esset cõmemorare, quot milia Turcarum turpiter amiserit: utq; ciues Scodrenses se, patriã, uxores, liberos, acerrimè pugnãdo protexerint. Quare quũ incassum elaborasset, retro-
B cedens quàm maxima ignominia atq; clade, ab oppidanis expulsus est. Demũ quũ omnia, ut urbe potiretur, frustra expertus esset, tribus pòst mensibus eam obsidionẽ reliquit. Ex quo Scodrenses ob tam egregiam & præclarissimã uictoriam, duce rectoreq; Antonio Lauretano, æternum sibi nomẽ & gloriam adepti sunt. Quæ quidẽ res postq; ad principem Ottomanũ delata fuit, summo dolore atq; mœrore affectus, quòd tantam suorũ stragẽ à Scodrẽsibus reportasset. Et quũ antea res Scodrensium nõ tam arduas, ut expertus est, esse cogitasset: post hanc calamitatẽ diu anxius & sollicitus diligenter uoluere cœpit, an amplius Scodrensibus bellũ inferret, ab incœptoq; penitus desisteret, an maiori apparatu impetuq; rursus Scodram inuaderet. Tandẽ recenti clade ac ignominia concitatus memorq; calamitatũ quas sæpius ab Epiroticis populis passus esset: præterea paternæ mortis (ut erat inuicti animi, & cedere nescij) fretus potentia maxima uirtuteq; militũ, clades acceptas ulcisci statuit: sperauitq;, si omnes copias & uires suas in unum cõtraheret, se fore tandẽ sui uoti compotẽ. Et ut ad eam expeditionem uehementius excitaretur, constituerat uni quoddam stipendium, ut quotidie sibi Scodræ oppugnationem suggereret. Ad quam sanè maturius castra admouisset, ni alia negocia haud leuia animum eius ab hoc auertissent. Exactis itaque quatuor fermè annis à prima obsidione, totum animum totamq; mentem ad bellum Scodrẽse, quod in animo proposuerat coniecit. Itaque primò milites undique accersere: atque omne Ottomanum nomen, omnem militarem ætatem scribere iubet: arma, tela, equos parare, camelos innumerabiles ad subuehenda æra pro tormentis cuiusuis generis conflandis, cæteraq; omnia instrumẽta militaria: ad hæc artifices cuiuslibet artis peritissimos: præterea cõmeatum affatim undiq: demum omnia cuiuscunque rei quæ in bello usui esse solẽt. Igitur po-

eaquàm ex arbitrio ſuo omnia parata inſtructaq; eſſe uidet, ac delectus A
quàm maximos ex omnibus gentibus habitos: ita, ut nunquā antea ne-
que maior exercitus, neque ex ualidioribus, pugnacioribusq;, neq; om-
ni paratu celebratior coactus fuerit. Ex compoſito igitur clàm ex more
ſuo equites leuis armaturæ, eo tempore quo cuncta in agris pubeſcunt,
aliò præmittere ſimulauit. Dehinc poſtea deflexo itinere cum omni e-
xercitu grauis armaturæ ſubſecutus, Scodrā magno cum terrore inua-
dere conſtituit. Hæc ubi & fama, & quorundam literis & nuncijs ad
Scodram delata ſunt, magnus terror totam ciuitatem inuaſit, magnusq;
tumultus exortus eſt. Et ſubitò maxima manus robuſtiſsimorum iuue-
num agreſtium, ac nautarum ex triremibus, quæ Bolianam ingreſſæ e-
rant, in urbem excepta eſt: omnes continuò munimenta & propugnacu
la urbis defendendæ moliri, parare, ſtationes diſponere, omnia loca mu
nire, nec dies nec noctes ceſſare, ſed aſsiduè rebus omnibus quæ ad mo
lem tanti belli perferendam opus erant, toto animo inuigilare atque in-
tendere, perinde ac ſi hoſtis adeſſet. Dum hæc in urbe geruntur, interea
à Septentrione montes omnes ac planicies crebris ignibus, quibus pa-
gi comburebantur, micant, & fumi in ſublime tendunt: quæ quidem ſi-
gna futuri belli erant. Et ecce omnia repentè miſceri ac turbari cœperũt.
Omnes properare, trepidare: agreſtes relictis agris, pars cum pecoribus
& tota ſupellectile ad maritima & loca tutiora confugere. Pars uerò ad
urbes feſtinare, denunciantes iamiam Turcas adeſſe, agrum totum ua-
ſtaſſe, tecta inflammaſſe, & multa armenta & greges cum hominibus cæ
piſſe. Sic enim intra biduum, incendio atque ruinæ cuncta dedere. Erat
enim in urbe præfectus, qui iuſſu Senatus Veneti, tanquam in puppi ſe
dens, clauum & regimen in ea tenebat. Qui quum omnia ad bellum ne-
ceſſaria diligentiſsimè præparaſſet, conuocata cõcione fortiſsimorum
ciuium, Italorum, aliorumq; omnium qui in urbe erant, decreuit, ut im-
belles & minores natu ex urbe ad ciuitates maritimas & proximas edu
cerentur. Hinc acer atq; infeſtus hoſtis pridie Idus Maias, maximo im-
petu, nocturno tempore in ſuburbia irruens, ſecunda noctis uigilia ur-
bem ipſam undiq; in coronæ ſpeciem circundedit, & obſidione duriſsi-
ma cinxit. Ad quam obſidionẽ uenerat Alibegius ille præcurſor Danu-
bij, prefectus cum octo millibus expeditorũ equitum, qui lingua ſua A-
chanzij dicti ſunt. Hi enim omnes hoc nomine appellati, proprijs ſtipen
dijs militare coguntur. nam opes atq; loca poſsident, quibus à Principe
ob præclara facinora ſua donati ſunt. Præfecti autem huius munus atq;
officiũ eſt, ſummi Principis præire exercitũ, deprædando, deuaſtãdo, ur-
besq; in obſidione premendo. Cui etiam priuilegiũ ab ipſo Principe da-
tũ eſt, ut poſtq; uniuerſus exercitus quò conſtitutũ eſt cõuenerit, ex ſen
tentia quò uelit, ſe recipere poſsit. Sequebat eum Scanderbegius frater,
Myſię ſuperioris præfectus, cum quatuor equitũ milibus. Hunc ſecutus
eſt Malacotius, inferioris Myſiæ præfectus, cum tribus milibus, omnib.
expeditis equitibus. Hic eſt enim ille Malacotius, uir prudẽs, corpore e-
gregius: ex cuius luminib. (ut de Auguſto ferũt) ſplẽdor quidam egre-
diebat inſtar ſolis radiorũ: cuius oculos nemo attẽtè fixeq; intueri pote
rat. Vbi uerò Scodrenſis uallo atq; copijs undiq; circundatum ſe eſſe ui-
det, accinctus ipſe, atq; inſtructus ad bellum pro mœnibus egregiè pu-
gnat, et maxima ui atq; impetu in hoſtes ex omni parte ex ſcorpionibus
ſagittas atq; miſsilia iacit. Et omne tormentorũ genus in eo contorquet:
nonnunquã eruptione facta Turcas perturbat, propellit, trucidat atq;
interficit, ingentiq; gaudio atq; lætitia in urbẽ uictor reuertit. Et ſtatim
omnium

A omnium concione aduocata, unicuiq; statia ac studia murorum assigna
ta. Alijs uerò munus hoc iniunctum, ut ubi opus esset, urbem communi-
rent: diuersa loca quæ debiliora uiderentur, reficerent, atque instaura-
rent. Reliquam ciuium multitudinem simul cum sacerdotibus, alijsq; mi
litibus, in foro cum uexillo aureo diui Marci, beatiq; Stephani proto-
martyris urbis patroni collocarunt: ut subsidio essent, quò maior neces-
sitas, maiusq; periculum eos uocaret. Dimissa concione, omnes unani-
mes promptè ad loca singulis ascripta accedũt, & fortissimo animo cun-
cta exequuntur. His autem sic peractis, interim maxima multitudo ten-
toriorũ apparuit in ulteriore ripa Drinonis fluuij: qui ab urbe octo mi-
libus abest. Venerat autem illuc Taut Gaiola nouæ Romæ Bassa gene-
ralis, cum omnibus copijs suis maximis: quæ propter inundationes a-
quarum traijcere flumen non potuerãt. cui permulti ex Turcis, qui pro-
ximi urbi erant, uiri maximæ auctoritatis occurrerũt. Hic enim uir om-
nibus artibus & animi & corporis prædítus erat, ex Christianis paren-
tibus, licet obscuris, et patria Epiroticus, infimo loco natus. Qui cũ pu-
beres attigisset annos, à barbaris in captiuitatem tractus est: apud quos
& uirium robore, & ingenij acumine ac perspicuitate ita perclaruit, ut
ipse solus atque unicus Meumethe primo, Paiazitoq; deinde filio re-
gnantibus, enitescere uideretur: & in tantũ creuit, ut ad summum splen
dorem & dignitatum fastigia peruectus, imperium, summaq; res Euro-
pæ ei semper demandaretur. Qui adeò charus, adeò acceptus omnibus
erat, ut quandoq; de eo suspicio oriretur, ne tyrannidẽ occuparet, remq;
Ottomanorum sibi arriperet, uindicaretq;. Is ad nonum Cal. Iunias, tra-
iecto flumine cum uniuerso exercitu, ante lucis ortum ad urbem uenit:
B cuius tentorium, quod maximum purpureumq; erat, in uertice montis
cognomento Bassæ extenderunt. Exercitus uerò eius totus ad radices
collis, ac in plano castrametatus est. Erant enim uigintiquinq; millia e-
quitum, camelorum circiter duodecim millia, qui metallis onusti erant,
pro machinis tormentisq; conflandis, alijsq; munitionibus, bellicisq;
instrumentis: qui quidem omnes post montem Bassæ onera ac sarcinas
deposuerunt. Contrà, Christiani omnem curam intendebant ad urbis
munimenta, præmunientes se ex omni parte propugnaculis & aggeri-
bus, quæ trabibus connexis, interiectaq; terra & fimo constabant, mo-
lem quàm maximam præ mœnibus congerentes: non inscij, neq; ignari
futuræ ruinæ murorum, & tam maximæ atrocissimæq; hostilis oppu-
gnationis. At uerò barbari aspicientes tot & tanta præsidia, quot ab op-
pidanis cõtinuè fiebant, fictionem quandam & fallaciam cõposuerunt.
nacti enim sunt duos ex suis qui Latinam linguam nouerant, quos nau-
ticis uestibus indutos, ad mœnia miserunt: qui edocti Christianis dice-
rent se nautas esse, & iam iam ex triremibus, quę nuperrimè ad littus ap
pulerant, descendisse, qua caduceator Venetus qui pro pace ad magnũ
Turcam mittebat, uectus fuerat: oppidanos exhortabant, ne quicq; ti-
merent, asserentes propediem fore fœdus cum Turcis: nec tantopere in
urbis munimẽtis insudarẽt, quum pax iam certa esset, & Turcę breui es-
sent discessuri. Sed nõ tam callidè hoc fingere potuerũt, quin eorũ com-
menta ac insidiæ & doli deprehenderent. Demum detecta fraude ac do
lo cognito, non sine magno uitæ periculo detecti aufugerunt. nam ideo
ea simulatione usi sunt, ut hac spe Christianus inductus, ab omni opere
& munimẽto urbis cessaret: & ipsi hostes præparatis tormẽtis & machi
nis instructi ad expugnationẽ, urbẽ ipsam improuisam ac immunitã a-
dorti, facilius expugnarẽt, ac ea potirent. Versabat aũt hostis quotidie

in his

in his dolis atq; cõmentis: sed Christianus iam iam eius perfidiam, frau- A
dem ac uersutiam edoctus ac præmonitus, minimè ab incœpto desiste-
bat: sed eo ardentius celeriusq; operi intendens, idq; omni ope, studio
ac diligentia exequens, & sibi & urbi consulebat: nec tantum barbarus
comminisci atque fingere poterat, quin Christianus eius uersutas frau-
des deprehenderet. Postridie uerò postquam ipse Bassa uenerat, pon-
tem ligneum quàm maximum atq; munitissimum super Bolianam mil-
le passus ab urbe struere cœpit, ut utriusque ripæ ius & potestatem ha-
beret. nam amnis ille ob aquarum altitudinem transiri nusquam pote-
rat. Audierant enim barbari, agrum illum trans amnem opulentum es-
se, maximamq; agrestium multitudinem simul cum gregibus & armen
tis ad ciuitates, & ad oram maritimam se recepisse. Inde enim maximas
prædas & hominum & pecorum, quum pabulatum exissent, sperabant.
Peracto igitur ponte Calend. Iunijs, Bassa ipse postridie cum aliquot e-
quitibus pontem transiens, ad quasdam excipulas, quibus magna pi-
scium copia capitur, ut earum structuram contemplaretur, prius se con-
tulit: deinde montem sancti Marci, qui in miram altitudinẽ tendit, eue-
stigiò conscendit: inde urbem ipsam, ac omnia loca proxima diligentissi
mè oculis perlustrauit. Perendie uerò sub serum diei, circiter decem mi-
lia equitum pontem transierunt, ut oram maritimam, & ciuitatum fini-
timarum agros uastarent, ac depopularentur. Sed quia nocte sequenti
magni imbres atq; pluuiæ fuere, manè circiter horam tertiam absq; præ-
da in castra reuersi sunt, & aliquot dies quieti in castris commorati sunt.
Non omittendum esse censui, satis præclarum facinus iuuentutis Sco-
drensis. Erãt ferè trecẽti iuuenes, robore corporis & animi uigore præ-
stantes, qui quotidie urbem totam, & muros, & propugnacula sclopis B
obeuntes, quum multos ex hostibus interficerent, magnum illis terrorẽ
incusserunt, & ciuitatem uniuersam ad spem maximam futuræ uictoriæ
erexerunt. Interea sexto Idus Iunij Mustapha Begius, cui summa res A-
siæ demandata erat, uulgo Natoliæ Bassa dictus, ad flumen Drini perue
nerat: cui quum nouæ Romæ præfectus obuiam properè accessisset, nu
diustertius quàm castra mouisset, circiter decem & sex milia equitum
præmisit, qui in cõspectu urbis prætereuntes, in quendam locum, quem
supra Scodrã accolæ uocant, cõsidere, tentoriaq; locauere. Pridie uerò,
quàm ipse Bassa ueniret, alias quoq; copias, multaq; impedimẽta præmi
sit: ipse deinde tubis aliisq; bellicis organis, & maximo comitatu subse-
cutus est. Exercitum enim suum in quinq; partes distinxerat, quarũ pri-
ma sex magna signa ferebat: quorum primum uiridis coloris erat, alte-
rum quidem rosei, reliqua uerò quatuor candida erant. Secunda legio,
duo signa purpurea gestabat: tertia, duo uiridia: quarta, duo crocei colo
ris: quinta uerò cohors, numero & multitudine reliquas superabat, ac
melius instructa erat, ubi Præfectus ipse esse existimabat, septem signa
portabat, quorũ primum candidũ, auratumq; erat: deinceps duo uiridis
coloris, & quatuor rosea subsequebantur. Singulæ dehinc acies plura
alia, sed parua uexilla diuersorum colorum secum afferebant. Erant au-
tem triginta millia Asiaticorum equitum, quos ipse Asiæ præfectus se-
cũ duxerat. Sunt enim Asiatici homines corpore nõ deformi, sagittarij
acerrimi, ac pernicissimi: non tamẽ ita robusti ac bellicosi, & ad obeun-
da militiæ munia tam strenui ac uiriles, sicuti Europam incolẽtes, & ho
mines nouæ Romæ. Habent enim equos uelocissimos ac robustissi-
mos: unde apud nos iam tritum est prouerbiũ, Viri quidẽ Romaniæ, e-
qui uerò Natoliæ. Non statim Asiæ præfectus tentoriũ suũ apertè ingre
di aulus

A dí atiſtis eſt: admonitus fortè, ueritusq́, ne ab oppidanorum tormentis, quæ eò directa erant, percuteretur. Sed interea obequitando, urbis ſitũ & omnia loca urbi proxima oculis perluſtrauit. Poſtea uerò circa dimidium diei cum paucis equitibus tabernaculũ ſuum clàm admodum eſt ingreſſus: quod magnum quidem ac uiride totum erat, in uineto urbis poſitum, quod ab urbe ferè mille paſſus diſtabat: cui duo alia tentoria candidiſsima adhærebant, ſepibus uallóq́ communita: ne facilè tormentis oppidanorum patêrent. Confeſtim præfectus, ut ſuos milites ad fortia facta præpararet, præmium quoddam propoſuit his qui equo muros urbis petere auderent. Ex quo poſtridie duo equites expeditiſsimi, citatis equis montem ſubierunt, qua porta principalis urbis eſt, & muros ciuitatis tangere manibus conati ſunt. Sed Chriſtiani eos aduenientes præſenſerunt: & alterum quidem lapidibus atq́ ſagittis obrutũ cooperunt, unà cum equo oppreſſerũt. alterum uerò miſsilibus quoque confoſſum, monteq́ præcipitatum uix ſemianimem ſui eripuerunt, qui paulo pòſt animam efflauit. Statimq́ nonnulli ex iuuenibus noſtris robuſtiores erumpentes, caput obruti obtruncarunt, & eo lanceæ affixo urbem cum gaudio ingreſsi ſunt. Sed quia nondum Aſiaticæ legiones omnes aduentarant, totos illos dies uiam, quæ proxima amni, qui ad urbem ducit, ingens barbarorum multitudo maxima frequentia implebat: nec unquam ceſſatum eſt, quin equites ac iumenta in caſtra cum impedimentis uenirent. Decimoſeptimo uerò Calend. Iulias, maximus quidem numerus ſatellitum ex cohorte principis Turcarum in caſtra peruenit, qui lingua uernacula Ianizari uocantur. Sunt autem huiuſcemodi uiri Chriſtiani omnes, ex parentum complexu rapti: nam quum B tot ciuitates atq́ loca Chriſtianorum imperio Ottomani ſubiecta atque obnoxia ſint, ſingulis quibuſq́ annis, præter cæteras rapinas, atq́ intoleranda tributa, ei etiam tot pueros tradere coguntur: quos Ottomanus in minorem Aſiam tranſmittens, diuerſis præceptoribus armorum & belli peritis coalendos; erudiendosq́ uſq́ ad pubertatem committit: ubi ad uarios uſus uitæ, ſed præcipuè militiæ, aſsiduè exercenſ: nec ferè ullam temporis horam uacationem & quietem habent. Sed aſpera quæque & ardua, ac ferè intolerabilia perpeti conantur: ut ſomnum etiam ſub dio capere cogantur, ad tolerandos quoſcunque labores. Qui poſtquam ita aſſuefacti ad pubertatem uenerunt, Princeps eos ad ſe aduocat: quos per triennium alia longè grauiora, aſperioraq́ ſubire compellit: nec his quidem feſsis, ocium aliquod remittit. Somnum etiam parciſsimum, nec niſi ſub dio permittit: nonnunquam etiam noctes inſomnes eos ducere iubet. Peracto triẽnio, illos in cohortem ſuam (ut uulgò aiunt, familiam) legit: certum ac quotidianum ſtipendium ſingulis quibuſq́ eorum decernit, & indies pro meritis unicuiq́ ſtipendia & præmia auget. Appellantur enim filij magni Principis: cuius lateri ſemper adhærent, ac ei pro muro & munimento ſunt, ipſumq́ quocunq́ ſequuntur: in his omnis ſpes, omnis ſalus eſt: in quorum uirtute, ſumma res Ottomani ſita eſt. nam quum ad bellum proficiſcitur, ei adſunt, ab eo nunquam diſcedunt, illum continua cuſtodia munitioneq́ coronãt, ualantq́. Et quũ res ad eos deuenerit, iam ad triarios (ut in prouerbijs eſt) & ad ſummum diſcrimen peruentũ eſſe fertur. Qui quidem bellicoſiſsimi ſunt, atq́ ſtrenuiſsimi, & in omnibus periculis fidiſsimi, uitam intrepidè exponũt. nam in armis ſemper creſcũt, exercentur, & uerſantur: & difficillima ſemper (hoc enim longa aſsiduaq́ exercitatio facit) atq́ aſperrima quæque perferunt. Sin uerò ciuitas expugnanda fuerit, hi ſunt primi,

primi qui eam aggrediuntur, muros ascendũt, expugnantq;. Et demum quicquid strenui, præclarí ue fit ab his, & per eos gestum esse existimatur. Venerant autem inter eos circiter quinq; millia, afferentia secum uexilla quatuor niuei coloris: ad quorum aduentum barbari passim in castris plausum ac lætitiam ingentem sustulerunt. Ex quo in Principis aduentu continuè intenti erant. Interim tamen barbari obsessos, ut pacem maturarent suadebant, atq; exhortabantur. Decimo autem quarto Cal. Iulias, magna uis barbarorum è uia Drinonis in castra affluxit: qui omnes traiecto ponte, ultra Bolianam uicos quosdam, & campos, quos incolæ Oblicham cognominant, occupauere. Porrò ex barbaris, qui nuperrimè appulerant, duo magno comitatu prope urbem uenerunt ad forum uenale, quod extra urbem ad radices montis adiacet: qui præcæteris maximam auctoritatem atq; grauitatem præ se ferebant, & ab omnibus uenerabantur: hi ab oppidanis facultatẽ secum colloquendi petierunt. Dehinc uerbis sui Principis quædã ad præfectũ urbis, reliquosq; oppidanos se relaturos esse dixerunt. Quibus ubi permissu præsulis fandi copia facta est, maior ex his natu ita breuibus est allocutus: O uiri & oppidani, cuiuscunque generis & gradus estis, hæc Princeps noster ad uos referre mandat. Videtis enim, in quãtis angustijs quantisq; periculis positi sitis: quos longè maiora atque grauiora expectant, si rebus statuiq; uestro maturè non consulueritis. Audistis enim aliquando, quanta sit uis ipsius Principis, quãtæq; opes. Sed nunc re ipsa sentietis, quàm terribilis, quamq; tremendus sit eius aduentus. Nostis præterea, quocunque expeditionem fecerit, nullum locum adeò munitum & inexpugnabilem, uiribus illius minimè obsistere potuisse. Testantur nanq; id, & omnibus palàm exemplo sunt, nobilissima atque regia urbs Constantinopolitana. Ad hæc Eubœa insula, tam opulentissima, quàm egregia. Præterea Taurica regio, aliæq; innumeræ. Quamobrem uobis omnibus consulit Princeps noster, & exhortatur, ut confestim in eius deditionem ueniatis, ut Croienses, qui uestro Principi parebant, deditionem pridie fecere: nec eius iram atque indignationẽ expectetis: non tormentorum ictus, neque machinarum, non militum suorum robur atque impetum, quorum manus nullo pacto euadere potestis: quod si feceritis, omnes uos cuiuscunq; gradus et cõditionis, summis muneribus & honoribus afficiet. Ciuibus enim, ut in patria liberè & ex uoto degant, permittet. Reliquos uerò exteros & peregrinos maximis præmijs prosequetur: neminem equidem indonatum prætermittet. Sin uerò alia mens, aliusque animus uobis extiterit, uaria mortis genera, diuersa supplicia & cruciatus uos expectare iubet. Hi quum dicendi finem fecissent, Petrus Pagnanus ciuis egregius, uir eruditus, hoc ex sententia omnium barbaris responsum dedit: O uiri, & magni Ottomani nuncij, scire uos uelim, in urbe nostra tria esse hominum genera, Italorum, naualium militum, & Scodrensium, siue Epirotarum: inter quos summus rerum omnium est consensus, nec minima alicuius dissidij suspicio: quia omnes Christiani sumus. Vnus Deus, una fides omnibus: non Meumethem, non Lunam, neq; Solem adoramus: non Martem, neque Mercurium: non idola, nec quenquam alium ficticium, sed Christum Dei filium colimus, atque ueneramur: qui unus & idem cum Deo patre & Spiritu sancto fuit ab æterno, est, semper erit. Qui quidem summus Deus est, optimusq; creator atque moderator omnium: à quo cuncta manarunt: in cuius uerbo & nomine cuncta sunt posita, cuncta fiunt: cui cuncta parent, flectuntur, & tremunt: nec alius est Deus

præter

A præter hunc: nec est qui ei resistere possit. In hoc spem ponimus, huic cõfidimus: ipse pro nobis pugnabit, ipse nos ab impetu principis uestri defendet, atq; liberabit. Quare, quum Christum Deum nostrum, qui pro uniuersa humana redemptione in cruce mori uoluit, nobiscum certum indubitatumq; habeamus: quid principis uestri uires? quid artes? quid demum copias timeamus, quum omnia ipse solus possit? Proinde sciat Princeps uester, nihil esse tam horrendum quod timeamus, quin omnia pro nihilo habeamus. Adducat secum quascunq; copias uelit, tormenta bellica, & cuiusuis generis machinas præparet, & tandem omnes uires suas & conatus in nos intẽdat: iam nos ipsos semel pro principe nostro, & Veneto imperio deuouimus: semel pro hac urbe defendenda & sanguinem & animã effundere parati sumus: qua si Princeps uester tantopere potiri exoptat, ferro, & quacunq; ui potest, irruat, & ad expugnandam prodeat. nam ciuibus nihil est patria charius. Italo & nauali militi fides firmissima, præmia uerò & munera à Principe uestro nobis oblata penitus reiicimus, & aspernamur: quia à principe nostro longè maiora atq; digniora expectamus: qui nunquam de se bene merentes deserere solet. Quare Principi uestro mentem nostrã, & quicquid uno omnium cõsensu decreuimus, nunciate. Nam nulla est inter nos simultas, nulla q; dissidia: sed idem uelle omnibus, atq; idem nolle. Hęc semel uobis dicta sint, ut in posterum omnem spem alicuius fœderis & compositionis abscindatis. Aut Deo benè iuuante uictores erimus, aut si res aduersæ cadent, internecione omnes occidemus. quod si aliàs tale quiddam tentare audebitis, pro responso gladium acutum, pro uerbis tormenta, missilia, atq; iacula semper reportabitis. Barbari uerò hoc accepto responso
B à Scodrensibus, nullo amplius uerbo facto celelerrimè abierũt. Post hoc quidam sub Meumethe militantes, qui se uerè Christianos esse profitebã tur, ad muros urbis clàm uenerũt, qui de Croiæ deditione Scodrẽses admonuerũt. Paulo pòstres ipsa quemadmodum acciderat, intellecta est, quod Croienses non ultrò, neq; metu aliquo impulsi, seu summa extremaq; necessitate coacti, sese Ottomano dediderãt. Nam quum urbs illa diu ab hostibus obsessa fuisset, & omnia ad uictum necessaria penitus defuissent, nec unde ali possent prorsus haberent (sæpius enim penuria quàm pugna consumit exercitum, et ferro sæuior fames) omnes in hanc sententiam conuenerant, ut potius in deditionem hostis (etsi turpiter) pacto aliquo deuenirent, quàm tã tetra, tamq; funesta fame, quæ etiã fortissimos uiros debiliores reddit, perirent. Quæ deditio insperata Scodrenses profectò non mediocri mœrore atq; dolore affecit, cum propter Christianorum uelut patrimonij attractionẽ, quòd in dies res Christiana imminueretur, & ad extraneos alienosq; deuolueret: tum propter nimiam hostis uicinitatem, quod tam cõmodum, tam opportunum locum ad bellum continuandum sibi barbarus adiunxerat. De cuius urbis situ, eiusq; conditore, quantum hominum memoria colligi potest, perstrigendo breuissimè attingã. Croia ciuitas est Epiri, regni illius ualidissimum munimentum, & tanquam clauis firmissima. Hęc non magno ambitu continetur, in altissima saxi crepidine, & undiq; præcipiti posita: campos latissimos hinc & inde habet, ubi Cæsar tota acie cum Pompeio conflixit. Quæ quidem oppugnari, nec expugnari ullo modo potest: quia & natura, & arte, & hominum opere ex omni parte munita est. in ea enim sunt fontes iuges, ac perennes: ex quibus ei nomen inditum fuit. nam Croia, quod Epiroticum nomẽ est, Latinè fons interpretatur. habet quidem agrum feracissimum atq; amœnissimum, syluas ue-

rò & arbores cæteris (ut opinor) uberiores, ſpecioſioresq́, & ad claſ-
ſes ædificandas (ut quidam putant) nuſquam proceriores aptioresq́
reperiri poſſunt. Diſtat autem Dyrrhachio ad quattuordecim milia paſ-
ſuum, Scodra uerò ad quinquaginta ſeptẽ: & quia finibus barbarorum
contermina erat, ab his poſt obitum inuictiſsimi principis Scanderbe-
gĩj, cuius imperio fideliſsimè parebat, continuò uexari cœperat. Duo ta
men ex barbarorũ principibus adhuc ipſo Scanderbegio uiuente, cum
omnibus uiribus ſuis eam obſidere tentarũt: ſed eorum conatus, fortiſ-
ſimè aduerſante Scanderbegio, ad irritum ceciderunt: quin eo uiuente
nullus barbarorum exercitus Epirum ingredi (ut ita dicam) & inuade-
re auſus eſt. Prius enim Amurathes pater Meumethis, cum omnib. co-
piis ad eius oppugnationem acceſsit: quam quum expugnare non po-
tuiſſet, ex nimia indignatione & dolore conſumptus interijt. Poſtea ue-
rò Meumethes, in cuius deditionẽ nuperrimè uenit, uallo eam undiq́
circundare conatus, minimè expugnare potuit. Hanc urbem tam muni-
tam Carolus quidam Sophia regulus Epiroticus cõdidit: priusq́ uallo
cratibusq́ eam ſepſit, deinde fortiſsimis muris cinxit. Non longo poſt
temporis interuallo, à Balſichis, de quibus ſuprà memorauimus, interfe
ctus eſt. Qui tunc Scodram, & totam ferè Epirum tenebãt, & tunc Cro-
ia potiti ſunt. Verùm quũ Balſa ætate minimus adhuc (ut iam dixímus)
ſuperſtes eſſet, aliis duobus fratrib. extinctis, à Turcis qui tunc primùm
in Macedoniam & Epirum irruperunt, quibus ipſe inuicti animi non-
dum uniuerſis copiis collectis, nec ſatis ad bellum inſtructus, non ſubſi-
diis firmata acie, non equite aptè locato, incautè inconſulteq́ agmine
trepido ac tumultuãte, licet infeſto, occurrerat, in inſidias præcipitatus,
in fugam conuerſus, ac obtruncatus eſt. Poſt cuius cædem Barbari Cro-
ia potiti ſunt, et Alba Græca, quę Epiri eſt, ac etiam Caſtorio. Sed Croia
nõ diu ſub Turcarũ imperio manſit. Nam magnanimus uir, & egregius
princeps Epirotarũ Scanderbegius, eam à tyrannide barbarorũ princi-
pe Amurathe ſtrenuè liberauit. quã quũ quinq́ & uiginti annos poſſe-
diſſet, uergẽs in ſeniũ, ueritus ne denuò aliquo modo à barbaris oppri-
meretur, principi Venetorum eam liberè tradidit. Sed ad propoſitum re
deamus. Deſcendebant quotidie ex lacu, qui eſt Scodræ proximus, de
quo ſuprà memorauimus, multi lintres et monoxyli Epiroticorum, qui
lacum ipſum incolebãt, per oſtium & fauces Boliánæ, in caſtra barbaro-
rum tumultu quodã repentino ruentes, multasq́ cædes atq́ damna ho-
ſtibus inferebant. Alios enim trucidabant, alios in captiuitatem redige-
bant, & equos alias q́ res auferebant. Itaq́ aſsiduè, ſed maximè noctur-
no tempore hoſtes ipſos plurimum uexabant. Quod quum animaduer
terent Barbari, ut huiuſmodi incurſionibus occurrerent, ſtatuerũt bire-
mes extruere: quib. abſolutis, ac celeriter peractis, in loco prope urbẽ
qui Cathilina dicĩt, lacũ ipſum cõſcendebant, & quotidie cum Chriſtia-
nis prælium nauale conſerebãt: hac ratione barbari caſtra ſua, ne à Chri
ſtianis agitarentur, tutabantur. xij uerò Cal. Iulias in uertice mõtis Baſ-
ſæ caſtellum ligneum inſtar theatri erexerunt, quò artifices & architecti
machinarumq́ periti ſæpenumero ſe recipiebãt, ut urbem ipſam undiq́
contemplarentur, et locum aptiorem tormẽtis ac machinis, quibus mu-
ri excinderentur, eligerent. Poſtridie uerò non longè à caſtello turres
quatuor ueluti quaſdam arcas ſubſtruxerunt, quę ex trabibus deſectis,
ſimulq́ compactis conſtabant: easq́ ſaxis grandioribus impleuerunt,
ut tormenta & machinæ quæ in harum medio collocata erant, ſimul &
ipſi artifices tuti eſſent, ne ab oppidanorum tormentis opprimerentur.

Erant

A Erant autem sic dispositæ, ut inter binas singula tormenta collocata essent: nec suis ualuis carebant, ut quum opus esset, aperiri & occludi possent. Sub idem tempus circiter decem milia camelorum in castra bellicis instrumentis, aliisq; rebus onerata appulerunt: qui post montem Bassæ, prope torrẽtem qui Clirus dicitur, farcinis suis exonerati sunt. Decimo autem Calendas Iulias duo maxima tormenta ad muros euertendos barbari inter arcas illas collocarunt: quorum alterum sphærica saxa pondo quadringentorum, alterum uerò trecentorum torquebat: quo die septem tantum saxa intorserunt: quorum primum radices turris quæ ad portam magnam ad murorum munimenta posita erat, percussit. Secundum uerò stationem quandam, quæ portæ supradictæ eminebat, ubi uigiliæ nocturnæ ducebantur, decussit. Postridie matutino tempore magnus numerus Asapporũ ad sex milia in castra uenit, plures diuersosq; manipulos secum afferentium. Sunt autẽ Asappi milites bello militiæq; satis apti atq; instructi. Qui post lanizaros secundum locum tenẽt. Differunt tamen inter se habitu. nam illi pileũ rubeum ferunt, isti uerò candidum: uterq; tamen pedestri milite constat. Quo die nouies tormentorum ictibus barbari urbis muros concusserunt: postridie uerò octies, perendie septies. Et hactenus duobus tantum tormentis urbis mœnia deformarunt. Sexto uerò Calendas Iulias barbari tertium tormentum ad muros urbis diruendos in plano ad radices montis Bassæ posuerunt, supra uiam qua Driuastum itur: quod torquebat saxa pondo quadringentorum, quo die nouem & uiginti ictibus muros percusserunt. Eodemq; tempore circiter duo millia Asapporũ, & uia Drinonis in castra peruenerunt, plures ac diuersos manipulos secum afferentium. Postri-
B die uerò saxa octo & uiginti torserunt, sequenti uerò uigintisex. Et complures Asappi eadem uia in castra confluxerunt: simul & quartum tormentum ab his in umbilico ferè eiusdem montis Bassæ è regione urbis supra templum diuæ Venerandæ collocatum est, quod saxa pondo sexcentorum & quinquaginta emittebat. Sed eo die nullus ictus urbi ab his incussus est. At Calendis Iulij, triginta quatuor sphærica saxa in muros detorserunt: & sub serum diei octingenta fermè impedimenta à fluuio Drinonis in castra præmissa sunt: quò iam magnus Turcarum princeps Meumethes cum reliquis copijs atq; apparatu suo insigni peruenerat. Cui præfecti nouæ Romæ, & Asiæ, cum summa pompa & lætitia obuiam ierunt. Is sexto Nonas Iulias ante solis ortum, cum omni delectu suo atq; ornatu equo inuectus, ad locum, quo tabernaculum ei constitutum fuerat, profectus est. Quem, ut urbis situm circũspexit, agrumq; oculis perlustrauit, eum laudasse magnopere ferunt. Sed de urbe hæc ipsum dixisse: O quàm præclarum & sublimẽ locum aquila sibi delegit, ubi ad excludendos pullos nidum construeret. Locus autem in quo tabernaculum Meumethis collocatum erat, ita se habebat. In plano tentoria nouem ipsius Principis posita erant: quorum maximũ consiliũ appellabatur, cætera deinde intra iactum sagittæ continua serie cohortis eius altissimo fortissimoq; uallo munita, atque circumuallata erant. nam lanizari ex omni parte inter se connexi, in modum coronæ astabant. Dicebatur autem locus iste circulus, & claustrum Principis: cuius ambitus duo milia passuum & amplius continebat. Vno tantum exitu siue porta, quæ â peruigili strenuissimoq; milite assiduè custodiebatur. nam antequam ad ipsum Principem aditus patêret, per tres ordines fortissimorum stipatorum transitus fiebat. Deinceps uerò reliqua

multitudo exercitus barbarorum dispositа, circumquaq; extra claustrũ, A
et circulum ipsius principis totam tellurem occupauerat. Adeò, ut circiter quadraginta millia passuum campi omnes & mõtes undiq; tentoriis albescerent: haud aliter, quàm quum brumali tempore tota terra niue cooperta, candida fit: nec in medio aliquod interuallum deprehendisses, ita omnia loca tentoriorum referta erant: nec cessatum est per aliquot dies, quin continuè recentes in castra barbari aduentarent. Ex quorum periti, & qui aliàs cum ipso Meumethe militauerant, censuerũt trecenta & quinquaginta millia barbarorum in castris fuisse. Quæ tam innumera penè multitudo fidelissimos Christianos ad contemplationem & admirationem sui traxit. Muros autem & uallum ascendentes, primo aspectu nõ parum territi & conturbati fuere: quum tantam sæuissimorum barbarorum multitudinẽ in exitum suum & perniciem collectam & accensam aspicerent. Sed quum animaduerterent agi de omnium salute, & citam mortem aut uictoriã lætam instare: quo animos fortissimos & constantissima pectora ad pugnam præpararent, cõcionem omnium ciuium, Italorum, Epirotarum, & naualium militum in ædem intemeratę uirginis conuocarunt. Tunc Bartholomæus Epiroticus, sacræ Theologiæ magnus assertor, ordinis prædicatorum, uir quidem prudens, magnæq; auctoritatis, disertus, corpore decorus, haud obscuro loco natus, qui olim dum nondum sacris initiatus esset, strenuè præclareq; rem militarem sub diuo Scanderbegio aduersus Turcas gesserat, eorumq; uitã, mores, actaq; quàm optimè nouerat: et in Italia quoq; sub clarissimis ducibus stipendia multa meruerat, ac tandem spiritus sancti numine afflatus, diuinoq; lumine accensus, derelicta sæculari uita, ad religionem & contemplationem sese receperat, in qua diu uitam cœlibem traduxerat. B
Is ita publicè concionatus est:

Oportet, uiri optimi, & commilitones strenui, eos multa grauia, aspera ac dura subire ac perpeti, qui ad ueram gloriam nitũtur. hoc enim pacto uirtutes magis magisq; eluceſcant, preclariores q; reddantur, hisq; homines in altum sublimeq; prouehantur necesse est. Traditũ est enim à summis uiris, præclarissima quæq; laboribus assiduis, & uigiliis constici: præmia uerò sudoribus ac durissimis rebus rependi. Vnicuique nostrũm persuasum sit, nos omnes huc solo Dei nutu uoluntateq; conuenisse, ut hæc urbs nostra præclarè, glorioseq; diuino eius numine fauente, à tyrannide, tantæq; barbarorum multitudinis excidio, uirtute uestra hac tempestate defendatur, conseruetur q;: & ut fides orthodoxa minimè pessum eat, sed ad summũ splendorem prouehatur: & ut tyrannus hic insolentissimus & sæuissimus tandem certissimis signis exploratum habeat, solam fidem Christianam ueram esse, et indubitatã: & Christum Dominum nostrum, cuius nomen profitemur, colimus, ueneramur, uerum esse, & unicum Deum, omnium patrem, creatorẽ, rectorem, cuius nutu cuncta reguntur, & tyrannorum omnium uiolenta imperia statim concidant, & uires, quantæcunq; sint, corruant, & momento collabant. Nec impiissimus atq; insolentissimus iste tyrannus sibi persuadeat, speretq; ex eo quòd tot regna, tot imperia, tantas urbes atque ciuitates expugnauerit & eripuerit, urbem hanc quoq; è manibus nostris ui, dolo, aut metu aliquo subtrahere posse, potiri' ue. nam neminẽ uestrũm ignorare arbitror, quemadmodũ, ô milites, subdolus hic, nefandusq; tyrannus locum nullum munitũ Christianorũ ui aut armis expugnauerit: sed dolo semper, siue proditiõe, aut deditione facta, multis pollicitationib.

oppres-

A oppreſſerit: quas quidem & fidem datam cuipiam nunquam ſeruaſſe pa
lam eſt. Parcet'ne igitur uobis, ô Scodrenſes, ſi in deditionem recipiet?
Seruabit'ne uos impunitos truculẽtus Ottomanus, à quibus tot cædes,
tot contumelias paſſus eſt? Non'ne memoria tenetis, nunc quartum agi
annum, ex quo ſuperiori bello, quod uobiſcum geſsit, tot millia ex ſuis
à uobis cæſa amiſerit? Ignoſcet igitur uobis? Dimittet'ne uos impunè?
minimè profectò. Diſcerpet membra ueſtra, & ut lanij pecora in macel-
lo, ita uiſcera ueſtra dilaniabit. Nónne Croiẽſes finitimos noſtros, quos
heſterna die in deditionẽ hac lege acceperat, ut eos incolumes abire ſi-
neret, omnes acerbiſsima morte affecit? In Myſia non'ne etiam Regem,
qui ſeſe certo fœdere cum patruo ſuo dediderat, Meumethes ipſe, qui
ſanguine humano exſaturari non poteſt, ſua manu (ut fertur) iugulauit?
Raſianis principibus non'ne oculos eruit? In deditione Theodoſiæ ur-
bis, quæ nunc Capha dicitur, in Táurica ripa poſita, quot Chriſtianos,
quibus fidẽ dederat, trucidauit? In Lesbo quot puberes palo transfixit?
De alijs quid dicam quamplurimis, quos omnes uix infantibus parcens
uiolata fide, & contra iurà fœderis dirè necauit? De quibus ſi ſigillatim
recenſere uellẽ, ſanè nimis prolixus eſſem. Sed quid hoc mirũ, ô commi-
litones mei? nam quo pacto quis alteri, quo prorſus ipſe careat, præſta-
re poſsit? Quum enim hic perfidus ſemper fuerit, quomodo fidem nulli
ſeruare poſsit? Ad hoc accedit, quòd omni uitio intemperantiæ, perfi-
diæ atque ſuperbiæ contaminatus ſit, & à teneris (ut aiunt) unguiculis
animum ſuum crudelitati, inſolentiæ, libidini, auaritiæ, flagitijs denique
omnibus aſſuefecerit. An igitur credibile, ut impius impurusq; animus
his omnibus innutritus, in ſenectute iſta deponat, quæ iamdudum ab
B incunabulis, & à natura inſita habet? Nemo enim in animum inducere
poteſt, ut tot & tanta iuſtè poſsideat, cum illum tam breui tantam impe-
rij molem propagaſſe uideat. Omnia profectò contra ius fasq; ſibi uin-
dicauit. in rebus enim haud quicquã habuit: diuina atq; humana eodẽ
modo polluit: cuncta doloſe, perfidè atq; libidinoſe ſemper egit. Nullus
eſt inceſtus, nullum ſtuprum, nullum adulteriũ, quod non nefariè com-
miſerit. Hic templa uiolauit, hic ſacerdotia omnium ſuſtulit, hic ordines
confudit: regna fœdè contaminauit: quicquid religionis, quicquid di-
gnitatis, quicquid honeſti fuit, leges, inſtituta uitæ, mores, fidem omnẽ,
honeſti partes, rectam diſciplinam perdere atque confundere ſemper
ſtuduit. Hæc ſunt quæ nos ad inſidias tanti tyranni uitandas admoneãt.
Aures noſtras eius illecebris occludamus: non uerba, non minę nos mo
ueant. Pollicitationes eius penitus reijciendæ ſunt. omnia enim ſcelera,
omnia flagitia, omnem tyrannidem exuperat. Plura quidem catholicis
polliceri conſueuit, quo in poteſtatem ſuam redigat, quorum nemini un
quam pepercit, ſed eorum cruorem ueluti tigris truculẽta ſemper appe-
tijt. Sed quid hæc tam multa ad perſuaſos? Bono ſum equidem animo,
cum nos omnes inflammatos accenſosq; ad tuendam fidem catholicam
uideam, & fortiſsimos intrepidosq; ſpem quàm optimam uictoriæ in
hoſtem cõcœpiſſe: præterea conſtantiam ueſtram, ac millies (ſi daretur)
pro fide orthodoxa, Venetoq; imperio deſiderium expirandi: hoc eſt,
quod me lætum, me alacrem, me intrepidum reddit. nam omnes unani-
mes eſſe intueor, nihil inuicẽ diſcrepare: ſed omnibus eundem animũ,
eandemq; ineſſe uoluntatem, promptiſsimos labores ad opera die no-
ctuque peruigiles, indefeſſosq;. Et quod ſummum eſſe exiſtimo, omnes
diuinis maximè intentos, Deum ſummum optimumq; omni cultu, fi-

de ac pietate colere, obseruareq; : qui quidem cum fidelibus suis semper A
faueat, ac propitius sit, quid est quod timeamus? quod nos dubios tra-
hat? Quis erit cõtra nos? Quis nobiscũ sub tutela diuini numinis pugna-
re audebit? Veniat igit̃ Meumethes ille, quem tot & tanta gessisse ferũt
cum Spaolanis suis, Charassarñs, Angurñs, Polluis, Cutagijs, Mentelijs,
Sarchanis, Aidinis, Carailis, Pigijs, Prusiis, Macrinis, Alagijs, Amasiis,
Concellis, Menesenijs, Giagidis. Veniant Caramani, auxiliares & socij
sui: ueniant Vrcatinogli, Candelorñ, et omnes Asiatici: ueniãt item Tur
cambei, Auranes, Castorię, Serræ, Constantini, Sophiæ, Nicopolæi, Za
chariæ, Zermai, Zurulli, Calliopolei, Sfircæ, Scopiæ, Coiaziæ, Garippi-
des, Saluatarñ, Magullides. Veniat præterea Ottomanus ipse longè sti-
patus Saleftarñs suis, Olofanzijs, Muselinis, Asapis, Mihijs, Caripijtle-
rñs, Dochanzijs, Achanzijs, Ianizaris, uniuersaq; cohorte sua. Veniant
præterea ambo Bassæ, & nouæ Romæ, & Asiæ, cum omnibus legioni-
bus & copijs suis. Veniant postremò uniuersi barbari, qui sub potente
Meumethe, ferocissimo superbissimoq; tyranno, militant: oblatrent cir
cum urbis muros, exclament, irruant in nos tormentis omnibus atq; ma
chinis, ut facere consueuerunt: contorqueant in nos missilia cuiusuis
generis: spargãt sagittas undiq; in modum roris: exerceant demum om-
ne tormentorum, machinarum, instrumentorumq; militarium genus,
quod omnis ætas adhuc excogitare potuit, uel potest. Quid ad nos? om
nia enim sustinebimus, omnia perferemus, omnia deniq; superabimus
ac peruincemus: quia uirtus Dei nobiscum est: dextera Domini pro no
bis pugnabit. Quis enim potentissimum, durissimumq; Pharaonẽ per-
culit, pessundeditq;, nisi manus Dei? Quis Israeliticum populum de ma
nu eius ab Aegyptiaca seruitute liberauit? Quis primogenitos omniũ B
Pharaonis populorum occidit? Quis mare rubrum diuisit? Quis Olo-
fernem maximum ducem Nabuchodonosor prostrauit? Quis populũ
suum liberauit, qui in captiuitatem breui redigendus erat, nisi Deus: eo
occiso, capiteq; à Iudith obtruncato? Hic profectò benignitate sua po-
pulum suum electum, sub Assuero rege captiuũ, cum Aman crudelissi-
mus, ut is populus trucidaretur, omni ui & consilio intenderet, exitiali
iam sententia damnatum eripuit. Hic inquam, Abraam illum summum
patriarcham de manibus Chaldæorum, & filium Isaach de gladio & im-
molatione patris liberauit, Iacob de persecutione Esau fratris, & Ioseph
de insidijs fratrum suorum, Noe à diluuio, Loth ab euersione Sodomo-
rum, Saulem in mõte Gelboe, Dauidem regem à ui & oppressione Sau-
lis & Goliæ gigantis: tres pueros, Sidrach, Misach & Abdenago de ca-
mino ignis ardentis, Ionam de uentre ceti, & Adam de profundo infer-
ni, Petrum de naufragio, & Paulum de uinculis & carcere extraxit.
Quid alios quoq; complures ac innumeros commemorem? Quos om
nes Deus sua summa potentia protexit atq; defendit. Itaque, ô milites,
hunc inuocate, hunc pia puraq; mente colite: huic uos humiles suppli-
cesq; commẽdate: cor animumq; uestrum dedite. nam ipse pro nobis pu-
gnabit: nos urbemq; nostram à feritate immanitateq; spurcissimi nefan-
diq; tyranni uindicabit, euelletq;. Scriptũ est enim: Nisi Dominus ciui-
tatem custodierit, frustra uigilant qui custodiunt eam. Ad hymnos, ad
preces uos conuertite, quibus peccata delentur: pœna pro his debita
imminuitur. hæ enim nubes penetrant, oranti præsidium afferunt, ad-
uersario uerò incendium. Quodcunq;, ô milites, à Deo immortali sup-
plici mente petieritis, absque dubio reportabitis. Rectæ enim preces
inefficaces

A ineffícaces eſſe non poſſunt, impetrant, exorant. Quis enim Albam Græcam, quam noſtri Belgradum uocant, à manibus furoreq; huius ſæuiſsimi inſolentiſsimiq; tyranni protexit, niſi preces? Danielem de lacu leonum, Suſanam de falſo crimine quis liberauit, niſi hæc? Plus enim Moſes precando perfecit, quàm Ioſue pugnando. nam de Moſe legitur, in bello Malechitarum, quòd eo precante, Iſrael uincebat: eo à precibus ceſſante, populus fugabatur. Non'ne Theodoſius imperator, ille ſenior, ſuis precibus non ſine miraculo de Eugenio & Arbogaſte uictoriam reportauit? cum tela et iacula hoſtium uiolentiſsimus uentus in ipſos retorqueret, illa uerò Theodoſii ſupra uires humanas in eoſdem inferebantur? Igitur, ô Chriſtiani fideliſsimi, preces omnes pura & integra mente ad redemptorem noſtrum effundite, in illis ſpem ponite, confitemini peccata ueſtra: Euchariſtiam, quo ardore, qua reuerentia decet, ſumite. Vos quoq; ſacerdotes religioſiſsimi, omni pietate, cultu, & quibus poteſtis precibus, Deum immortalem flectite: nec dies noctesq; à ſacris hymnis ceſſate, ut populus Chriſtianus de hoſte ſæuiſsimo uictoriam clariſsimam conſequatur. Credite omnes, ô fideles, in Deum protectorem noſtrum: in quo ſpes quidem nullum fruſtratur. confidite ei: quia nos perire non permittet, nos ab omnibus periculis liberabit. Hoc inter cætera uos impellere & cõcitare debet, ut nõ uitæ, nõ ſaluti parcatis, cum nobis munus defendendi totam catholicam fidem, & omnes Chriſtianos iniunctum ſit. An'ne uobis parum hoc uidetur, quod in hac expugnatione hoſtili, & ſalus & iactura uniuerſæ reipub. Chriſtianæ poſita ſit? Quare ab aſtutijs ac ueſutijs & dolis barbarorum cauete: in quibus plurimùm huiuſmodi genus hominum uerſatur. La-
B borate, inſudate, uos urbemq; ueſtram uallis cæterisq; præſidijs ac munimentis firmate: die, noctu inuigilate. Scriptum eſt enim: Vigilantibus data eſt palma, datus eſt honor, his quoque præmium. Sed quid hæc? cum currentes (ut aiunt) excitem. nam perſpicio uos omnia quæ ad urbem tuendam, ueſtramq; incolumitatem conſeruandam neceſſaria ſunt, ultro & certatim ſubire. Bono equidem ſimus animo. nam ad uictoriam nobis nihil profectò deeſt. In portu ſumus, & in tuto. Arma, tela, bellica inſtrumenta, munitiones, præſidia omnia nobis abundè adſunt. Non hic enim eſt multitudo imbellis & inutilis, non lixæ, nec coci, non mulieres, non infantes, non molles, neque effœminati: uiri quidem omnes ſumus, ad arma prompti, belloq; experti. Nec eſt quòd multitudinem barbarorum admiremini, aut formidetis. nam eorum maior pars ignaua & deſes, potius prædæ & latrocinio aſſueta, quàm prælijs & oppugnationibus. Nos præterea munitiſsimus & natura & arte locus tuetur. Eſt enim mons arduus, uiæ anguſtæ & aſperæ. Decem ex noſtris mille facilè detrudere poterunt. nam hoſtes in aſcenſu magnopere laborabunt. Etiam nullis repugnantibus, feſsi admodum ad urbis muros uenirent. Idcirco nos integris uiribus, & recentes: hoſtes, quanto frequentiores erunt, tanto maiori ſtrage, cæde & ruina ad ima montis præcipitabimus. primi cadent, et medij: ultimorum uix aliqua pars ad ſuos tutum receptum habebit. Turpiter terga dabunt: & eos qui altera oppugnatione erant ſucceſſuri, penitus terrebunt. Quamobrem fortiſsimo & lætiſsimo animo, uanos & irritos barbarorum impetus expectate: hoſtem temerarium, & in manifeſtam mortem ruentem irridete. Hæc erit æterna laurea, hoc conſpicuum immortalitatis diadema, hæc palma, hæc

uera uictoria ueſtra, nunc nomen ueſtrum, nunc urbis toto orbe cele- A
brabitur. Deinceps omnes gentes & nationes Scodram, ſcutum & cly-
peum uniuerſæ fidei orthodoxæ, ex uirtute ueſtra meritò appellabunt.
Proinde, ô Itali, uiri religioſiſsimi & ingenioſiſsimi, ut magnanimitatẽ
ingenuitatemq; ueſtrã decet, fortiter alacriterq; aduerſus hoſtẽ pugna-
te, urbemq; & mœnia, diui Marci memores, audacter defendite. Vos
quoq; maritimi, uiri Chriſto deditiſsimi, robuſtiſsimiq; & intrepidi, qui
ſemper barbaros oppugnare conſueuiſtis, ueſtra ſolita acrimonia, forti-
tudineq; eos perterrefaciendo in fugam conuertite. Vosq; cæteri ciues
& conterranei mei, uiri Catholici, fideliſsimi & conſtantiſsimi, urbẽ pa-
triamq; ueſtram ferro, uel ſi moriendum ſit, acriter defendite: cui quan-
tum uos debeatis, quis ignorat? In hac primùm nati eſtis, communemq;
auram hauſiſtis. Quid beneficia commemorem, quæ ab hac recepiſtis?
Hæc uos tutè aluit, honeſtè ad hanc ætatẽ perduxit, bonis legibus, opti-
mis moribus, honeſtis diſciplinis inſtituit. Præterea parentes, uxores, fi
lios chariſsimos, fortunas denicq; ueſtras reſpicite: pro quibus nullũ di-
ſcrimen à uobis fugiendum eſt, omnia pericula ſubeunda ſunt. Itaque ut
compotes uoti eſſe poſsimus, uos magnopere hortor, ut prius crucis ſa-
cræ ſignum aſſumatis: pectora ueſtra illo muniatis, cuius admirabili ui
Heraclius ille Romanorum imperator de Coſroe hoſte maximo, Perſa-
rum rege triumphum reportauit. hoc etenim inuictiſsimo ſigno glorio-
ſoq; fracta ſunt Tartara, humanum genus liberatum eſt. Vexilla eius in
muris, propugnaculis, ſtationibus, & ubicq; erigite: cuius quidem numi
ne benignitateq; omnes ciues tuti & incolumes erunt: ſi anteſignani
ante uos ferent, quoties uobis decertandum erit cum barbaris, tutò in
pugnam deſcẽdere, pericula ſtudioſe ſubire, hoſtem fortiter animoſeq; B
pro fide orthodoxa, pro libertate, pro ueſtra urbisq; ſalute ac incolumi-
tate proterere ac profligare poteritis: cum præſertim barbarorũ primus
impetus repentinus ſit, poſt quem ſtatim molleſcunt, & eneruati in fu-
gam conuertuntur. Sed quæ gloria, quæ gaudia, quæ præmia æterna no
ſtris præparata erunt, qui egregiè ſtrenueq; pro fide dimicando cecide-
rint? ad perpetuam enim fœlicitatem & ineffabilem tranquillitatem cun
cti tranſmigrabunt: ubi æterni regis aſpectu, laurea martyrij decorati,
perpetuò ſempiternoq; æuo perfruentur: hicq; cœleſte melos, quàm ſua-
uiſsimos concentus et hymnos inter choros angelorum, immortalitatis
decore ueſtiti glorioſe referent, hoſtesq; ſuos impiſsimos in æternæ ca
lamitatis abyſſo dilaniatos & extortos contemplabuntur. Qui uerò di-
uino numine ſuperſtites fuerint, talem ſuorum laborũ mercedem à Ve-
neto ſenatu reportabunt, ut eis ad honeſtandam & alendam uitam nul-
la res defutura ſit. Hæc quum locutus fuiſſet, tantus fuit omniũ cõſen-
ſus, ut ſtatim omnes pro fide catholica, pro imperij Veneti ſalute ſe de-
uouerint: coniurarintq;, quicquid ingenij, quicquid uirium ſibi eſſet, id
omne abſq; mortis terrore expoſituros. Subitò ſe omnes inuicem com-
plexi ſunt, & in mutua oſcula abierunt: euchariſtiam deinde pia mente
& religioſo pectore ſuſceperunt: ædes ſacratas ingreſsi, Deum immor-
talem & ſanctos omnes, præcipuè diuum Marcum, precibus exorare,
& inuocare conati ſunt.

Interea hoſtis opus ſuum & negocium ab eo iam cœptum exeque-
batur, & ad excidium murorum ac ruinã continuè magis intentus erat.
nam die qua ipſe uenit, ſex & triginta ſphærica ſaxa Ottomani in urbẽ
contorſerunt. Et quoniam in præparandis reliquis tormentis & machi-
nis,

A nis, quibus muros dirũerent, & ciues uexarent, postridie quinque tantum & triginta ictus urbi inflixerunt. altera uerò luce, hoc est tertio Nonas Iulias, duo alia tormenta ad mœnia subuertenda barbari posuere: quorum alterum à latere urbis Orientem uersus collocarunt, iuxta Drinonuli ripam, qui radices montis urbis alluit, quod lapidem pondo sexcentorum torquebat: alterum autem in medio montis Bassæ, infra beati Lazari templum, quod quidem ingens erat. torquebat enim pila saxea mille & ducentorum pondo. Dicebatur autem tormentum Principis: sub cuius nomine, maximo artificio ac diligentia conflatum fuerat. Ex quo barbari, quum primùm urbem uexare cœperũt, obsessis, ut principis tormentum expectarent, minati sunt. Circunferebatur enim, Principis ipsius uxorem æs ad id conflandum, quod in salutem animæ suæ cederet, misisse. barbaris namq; hoc ex moribus suis & legibus persuasum est, quantum sæuitię in Christianos exercuerint, tantam ueniam & remissionem peccatorum se reportaturos. Dehinc barbari sex tormentis maximis urbem expugnare cœperunt. primùm tribus & quadraginta ictibus muros quassarunt: luce sequenti septem & quadraginta: & magnus numerus barbarorum ultra Bolianam castrametatus est. Proxima uerò nocte barbari aliud tormentum in montem Bassæ collocarunt, quod circiter quingentorum pondo, & quinquaginta saxa uoluebat. Pariter & prima noctis uigilia tormento, quod mortarium uocant, quod pridie clam defixum fuerat, globos igneos in urbem contorquere cœperunt in domos & tecta, ut urbem ipsam accẽderent: siue hac spe ducti, ut dum oppidani, & alij milites, nocturno maximè tempore ad ignem extinguendũ concurrerẽt, ipsi urbem intrarent, eaq; potiren-
B tur: qua nocte quatuor tantum globos igneos iaculati sunt. Erant enim huiusce modi massæ seu globi igniei, qui uix extingui poterant, ex resina confecti, pice, sulphure, cera, oleo, aliisq; similibus rebus ad fouendum ignem idoneis. Qui quidem ut primùm tectis adhærebãt, ea accendebant. Ferebantur enim huiusce modi globi celeri impetu, summaq; ui per auras nimio quodam stridore, & ueluti sibilo perstrepentes, ut spiritum uociferantium crederes. hi caudam igneam, flammamq; uehementissimam secum trahebãt, simile cometæ: quæ nocturno tempore aere accenso inflammatoq;, longiori lucidioriq; coma in modũ ignis cœlo progreditur. Hisce dolis atq; astutijs barbarorum perpulchrè oppidani occurrerunt. nam deprehensa cognitaq; eorum machinatione atq; fraude (nihil enim in urbe nisi consultò fiebat, & omnibus periculis consulebatur) nõnullos uiros strenuos & celeres elegerunt: quibus tale munus iniunctum est, ut detectis domibus, quæ ligneis scandulis tectæ fuerant, sublatisq; eorum tectis, summo studio atq; promptitudi[illegible]: his temporibus inuigilarent, quibus ignis ille dolosus in urbem immitteretur: ut quum primùm super tecta caderet, ab his ocius extingueretur. Quod cum ab oppidanis accuratissimè, exactissimeq; obseruaretur, barbari semper incassum conati sunt, & eorum in hoc labor ad irritum cecidit. Pariter eo die urbis muros quadraginta duobus ictibus tormentorum ualde concusserunt. Altera uerò luce, quæ erant Nonæ Iulij, quinquaginta sex, qua barbari aliud tormentum deuexerunt miræ magnitudinis ad radices montis urbis è septentrione super delubrum beati Blasii: quod nostra ætas mortarium appellat, quo saxum sphæricum mille & ducentorum pondo in altissimũ cœli spacium rotabatur: cuius quidem descensus tanta ui impetuq; deferebatur, ut omnes qui urbem tutaren-

tur,

tur, nihil magis formidarent. nam quicquid decidens tangere poterat, A
id totum tanquam flamma quædam, & quodam ueluti calmate deperi-
bat: conterrebaturq; non aliter, quàm quæ iactu fulminis aut discutiun
tur, aut aduruntur: domos, & tecta penetrando penitus diruebat. si in
terram tantummodo cecidisset, in eam palmos duodecim defigebatur:
si in saxum aliquod illisum fuisset, in illum tanquam in rem mollem in-
figebatur. Hoc tormento inuento secula nostra gloriari possunt. nam
quamuis antiqua secula à plurimis inuentis se iactent: in multis tamen,
quemadmodum & in hoc, nostris cedunt. Apposuerant enim Turcæ hu
iusmodi tormẽtum exitiale, non tantum ad tecta diruenda, homínesq;
opprimendos, interficiendosq;: sed maximè ad puteos fontesq; urbis
perdendos, euertendosq;, ut aqua obsessi priuarentur. Sed immortalis
Dei beneficentia barbari in hoc minimè compotes fuere. nam etsi ciues
multitudine horum tormentorum undiq; uexarentur, duos tantũ ami-
serunt. Omnes uerò putei incolumes manserunt, nec ullo ictu uel mini-
mo tacti sunt. Appellatur huiuscemodi tormentum à specie mortarij,
quo cõtundimus. est enim breue & crassum, aluei profundi, ore sursum
uerso ad iactum, caudam uerò in solo fixam: cuius quidem sonus siue
crepitus, mugitum maris & strepitum referebat, quum æstuat, & in altũ
procellis erigitur: illius iactu & crepitu totus mons urbis funditùs con
tremiscere uidebatur, omniaq; in ædibus per aliquod temporis interstí-
tium & tremere, & resonare, & ruinam minari. contorsit enim hostis eo
die ex illo pillas saxeas sex: ex mortario ignis duos tantum globos, ex
alijs autem tormentis quadraginta duo. Eodem quoq; die aliud tormen
tum barbari ultra Bolianæ flumen importarunt, quod septingentorum B
pondo saxa contorquebat: quod non per pontem, quia illum euertisset,
deuexerunt, sed mira arte miroq; artificio subter aquas, more fluuiatilis
ultra amnem ui extraxerunt. Postridie duo alia immensa tormenta ex
loco ubi conflata erant, qui à tergo montis Bassæ erat, detraxerũt. Quo-
rum alterum, quod alia tormenta magnitudine longè superabat, in um-
bilico montis Bassæ super ædes sanctæ Crucis detulerunt, quod saxum
sphæricum pondo mille & trecentorum contorquebat: cuius quidem
saxi superficies in ambitu nouem palmorum erat. Alterum uerò ad Dri
nonuli riuulum iuxta alia collocarunt, & ab hoc die decem crassissimis
tormentis urbem uexare cœperunt. uerùm eo die quo hæc tormenta po
sita sunt, uno & septuaginta ictibus urbis mœnia ac muros ualde agita
runt. At Scodrenses quum uaria machinarum & tormentorum genera
in dies magis atq; magis augeri animaduerterent, seq; omnibus pericu
lis uitæ obnoxios esse, & per urbem minimè tutò incedere posse, statue
runt in omni parte urbis qua Turcarum tormenta posita erant, conti-
nuos assiduosq; custodes ac peruigiles, qui attentè diligenterq; inuigi-
larent, ut quum barbarorum tormenta in urbem contorquerentur, cam
panas pulsarent: quo oppidani, qui per urbem incederent, ad earum so
nitum sibi consulerent, seq; in tutum reciperent. Rebus itaque sic com-
positis ad signum ordine prescripto, Christiani audacter per urbem pro
ficiscebantur: sed tanta machinarum tormentorumq; uis undiq; ingrue-
bat, adeò barbari ad exercendum ea diligentes erant, ut Christiani uix
munimenta & propugnacula, quibus se tuerentur, inuenire possent:
tanta pariter saxorum multitudo ex diuersis uarijsq; tormentis emitte-
bantur, ut sæpenumero in aere inuicem concurrerent, & colliderentur
tur iacula, sagittæ. uaria enim telorum genera in urbem instar grandinis
descendebant,

descendebant, domus omnes, & diuersa urbis loca mortariorum ictibus crebris adeò agitabantur, ut dies noctesq; nullus quiescere, aut tutus esse posset. Vallum omnem, aggeres, partim flammis & ardore, partim ictibus tormentorum assiduè ruebant. Campanis nunquam ocium dabatur: non locus, non aditus usquam in urbe Christianis, in quo tutò consisterent, reperiri poterat. Postremò enim necesse fuit, ut subterraneos specus sibi effoderent, ibiq; cuniculorum more procumbentes, uitam agerent: undiq; angustiæ & calamitates instabant, undiq; pericula ingruebant: tanta erat uis & impetus Ottomani, ut timor tremorq; omnia cõfunderet. Non uigor, non sensus humanus penè superfuerat: non modus, non ordo, non regula aliqua ad pericula mortemq; euitandam seruari poterat. Tanta erat multitudo atq; atrocitas barbarorum, copia tormentorum cuiusuis generis atq; machinarum, & infinitas telorum, sagittarum undiq; missarum, quibus Christianorũ uiscera assiduè transfigebantur. omnes humani sensus, quibus uita hominum sustẽtatur, penitus prostrati erant, adeò cuncta sub cœlo tremiscere ac ruere uidebantur. hinc aliquos ictus mortariorum sub tectis opprimebat: illinc uerò aliorum membra à machinis & tormentis carptim discerpta atque dilaniata, in diuersas urbis partes spargebãtur: alij ex uallo sclopis percussi, & iaculis transfixi, exanimes decidebant: humanus iam fauor urbem destituere uidebatur. Oppidani iam humanis deficientes, nihil dignum præstare poterant: res ad desperationem propemodum erat, tanto terrori Ottomanus erat. Sed pijs mortalium precibus Deus immortalis exoratus, qui solus tantam molem discutere, nodum illum difficillimum dissoluere poterat, fortissimorum ciuium, & ciuitatis tam religiosæ exitium non sustinuit: ideo Scodrensium pectora & animos iam demissos erexit, excitauit fide, spe, constantia, magnanimitate muniuit, uirtute diuina ac cœlesti corroborauit subitò: unũquemq; Scodrẽsium et peregrinorum alium uidisses adeò, ut tot et tanta pericula cædẽ interi tumq; minitantia intrepidè libentissimeq; adire cœperit, et ex insperato spem quàm maximam uictoriæ potiundæ contrahere: ad labores, ad opera, & omnia quæ pro urbis munimento uidebãtur diu noctuq; alter alterum exhortari, & alacriter inuitare, nullo imminentiũ periculorum metu cessare, aut retroagi: non machinas, non tormenta barbarorum continuè uolitantia undiq;, non spicula, non scorpiones timere, sed horrenda quæq; acri animo subire. Demum omni ui, arte atq; ingenio urbis saluti succurrere: hostem etiam extra mœnia hilari fronte ad pugnã prouocare: eiq; fortiter obsistere, omnibus consulere, omnibus prouidere, nunquam cessare: denicq; sese morti pro fide catholica, prò obseruantia & pietate in diuũ Marcum, pro patriaq; intrepidè exponere. ex quo tanta uis, tanta ferocitas, animiq; audacia ad eos redierat, ut non homines, sed ex gigantum genere uiderentur: & ipse hostis sæpenumero eorum uirtutem admiraretur. Sequenti uerò die ictibus centum & quatuor ex tormẽtis, diuersis in locis positis, magna murorum pars euersa: simul & duos igneos globos mortario coniecerunt: & uallum ad Bolianam uergens, cui Carlinus peditum Italorũ præfectus strenuus præerat, facibus admotis accenderunt. Sed statim sine cuiusquam Christianorũ cæde ignis restinctus est. Vallum autem omne, & propugnacula omnia barbari incendere, et flammis consumere conabantur: ut his absumptis, omnis ratio tuẽdi se ab oppidanis tolleretur. nam quũ muri penitus excisi essent, Scodrenses tantummodo uallis ac propugnaculis se defendebant. Multi tamẽ dum ad extinguendum ignẽ accurrerent, machinis &

tormentis

tormentis interfecti sunt: id quod barbari intendebant. Altera uerò lu- A
ce, hoc est quinto idus Iulij, alia grandis machina supra montem Bassæ
in hortum cuiusdam ciuis à barbaris deuecta est, quæ saxum noningen-
torum & quinquaginta pondo contorquebat. Ex eo tempore barbari
undecim maximis tormentis urbem semper oppugnarunt. Eo die cen-
tum septuagintaocto ictibus, quod nunquam antea, urbem admodum
uexarunt. Videns autem Ottomanus mœnia urbis iam omnia excisa
euersaq́, obsessos, detectos & denudatos esse, præsidioq́ murorum pe-
nitus priuatos: concepit animo, urbem expugnari posse. itaq́ cœpit Sco
drenses maximo impetu atq́ conatu, machinis, atq́ tormentis undique
urgere, deterrereq́ præmissis omni ex parte Ianizaris, Asappis, aliisq́
militibus, qui cratibus uimineis, pluteisq́ comminus die noctuq́ uallis
inhærerent, atq́ instarent: iussitq́ oppidanos quàm acerrimè uexari, ur-
gericq́: & ut eos etiam accensis uallis crebris continuisq́ oppugnatio-
nibus lacesserent, ac quoquo modo urbem ingredi tentarent. sed illius
uota omnia ad irritum ceciderunt. Deprehendit enim ciues, qui illi acer
rimè obsisterent. nam timor in urbe amplius non erat, omnis formido
Scodrenses reliquerat, audacia pro muro habebatur: pro uallo, pro mu-
nitione acriter instabant: quilibet alacri animo periculis sese expone-
bat: quisq́ per uirtutem emori potius delegerat (necessitas enim uel ti-
midum, fortem facit) quàm à barbaris fœdè trucidaretur. Ex quo Otto-
manus id difficillimum reperit, quod facillimum fore sperabat. Interim
uerò barbari ualla accenderunt, sed ignis ab oppidanis facillimè & sine
cæde suppressus est. Sequenti autem die quàm maximè poterant, ictus
tormentorum festinare cœperunt. Centum enim & octoginta septem
lapidibus urbem concusserunt. Rursus barbari turrim quæ supra por- B
tam magnam posita erat, & Carlini uallum accenderunt: hac calliditate
utentes, ut quum Christiani ad ignem extinguendum festinarent, tor-
mentis, quæ ad eam partem uergebant, eliderentur. unde nonnulli exil-
lis de medio sublati sunt. Animaduertentes autẽ Scodrenses hanc barba
rorum uersutiam prævalere, & ex ea discrimen maximum sibi immine-
re, damnum interitumq́ suorum indies consequi, duxerunt non minus
ingenio uirtuteq́ animi cum barbaro decertandum esse, quàm fortitu-
dine uiribusq́ corporis: statueruntq́ hisce barbarorum calliditatibus
alia uia occurrere. Itaque disposuerunt nonnullos sclopos (ut homines
nostri temporis appellant) atq́ sagittarios, quà Turcæ ad incendendas
munitiones accedere solebant: ut hi, quum faces ferrent, interficerẽtur,
qui postero die reuersi ad negocium facinusq́ perpetrandum, priusq́
quàm ignem coniecissent, aliquot ex suis amiserunt, qui ab oppidanis
confossi sunt: cæteri re infecta aufugerunt. Sed ne fortasis posteros la-
teat quid sint sclopi, & unde hoc nomen sibi traxerint, pro uiribus eos
quoquo modo describere conabor. Est autem sclopus, quẽ uulgò nunc
sclopetum appellamus, tormenti genus persimile bombardæ, ex fer-
ro ut plurimùm confectus: cui à crepitu & sono quem edit, nomen im-
positum fuit: qui breui admodum ambitu et superficie contentus, ad tor
mentum bombardæ in longum productus atque extensus, glandulam
plumbeam seu pillulam paruulam admodum, puluere quodam exre-
bus ad fouendum ignem idoneis confecto, unius hominis opere inie-
ctam atq́ calcatam, igni adhibito proijcit atq́ contorquet, & ictum le-
thalem infligit. Interea uerò barbari deduxerũt biremes in Bolianam,
quas iam perfecerant, quæ numero octo erant: de quibus superius me-
morauimus, qui quum è portu soluissent, nocturno tempore per flumen
Bolianæ

A Boliánæ in lacum ſurſum remigarunt, ubi magnum prælium cum incolis commiſerunt. Tandem quia res impar erat, Turcę una tantùm fluuia tili nauicula noſtra cum octo hominibus capta ex his qui caſtra inuade re conſueuerant, eos manè ultra Bolianam, prope ſacrum diuæ Magdalenæ palo transfixerunr. Contorſerant eo die centum & octoginta tria ſphærica ſaxa, ſequenti aũt die centum & ſexaginta octo. Interim dum barbari ad incendia munimentorum reuerterentur, is qui ignem afferebat, ante alios incedens, antequam ad locum peruenisſet, ab oppidanis confoſſus eſt, cæteri perterriti aufugerũt: quod quum uanum & irritum eſſe cernerent, nec ſine periculo uitæ ad munitiones & ualla incendenda accedere poſſe, aliam uiam excogitarunt, aliumq; modum tentarunt ad exequendũ id quod propoſuerant, & ad quod tantopere inhiabant. Vſi enim hoc ſunt ſtratagemate. Vt enim ſecurius munimenta incenderent, & Chriſtianos à reſtinguendis auerterent, tormenta ad iactũ præparauerunt, & aliquantum pulueris ſeorſum incenderunt, ut oppidani perterriti propugnacula deſererent: & ipſi barbari ſtatim ignem in ualla cõiecerunt. Quod ſi Chriſtiani conſtantiſsimo animo munimenta ipſa tueri uellent, eueſtigiò à Turcarum tormentis collidebãtur. Itaq; ignis ille hoſtilis amplius ſine multa Chriſtianorum cæde reſtingui non poterat. Et quanquam multi ciuium interficerentur, non tamen ob hoc à reſtinguendis ignibus auertebantur. Nam ſemel potius mori deſtinauerant, quàm urbis defenſionem deſerere. Ottomanus ardẽs, & dentibus frendens excandeſcebat, nec tantam animorum præſtantiam ferre poterat, quum animaduerteret nullis uiribus Scodrenſes expugnari poſſe, nec tot tormentis & machinis quicquam proficere. Quam ob rem mul-
B tas baliſtas & catapultas Idibus Iulij ad mœnia admouit, ut ingenti ſaxorum multitudine oppidanos obrueret. Præterea uim maximam pluteorum & cratium pariter conuexit, ut his tecti barbari urbem oppugnarent. At ciues primo aſpectu eas machinas eſſe putauerunt, ad globos igneos emitendos paratas. Idcirco tecta omnia è ſcandulis facta ſuſtulerunt, ne uim igneam conciperent. Statimq; contra huiuſmodi machinas munimenta ualida præparauerunt, ut barbarorum conatus omnes ad irritum caderent. Itaque Ottomani principis & in hac uerſutia ſpes eluſa eſt. nam Donatus architectorũ qui tormentis præerant longè princeps, ab utraq; parte urbis machinas erexit, quibus barbarorum baliſtæ diſiectæ & diſſipatæ ſunt, adeò ut ea inſtaurare & reficere amplius non curarint. Sed eodem quoque die centum & ſeptuaginta octo ſphæricis ſaxis urbis mœnia multum concuſſerunt. Decimo uerò ſeptimo Calendas Sextiles coniecerunt barbari ignem in prima ualla & propugnacula portæ Magnæ, ubi erant egregij & ſtrenui uiri, Italorumq; militum præfecti, Antonius Cortonenſis, & Antonius Bouinus, qui in certamine perpulchrè ſe gerentes, Bouinus uulnere lethali ictus obijt. Alter uerò telorum multitudine confoſſus totus, uix ſuperſtes extitit. Item in ſecunda ualla eiuſdem portæ, eodemq; tempore hoſtes ignem immiſerũt, & (ut conſueuerant) tormentis ſtationes & ualla uexarunt, ut ciues his perterriti, ad reſtinguendum ignem non accurrerent. Verùm Scodrenſes non deſides, neq; timidi, ſtatim ignem obruerũt. Ex quibus tantùm duo deſiderati fuere. Quo quidem die centum & octoginta duas pilas ſaxeas Meumethani contorſerunt: altera die centum & nonaginta quatuor. Et hic fuit dies, in quo crebrius frequẽtiusq; nullo alio præcedente, aut ſubſequente iaculati ſunt. Sequenti uerò luce centum & triginta

unum ictum urbi inflixerunt. Verùm iam barbari quotidie inualesce- A
bant, magisq; se ad oppugnationem urbis accingebant. Iam turmatim
ad urbem irruebant, eamq; corona innumerabili cingebant: pluteis &
cratibus aggeres fossasq; transcendebant, easq; saxis et uarijs rebus im
plebant, ut aditus & iter ad urbem oppugnandam facilior patêret. nam
à Principe edictum acceperant, ut sequenti die signo dato ad prælium
egrederentur. Ex quo tota nocte illa Meumethani ad bellum sese expe-
diuerãt. At uerò Christiani ubi hostem se accingere ad pugnam uident,
absq; mora alacriter semper diuino numine confisi, uictoriaq; freti, sese
instruunt: nonnullas copias in uallis & stationibus collocant, quæ ho-
stem continuè animaduerterent: ut quũ ipse è munitionibus suis irrum-
peret, ei fortiter occurrerent, quoad instructi milites, & reliqua oppida-
norum multitudo armata ualla conscendisset. Ex quo continuè in muni-
tionibus urbis quadringenti uiri armati astabant. Altera uerò luce, id
est, decimo quarto Calẽdas Sextiles, ad uesperas hostes more suo ignẽ
iniecerunt ad munitiones, quæ eregionè portæ Magnæ erant: ad quem
extinguendũ quum multi accurrissent, aliqui tum ex Italis, tum ex Sco-
drensibus desiderati sunt: ex quibus minimè ob præstantiam animi &
corporis reticendi sunt, Franciscus Patauinus, militum Italorum præfe-
ctus, & Alexius Beganius ciuis Scodrensis, uir egregius atq; strenuus:
qui inter cæteros acriter pugnando à tormentis sublati sunt, & carptim
membra eorum per urbem sparsa. Plures enim barbarorum tormentis,
dum in uallis cum hoste pugnarent, interfecti sunt: inter quos Franci-
scus à sancto Scorbaro, Italorum militũ præfectus, Nicolaus Gradisclа-
uus, Nicolaus Beganius, ciues Scodrenses: qui acriter strenueq; aduer-
sus barbaros dimicantes, cum alijs cecidere. Ad quorum interitũ à bar- B
baris sublato clamore, & dato signo ut ad tormentorum ictus milites sta
tim ad certamen egrederentur, hinc inde pugna acrior quàm unquam
antea à propugnaculis portæ Magnæ usque ad munitiones Bolianæ, u-
bi Carlinus præerat, commissa est, & ad horam acriter pugnatum est: in
qua barbari nunquam fossam & aggeres pertransire, nec propius ad mu
nimenta accedere ualuerunt. Ex quibus multi cæsi sunt, plures uulnera-
ti, turpiterq; reiecti atque fugati: uictoria penes Scodrensem (licet non
incruenta) stetit. Quam ob rem dies ille oppidano lætus & honorificus
affulsit, hosti uerò fœdus atq; pernicioſus: nec illi quicquam centum &
nonaginta tres tormentorum ictus, quibus eo die Christianos uexaue-
rant, profuerunt. Sed non tamen defessus, altera luce centum & quadra
ginta octo ictibus oppidanos multum agitauit. Matutino sequẽti com-
plures ex barbaris, qui in castris erant, ad urbem conscenderunt. Inte-
rimq; in castris magna multitudo telorum & sagittarum ad pugnam fu-
turam præparabatur. Dumq; qui his uterentur, sedulò delegerentur, sta
tim innumeri spiculatores ad præsidia urbis omni ex parte ascenderunt.
Ex quo Scodrenses arbitrati sunt, barbarum propediem urbi bellum il
laturum. Quam ob rem quisq; eorum confestim armatus, in propugna-
culis intentus erat, hostem ad pugnam hilari animo expectans, & sem-
per eum obseruabat quid nam facturus esset: qui quidem post meridiẽ
ecce maximo impetu irrupit, & munitiones & aggeres pertransiens, ad
uallum peruenit. Tunc uerò manus cum oppidano conseruntur pugna
atrox hinc inde ex omni parte urbis committitur. Cadunt utrinque plu
res ex hostibus: ex Christianis quoque non pauci uulnerati mortuiq;
sunt, præsertim à tormentorum ictibus. Miserandum spectaculum erat,
si quis

A si quis ad portam Magnam munimẽta penitus diruta uidisset, & omnia referta cadauerum discerptorum, non tam ciuium, quàm aliorum Christianorum. Iam hostis adeò inualuerat, ut primas stationes & propugnacula supradictæ portæ occupasset. Ibi ingens oritur certamen: quia hoc in loco de discrimine magno totius urbis agebatur. nam tanta uis, tantusq; impetus barbari in oppidanum, pariterq; repentini frequentesq; omnium tormentorum atq; machinatum ictus, tantusq; numerus sagittarum fuit, ut omnes ferè Christiani, qui munitiones eas tuerentur, aut sauciati, aut ex humanis sublati fuerint: sed non propterea hostis diu lętatus est. nam ecce robustissima Scodrensium manus optimè armis instructa, fortissimo animo munimenta ascendens, cum hoste acriter pugnans, eum in fugam cõuertit, trucidat, fugat, atque expellit: præclarissimam egregiamq; de eo uictoriam consequitur. Itaque complures ex barbaris cæsi sunt. Pugnatum est enim illo die satis bellè, ad duas horas: nec amplius Turca, postquam primùm ex propugnaculis deiectus deturbatusq; est, potuit ad ea appropinquare, sed inde turpiter discessit. Occiderant enim ea pugna inter cæteros nõnulli ciues, qui uiri fortiter pro patria dimicando, pro ea emori minimè dubitarunt: quorum membra dissipata, ac nonnullorum peregrinorum passim collecta, qui cum illis strenuè certantes ceciderant, tumulo, eo honore quo fieri potuit, pro rerum angustijs, necessitateq; tradita sunt. et hęc quidem gesta sunt pridie, quàm uniuersalis oppugnatio ab hostibus commissa sit. Eo die centum et septuaginta tribus ictibus ex multis partibus tota ciuitas plurimùm uexata est. Si quis diligenter omnes tormentorum ictus, qui hactenus urbis mœnia concusserunt, supputare uelit, duo milia quingen-
B tos, & triginta nouem esse deprehendet: præter centum & nouem tormenti, quod uulgo mortarium uocãt, igneos globos decem. Postquam certamen hoc diremptum fuit, statim permulti ex barbaris qui circa urbis munimenta in assidua custodia fuerant positi, quorum maxima manus ad munitiones urbis die noctuq; sub pluteis & cratibus commorabantur, in castra descenderunt. Interimq; præfectus Asiæ unà cum duce nouæ Romę, iussu Principis ad eum profectus est: ex quo statim nõnulli præcones ad singula tentoria præfectorum, militum, & eorum qui alia qua dignitate præditi erant, accesserũt: eosq; edicto Principis ad tabernaculum ipsius conuocarunt: qui postquam conuenerunt, proposita cõsultatio est, quid nam de urbis oppugnatione decernendũ esset: & quũ singuli sententiam suam pronunciassent, Princeps ipse breuibus est eos allocutus: Credo quidem milites, neminẽ uestrũm ignorare, iam nunc tertium agi mensem, ex quo urbs ista à nobis durissima obsidione cincta sit, ac omni genere tormentorum, machinarumq; oppugnata, afflicta, atque undique exagitata, mœniaq; penitus euersa: munimenta uarijs tormentorum ictibus discussa, & (ut cernitis) euulsa. Præterea quoties ignem in propugnacula iniecimus, toties Scodrenses ad certamen prouocauimus: etiam duplici pugna eos multum uexauimus. Postremò uerò (ut scitis) nihil inexpertum, nihil intentatum omisimus, quod excogitari potuit, ut eos fessos defatigatosq;, & uiribus exhaustos, facilius expugnaremus. Quã ob rem (ut mihi uidetur) res ulterius nõ proferenda, nec amplius differẽdum est: sed antequam hostis uires assumat, sesecq; pręmuniat, crastina luce urbs à nobis corona circũdet, prœliumq; uniuersale cum Scodrensibus fiat, & id grauissimũ. Itaq; unusquisq; uestrũm se accingat: cęteros q; milites in castris hortẽtur, ut quilibet manè

circiter horam primam lucis armatus, instructusq; ad urbem expugnan A
dam prodeat: iam eos experiar, & agnoscam, qui stipendio digni sunt.
Tu Romæ nouæ præfecte, cum tuis legionibus, & cohorte prætoria, ur-
bis partem oppugnandam inuade: reliquam Asiæ præfectus cum suis
cohortibus occupare enitatur. Quisque enim quæ ad huiusmodi certa-
men uniuersale necessaria sunt, præparet, secumq; afferat. non animus
nobis deest, quin crastina luce urbem istam expugnemus. Quis enim
nobis resistere poterit? Oppidanus enim (ut uidetis) & muro & omni
præsidio nudatus est. Munitiones & fossæ undique stratæ sunt. facilis
nobis ad illum accessus patet. Scodrenses fessi tot bellis, uiribusq; desti-
tuti sunt, nos uerò recentes robustissimiq;: hi pauci rariq;, nos autem pe
ne innumerabiles. Adde uim magnam tormentorum, quibus præuale-
mus. Eorum plures dum munitiones tueri uolent, machinarũ ictibus in
terficientur. Igitur quis neget, Scodrenses captiuos nostros esse? In eos
qui superierit, iure belli & captiuitatis utar. Agite, ô uiri, omnes moras
tollite. Non ne Scodrense nomen uobis, & genus inuisum est? Quis e-
nim uestrûm non cum summa indignatione in memoriam reuocet cæ-
des parẽtum, aut fratrum, aut propinquorum, aut sodalium, qui sæuissi
mè sub his mœnibus trucidati sunt? An redire uultis absque extrema ul
tione? Potestis ne odia uestra in Scodrenses, & tantas strages eorum ab
his editas concoquere? Verùm ut prisca tempora, & quas calamitates
iam pridem ab his reportauerimus, omittam: proximas clades, & ueluti
recentes respiciamus. Iam nondum peractus est quartus annus, quo bel
lum cum Scodrensibus gessimus. In quo tot milia nostrorum ceciderũt,
ut adhuc eorum cædes penè ante oculos uersentur, et ultionem exposce
re uideãtur. Adhuc mons iste, saxaq; omnia eorum sanguine respersa et B
polluta apparent. Idcirco properate, ô uiri: arma in Scodrensem sumite,
montem ualido gradu conscendite, urbem acerrimè expugnate, pristi-
nas inimicitias ulciscimini. Sanguinem Christianorum ad satietatem ef-
fundite, ad quod leges nostræ magnopere adhortantur: ferro & omni-
bus uiribus agendum, ut Scodrensium nullus supersit: quod quidem
perfacilè consequi poteritis, cum omnia pro uobis adsint. nam nihil est
quod obstet, nihil uobis ad pugnę uictoriam deest: omnia parata, omnia
in promptu sunt. facile enim est forti debilem, imbecillẽ, uiribusq; defe-
ctum uincere. Hæc quum dixisset, barbari omnes summo consensu cla-
morem extulerunt, eundum esse omni impetu in Scodrenses, & huiusce
modi oppugnationem suscipiendam esse, ut non prius eam dimittant,
quàm capta sit urbs, & ciues omnes ad internecionẽ cæsi sint. Postquam
concio dimissa est, decretumq; quid agendum esset, edictum in omnibus
castris proclamatum est, ut omnes ad certamen uniuersale, quod sequen
ti luce futurum erat, se accingerent. Interea enim uideres barbaros om-
nes hac illac per castra cursare ac permisceri, non aliter quàm densissi-
mum formicarum agmen, uictum quæritans, curritat, quum aliæ grana
important, aliæ redeunt, & oneri succedentes fessi succurrunt. Consilia
rij uerò omnes, & præfecti militum, tabernaculum ducis egressi, uerti-
cem montis Bassæ conscenderunt: inde situm omnẽ urbis contemplan-
tes, capita inter se contulerunt, unusquisque quid sibi de modo expu-
gnandæ urbis uideretur, in medium proferebat. At uerò in urbe, ubi
Scodrensis hostem ad bellũ festinare prospicit, & ipse sublata omni mo-
ra, quæcunque ad defendendam urbem pertinebant, præparare cœpit,
ne eum hostis præuenire posset, & ut uigilantior uigilantem opprime-
ret.

A ret. Ottomanus enim furtim & improuiſus, ciuitatem incautã inuadere exiſtimabat. nam circiter ſolis occaſum, barbari cum multa ſagittarum telorumq; multitudine ad forum uenale urbis, quod ad iactum lapidis extra mœnia eſt, clàm maxima copia Cratum montem conſcendere, urbemq; circumcingere cœperunt, pugnam diſſimulantes: nec unquam totam noctem ceſſarunt, quin properè montem turmatim ſubirent, pluteis & cratibus tecti: & ut oppidanos fallerent, tres aut quatuor ſub ſingulis ſe occultabant. Centum quinquaginta milia ad munimenta aſcenderunt: ut qui numerum exactè comprehendere potuerũt, aſſerere non dubitarunt. Et hæc quidem erant lecta robora uirorum, hic eximius flos iuuentutis: hic erat uniuerſa ferè manus robuſtiſſimorum bellatorum, qui in caſtris delecti, omnibus alijs pugnaciores habebantur. Erectum erat Principis tabernaculum in uertice montis Baſſę purpureo uelamine undique exornatum, unde certamen & oppugnationem futuram deſpiceret. Quum iam dies illuceſceret, & Princeps tabernaculum ingreſſus eſſet: Barbari callidè agentes, temporis occaſionem ad inuadendam urbem captarunt, quum Chriſtiani in ædibus ſacris, rebus diuinis operam darent. Circiter primam diei horam, qui erat diuæ Magdalenæ feſtus, & undecimus Calendas Sextilis, ad ſignum bellicũ, quod ex tentorio Principis editum, & ad quattuor eiuſdem momenti tormentorum ictus, additis alijs duodecim, quibus munitiones aſsiduè ferirentur, confeſtim ex cratibus irrumpentes, & foſſas urbis tranſilientes, omnia propugnacula corona cinxerunt, non aliter denſi ac ſtipati, ac apum examen, cum longè unà conſederit: interim campanarum ſonitus per totam urbem exaudiri, Barbari clamorem, & tanquam barri-
B tum efferre. his excitati oppidani, ex templis armati celeri curſu ad ſtationes, ut cum hoſte acriter decertarent, accurrerũt. Iamq; Chriſtianos manum cum Turcis conſerentes inuenerunt: quam pugnam Barbari inierant, magis ſpecie latrocinij, quàm ueri certaminis & prælij. Sed acrior pugna ad portam magnam committebatur: ibi hoſtis cum oppidano immixtus manum conſerebat, & iam uallum conſcenderat, ſignumq; militare erexerat. Princeps nimio gaudio exultare cœpit, quia iam urbem expugnatam credidit: ſed Scodrenſis, qui nec latère, nec fugere noluerat, ubi barbarum tanto impetu irruiſſe uidet, munitionesq; occupaſſe, ægerrimè ferens, exiſtimauit iam uiribus opus eſſe. Et fremens, infrendensq;, in hoſtem impetum acrem fecit. Alij uerò ex Chriſtianis, gladijs teliſq; Turcã cominus confodiunt. Alij ſaxis grandibus & præacutis trabibus cõiectis, eum ex munimẽtis detrudunt. Aliqui uaſa quæ ſaxis oppleta erant, deuoluunt. Alij uimineas crates, pluteosq; pice oblitos & accenſos iaculantur: nonnulli ollas calce plenas in eos contorquent. Ira hoſtem perterritum, eius uexillo proſtrato et diſsipato ex omni parte deturbant, trucidant, atq; in fugam conuertunt: illumq; è munitionibus turpiter deiectum, omni tormentorum machinarumq; genere confodiunt. Hoc pacto urbs & munimenta, ſumma cum gloria & uictoria, defenſa ſunt. Quod quum Ottomanus, qui iam urbis expugnationem fore ſperabat, de montis uertice proſpiceret, ægerrimè tulit, adeò tu uix ſuorum turpiſsimam cædem & fugam tolerare poſſet. Eueſtigiò crebrioribus tormentorum ictibus agere cœpit, ducibusq; ſuis, qui aſsidebant, minabundus iuſsit, ut milites, qui terrore in fugam uerſi erant, ad oppugnandam urbem rurſus redire cogerent. Erat autẽ urbs ex parte montis Baſſæ ad portam Magnam molli admodum cliuo poſita, ſed manu tamen & opere egregiè munita, nam ad primã portã, et principalẽ

urbis extra primum ambitum murorum condita fuerat turris eminens A
& munitissima, forma admodum rotunda, in qua oppidani stantes à de
xtra siniſtra' ue spacium illud urbis proximum tueri poterant. Inter hanc
portam, & illius quæ extrà erat, alia quoq; turris erat, contigua admodũ
superiori: sed oppidani timentes, id quod euenit, ne turres ictibus tor-
mentorum excinderentur, munimenta ualidissima ex cœno & uarijs
rebus contexta prope turres ipsas substruxerunt. nam hostes ad eam ur-
bis partem, quæ natura non ualde munita erat, omnem oppugnationis
molem redegerunt. Et ideo sex tormenta maxima, & sex milia scloporũ
& sagittariorũ innumeros ad eandem partem admouerãt. Subitò utra-
que turris, & utriusq; ambitus muri solo æquati sunt: nil aliud reliquum
erat quod urbem tueretur, præter munimẽta ex terra confecta. Barbari
spe capiendæ urbis eò cum maximo impetu confluxerunt: oppidani for
titer & intrepidè occurrerunt: prælium acerrimum comínus exoritur,
quoniam eo in loco cardo totius rei uersari uidebatur. hostis uallũ con-
scendebat, ciuis statim eum detrudebat, & præcipitem dabat. Alij succe-
debant, pariter præcipites deturbabãtur: passim cædes fiebant, fossæ ui
magna cruoris inundabant. Varia interim tormentorum genera quibus
plures cadebant, nec momentum cessabant. Tum uerò præfectus nouæ
Romæ, cui prouincia delegata erat expugnandi eam partem urbis quæ
à rota usq; ad Carlini munimenta, Bolianam uersus pertendebant: cum
principem excandescere & indignari, & dolore ingenti affici uideret,
quòd oppugnatio ad irritum caderet, unà cum præfecto Asiaticarum le
gionum ex monte ubi Princeps erat, descendit: & stricto gladio milites
fugientes in pugnam redire coegit. Tunc acrior oppugnatio exorta est, B
hinc barbaris magno globo ad portam Magnam irruentibus, hinc op-
pidanis fortiter occurrentibus: non deerant undiq; tormenta, machinæ
bellicæ, iacula, tantaq; sagittarum multitudo, ut aer ipse obscuraretur:
nec tantummodo munimenta urbis discutere et pertransire conati sunt,
sed & rotam expugnare. Est enim extra mœnia locus urbi adhærens o-
rientem uersus, rupibus asperis undiq; inuius, in cuius uertice, qui pla-
nus est, conditum erat templum diuo Petro dicatum, ubi Græci rei diui-
næ operam dabant. Tunc omni genere tormentorum & machinarum
munitus erat: quoniam & arci, & parti urbis propugnaculum munitissi
mum erat, unde barbari cum maxima eorum strage deturbati sunt. Ve-
rùm horrendum certamen ad munimẽta portæ Magnæ committebatur.
Clamor strepitusq; ingẽs exoritur. Inde tanta barbarorum uociferatio
ululatusq;, tormentorum machinarumq; crepitus, tympanorum soni-
tus, æra crepitantia adeò inualescebant, ut auditus simul & uisus homi-
nibus tolleretur: terra calligabat, & cœlum ipsum miscerí & corruere ui
sum est, ita omnia confusa, perturbata, obscurataq; erant. interim uerò
Meumethani undiq; irruunt, propius accedunt, comínus pugna com-
mittitur, nihil interstitij inter Christianum & Turcam erat quàm propu-
gnacula ac tabulæ quædam munimentorum, quæ ad oppidanorum pu-
gnantium tutamen contra sagittas hostium positæ erant. Contorquen-
tur tela, ferrum perstringitur utrinq;, comínus res gladijs geritur: hinc
inde alij cadunt, alij in pugnam succedũt. Scodrenses quo ordine & gra-
du munimenta semel tueri cœperant, ab eo dimoueri non poterant: ho-
stes ex munimentis ipsis deturbabant, eosq; cratibus, pluteis pice obli-
tis, stuppa adhærente, præterea dolijs ligneis oleo perunctis, unà cum
puluere & igni admoto inuadebant. Quibus ex rebus plures eorum
adusti & elisi, ad ima montis deuoluebantur, non saxa magni ponderis

deerant,

deerant, non scorpiones & uaria machinarũ genera quibus obtererentur: qui quum se tectos ex altera parte esse crederẽt, ex altera qua minus suspicabantur, crebri transfigebantur. Erat enim portæ Magnæ proximus cuniculus subterraneus in saxo uiuo excisus, ubi multa tormenta posita erant, quæ fossas & partem illam urbis quæ ad Bolianam uergit, tuebantur. Inde crebris ictibus magna hostium multitudo cecidit. nam per diuersos exitus cuniculi ipsius tela in barbaros contorquebantur: quorum plurimi undiq; uexati, aut cæsi, aut in fugam uersi sunt. Verùm præfecti castrorum, partim minis, partim adhortationibus cateruas & globos suorum militum in pugnam impellebant: nemini præterquàm uulneratis parcebant: qui aut cum strictis gladijs trucidarent, aut in oppidanos obuerterent. Ideo densissimi & collecti in globum barbari, ad portam Magnam, & ad eius munimenta irruebant: tabulas & trabes & stipites munitionum manibus apprehendebant: nec inde auelli, priusquam animam cæsi effunderent, poterant, comínus gladijs cum Christianis dimicabant: qui etsi pauciores, nunquam tamen ordinem suum & stationem quã tuerẽtur, deseruerũt. superiores etiam loco diu pugnam acerrimam sustinuerũt. Sed quia totius certaminis articulus ad portam supradictam uersabatur, tanta barbarorum multitudo eò confluxerat, tantaq; tormentorum & machinarum uis Christianos uexabat, ut plures eorum tum gladijs, tum omni telorum genere caderent. hoc pacto multi iam interfecti, plures saucij, alij longo certamine defessi, uix iam tueri ex paucitate munimenta poterant. Ecce barbari stationes inuadũt, ascendunt, signa in munimentis figunt. Princeps Meumethanus, qui de specula hæc omnia contemplabatur, in ingentem lætitiam effusus, iam sibi rem factam putans, urbem captam esse credidit, ignarus quid uirtute & prudentia Scodrensium ad urbis tutelam prouisum esset. Astabat in medio Scodræ foro delecta cohors iuuenũ & uirorum robustiorum, ut his qui magis ab hostili oppugnatione uexarentur, succurrerẽt. Adhuc abundè uires ad defendenda mœnia supererant, nullus ex alijs stationibus se ad auxilium aliorum mouerat. quam ob rem alia urbis loca satis munita tutaq; erant. Ex quo apparuit, Principis uanam & irritam fuisse lætitiam: qui nondum omnia Scodrensium consilia, nondum eorum præclarissima facinora perceperat. Interim clamor ciuiũ exoritur. Rumor ad delectam iuuentutem in forum perfertur, quo iam hostes uictores munitiones ascendisse, & Christianos defessos iam cedere significatum est. Tunc iuuenes fortissimi, qui iam diu uotis expetierant pugnæ locum contra barbarum offerri, ad portam Magnam properato gradu accurrunt, uallum confestim ascendunt, & certaminis audito classico, diui Marci uexillum, discisso hostili, in medio firmiter statuerunt & erexerunt: securiq; omnium tormentorũ & telorum hostilium, quæ innumera erant, in confertam multitudinem irruunt, Principis potentiam aspernati, & in eius sæuitiam & fidem Meumethanam obscœnissimam, acerrimè inuecti gladijs, telis, saxis, ignium globis, pluteis, cratibus, & uarijs tormentis hostem proterunt, deturbant passim, obtruncant, signa eorum auellunt, ultra fossas propellunt, fortissimum quemq; trucidant. Quia ex re perterriti barbari terga uertũt, sine mora in castra ferecipiunt. Scodrenses, eos eò persecuti sunt, unde liber reditus ad urbem daretur. Princeps uerò Ottomanus, qui ex spe uana potiundæ urbis ingentem lætitiam cõcœperat, tanto dolore affectus fuit, tantaq; indignatione correptus, ut furibundo simílis, se ad tabernaculum tacitus demisso animo contulerit, At Christiani uictoriam ingentem ade-

pti, summa cum lætitia & crebris plausibus in urbem reuertuntur, pluri A
ma hostium spolia secum deferentes, nec non capita cæsa, quæ in muni-
mentis, ut barbaro terrorem incuterent, suspenderunt. Confestim tem-
pla & aras sacratas petunt, immortali & omnipotenti Deo gratias innu
meras agentes, quod benignitate sua immensa animos fortissimos, &
uires immensas sibi dedisset: hostes uerò ingenti terrore, & eorum maxi
ma strage, ab urbis mœnibus auertisset. Intemeratę Virgini post Deum
immortales gratias agunt, hymnos pia mente concinunt, quòd muros
& munimẽta urbis quibusdam religiosissimis Christianis tutari uisa sit:
et speciem barbaris ipsis magnorum numinum, quę Christianos tueren
tur, obtulerit, ut hostes post oppugnationem testati sunt. Præterea plu-
res ciues circunferebant, sibi genitricem redemptoris nostri in somnijs
occurrisse, quæ eos ad fortiter pugnandum hortaretur, futuramq; victo
riam polliceretur. Postremò, debitæ gratiæ Magdalenæ persolutæ sunt:
quòd tutelæ urbis cum Regina cœli die suo festo non defuerit. Postquã
uerò tam præclarè, tam strenuè pro uictoria eo die pugnatum est, & om
nis tumultus quieuit, quisque pro uirtute & meritis palàm laudatur. In
concione militum animi, quorum præstantia & robore mœnia defensa
erant, laudibus meritis tollũtur: ad similia facta & æmulationes incitan-
tur, saucij & confossi curãtur. Corpora illorum qui gloriose in bello ce-
ciderant, eorumq; membra passim per tecta & urbis uicos à tormentis
disiecta fuerant, colliguntur: quorum sepeliendorum munus sacerdoti
bus iniunctum est. Desiderati illo die quadringenti ferè fideles, uulne-
rati uerò omnes fuere. nemo enim intactus remanserat. Ex barbaris au-
tem, ut ipsi asseruerũt, supra duodecim millia trucidati sunt, sauciati in-
numeri. uerùm inter pugnandum quot ictibus tormentorum ciues ue- B
xati fuerint, nemo ad liquidum animaduertere potuit ex ingenti strepi-
tu & tumultu, & ex uarijs & promiscuis hinc inde cædibus. Fuere tamen
qui collegerint, in die pugnæ fuisse supra centum & sexaginta, sequen-
ti die nonaginta quatuor. altera uerò luce, hoc est nono Calendas Sex-
tiles, centum & triginta quatuor: postridie centũ & quadraginta quin-
que, perendie centum & sexaginta quinq;. In primis id quod mortariũ
appellant, ingenti & formidine, & detrimento ciuitatem totam reple-
bat: hi qui integri erant, aut interficiebantur, aut celeri cursu huc & illuc
uagabantur. Qui uerò saucij erant, aut ægrotantes in lectulis iacebant,
audito strepitu illius machinę, statim uacillanti gradu è stratis surgebãt,
& miserando habitu domos egrediebantur. Et alicubi perfugiũ dubiæ
salutis quærebãt: & nonnulli (quod mirum pluribus forsitan fuerit) fe-
bricitantes ex ea fuga & terrore pristinæ saluti redditi sunt. Interim Ot-
tomanus Princeps, cuius dolorem & excandescentiã suprà dixi, dum bi
duum se in tabernaculo macerasset, tum ob cladem ingentẽ suorum mi
litum, tum quia sibi ut plurimũ res secundæ semper euenerant, nunc ue
rò aduersam fortunã experiri cœperat: præterea deceptus spe potiũdæ
urbis, in Scodrenses magis quàm antea inflammatus, duos præfectos, al
terum nouæ Romę, alterum Asiæ, & duos consiliarios conuocauit: cum
quibus cõsilium iniit, ut de integro oppugnationem nouã adorirentur,
quòd diceret, non iam credibile esse, Scodrẽses tot cædibus, tot uulneri-
bus ac certaminibus exhaustos, amplius resistere sibi & repugnare pos-
se. Nunc, inquit, facilẽ uictoriam habebimus: quoniã ciues, qui fortis-
simi erant, iam absumpti sunt. Et si quid uirium aut roboris in eis erat,
id omne in superioribus prælijs impenderunt: nostri uerò milites nul-
lo negocio urbem ingredientur. Quam sententiam cuncti compro-
bauere,

A bauere: et ſtatim cõuocatis imperatorib. cæteriſq; caſtrorũ ducibus atq; præfectis, demũ omni militari ordine, ad eos uerba fecit. Ad quem cum uniuerſa barbarorũ multitudo certatim cõflueret, aſtarentq; ex primoribus, qui confertã turbam auerterent, Princeps unumquenq; admitti, quòd res omniũ ageretur, iuſsit. Tunc alto ſolio ſubnixus, ſic orſus eſt.

Non me fugit, uiri & commilitones mei, uos, qui mecum ſemper in laboribus, certaminibus, periculis, aliiſq; caſibus grauioribus atque durioribus interfuiſtis, continuè animo magno, forti præſentiq; affuiſſe, uiramq;, etiã ſi milies opus fuiſſet, intrepidè ingenueq; expoſuiſſe, & ſemper diis fauentibus uictoriam reportaſſe. Ideo hanc expeditionem libenter ſuſcepi ueſtris uiribus fretus, ſperans uos eoſdem futuros, qui ſemper in aliis oppugnationibus fuiſtis. At in preſentia miror uos animum illum remiſiſſe in re tam facili, & propè peracta: uobisq; fortitudinẽ ſolitam deeſſe in expugnandis his, qui penè expugnati, ſtrati, uiribus defecti & deſtituti ſunt. nam quid facilius leuiusq;, quàm feſſum exanimatumq;, non repugnantem, & ſe dedentem uincere? Nec miremini, ô milites, ſi ſuperiori proximaq; pugna urbem ingredi non potuiſtis. Nam non uerum (ut noſtis) neque legitimum certamen â nobis urbi illatum fuit, ſed leuiſsima admodum pugna, nullo ſeruato ordine, tumultuaria, & latrocinij potius ſimilis, quàm ueri prælij. nam non uniuerſus exercitus, non omnis ordo affuit, non acies inſtructæ: pauci enim montem conſcenderant: nunc autem aperto marte omnes cuiuſq; gradus conditionis'ue certamen ſubeant, ordine incedant: nullus recuſet, nullus remaneat: nemo pugnam renuat, nemo cauſetur, non noſtrę cohortis milites robuſtiſsimi, non alij, qui noſtris præfectis & ducibus parent, non militesB gregarij, non ſerui, non liberi, nõ ſummi, non infimi, ſed cuncti ſe accingant, cuncti ſe præparent, cuncti ad pugnam prodeant. nunc agnoſcam uiros, nunc pugnaces & bellatores, nunc qui ſtipendio meo digni ſunt. Partes urbis oppugnandæ turmatim aſsignẽtur. Exercitus inſtruatur, & in ſuos ordines diuidatur. Leges, conditiones oppugnandi præſcribantur, legiones acieſq; in cornua diducantur. Alij alijs ſuccedant, feſsis quieti atq; recentes, uulneratis integri atq; intacti. Cuncta palàm, cuncta compoſita atq; ordinata fiant. Nouæ Romæ Baſſa cum cohorte mea urbis partes obtineat, quas ſuperiori bello tenuit. Aſiæ uerò præfectus alias urbis partes cum reliquo exercitu inuadat. Edicto tamẽ prius omnibus iubeatur, quo die armati ad certamen prodeant, & cuncti extra omnẽ ſpem ueniæ præſtò adſint. Deinde ipſe Princeps militibus prę mia proponere cœpit. Alia fortioribus et dignioribus, qui primi muros aſcendiſſent: alia militibus cuiuſcunq; conditionis, ſi uel muros aſcendiſſent, uel aliquod præclarum facinus edidiſſent. Seruis libertatẽ & honorem pollicitus eſt: his qui maiores honores geſſerant, et multis titulis ornati erant, maiora munera promiſit: & unumquenq; ſe cumulaturum pluribus donis q; enumeraſſet, atteſtatus eſt. Itaq; eos longè maiora pollicitis ſperare iuſsit. Præterea ad fortia facta adhortatus eſt, ut ſinguli uires & animos reſumerent, nec in maximis periculis ſibi parcerent, uictoriam iam in manibus eſſe crederẽt, quod urbs iam ualido præſidio orbata eſſet, in eam undiq; aditus patẽrent, ſtationibus relictis, et muris uarijs tormentorũ generibus exciſis. Si qui oppidani ſupereſſent, eos iam feſſos & ſemineces, confoſſos & uulneratos eſſe aſſeuerabat. Poſt hæc his uerbis uſus eſt: Diis noſtris propitijs, qui & gloriam & æternam beatitudinem pollicentur, in pugnam prorumpite, oppidanos fortiter inuadite, ueſtras

te, ueſtras iniurias, cædem cõmilitonum acriter uindicate: hinc honor, A
hinc laus, hinc præmia accumulatiſsima uobis euenient. Totius urbis
diuitiæ, omnis pręda ueſtra eſt. Cum orationi Princeps finem impoſuiſ-
ſet, cuncti barbari clara uoce dicta ipſius comprobarunt, & omnes in
Scodrenſium cædem unà coniurarunt.

Interim edicto Princeps iuſsit, ut omnes ſe ad recens certamen accin
gerent. Quo lætati barbari, expediti & prompti arma continuò cæpe-
runt, & ardentius quàm antea pugnam affectarunt. Econtrario oppida
ni cum edictum illud percepiſſent (nam nonnulli ex his linguam Tur-
carum callebant) non ſegnius quàm antea, ſed promptius & alacrius
futurum certamen expectabant: & omnia quæ ad defenſionem pertine
bant, diligentiſsimè præparabãt: id plurimi facientes, quòd ab hoſtibus
non contemnerentur, ſed ſua uirtus illis formidabilis eſſet. Prius exmo
re ſolito, Deo optimo ac maximo ſupplicationes agunt: uota pro uic-
toria faciunt. Intemeratæ Virginis auxilium ſummis precibus implo-
rant: ſæpius hoſtem experti, animo certam uictoriam concipiunt: eum
non timent, ſed cum eo congredi, manum conſerere cupiunt, diuino fre
ti auxilio, uiribus ſuis & fortitudine animorum confiſi. Iam illis perſua-
ſum erat, barbarum maiorem cladem, quàm antea, ſuſcepturum: maio-
remq; ſuorum ſtragem cum magno dedecore & ignominia reportatu-
rum. Iam Meumethani ex edicto Principis ad oppugnationẽ inſtructi
erant. Verùm lunam nouam pro ritu gentis expectabãt. Solet enim Ot-
tomanus prima luna, & ea religioſe ſalutata, pugnam, quam uniuerſalẽ
appellant, committere. Ad ſextum igitur Cal. Sextiles, qui diui Panta-
leonis dies feſtus erat, et à prima pugna uniuerſali dies quintus, conglo
bati barbari montem ex omni parte conſcendere cœperunt: urbem un- B
diq; circumuallare: uallos, pluteos & crates uimineas, quibus tecti ſe
tuerentur, ſigillatim ferentes. Tanta eorũ confluxit multitudo, ut mons
totus, & quicquid campi circà erat, ad mille paſſus penitus adopertus
eſſet. Tam denſi & conferti, ut, quod trito prouerbio circumfertur, Nec
milij granum proiectum ſolum contigiſſet, nullus fermè ad caſtrorũ cu-
ſtodiam remanſerat. Iam collecti ad foſſas uenerant, in aggere gradum
fixerunt. Si quis Chriſtianus aut oppidanus in munimentis aut propu-
gnaculis apparuiſſet, uel interficiebatur, uel multis uulneribus confo-
diebatur. Ad noctem uſq; & tormentis & ſagittis Chriſtianos agitare
non deſierunt, ſemper eos ad pugnam uarijs inſultationibus prouocan-
do. Prima uerò noctis uigilia undiq; uoces, et ſolitas uociferationes ex-
tulerunt: humi procumbẽtes, lunam ſalutarũt. Eorum ſacerdotes quoſ-
dam hymnos cecinerunt, ad quos cætera turba tantũ clamorem emiſit,
ut terra & cœlũ ipſum reſonare uideretur. Interim Bartholemæus ordinis
diui Frãciſci religioſiſsimus, de quo iam mentionẽ fecimus, per uniuer-
ſam urbẽ equo uectus, munimẽta omnia diligentiſsimè perluſtrauit, cũ
Nicolao Moneta equitũ prefecto, qui bellator ſummus erat, et rei milita
ris peritiſsimus. uterq; populum & milites multis uerbis adhortabat, ut
ſtrenuè fortiterq; agerẽt, & pro fide & patrię ſalute pugnare nõ deſiſte-
rent. Profectò ſi quis Bartholemęũ ex aliqua cõparatiõe cõmendare uel
let, talem ſe, qualẽ Ioannes Capiſtranus in oppugnatione Albę Græcæ,
quę in Danubij ripis poſita eſt, cõtra Turcas geſsit. nam eius uitæ ſancti
tate, & ſacratis ad Deũ immortalẽ precibus Pannonij fortiſsimè decer-
tãtes, barbaros in fugã cũ maxima eorũ cæde & ſtrage uerterũt. Pariter
Bartholemæus integrã illã noctẽ ab adhortatiõe oppidanorũ, & à ſacris
hymnis,

A hymnis & precationibus non cessauit: cui merito magna pars liberatæ Scodræ ascribi potest. Ideo prius quàm barbari pugnam illam horrendam inirent, huiuscemodi precibus Deum immortalem placare conatus est, ut exposceret ueniam & salutem fidelibus Christianis. Adhortatus est populum Scodrensem ad ueri Dei hymnos & laudem, eludens barbarorum uanas & irritas supplicationes.

Omnipotens & misericors Deus, qui es Dominus exercituum, pater & creator omnium rerum, rector & moderator optimus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum: cuius uoluntate ac nutu nos miseri peccatores in his angustijs positi sumus: qui nõ uis quẽpiam turpiter iniuria affici: Respice in nos quales sumus, & miserere Christianorum tuorũ, quibus in nullo alio spes est, nec fiducia, quàm in summa potentia, clementia & bonitate tua: ut gentes barbarorũ, quæ in sua immanitate confidũt, dexteræ tuæ potentia cõterantur. O Iesu fili Dauid, propitius esto nobis peccatoribus, defende seruulos tuos, & miserere nostri, & populi tui Christiani, pro quo mori, & tot cruciatus pati non dubitasti. O Redemptor noster aduenì, & succurre nobis: quia torrentes & aquę inundauerunt in nos. Ecce obruimur, ecce immergimur, nisi aduenerìs, & eripuerìs nos. Tu solus es redẽptor, tu solus qui liberare potes. Ecce Orcus, ecce Pluto nos deglutire paratus est. Terram iam dehiscere uidemus, terram aperiri, ut nos absorbeat. Ecce furor, ecce rabies barbaricæ gentis adest, quæ ad fidem tuam sanctissimam scindendam euertendamq; accelerat: pro qua tu, ô Redemptor, Petro dixisti: Pro te, ô Petre, rogaui, ne fides tua comminuatur, siue deficiat. Ergo potentissime & clementissime aduenì, ne morêris: circunciṅge nos muro
B tuo inexpugnabili, & armis tuæ potentiæ protege. Libera nos semper Deus Israel, clamantes ad te: da gloriam nomini tuo, & erue nos in miribilibus tuis: qui pro sanctissima fide tua & religione tutanda, tam diras tamq; acerbas procellas, tot damna, tantas cædes patimur. Et emittere digneris angelum tuum percutientem, qui iussu tuo hostes, Meumethanamq; gentem prosternat, fuget atque pessundet: nec aliter quàm pro liberatione populi tui Israelitici contra crudelitatẽ Senacherib: ex cuius exercitu, imperio tuo & uoluntate, una tantùm nocte, centum & octoginta millia hominum interfecit: fac illis Domine, sicut Madian & Sysara, sicut Iabin in torrente Cyson: disperierunt in Endor, facti sunt ut ster cus terræ. Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebeæ, & Salman. Deinde ad intemeratã Virginẽ cõuersus, suppliciter has preces effudit: O gloriosissima & beatissima Virgo, mater summi Regis, cœli, terræ, maris regina, hospitatrix, tutela & aduocata nostra, suppliciter ac submisse misericordiã tuam exoramus, ut fidelibus et Christianis tuis adsis: qui pro honore & sanctissima fide unigeniti filij tui pugnare totis uiribus non desistũt. Quibus etenim nulla est alia spes, nullaq; fiducia, nisi in suprema potentia misericordiaq; summi Regis regum filij tui, & precibus, ope atque auxilio tui numinis, tuæq; deitatis. Tu enim sola es, quæ nos ab immanitate feritateq; impijssimæ sæuissimæq; gentis Meumethanę tueri eripereq; potes: quia nihil est, quod apud filiũ tuum impetrare nõ ualeas. Omnia enim tibi ex arbitrio tuo concedunt. Quare age, ô Regina & imperatrix, protege & succurre (res enim festinatione indiget) cõtere brachiũ peccatoris & hostis maligni: debilita & enerua eius uirtutẽ, tolle potentiã, obcæca lumen oculorũ, colliga pedes eius, & manus, ne fera pessimaq; gens nobis dominet. Dum hæc gerũtur in

tur in urbe, interea uerò ingens uis & flatus uentorum undiq; exortus A
est, qualis nec hyberno tempore oriri solet, adeò uiolentus erat: ut,
quod aiunt, secum & urbem rapere uideretur. Tunc uerò barbari, qui
facilè his superstitionibus ducuntur, & libenter auguria obseruant, ar-
bitrati sunt se bello superiores fore, uictoriaq; potituros, propterea
quòd flatus ille uentorum summa magis perflabat, in urbemq; uersus
erat. nam propugnacula stationesq; oppidanorum per auras tollebat,
eosq; mirum in modũ uexabat: unde ex continuo maximoq; eius flatus
stridore, ex nimio clamore barbarorum, qui undiq; efferebatur, præte-
rea ex motu armorum, crepitu tormentorum, ueluti mugitu montium
(eo enim tempore, utpote quieto, facilius cuncta audiuntur) imago
quædam ingentis terræmotus reddebatur, quo funditùs terra concuti
& hiscere uideretur. Barbari enim per totam ferè noctẽ uociferare nun-
quam destiterunt. Iam ferè noctis extrema pars erat. Ecce uis illa uento-
rum ad ima & inferiora conuersa, diuino numine (ut creditur) Turcas
ipsos plurimùm agitare cœpit, & usq; ad solis ortum adeò, ut turpiter &
cum strage maxima à Christianis retro detrusi sint: quo uẽtorum in eos
uerso impetu & animos abiecerunt, & Scodrensibus uictoriam adiudi-
carunt. Præterea miraculo fides manifesta accessit. per totam noctem il-
lam uisi sunt cęrei passim per stationes et munitiones in cuspide lancea-
rum & hastilium & trabium ardere: quos in signum uictoriæ non nisi di
uinitùs præmissos fuisse, credẽdum est. Nec quispiam humanas mentes
illusas esse putet, quoniam nautis hoc sæpenumero in mari contigisse fe
runt: qui quum à tempestate & fortuna aduersa iactarentur, diuum Ni B
colaum alios ue sanctos inuocando, deprecãdoq;, luminaria accensa &
candelas in naui ardentes attestati sunt se uidisse: licet Castori & Pollu-
ci id uana antiquitas superstitiose assignet. Plinius uerò id in maiestate
naturæ reconditum esse asserit. qua ex re Scodrenses erecti, & spei & uic-
toriæ pleni, non assiduis barbarorum clamoribus ac ululatibus, quod
ad terrorem continuè edebant, amplius mouebantur: sed ad preces con
uersi, redemptorem suum, & intemeratam matrem, diuum Marcum &
Stephanum supplici uoce inuocabant, ardentius & accuratius custodię
suæ uacantes: nihil quod ad defendendam urbem pertinebat, nullis tem
porum interstitijs omittebant, tum uotis ac precibus, tum bene agendo
uictoriam in manibus habebãt. In animum introduxerant, quod certissi
mis patet experimentis, Deum immortalem his succurrere, qui non se-
gnes & desides sint, sed ad laborãdum & uigilandum accincti. Ideo alij
uallum & munimenta reficiebant, nonnulli tormenta locis suis dispone
bant: quidam pluteos præparabant, & ollas calce replebant: uasa oleo,
pice, resina oblinebant: cados, & diuersorum uasorum genera puluere
& saxis opplebant: nemo alicuius muneris expers erat. Intenti omnes,
festinare, parare, quæ ad imminentem pugnam pertinebant: nihil inten-
tatum relinquere: omnes, quod agẽdum instabat, sedulò perficere, mu-
tuis adhortationibus se inuicem ad uictoriam intrepidi & alacres exci-
tare. Par animus in matronis erat: quæ nulla ex parte, nec sedulitate, nec
promptitudine, nec labore assiduo ad prẹparandum ea quæ ad salutem
ciuitatis pertinebant, uiris cedebant. Eo maior profectò harũ laus, quan
to sexus debilior. mixtæ uiris munimenta ascendebãt: strenuè cum ho-
stibus dimicabãt: plures earũ tormentorũ ictibus interfectæ fuerũt. Ot-
tomanus pugnæ signũ dederat, ut in lucẽ ad crepitus tormentorũ ex mu
nitionibus erumperẽt, & oppidanum aggressi, propugnacula uiriliter
conscenderent,

A conſcenderent, & ad urbis expugnationem totis uiribus intenderent. Chriſtiani uerò haud ignari, barbarum aperto marte ante lucem de moreurbem eſſe aggreſſurum, ubi cuncta ad bellum compoſuerant, ordinarantq; hoſtẽ ad pugnã inſtructi omnes atq; accincti expectabant, præcipuè ad munimenta & turres portæ Magnæ (cætera nanq; loca urbis, ut prædiximus, ſatis tuta munitaq; erant) ubi ſumma pugnæ, totaq; uis belli futura erat: ubi cardo totius certaminis erat, omnis labor inſtabat, omne periculum ingruebat: quo fortiſsimus quiſq; barbarorum conuenerat: quo Princeps ipſe cum omni apparatu ſuo uenturus erat. Quo enim loco, quanquam & Itali, maritimiq; milites adeſſent, tamen maxima pars copiarum ciuibus conſtabat, fortiſsimaq; manus iuuentutis agreſtium conuenerat. Aderat quoque & ipſe prætor urbis: apud quem ſorte cõſtitutum eſt, quis nam primus cum copijs uallum aſcenderet, & cum hoſte confligeret, & primo congreſſui barbarorum ſeſe opponeret. nam terribilior magisq; ferox eſt prima uis, primusq; barbari impetus. Fortiſsimi enim primi, et robuſtiſsimi omnium pugnam ſubeunt, tripliciautem congreſſu rem maximè expedire conantur. In his nihil proficientes, ſegniores remiſsioresq; uiribus efficiuntur, belloq; admodum penitus deficiunt. Stabant utrique ad pugnam accincti. Inter Chriſtianos uerò, quamuis nullus aduerſus hoſtem primam pugnæ prærogatiuam recuſaret, nihilominus prodijt in medium ante omnes Iacobus Moneta ciuis egregius, & ſummus bellator: qui ætate ingenioq; grauis armis, rerumq; militarium peritia cæteros antecellebat, procero corpore, facundia præditus, parentum ſplendore & diuitijs ornatus. Hic dum inſtaret acerrima pugna, eius partes primas ſibi dari popoſcit. nam præſto
B erant ei centum uiri & amplius robuſtiſsimorum corporum, ex ciuium agreſtiumq; iuuentute. Aderat quoque Moncinus eius frater, uir quidem ſatis bellicoſus, ſolers & induſtrius in munimentis conficiendis, in ciues & in milites munificus. Verùm Iacobo propter auctoritatem grauitatemq;, & quia antea ſemper præclarè res militares geſſerat, libentiſsimè omnes aſſenſi ſunt. Itaq; collecta manu militum, animos eorum ſic in pugnam tali oratione accendit, ſic pro victoria exhortatur. Exploratum atq; compertum iam nimirum uobis milites eſſe arbitror, quanti Ottomanus uos, uirtutemq; ueſtram faciat: cum is diebus ſuperioribus tot edicta, tot minas in ſuos ediderit, ut unumquemque abſque ulla exceptione in pugnam contra uos prodire cogat. nam quum eorum ignauiam accuſet, timorem ſuum indicat, & quanti uos faciat oſtendit. Iam non fretus uirtute & robore militum collecta, uiliſsima ex omnibus nationibus colluuie, quos omnes gregarios milites et ſeruilis conditionis cenſeas, rerum bellicarum prorſus ignaros, expertes, ſola multitudine uos perterrefacere putat. Sed quorſum hęc Ottomanus? nam ſi cum ueteranis ſuis & expertis militibus nos expugnare minimè ualuerit, quomodo nunc cum abiectiſsima turba & mechanicorum manu debellare credat? Scitis iam, ô milites, quòd quoties nobiſcum manus cõſeruerit, certamenq; commiſerit, toties à nobis repulſus eſt, et uſq; ad ſtatiua maxima clade atque ignominia profligatus. Fortiſsimus quiſq; ſuorũ iam interijt: ueterani & bellatores eius iam ferè omnes cecidere. putat ne Ottomanus cum aquarijs, lignarijs & cocis urbem noſtrã ingredi? Credibile eſt iam diſceſſurum fuiſſe, niſi dedecore & ignominia moueretur. Tentat nunc Ottomanus, tentat aſtutia & ſagacitate ſua. Hic eſt eius ultimus conatus: non amplius oppugnationem tentabit. Vidiſtis iam ipſum cum ſua uerſutia & calliditate nihil profeciſſe, ita nec in poſterum

(ſumus enim curæ Deo) quicquam profuturum confidite. Reliquum A
eſt nimirum, ut ij qui à clade ei ſuperfuerint, hodierna luce à uobis humi
proſternantur. Exanimati ſunt omnes barbari, & perterriti. nouerunt
enim uirtutem ueſtram, experti ſunt iam uires: timent quidem uos, ſed
ui coactiq; ad bellum trahuntur. Ecce tanquam belluæ ad occiſionem
& interitum ruunt. Ottomanus tanquam pecora ad necem impellit. Sed
dicat mihi ſanæ mentis aliquis, quid præclari animus timidus atq; inui-
tus gerere poſsit? Quare, ô ciues fortiſsimi, lares propríos, patriam, quę
hodie ferro defendenda eſt, reſpicite. Miſeremini cõiugum, líberorum
ueſtrorum, quos tanto labore, ſtudio atq; cura educaſtis. Nolite ſinere
eos iugulari, atq; in ſeruitutẽ rapi. nulla eſt enim pietas in barbaro, nul-
la profectò miſericordia, hic dies & periculis ueſtris ultimã manum ím-
ponet, nolite hoſti ignauo ac imbelli cedere. Omnes enim ſi ceſſeritis,
ad unum tanquam belluę trucidabímini: nuſquam eſt uobis fuga, nulla
ſpes alicunde, nec ex alieno præſidio. Incolumitas ueſtra, patriæ, libero-
rum, hodie in manu ueſtra ſita eſt: qui ſi fortiter animoſeq; hoſti repu-
gnaueritis, uictus hoſtis à uobis abíbit. nec putetis Turcas inuictos eſ-
ſe: uinci enim poſſunt, & ſæpe à uobis uicti fuere. Quantũ autẽ Turcæ
ualerent, eorumq; arma, uirtus ueſtra prima obſidione oſtendit. Minor
ſanè eſt Turcarum potentia, quàm fama feratur. hæ copiæ barbarorum,
hæc multitudo, quę ad hoc bellum uenit, inermis eſt atq; imbellis, quam
tanquam pecudum gregem nobis diſsipare licebit. Tumultus, ululá-
tus, multitudinem eorũ nolite timere. Virtus ſpectanda eſt magis quàm
numerus. In multitudine exercitus non eſt uictoria belli, ſed diuinitùs.
Tam facile eſt Deo in paucis, quàm in multis uincere. Cauſa noſtra Dei
eſt: nos iure pugnamus pro lege Dei, pro fide, pro patria, pro aris & fo- B
cis, pro liberis. At ij contrà, quod nunquam habuere, ui atque iniuria pe
tunt. pro libidine enim unius, pro auiditate imperandi, nos uita, patria,
bonisq; priuare contendunt. Sed bono quidem, ô uiri, eſtote animo:
quia Deus, cuius prouidentia cuncta reguntur: qui nemini uim inferri,
nec iniuſtè quenquam uexari patitur, ipſe hoſtes in cõſpectu noſtro ho-
die conteret: hodie nobis de cœlo uictoriam mittet: cuius quidem ut nõ
ſimus compotes, quid timeamus? quid dubitemus? Sumus enim egre-
gia bellatorum manus, multitudoq; militum delecta, armis exercitata:
non deſunt nobis militaria arma, non bellica inſtrumenta, non qui his
peritè utantur. Præterea nos locus eminens & accliuis tuetur. illi in a-
ſcẽſu trepidi, & ſemianimes, more puerorum timído et titubanti gradu,
iniquitate loci plurimum laborabunt. Itaque hodie barbarus uires no
ſtras ſentiet: hodie Chriſtiani uirtutẽ fidemq; Chriſti experientur, quod
uera ſit, cæteriſq; potentior. hodie Turca uincetur: hodie efferata Otto-
mani rabies proteretur, conculcabiturq;: hodie eius ſuperbia ruet, atq;
cadet. Sumamus igitur arma læto hilariq; animo, munimenta uiriliter
intrepideq; conſcendamus, in hoſtem fortiter audacterq; irruamus. Ho
die hanc peſtem, hunc morbum, hanc cõtagionem à nobis ex urbe, è re-
gione noſtra reiiciamus. Debilis eſt hoſtis, nec ab eo uinci poterimus ni
ſi uolentes. primo enim congreſſu proſligabitur, in fugam conuertetur.
Quid dubij? quid difficultatis? Nam barbari, qui è tot cladibus ſuper-
fuerunt, partim perterriti & feſsi, partim confoſsi uulnerati; ſunt. Hi ti
midi atque inermes, nos uerò armati omnes, optimisq; loricis, thoraci-
bus, galeis induti atque inſtructi. Corpora noſtra tota ferro teguntur.
Quiſque noſtrûm aut haſtam ferratam, aut manu habilem catapultam
fert. Vnus cum mille ſtrenuè pugnabit. Quamobrem minimè durare po
terunt,

terunt. Iis enim omnia incõmoda aduersantur: nobis uerò cuncta adiumento sunt, & nos defendunt. Sed in primis beatissima Virgo, diuusq; Nicolaus: cuius, ô milites, ecce templum, ecce ædem, quemadmodum tormentis sæuissimi perduelliones, diuinisq; cultus corruptores uiolarunt, detur paruntq;. Mementote, ô ciues, illud diuinum, non reticendumq; miraculum, quod is sanctus in prima obsidione in barbaros (ut ipsi attestati sunt) ostendit. nam primum saxum sphæricum, quod ipsi barbari in hoc templum & hanc ædem contorserunt, beatus Nicolaus nõ sine magno periculo in eosdẽ reflexit, ex quo plures interfecti sunt. proinde, ô commilitones mei, ipsum inuocate: est enim mihi quoq; uenerandus. Ipsi confidite, quia erit nobis adiumẽto: hic retorquebit tela à barbaris emissa, in eos: hic tormenta, hic eorum uires comminuet: hic eos in fugam conuertet: hic nos ab impijssima sceleststissimaq; gente defendet atq; liberabit, quæ hodie pœnas suorum scelerũ luet. Quamobrem, ô Christiani & commilitones mei, in hoc die, in quo Deum propitium habemus, exultate, lætamini, & illi soli pro tanto in nos beneficio gloriam date: hodie fama uestra per uniuersum orbem euolabit, hodie nomen urbis nostræ ubiq; propagabitur: hodie palmam & triumphum summa cum laude & gloria ex hostibus diuino fauente numine reportabitis: hodie arma & spolia ab eis arripietis: hodie fidem catholicã, cuius incolumitas in manibus nostris est, cõseruabitis: hodie nomẽ diui Marci penitus illustrabitur, labores uestri non erunt irriti, merces uestra copiosa erit, nam à Veneto imperio quisq; uestrũm summis honoribus & præmijs decorabitur. Christiani omnes uos in cœlum efferent, & æterna gloria celebrabũt. Quare agite, perstringite gladios in barbarum, sęuite in fures, & orthodoxæ fidei hostes, perfidosq; latrones. Obtruncate, tela & igneos globos & cætera machinamẽta bellica cõtorquete. O' mulieres, ô matronæ, saxa sedulò suggerite. O' iuuenes, irruite in Turcas: ecce uincuntur, ecce terga dant, aufugiunt. His dictis militum animi tanto bellandi ardore accensi sunt, ut non ad certamen, sed tanquam ad ludum intrepidi festinantesq; descendere uiderẽtur. Erant autem armis necessarijs pulchrè instructi, læti & alacres, minimè de uictoria dubij. Dixisset quispiã qui eos tam animatos uidisset, tot ueluti leones acerrimos. igitur re diuina peracta, uexilloq; crucis pręmisso, ad pugnam cuncti maturabant.

Interea nondum orta luce Princeps Ottomanus iugum montis Bassę conscendit, unde pugnam despicere solitus erat. In eo ut primùm constitit, undecim tormentis crassissimis, & duodecim alijs minoribus, munimenta & propugnacula urbis dissipari & prosterni cœperunt. Barbari quibus illud signum datum fuerat, irruptione facta undique euolare, et ingenti tumultu clamoreq; (ut moris est) urbem circumuallantes, propugnacula & munitiones scandere: qui quidem tanta promptitudine et celeritate usi sunt, ut priusquam nostri uallum portæ Magnæ conscendissent, iam illud occupauerãt, et uexilla sua ibi erexerãt. At uerò ubi Iacobus Moneta, quũ eò cum sua cohorte sine mora accurrisset, hostemq; in munimentis urbis conspexisset, ad suos conuersus, ita inquit: O' uiri, ô Christiani, quid immoramini? quid expectatis? Et uibrato ferro (res enim moram prohibebat) pugnam comminus cum hostibus acerrimè init: qui quidem erant ex hostili exercitu prima & delecta manus (solent enim Turcæ primos in certamine mittere, qui fortissimi & ualidissimi sunt) hi ut terrorem nostris incuterent, elata uoce, uultu horrendo, atq;

habitu & aſpectu terribili ſe tremendos præbebãt. Tamen tanta fuit uis ducis, Chriſtianorumq; conſtantia atq; uirtus, ut ipſi hoſtes non ueriti, eorũ inſignibus diſturbatis, illos acriter protererẽt, & in ipſis munimentis paſsim obtruncarent. Sed tanta barbarorum multitudo undique ad inuadendam urbem confluebat, ut confertim cum his comĩus gladijs dimicandum eſſet. Ideo tanquam pecora fœdè trucidabantur: nec tantũ gladijs proſternebantur, ſed & omni genere tormentorum & machinarum: præterea ſaxis, calce, igni, multo maior eorum ſtrages ſequebatur: quoniam tam denſi, tam ſtipati erant, ut tela in irritum non caderent: nec præterea propter frequentem multitudinem retrocedere poterant. Qua ex re Chriſtianis creuit animus, qui acrius in certamen ruebant. Hoc pacto in lucem utrinque acriter pugnatum eſt. Barbari ter uſque ad foſſas & aggeres turpiſsimè profligati ſunt. Iam exorto ſole Iacobus Moneta, qui nocturno illo certamine præclarè cum ſua cohorte ſe geſſerat, ut aliquot ex ſuis partim cæſos partim uulneratos conſpexit, acrius incenſus in hoſtes fuit. Quamuis ipſe totus uulneribus confoſſus eſſet, quamuis facies eius à robuſtiſsimo barbaro, quẽ in ipſo uallo ſtrenuè proſtrauerat, grauiter percuſſa eſſet. nam quamuis totus ualidiſsimis armis munitus eſſet, tamen ex omnibus membris ſanguinis ueluti riui defluebant: bis telis hoſtium, & crebris ſagittis toto corpore collapſus, bis erectus & ſuſtentatus: ſed diuino numine conſtantiſsimus in pugna perſeuerauit, qui milites ſuos ita alacri uoce hortatus eſt: Chriſtiani uirorum fortiſsimi & conſtantiſsimi, hodierna luce fœliciſsimi. Ecce iam bellum pe regimus, barbarum uicimus: timorem omnem deponite: hilari, intrepidoq; eſtote animo. ter enim hoſtẽ fregimus, propulſauimusq;: tergemĩ nam de eo uictoriam, triplicemq; triumphum geſsimus. Ecce retro tur- B piter ceſsit: uires, animum, impetum amiſit. Vix hæc dicta finierat, cueſti giò barbarorum tormenta in confertiſsimam turbam ſuorum militum immiſſa, partem eorum ualidis ictibus diſsiparunt: partem ingenti ſtrepitu attonitos ita reddiderũt, ut proni in terram ceciderint: quod quum barbari conſpexiſſent, receptis animis ſubito clamore iterum in certamen inualeſcentes ruere cœperunt. Sed præclariſsimus Princeps nihil admodum perterritus eſt, ſed impigrè, animoſeq; uim conatusq; barbarorum cum paucis ſuſtinuit, quoad reliquum Chriſtianorum ſubſidiũ uallum conſcendit: ſuos ſemper ad pugnam & uictoriam excitauit: nec inde unquam diſceſsit, quoad bellum diremptum atque peractum fuit. unumquemque Chriſtianorum ſtricto enſe in pugnam impellebat: neminem etiam, quamuis grauiter confoſſum, à bello et loco ſuo diſcedere permittebat. Interim uerò conſcenderunt uallum egregij ciues, & ſtrenui uiri, Blaſius Humoi, & Petrus ei affinitate iunctus, cum egregia manu armatorum, quæ & ciuibus, & incolis, aliarumq; nationum turba conſtabãt: qui omnes cum hoſtium furori ſe animoſè intrepideq; oppoſuiſſent, maximum aſperimumq; certamen commiſſum eſt. Quod quum in longum protraheretur, utrinque & proſternebantur, & paſsim fœdè trucidabantur. Satis proſpera pugna à Chriſtianis ſtetiſſet, niſi barbarorum tormenta in monte Baſſæ poſita, ordinem ciuium turbaſſet, & Chriſtianorum uires protriuiſſet. nam tam crebri ictus hinc & inde immittebantur, ut nonnunquam munimenta protectoribus carerent. Turca uerò, qui quum longè numero ſuperior eſſet, continuè ſuccedebat, ualidiorq; factus ad ulteriora gradum promouebat. Sed ecce eò cõuolauit impiger egregiusq; iuuenis Lucas Moneta, ex fratre Iacobi natus,

de quo

A de quo suprà dixi: quem magna uirorum multitudo armata sequebatur: quæ tanto impetu in hostem delata est, ut is grauiter perculsus aliquantulum retrocesserit. Verùm quia maxima barbarorum multitudo, ingenti numero pluteorum cratiumq; aggeres & fossam transierat, inde pelli minimè poterat. Sed hi præmunitionibus astantes, acriter cum oppidano decertabant. ter enim fossam prætergressi, ad munimenta ascenderunt, & semper à Scodrensibus turpiter reiecti sunt. Quamobrem quum Ottomanus uirtutem, constantiamq; Christianorum aspexisset, ualdè perturbatus, iussit castrorum præfectis, ut omnes copiæ omnisq; multitudo quæ urbem circumuenerat, euestigiò ad portam Magnam concurrerent, ibiq; renouato certamine acrius grauiusq;, quàm antea, pugnam intenderent: nec inde descenderent, sed unumquemque in prælium impellerent, terga dantes grauius cæderent: nec à bello desisterent, etiam si omnes à Christianis interficerentur, quoad urbs expugnaretur. Ecce omnis multitudo barbarorum, seu maior pars ualidissimorum militum conuersis signis ad portam Magnam, & ad eius uallum festinauit, cuius e regione Princeps morabatur, ubi dato signo tubarum tympanorumq; sonitu, sublato ingenti clamore, præmissis signis, summa ui impetuq; irruperunt: & prætergressi aggeres & fossam, ad uallum peruenerunt: ubi signis fixis cominus cum oppidano, gladijs dimicabant: & tanta fuit profectò uis furorq; barbarorum, tanta multitudo tormentorum, telorum, atq; sagittarum, ut Scodrenses, qui pro munimentis res gerebant, penè omnes aut interempti sint, aut grauiter sauciati, ita ut hostis nullũ ferè aduersarium, nullum oppugnatorẽ haberet. Princeps uerò, ut Scodrensem sic oppressum, & signa sua in uallo fixa animaduertit, ut audi-
B tum ex his qui tunc ei proximi astabant, magnopere lætatus, in hæc uerba prorupit: Iam nunc perspicio Christianũ defecisse, iam Scodrensem debellatum esse, urbem expugnatam. En quis est qui militibus meis repugnet? Quis locus tam arduus inexpugnabilisq;, qui abhis non expugnetur: neminẽ ex Christianis iam uideo, neminem qui pugnet. Aedepol urbs iam mea est. Tunc uerò aiunt præfectum castrorum, qui prima obsidione urbem oppugnauerat, his uerbis principem allocutum esse: Inuictissime Princeps, uereor equidem ne decipiantur. Opinor rem aliter se habere, nondum urbem expugnatam esse, nondum oppidanum debellatum. Simulat equidem, crede mihi, fallax subdolusq; Christianus. nam abhinc annos quatuor, dum obsidioni superiori præessem, probè expertus sum. Solet enim uafer callidusq; Scodrẽsis copias in bello recentes ad nouissimum subsidium conseruare, ut hostem exhaustis uiribus fessum, ipse integer & refectus penitus opprimat, ac prosternat: nondum copias instructas, nondum munitum præsidium eorum uidimus. Vix hæc dixerant, en euestigiò Christianorum copiæ, quæ in foro paratæ erant, ad portam Magnã cum uexillo aureo conuolauere, & statim edito sonitu tubæ, nomineq; Iesu inuocato, hostẽ armis, ferro, telis acerrimè aggressi sunt: illumq; gladiatorio animo undiq; cædentes, ferientesq; è uallis deturbarunt, eorumq; insignia prostrauerunt & dissiparunt. Vbi uerò Ottomanus, qui prius uictoria iam parta lętus gloriabatur, suos tam fœdè deiectos, profligatosq; uidet, signa disturbata, prostrataq;: contristatus ualde ingemuit, & excandescens, tormentorum peritis statim iussit, ut crebris tormentorum ictibus, uel cum suorum strage Christianos passim & crebrò cæderent. Tunc uerò uidisses omnia barbarorum tormentis, quæ in monte Bassæ posita erant, misceri, & ue-

xari: urbem & munimenta uelut à grandine discuti: duces, & castrorum A
præfectos, qui in inferiori parte erant, properè strictis gladijs ad supe-
riora cõscendere: unumquemq; in pugnam impellere, increpare, in cer-
tamine acrius instare. Barbaros iussa principũ pertimescentes, eorumq;
præsentiam non sine pudore formidantes, summo furore in pugnam sese
conuertere, Scodrensem acerrimè opprimere, propugnacula undiq; op
pugnare: oppidanum uerò contrà fortiter instare, pugnare, urbem tue-
ri, hostem armis & ferro repellere, tum saxis, igni, cæterisq; tormentis
deturbare, Barbarum undiq; cædi ac trucidari, humiq; passim procum-
bere, non secus quàm cum calami, ui tempestatum ac grandinum fracti,
penitus ad radices corruunt. Cæterùm tanta erat uis frequentiaq; ho-
stium, qui assiduè subibant, præterea tantus erat numerus impetusq; tor
mentorum atq; spiculorũ, quæ semper undiq; conuolabant, ut uix Chri
stiani iam amplius uim furoremq; eorum sustinere possent. omnes enim
aut à tormẽtis absumpti erant, aut à sclopis interempti, aut à sagittis con
fossi: nullus fermè erat, qui gradum sistere posset: & quum omnis moles
oppugnationis & cardo totius negotij ad portam Magnam uerteretur,
per totam urbem clamor ingens exaudiebatur, ut omnis manus prote-
ctorum ad eam in auxilium conuolaret, quòd hostes in eo essent, ut iam
iam ingredi uiderentur. Ecce præclara manus Christianorũ, armis egre
giè instructa, uallum conscendit: cum hoste uiriliter dimicat. Præclarum
erat uidere Christianos non ut homines, sed more leonum aspectu san-
guinis animatos, feruore fidei accitos, in prælium cõtra barbaros ruere:
nihil aliud pensi habẽtes, quàm contra tyrannicam ferocitatem, Christi
iniuriam suorumq; cædem ulcisci. Omnes enim certatim tanquam fero
cissimi leones pro uallo pugnantes in barbaros sæuiebant, illosq; sem- B
per omni tormentorum genere prosternebant: & præcipuè igni, à quo
infinitus numerus præfocabatur. Contorquebãtur autem barbarorum
tormenta in Scodrenses assiduè. nihil enim magis Christiani uires pro-
terebat: ex quibus strages calamitasq; maxima ac miseranda edebatur:
nihilominus Christiani nihil admodum territi, sed uitam nihili penden-
tes, prompti in pugnam ruebant. Et quanquam in tot periculis & in tan
to discrimine essent cõstituti, tantoq; impetu barbarorum oppressi, atq;
continuè uexati, nunquã ab inuocatione nominis Christi beataeq; Vir-
ginis desistebant: & mutuis adhortationibus, obliti propriorum nomi-
num, fratres se inuicem appellabant. Omnes unanimes tanquam ab una
origine manantes (ut de gente Fabia traditum) barbaricæ sæuitiæ for-
titer occurrebant: ut meritò in illorum commendationem illud præcla-
rum decantari possit, Pulchrumq; mori succurrit in armis. Certatim ro-
bustissimi milites inuicem se exhortantes, uallum conscendebant: super
strage corporum suorum intrepidè hostem propulsabãt. Videres enim
maritum in cõspectu uxoris occumbere, filium sub oculis paternis pro-
sterni, patrem non morte filij consternari, neque misereri, filiam patrem
mortuum seu laborantem non aspicere, tormenta barbarorum amplius
non formidare, iacula, sagittas sclopos q; pro nihilo habere, feritatem &
immanitatem hostilem, numerũ penè infinitum paruipendere. Sola cu-
ra, unicus amor omnibus inerat, urbem seruare atq; defendere, patriam
supra uires & ad sanguinem usque tutari, unumquemq; pro fide Christi
alacriter pugnare, emoriq;, & uitam semel Deo deuotam exponere. Ot-
tomanus princeps quũ ex montis specula prospexisset Scodrensem pu-
gnacem in bello, fortem atq; constantẽ esse, nec ullo pacto loco suo pelli
aut

A aut ſuperari poſſe, ſtomachatus, ira atq; indignatione ualde commotus, iterũ atq; iterũ omnibus tormentorũ peritis iuſsit, ut crebrò & indiſcretè, ſine ſuorũ & hoſtiũ diſcrimine, tela & ſaxa contorquerent: pariterq; imperatoribus ducibusq; caſtrorũ, ut collecta ex omni parte uniuerſa multitudine, cunctis uiribus atq; conatibus, omniq; ope, arte, atq; ſcientia ad urbis expugnationem intenderent, illiq; iam extremã manum imponerẽt. Inſuper minas horrẽdas adiiciebat, grauiſſimaq; ſupplicia, niſi rem ad effectum perduxiſſent proponebat. Confeſtim ad nutum principis Meumethani, omnes uel ignaui & imbelles ad portã Magnam ſummo impetu, ac ultimo conatu errũpebant. Prẽterea tormenta omnia tam in ipſos Turcas, quàm in oppidanos obſtrepebãt, ex quib. pariter permulti tollebanẽ. Quare ter maxima cædes ſtragesq; ipſorum barbarorũ à tormentis ſuis edita eſt, ita ut id non parum ad uictoriã oppidanorum cõtulerit. Sed quanq; his auxilijs ſuccincti eſſent Chriſtiani, tamẽ tantis tormentorũ, furorq; barbarorũ inualeſcebat, ut niſi Dei omnipotentis diuinum auxiliũ, & beatiſsimæ Virginis, diuiq; Nicolai affuiſſet (ut uerè affuiſſe creditẽ) tunc fortè de urbe actũ eſſet. nam uiſi ſunt per urbẽ heroes & diĩ pro mœnibus contra barbaros pugnare (ut ipſi poſtea barbari fœdere icto aſſeruerũt) nõ imaginẽ humanã habentes, ſed hominis formam excedẽtes, qui barbarũ è uallo & munitionib. deturbabãt, propulſabantq;, ne urbẽ ullo pacto ingrederenẽ. Interea præclara et egregia manus Chriſtianæ iuuẽtutis, quæ ex aliis ſtationib. & locis euocata fuerat, maxima ui & impetu atq; audacia illuc cõuolauit, uallũ turris portę Magnæ cõſcendit, acriter cũ barbaris decertare cœpit, ubi ex utraq; parte frequẽtiſsimi cadebãt. Sed quia barbarus numero & ingẽti multitudine abundabat, recẽs ſemper certamẽ inſtaurabat: Chriſtianus paucitate uix reſiſtere, uix ſe tueri poterat. nam ex barbaris alĩ alijs ſuccedebãt, & ſtrata cadauera calcabãt, ex quibus ueluti gradus ad urbis ingreſſum faciebant. Machinæ & tormenta eorum ſine interuallo in Chriſtianos immittebantur: nunquam eorum ictus irriti erant, plures de medio tollebantur. Semel (quod reliquam ſtragem ſignificare poteſt) unius tantum ictu lapidis duodeuiginti Chriſtiani deſiderati fuere. Clades multiplex ſemper oppidanorum ſequebatur: tormenta ſine numero obſtrepebant, iacula & ſagittæ undiq; confluebant, nec tantummodo eam urbis partem ad quam mittebantur, infeſtabant, ſed ex illa ad plura alia loca non ſine magna cæde exiliebant: & tam denſa ſpicula atq; ſagittæ in omnem urbis partem ferebantur, ut undiq; terra his cõtecta ad palmum eſſet: non campanarũ funes præ ſagittis infixis cernebãtur: adeò, ut Scodrenſes per integrum menſem nullis aliis lignis ad conficiendos ignes uſi ſint. Fœdum aſpectum erat, membra Chriſtianorum tormentis diſſipata per aerem ferri: nulla munimenta, nulli parietes erant, qui non his referti eſſent. Vici omnes urbis, uiæ, ſemitæ Chriſtianorum cruore contaminatæ atq; pollutæ erant. Domus ſternebantur, templa ruebant. Aer ipſe perniciem & calamitatẽ Chriſtianorum deplorare uidebatur: nunquam tormenta innumera, & machinæ bellicæ ceſſabãt. Tanta telorum multitudo erat, tam denſi eorum ictus & crepitus, ut grandini meritò comparari poſſent. Quid dicam de horrendo tubarum clangore & tympanorum ſonitu? Quid de ingenti ululatu, efferatisq; uocibus barbarorum? quibus omnium aures ita obtundebantur, ut nihil aliud audiri poſſet: ſed cœlum ipſum terris miſceri uideretur. Turpe ubique ſpectaculum oculis omnium occurrebat, ubiq; cruor, ubiq; cadauera, paſſim

sim cæsa, membra dissecta, & à reliquo corpore ui tormentorum auul- A
sa: profectò si quis stragem, quæ ad portam Magnam edebatur, animo
quieto contemplari potuisset, non minus tetram & uariam esse dixisset,
quàm ea quæ de uarijs supplicíorũ generibus apud inferos traduntur:
adeò res fœdæ, tetræ, horrendæ urbem ipsam cõsternabant. Clamor iam
per uniuersam urbem, & uoces undique personantes cuncta impleue-
rant, exclamantium: O Christiani & fideles, ô uiri, ô mulieres, ô pueri, ô
puellæ, ô saucíati & confossi, ô languidi & ægrotantes, accurrite ad por
tam Magnam, festinate, properate, laborantibus Christianis & iamiam
defectis succurrite: quia hostis irrupit, inualuit. Barbarus iam urbẽ ex-
pugnauit, ingressus est. Interim tantus erat tormentorum omnium stre-
pitus, tam densa tela, tantus sagittarũ numerus, tantus puluis ex certa-
mine concitus, ut cœlum ipsum ex omniũ aspectu sublatum esset, nus-
quam terra conspiceretur, nihil aliud quàm cædes, clades, strages, & ca-
dauera prostrata uidebantur, nihil quàm uelut tonitrua, fulgura et coru
scationes sentiebantur, nihil quàm strepitus, tumultus, ullulatus barba
rorum & horrendæ uoces audiebantur, gemitus, clamorq; oppidanorũ
inuicem se adhortantiũ, ut ad portam Magnam ubi cardo totius rei uer
tebatur, omnes subitò cõcurrerẽt. nec solùm hi qui íntegris corporibus
erant, sed & uulnerati, & qui in lectis diu ægrotantes iacuerant, resum-
ptis uiribus facto globo in barbaros impetum fecerunt, non saluti suæ
parcentes, nec tormenta ulla, aut telorum densam ueluti grandinem for
midãtes: subitò magna hostium edita strages, passim à Christianis cæde
bantur. non tamen à pugna deterrebantur, sed alij cæsis & saucijs succe-
debant, pugna acrior insurgebat: quia hinc barbari totas uires expone-
bant, ut expugnationem toties infeliciter tentatam tandem expedirẽt. B
Inde Christiani, cum ageretur de ultimo suæ salutis discrímine, nil aliud
moliebantur, quàm ut hostem à ceruicibus suis auerterent. Vtrinq; plu
res cadebant. Modò barbarus uictor erat, modò pellebatur, & fœde cæ-
debatur. Interdum oppidanus densæ & conglobatæ multitudini cæde-
bat. Certamen in multam diem protractum erat, mars incertus, uicto-
ria anceps diu stetit. Tandem quum ex utraq; parte ferè omnes præter
cæsos percussi & multis uulneribus confossi fuissent, pugna remittere
cœpit. Impetus ille pristinus languescere, nihil prædarũ edi. Omnes &
longo certamine fessi, & uiribus propter uulnera defecti, uix ulterius
gradum promouebant. Christiani tamen constantissimè munimenta &
urbem defendebant. Quumq; barbaros penitus defessos deprehendis-
sent, instauratis uiribus & reuocatis animis in eos impetum fecerũt: qui
cõfestim in fugam conuersi, cum maxima clade usq; ad tentoria fusi fu-
gatiq; sunt. præterea Ottomanus quum de uictoria iam desperasset, &
immensam suorum stragem uidisset, receptui canere iussit. Subitò tan-
quam fulmine perterriti hostes terga dedere, & omnem deseruere expu
gnationem. Hoc quum Scodrenses, qui semper inuicti atq; intrepidi ex
titerant, animaduertissent, oblíti uulnerum & cædis suorum, barbarum
fugatũ usq; ad castra insectati sunt, & post multã hostiũ cædẽ, in urbẽue
luti triumphãtes cũ amplissimis spolijs, quæ hostibus detraxerãt, simul
& multis militaribus signis, magno numero capitum hostilium reuersi
sunt. Ex quo ingens lætícia mœrori permixta, totam urbem inuasit. par-
tim enim patria seruata lætabantur, partim mœrore summo conficiebant,
cum alij parentes inter cæsa cadauera, alij filios trucidatos, alij fratres,
nonnulli amicos & sodales conquirerent. Eo maiori dolore afficiebán-
tur, quòd

A tur, quod membra passim disiecta, & in multas partes dispersa, colligenda, & in unum congerenda erant. Qua tamen pietate & religione potuerunt, ea tumulis mandarunt. Et ne Christiani diuini auxilij, quo plurimum adiuti fuerant, immemores uiderentur, ut gratias debitas Deo immortali pro tanta uictoria persoluerent, triduo integro rebus diuinis et pijs supplicationibus intenti, hymnos sacratos redemptori humanæ salutis cecinerunt: & in omnibus templis se gratissimos esse ostenderunt. Non tamen interim urbis custodiam deseruerunt, nec à munimentis instaurandis & resarciendis recesserunt. non enim aliter cuncta muniebant, et in stationibus excubabãt, quàm si de integro hostis urbis oppugnationem inuasurus esset. At Ottomanus barbarorũ princeps post tam turpem & fœdam suorum fugam, tantamq; calamitatem, dentibus frendens et ingemiscens, suscepti negocij pœnitentiam nephandis querelis ostendit, & in hæc uerba uoce iracunda prorupit: Vtinam Scodræ nomen ad aures meas nunquam peruenisset. Frustra ueni, & omnes mei conatus ad irritum cecidere. Deinde temerario impuroq; ore de Deo immortali questus est, qui nõ sua uota secundarit: quod nõ et sibi, ut olim Alexandro Macedonum regi, & Cæsari, imperium orbis terræ concederet, potiri rerum permitteret. Satis ei cœlestium curam esse debere, si sibi aduersari uellet. His dictis, uehementi furore correptus, ab urbis conspectu in tabernaculum suum se proripuit: ubi biduum se afflictans & macerans, neminem admisit, se inexorabilem præbuit.

MARINI BARLETII DE OBSIDIONE SCODRENSI, *Liber Tertius.*

B QVum uerò dies tertius illuxisset, Princeps Ottomanus confestim generale concilium conuocauit, ut de integro nouam urbis oppugnationem aggrederetur. hoc enim coniectura quadam assequebatur, Christianos tot cladibus, tantis prælijs obtritos, amplius resistere non posse: & ob hanc causam facilem sibi uictoriam fore sperabat. Cum hæc & alia plura in mediũ protulisset, ab omnibus magna uoce properè succlamatum est, id minimè esse faciendum: quod quicunq; ex suis certamini superfuissent, aut magnis uulneribus confossi essent: aut ita uiribus exinaniti & debiles facti, ut nullo pacto quicquã strenui amplius edere possent. non enim sibi cum hominibus instare certamen uociferabantur, sed cum dijs pugnandum esse. Quis enim cõtra deos arma ferat? Satius esse asseuerabãt, ut ipsi inter se mortem inferrent, aut ipse Princeps proprio gladio sigillatim unumquenq; iugularet, quàm tam fœdè, tam turpiter à Christianis trucidarentur. Tunc unus ex consiliarijs, Ahamates Begius nomine, surrexit, qui alios & ætate & rerum gestarum præstantia, autoritate facundiaq; excellebat, oriundus ex leureneſorum familia, quæ uetustissima est, atque omnium aliarum (ut aiunt) præclarissima, quæ nunc legem Ottomani in Europa sequuntur. Triginta enim uiri ex hac familia, summæ auctoritatis atque dignitatis sub Meumethe floruere, secutiq; sunt primùm Ottomanum, quum ex Asia in Europam traiecisset. Item duæ aliæ familiæ memoratu dignæ, Principem nouam Romam petentem comitatæ sunt, domus scilicet Mialbegij, qui olim Danubij præfectus extiterat, & domus Alutbassæ. Verùm Ahamathes in concione Principem allocutus, huiusmodi orationem habuit.

Summa quidẽ uirtus tua est, inuictissime Imperator, laudes tuas quis unquam enarrare poterit? Mens hominum eas nõ capit, animus his stupet, lingua hæret, nec ad enumerãdum eas tempus omnino suppeteret.

Verùm

Verùm illud ab omnibus pulcherrimũ existimari solet. Si quis, sereniſsime Princeps, à maioribus ſuis imperio accepto tutari conſeruare q̃ integrè potuerit: hoc autem maius, ſi illud cum gloria auxerit & ampliauerit: maximum uerò, ſi ex nihilo, uel ex minimo ad ſummum præclaris geſtis perduxerit: hoc extremum uirtuti tuæ ac fœlicitati aſcribendum eſſe omnes cenſent. Sed inter omnes ego certiſsimũ huius rei teſtimonium afferre poſſum. à maioribus enim meis ſæpius accepi, qui Aſiæ fines relinquẽtes, Ottomanum ſecuti, has ſedes incoluerunt. Maiores tuos, ut primùm in Europam appulerunt, angulum (ut ſic dicam) circa Helleſpontum tantummodo tenuiſſe: quibus tu poſtea diuinitùs ſuccedens, tot regna, tot prouincias, tot imperia tua ſingulari & eximia uirtute adiunxiſti, ut ea commemorare longum eſſet. Quis enim dignè enarrare poſſet, ut in Europa Thraciam domueris? ut Conſtantinopolim caput Imperij oriẽtalis? Tu Adrianopolim, tu Calipolim, Helleſponti urbem clariſsimam, tu Achaiam, Græciam, Bœotiã, ubi Thebæ tanti nominis, cæpiſti. Attica prouincia, ubi quondam Athenæ ciuitas præclariſsima & mater bonarum omnium atq̃ præſtantiſsimarum diſciplinarum floruit, tibi ceſsit. Tu uerò Trapezuntium imperiũ, expulſo Imperatore, expugnaſti: tu utriuſq̃ Myſiæ regna ſuperioris inferioris q̃, tu Peloponeſum eiectis dominis, tibi glorioſe ſubegiſti. Aſiæ uerò minoris regna circiter duodecim tibi uindicaſti: Pontum, Bithyniam, Cappadociã, Paphlagoniã, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiã, Nicomediam, Niceam, Pruſam, opulentiſsimam urbem: præter hæc loniam, Dorim, Smyrnam, Colophona, Epheſum, Miletum, item Alicarnaſum, Pergamum, Ilion, inſuper Tanaym, & Tauricam regionem domuiſti. Armeniam quoq̃ maiorem ualido exercitu ingreſſus es. Tu Rauſeos ſtipendiarios tibi effeciſti: tu Chium & Cohos tibi ſuppoſuiſti: tu complures urbes & ciuitates Parthorum expulſo eorum principe ad pactiones accipiendas compuliſti: tu Lesbon inſulam præclariſsimam, Foliam ueterem & nouam, Merlinum regno tuo adiũxiſti. Tu Iacyges, & Vindelicos expugnaſti: tu Domani prouinciam, quæ Sultano paret, euertiſti: tu Eubœam inſulam, tu Lariſſam, Cephaleniam, tu Scandelorium expulſo Caramano cæpiſti: tibi munitiſsima Croiæ urbs tandem in deditionẽ uenit: tu demum Macedoniam intraſti, Thraces euertiſti, Tribalos deleſti, Pœnos expugnaſti, Acarnanes atq̃ Aetholos propriis ſedibus expuliſti. Quid infinitos penè populos, quos fortiſsimè deuiciſti, commemorem? Illud tantum dixiſſe nunc ſat erit, te uiginti prouincias, ducentas q̃ urbes ex manibus Chriſtianorum (ut ſic dicam) extorſiſſe. Præterea quia longum eſſet, quot principes, quot duces, quotq̃ reges Machometanæ ſectæ domueris, profligaueris, enumerare, in hoc tempus non conteram. Omnia tuæ potentiæ, tuis expeditionibus adhuc ceſſerunt. Iam non amplius monumenta priſca Cæſarem, Scipionem, Pyrrhum, Hannibalem, & reliquos urbis Romę & exterarum gentium duces, tot laudibus in cœlum efferant. Omnes tibi & numero præliorum, & multitudine urbium & prouinciarum captarum abſq̃ dubio cedere uidentur. Ottomanum profectò nomen ad imperandum fatale eſt. Breui uniuerſus terrarum orbis ſub iuga tua ueniet: gentes omnes tibi parebunt. Id quod ad Scodræ expugnationem pertinet, non te tantopere cruciet. Omnia mortalia & humana (ut ſcis) nonnunquã noſtrã opinionem fallunt: in his plerunq̃ fortuna dominatur. Sed huius rei ſecurus eſto: fidẽ meã maieſtati tuæ obſtringo, modico tẽporis interuallo

me

A me elaboraturum, ut in tuam ditionem ueniat. Non ne Croiam urbem tam munitam, diuq; exoptatam, nuperrimè in tuam redegi potestatem? Quod autem de integro Scodrensem expugnationem aggredi uelis, non is sum qui in hanc sententiam descendam: sed longè mihi alia mens est, aliusq; animus. nam tentare bellum & succumbere, facile est cuilibet: uincere autem, & triumphum de hoste referre, id pauci aut rari facere nouerunt. Oportet enim eum qui de tam magnis arduisq; rebus consultat, ira atq; cupiditate carere. Scodrensis uerò amplius ad pugnã prouocandus non est. Frustra enim aduersus eum laboraremus. nam si cum florẽtissima recentissimaq; multitudine illum expugnare nequiuimus, quomodo nunc cum paucissimis, & cum his qui uiribus exhausti & debiles facti sunt, uincere poterimus? Perlustraui castra, tentoria singula exquisiui: nullum reperi locum, nullum tabernaculum, quod gemitibus, suspirijs, ululatibus & fletu uacet: ubiq; dolor, ubiq; mors, omnia mœsta, omnia luctuosa. Triginta enim milia & amplius ex nostris proximo certamine cecidere. Sauciati & corrupti innumeri: nullus est qui intactus sit, nullus qui ad rem gerendam montem conscendere audeat. Omnes perterriti et exanimati sunt. A' quibus enim, quum percontarer, inuictissime Princeps, quis nam tantus terror eos inuaserit, et quę nam causa tam ferocissimos atq; pertinaces in primum congressum, in fugam cõuerterit, aspectus, aspectus Scodrensium, responderunt: quorum oculi ardere, flagrareq; uisi sunt. Torui atroces q; uultus, & ora furibunda hunc terrorem nostris incusserunt. Quare ab oppugnatione desistendũ esse arbitror. Arte tamen & consilio omnia in oppidanum experiunda sunt: nam Scodra oculus est, & totius prouinciæ caput, ac cæterarum urbium sedem & principatum continet. Ea namq; imperio Veneti Senatus paret: cuius quidem quantæ sint uires terra mariq;, quantæq; facultates, tuam maiestatem non fugit. Soli enim Veneti tuæ potestati continuè resistere, soli Meumethanæ legi aduersari audent. Ideo urbem hanc robustissimo milite, machinis omnibus ac tormentis, cæterisq; militaribus armis rebusq; necessarijs egregiè munierunt. Sed super omnia quid de militibus Epiroticis referam? Quorum plures præcipuè ex multis delecti, hanc urbem acerrimè tuentur. Sunt enim Epirotę stirps generosa, genus regale, sanguis Aeacidarum. In humanis rebus sic institutum est, ut unusquisque semina naturæ suæ sequatur. Animum & uigorem Pyrrhi, à quo originem trahunt, adhuc retinent. Fuit enim Pyrrhus (ut non ignoras) Rex non immeritò inter primores potioresq; Imperatores celebratus: â quo quidem munera, insignia & ornamenta militaria fluxere. Docuit enim primò castrametari, & in Italia Romanis primus bello elephantos ostendit. Hic est inquam ille Pyrrhus Epirotarum Imperator, qui milites instruxit, ut locum castris caperent, commeatus expedirent, ab insidijs cauerent, tempus pugnæ eligerent, aciem instruerent, subsidijs firmarent. qualis uir & omnibus belli artibus, & pacis fuerit, plurima antiquorum monumẽta declarant: nulli in certaminibus & prælijs secundus, adeò ut belli fulmen meritò dici potuerit. Res igitur est nobis nõ cum mollibus Asiaticis, aut effœminatis gentibus, sed cum durissimis indomitisq; Epiroticis. Scodrensis uerò fortis est, & audax in bello. Serenissime Princeps, nosti robur & animum Epiroticum, nosti cor intrepidum & inuictum. fera atq; indomita gens armis uinci nescit, parére nemini uult, nisi quem dominum sibi elegit. Imperium externæ gentis recusat, fidẽ domino suo seruat, fidelitatis nomen ei peculiare hæreditariumq; est. Vnũ habet regẽ & imperatorẽ: unũ semper principẽ

Venetum

Venetum habere uult, alios reiecit. Iam triceſimus ferè agitur annus, ex A
quo cum Epirota aſsiduũ bellum gerimus: quem nec domare, nec in di-
tionẽ tuam redigere poſſumus. Quanta autem fuerit ſæuitia, quantaq;
crudelitas belli huius, quis ignorat? Iam iam peragitur annus, poſtquã
illum undiq; circumuallauimus, dies noctesq; excogitando aſperrimè
oppugnauimus: muros urbis undecim craſsiſsimis tormentis, interual
lo triginta ſex dierũ omnes funditùs excidimus. Omitto multa alia tor-
menta, machinas bellicas, omnium telorum genera, globos igneos, &
quicquid in expugnationibus aliarum urbium ullus unquam excogi-
tauit: hæc omnia in irritũ cecidere. Præterea quicquid potuit ſuperiori-
bus certaminibus aut ui, aut robore, aut multitudine fortiſsimorũ mili-
tum adiungi, nihil intentatum omiſimus: non calliditas Ducum, non le
gionum impetus & ardor in certamen acerrimum defuit. Quid enum-
rem innumerabiles ictus tormẽtorum? Quid alia tela more denſæ gran-
dinis in hoſtem immiſſa? nihil tamen horum Scodrenſes ab urbis cuſto-
dia deterruit: quin fortiores & magis animati ſemper nobis aduerſis pe
ctoribus occurrerint. Credo equidem, illos nõ humanis uiribus, ſed di-
uina quadam ope inniti. Credo equidem (ſi fas eſt dicere) Martis pro-
lem eſſe: nec alios mortales ſub ſole robuſtiores ualidioresq; reperiri
poſſe. Hi enim noſtras copias infinitas, noſtram uirtutem, tormenta om-
nia irrident, & loco ludibrij cuiuſdam habent, nihil timent: uitam pro
patriæ defenſione exponere, luſum putant: eam ueram & ſolidam glo-
riam eſſe exiſtimant. Loco ſuo dum pugnant, nõ mouentur: uel tuentur
illum, uel ibidem trucidantur. Verè ſunt uiri, uerè bellicoſi, ſummis præ
miis, ſummis honoribus exornandi, toto orbe ſemper celebrandi, & in
cœlum ſummis laudibus efferendi. Igitur, quos uirtus armorum ſupe B
rare nequiuerit, ingenij uiribus expugnare tentemus. nam ſemel à pa-
rente meo, inuictiſsime Princeps, dum me moribus & diſciplina inſtrue
ret, hoc præclarũ dictum & accepi & memini: quod ſi quis pomum aut
adamanta in medio ſtraguli ſtrati humi capere uelit, ita ut partes extre-
mas ſtraguli ipſius minimè tangat, neceſſe eſt, ut paulatim ab ultimis
fimbrijs uſque ad pomum, uel adamanta paulatim inuoluat, donec il-
lud facili manu tangere poſsit. Non aliter tibi faciendum eſſe cenſeo,
ut ſi Scodram munitiſsimam urbem in poteſtatem tuam redigere uelis,
ut in primis eam caſtellis pluribus circumualles, & ad obſidionẽ ipſius
frequentem & diligentẽ cuſtodiam adhibeas: pontem ſuper Bolianam
ualidiſsimum conſtrui iubeas, ita ut utraque in ripa turres ſint munitiſ-
ſimæ. Quo peracto, urbes proximæ capiendæ ſunt, loca finitima ſub iu-
ga tua mittenda: deinde facili negocio Scodra undique cincta & circũ-
uallata in tuam ditionem ueniet. Eſt enim totius prouinciæ caput, quod
iam quaſſatum & debilitatum eſt. Cætera loca, ueluti membra exhauſta,
attrita, & ueluti manca, omnes uires ſuas amiſerunt. Nónne ciues Croię
domiti fame, ſtatim in ditionem tuam uenerũt? Quare ſine ulla tuorum
cæde compos uoti eris.

Poſtquam Amathis ſententia Principi uniuerſoq; concilio placuit,
decretum eſt, ut Scodrenſis amplius pugna non uexaretur: tormentis &
machinis finis imponeretur. Statim diuiſę ſunt urbes: mandatumq; fuit
præfecto Aſiæ, ut cum legionibus ſuis ad expeditionẽ Driuaſti conten-
deret. Præfecto uerò nouæ Romæ, ut Xabiacchum peteret: qui quidem
prima luce pridie Calend. Sextiles cum omnibus copijs ſuis profectus
eſt: quem biduo multi alij equites cum impedimẽtis & ſarcinulis ſuis, &
duæ cohortes Ianicariorũ, aliæq; duę Aſapporũ ſequutæ ſunt. Poſtea ue
rò quarto

A rò quarto nonas Sextiles, biremes omnes Barbarorũ, quæ in Boliana erant, lacum conſcendentes Xabiacchum uerſus nauigare cœperunt. Eſt autem Xabiacchus oppidum in ripis lacus ſitum, in confinio Dalmatiæ, non longe ab Aſcriuio poſitum: quod quidem ſub impio cuiuſdam reguli Dalmatę nationis erat, in alta rupe poſitum, ſuapte natura munitiſsimũ, diſtans ferè quadraginta millia paſſuum ab urbe Scodra. Tunc ipſe regulus aberat, ſed genę rum ſuum cum alijs ſuæ ditionis uiris præfecerat: qui aut metu, aut Barbarorum pollicitationibus inducti, ſeſe dediderũt. Poſt deditionẽ quũ præfectus ipſe omnes ex oppido eieciſſet, relicto ibi ualido præſidio, decimoſeptimo Kalen. Septembres cum cohortibus ſuis in caſtra reuerſus eſt. Xabacchi deditio turpis fuit: ſed Driuaſtenſes fortiores, & conſtantiores fuerũt. hi enim dum Scodra oppugnaretur, ſoliti erant urbem diurno, nocturnoq; tempore exire, & Barbarorum impedimenta, turmasq; equitum, camelorum, ac iumentorum ſimul cũ gregarijs militibus undiq; adoriri, eripere, atq; eos captiuos ducere, caſtra ſæpenumero inuadere, aliaq; detrimenta, ac damna hoſti inferre: quæ cum omnia Ottomano principi relata eſſent, is ægreferens, minabundus expectato tempore, quo ipſa iuuentus Driuaſtenſis urbem egrederetur, ut facilius eam expugnaret, præfectum Aſiæ cum omnibus copijs ſuis tertio idus ſextiles ad expugnãdum Driuaſtum præmiſit: qui intercepta excluſaq; uirili robuſtiſsimaq; manu Chriſtianorum extra urbẽ, fixis collocatisq; tormentis, idibus ſextilib. muros urbis (qua parte debiliores atq; expugnatu faciliores erãt) diuere cœpit, quum intra ſexdecim dies exciſi eſſent, Princeps ipſe pridie Kalen. Septembris ad eius oppugnationem, quæ poſtridie futura erat, ſeſe contulit. Manè uerò ante lucem, quæ Kalen. Septembres erant, Barbari ſigno dato, undique conuolantes, urbem ferè ſine oppugnatore, & ſine obice murorum, munimẽtorumq;, facillimè ingreſſi ſunt. Nam circuitus eius magnus quidem eſt: & iuuentus omnis, qui ciciter octingenti uiri fuere, extra urbem (ut iam dictum eſt) excluſi fuerant. Præterea hi qui in urbe erant, acerbiſsima peſtis contagione indies abſumebantur. Pauci uerò qui hoſtem à muris arcere conati ſunt, ad unum cæſi ſunt. Reliqui capti, ad trecentorum numerum, quarto nonas Septembris in caſtra adducti, iuſſuq; Principis in conſpectu Scodrenſium omnes pariter trucidati fuere. Poſtridie inito conſilio Barbari, decreuerunt proficiſci ad Lyſſum expugnandũ, quod nunc recentiores Aleſsiũ nominant. abeſt enim à Scodra triginta millia paſſuum, & à fluuio Drino alluitur, qui (ut nõnulli locorum periti tradunt) Epirum à Dalmatia diuidit. Eò nonis Septembris præfectus nouæ Romæ, cum copijs profectus, uacuam urbem atq; deſtitutam incendio dedit, inde reuerſus ad expugnandam arcem Driuaſti, quæ ſupererat. In ea circiter centũ homines erant, qui fame compulſi, ſeſe dediderunt: hi quoque ſicuti cæteri ad internitionem obtrũcati ſunt. His enim à Barbaris ita peractis, Ottomanus præcepit, ut reliqua ad obſidionem Scodræ accuratè, diligentiſsimeq; appararent & exequerẽtur. Ipſe uerò perſuaſu Ahamathis, relictis ingentibus copijs ad obſidionem urbis, cum reliquo exercitu Byzantium redire cõſtituit. Itaque ſeptimo Idus Septembris, incenſis nocturno tempore caſtris, manè ante ſolis ortum, cum magno tubarum & diuerſi generis organorum ſonitu, quum duo ſigna maxima præmiſiſſet (quorum alterum candidum erat, alterum uerò rubeum) compoſito ornatoq; exercitu, in quo ad quadraginta millia hominum fuiſſe traduntur, ab urbe diſceſsit: execratus omnem regionem Epiroticã, omnes incolas, & omnia loca: ſigillatim, fruges, ſata, & quicquid ubique frugiferum extaret: ante omnia Scodram urbem, & omnes eius & ciues, & habitatores: quod quum tot reges, tot principes, tot populos, facili, expeditaq; manu ſubegiſſet, nuſquam tamen tantas clades, tantam ſuorum

militum cædem, tantum dedecus, & ignominiam accepisset. Ideo fortunam A
ipsam uehemēter incusabat: quam quum semper propitiam & fauentem habuisset, in hoc tamen bello tam aduersam & sæuam expertus fuisset: ut sibi persuasum fuisset, hoc fuisse ueluti quoddam prodigium uel sui imperij, uel sui interitus. Nec hæc prædictio eum fefellit, nam haud multum temporis intercessit, quum in expeditionem Asiaticam proficisceretur, uitam cum morte commutauit. Post Lyssum oppidum cōflagratum, & principis discessum, ambo præfecti deintegro ad urbem cum omnibus copijs suis reuersi sunt: qui circiter quinquaginta Christianos secum captiuos traxerunt, quos in quadam triremi nostra cæperant, quum insulam super Drinone politam expugnassent: cuius ambitus ad septem millia passuum extat. In qua multi mortales capti, qui prope urbem tracti, omnes obtruncati sunt. Deinceps pontem ingentem, quem iam super Bolianam inchoauerant, ad locum qui Cathilina dicitur, pertraxerunt. Turres ad utrunque litus iuxta pontem exedificarunt, ne forte Christianorum classis ad urbis subsidium illàc pertransire posset: quarum alteram ultra amnē decimoquarto Kalen. Octobres, quum præfectus Asiæ prior perfeciſſet, ad hybernacula cum legionibus suis in Asiam reuersus est. Præfectus uerò nouæ Romę tardius turrim suam extruxit: nam breuiori itinere ad hybernacula sua illi eundum erat. Ad quæ, quum utranque turrim machinis & tormentis bellicis munisset, sexto idus Decembris profectus est, Ahamathe ad obsidionem urbis cum quadraginta millibus fermè equitum relicto. At Scodrenses, qui ex tam præclara uictoria lætitiam ingentem conceperant, postquam se undique circumuallatos esse uiderunt, quanquam primo aspectu non parum tristati sunt, quod post uictoriam soli-
dam, & integram libertatem adepti non essent, tamen animos non desponderūt, freti tum Diuino nomine, & Christi uero patrocinio: pro cuius sincera fide, tot calamitates perpessi fuissent: tum diui Marci tutela, & Veneti senatus auxilijs, cui tam inuiolatam fidem obseruassent. Verùm indies penuria rerum omnium in urbe crescebat: panis & aqua tantummodo copia suppeditabat. Sed his solis homines uitam cōmodè minime traducere possunt: hi præsertim quibus uires exercendæ sint, & quos dies, noctesq; in stationibus armatos excubare oportet. nam in principio ciues sua omnia ad communem usum obtulerant, quibus oppidani largiùs, affluentiusq; usi fuerant. Crediderunt enim Ottomanum, si oppugnando urbem capere non posset, abiturum cum omni exercitu. quod si durissimam obsidionem pręuidissent, parcius res omnes dispensassent. Ita enim in urbe carè obsonia uendebātur, ut uix ad usum ægrotantium maximo precio, & multis precibus extorqueri possent. Longum & miserabile esset enumerare, quanta penuria, quantaq; fames oppidanos oppresserat, utq; necessitate coacti uesci omnib. rebus immundis, & obscœnis cœperint: non carnibus equorum, non canum, non soricum, non eorum intestinis abstinuerunt: tergora eorum quoq; uel aquis tantummodo mollibant uel decoquebant, & exiguo aceti liquore condiebant. Fide carerem si exponere uellem quanti uenierit mus exiguus, quanti farcimina ex intestinis canum confecta. Quid de summa penuria uini, olei, & aceti diluti referam? quorum tenuissimus haustus immenso precio, & supra fidem uendebatur. Hac rerum omnium penuria ac summa inopia, quam Christiani usque (ut aiunt) ad extremum spiritum laborarent, omnia tamē durissima perpeti (quid enim durius, quid ue profecto acerbius, quàm eo quod naturali aliquo sensu appetitur carere, idq; consequi non posse;) & extrema experiri cōstituerunt, potius quàm se iugo sæuissimi hostis subijcerent. Nam nec cibi obscœnissimi, & humano usui à natura prohibiti, nec fames ultima, nec sitis detestāda, flectere animos eorum potuerunt. Agebatur

iam

A iam annus, ex quo urbs in obsidione posita fuerat. Et ecce decimo tertio Kal. Ianuarias die Dominico Itali quidam sub mœnibus apparuerunt, qui Scodrenses salutantes, eis nunciauerunt oratorẽ Venetorũ adesse, qui pro pace impetranda ab Ottomano Constantinopoli proficiscebatur: hortabanturq; eos, ut bonum animum haberent, quòd non diu in obsidione futuri essent. Iam Byzãtium petierat Ottomanus. Itaq; inter eum & Venetum oratorem fœdus percussum est, qui cõposita pace pridie nonas Apriles ad præfectum classis, qui Bolianam cum classe ingressus erat, rediit. Qui communi consensu literas ad prætorem urbis, & ciues Scodrenses miserunt, qui fœdus cum Ottomano ictum esse significarunt, his conditionibus: ut Scodra Ottomano cederet, saluis ciuibus, & omnibus eorum bonis, & ut eis liberum esset, uel sub Ottomano degere, uel abire quocunque eos uoluntas ferret. Hoc quum accepissent fidissimi & religiosissimi ciues, in frequentem concionem iuerunt. Inter multas & uarias sententias, illa melior & salubrior corporum & animorum saluti uisa, ut tyrannidem Ottomani sæuissimam desererent, & sarcinulis collectis, se Veneti senatus tutelæ committerẽt: sub cuius imperio benignissimo, ut hactenus ipsi uixissent, & sui maiores tranquillam & pacatam uitam traducerent. Verùm ut in eo animo perseuerarẽt, Florius Ionima uigilum præfectus, uir & belli & pacis artibus conspicuus (cuius excubijs & uigilijs, & solertia, atq; industria urbs Scodra plurimum contra hostes inualuerat) in medium prodijt, & accuratã concionem habuit, qua ciuibus longe persuasit, ut Barbarorũ iugum crudelissimũ effugerent: eius hęc uerba fuere.

Neminem uestrum, ciues optimi, latêre puto, quàm iniqua & iniusta & intoleranda sit Barbarorum dominatio: quorum natura efferata est, & nos
B non iustis de causis, sed odio natiuo & exitiabili persequuntur. Iam agitur annus tricesimus, ex quo nos exitiali, pernicioso, & assiduo bello exagitant, sua sponte non lacessiti, nõ ulla iniuria prouocati: agros nostros depopulati sunt, omnia diuina, et humana fœde contaminarũt, his malis, & iacturis non contenti, insuper ter urbem nostram & diris oppugnationibus, & durissima obsidione capere & excindere, & nomen nostrum penitùs perdere conati sunt: sed nos diuino auxilio, & nostra fortitudine semper uictores euasimus: illi turpiter uicti cum maxima strage, & suorum cæde abierunt. Quis explicare infandũ eorũ odium in nos posset? Omnia pollicentur, sed nulla eorum uerbis fides habenda. Omni ratione conarentur cupiditatẽ suam exaturandi odij explere. Nam tempore quo Meumethes ipse, qui nunc nos opprimere conatus est, cũ omnibus copijs suis ad expugnationẽ Croiæ uenisset, quam tunc ipse Scandebergius tenebat, Meumethẽ Græculum nouæ Romæ præfectum, cum septuaginta millibus equitum, ad depredandum agrũ nostrum misit: qui multa loca diripuit, incendit atque deuastauit, complures Christianos cum armentis cæpit. Demum urbem ipsam circumuallando hostiliter gladiatorieq; agmine infesto oppugnauit: cum maxima tamen clade atque ignominia à nobis depulsus, abijt. Successit deinde & aliud tetrius, acerbiusq; bellum cum ipsis Barbaris, cui Sulimanus Bassa, uir quidem strenuus, legionum nouæ Romæ imperator tam potentissimo, tam que composito atque instructo exercitu præfuit, qui maximam pernitiem atq; calamitatem urbi nostræ intulit. nam longa & dura nos obsidione circumuallauit, eoq; compulit, ut tria millia ex nostris fœda atque horrenda siti extinguerentur, quanquam & ipse etiam grauissima clade accepta à nobis abijt. Nuperrime uerò Meumethes ipse ualde inflatus, atque succensus, copijs omnibus & uiribus suis in nos irruens, uniuersum fermè agrum euertit, urbem nostram quàm arctissimè undique cinxit, illámque omni ui, arte, atque ingenio, non militi parcendo, non sumptibus, neque laboribus, annum ferè die,

noctuq; oppugnauit. Tandem ipse susceptа à nobis grauissima, multipli-
cíq; strage, mœstus atque dolens, relicta urbe obsessa, turpiter discessit. Nunc
uerò postquam fallax, perfidusq; Ottomanus, qui sanguinem nostrum,
liberorúmque nostrorum tanquam tygris truculenta sitibundus appetit,
cum urbe nostra ita potitus est, ut de tot iniurijs, contumelijsq;, quas à no-
bis semper passus est, ultionem susciпiat, nos pluris facere, caroscq; habere
dissimulat: hortaturq;, ac rogat, ne à patria, ne à laribus discedamus: ne agros
& bona nostra, quæ iam dudū aui, proaui, atauiq; nostri tot sudoribus, totq;
laboribus compararunt, tam facile relinquamus. Itaq; callidissimus, uersipel-
lisq; hostis miseratione se moueri simulat, sed sub hac ficta specie, dolor in-
terdum supprimitur: & qui ulcisci cupit, fronte obducta ultionē sæuissimam
parat: hoc est, quod Barbarus immanis machinatur, occultis dolis agit, ut nos
irretitos grauissimo supplicio afficiat, & id, quod semper in alios, quos hoc pa
cto in fraudem induxit, efficiat. Quod si suis ex insita immanitate nō peper-
cit, quomodo nos, à quibus tot cædes, totq; mala atq; damna passus est, inno-
xios seruabit: absq; dubio nos durioribus tormentis afficiet. Ideo nullis par-
cit blanditijs, ut quod iam pridem de nobis concepit, ex arbitrio suo expleat.
Sed ubi fides? ubi humanitas? ubi aliqua saltem (ut ainut) umbra ingenitæ
miserationis apud Barbarum? Qui si posset membra nostra, nostrorumq; li-
berorum dentibus commanducaret atq; dilaceraret. Arduum & longe difficile est inter nos, & Barbaros uitæ consortionem fieri, à quibus & fide, moribus, & natura lōge distamus, qui ad ultionem ueluti sæuissimæ feræ compelluntur. Quibus oculis nos intuebuntur, & nos uicissim eos, quum meminerint tot suorum à nostris trucidatos? Quid animi nobis erit, cum parentes nostros, aut fratres, aut liberos crudelissimè ab ipsis cæsos in memoriam reuocabimus? quo tandem stomacho hostis hostem contueri poterit? nónne bilis turgescet, totumq; corpus horrescet, quum urbem nostrā mœnibus undiq;, templis atq; ædificijs deformatam conspiciemus? hoc non obliteratum esse debet, domos solo æquatas, agrum omni ex parte uastatum, atq; desolatum: uineas & arbores cæsas, segetes depopulatas atq; incensas: culta omnia combusta, atq; penitus subuersa accedet, maioris doloris & indignationis causa. Quo animo Barbaros ouantes ingredi urbē nostram intueri poterimus? qui domos nostras commodè habitabunt, nos uerò derelicta urbe, in agris humiles casas & tuguria, more pastorum, extruere cogemur. Vix foro nostro communi, templis, sepulchrisq; maiorum nostrorū carebimus. Quid quum mysteria sacrata religionis nostræ, tanquam surdi & muti absque ullo sonitu accedemus? Nónne cor eorum qui fideles sunt, magnopere diuelletur, affligetur? Quæ præterea cum Barbaris nobis uitæ commercia esse poterunt? non mos idem, non ratio, non oratio, non leges, non iura, non instituta, non eadem religio, non legitima connubia. Quid dicam de uictu? de habitu? de consuetudine quotidiana? de cōciliabulis? de amicitia ac familiaritate? à quibus in his rebus tantum distamus, quantum homines à belluis. Nam quum antiquissima iura, & æquitatis & continentiæ, omnes gentes semper obseruauerint, semperq; corporeas uoluptates plurimū detestatæ sint, hi leges nephandas promulgarunt, quibus omnia summę turpitudinis plena sibi permittunt: non stupra, non turpissimæ corporis uoluptates, nulla denique flagitia ab illis prohibētur. Meumethem illum omnis Diuini & humani iuris nephandū auctorē sequuntur: qui ab orbe cōdito unus inuentus est, qui omnē religionē, omnes uirtutes exterminauerit, & omnia flagitia & scelera induxerit. nihil ergo à belluis differūt, quin peiores habent, quia illæ tantū naturæ præscripto detinētur: hi uerò sensu & appetitu efferato, in omnia nephanda præcipites eunt. Quapropter ô ciues mei amantissimi, si non uobis, saltem li-

beris

A beris atq; posteris uestris cõsulite, ne eos omnino perdatis: nam uicinitate ac contagione morbi contrahũtur, corpora inficiũtur, pereuntq;. Patiemini ne filios uestros in tanta labe, uitiorum corruptione, morumq; dissolutione ali, educariq;? Creditis ne uos in tam graui peste ac scelerum sentina, eos bonos probosq; euasuros? Vultis tãdem & uos, & eos, unà & anima & corpore interire? Fugit ne uos ô Patres & aliud tetrum, horrendumq; Barbarorum flagitium? Eos Christianorum infantes, atq; impuberes à matrum complexu rapere, & ab oculis præsentiaq; parentum asportare? uxores in conspectu maritorum uiolare? filias corrumpere? uiros utcũq; libuerit uexare? in seruitium trahere? & illos tanquã pecudes habere? Quis enim his hęc prohibebit? Quis eorum uim compescet? apud quem conqueremur? quem iudicem adhibebimus? cuius auxiliũ opẽ ue implorabimus? Ipsi uerò rei, & ipsi iudices. Erit certè pro ratione uoluntas. Quamobrem ô ciues, ô matronæ, ô pueri, dũ licet moras tollamus: fugiamus infœlicẽ miseramq; patriã, crudelem & perditam gẽtem. Fortasse aliquis uestrûm occurreret, quónam uertemus iter? quò nos conferamus? quis nos recipiet? quis opitulabitur? In his non desperandum: nam quũ simus orthodoxę fidei obnoxij, Christumq; profiteamur, pro cuius fide catholica tam diu pugnauimus: tãtas strages & calamitates passi sumus, nihil est quod sperare non debeamus, quia Deus immortalis iustos nũquam deserit. Præterea nobis occurrat D. Marcus, quem pijs precibus ueneramur, colimus, in cuius tutela nos maioresq; nostri semper fuimus, eiusq; pias partes sectati sumus, ab eius Repub. nunquam defecimus, pro ea tam diu in assiduis Barbarorũ bellis elaborauimus, tot & tanta perpessi sumus. Nam postquam in senatus Veneti ditionem sponte uenimus, tot arma hostilia, tot incursiones, tot bella atq; obsidiones nos maioresq; nostri passi sumus, ut nullo pacto Venetum imperiũ relinqueremus, quia nũquam alterius dominationem sensimus. Primum enim Balsa in agrum nostrũ irrupit, qui utriusq; Mysiæ, Græciæ, & totius nouæ Romæ imperiũ tenebat, urbemq; nostram in deditionem petijt: cui quum maiores nostri se dedere noluissent, eos lõga obsidione oppressit: sed tandem ipso mortuo, urbs ab obsidione liberata est. Deinde princeps ille Stephanus profectus à finibus inferioris Mysiæ, ingẽti multitudine urbem undiq; cinxit: sed post tres menses ipse ab urbe discedẽs, Maserechum quendã copijs suis præfecit, qui duos annos ciuitatem nostram opprimens, obsessam tenuit: & iã extrema rerũ inopia laborans se dedidisset, nisi interim maximus exercitus ex finitimis gẽtibus, & totius prouinciæ populis coactus fuisset: qui castra hostium aggressus ita fudit, & profligauit, ut ipse Maserechus uix cum paucissimis euaserit. Postea Georgius Vuchus ipsius Stephani nepos, innumeras copias contra nos duxit, qui urbem oppugnans circumuallauit: qui tandem icto fœdere cum principe nostro discessit. Multis post annis Ioannes Regulus, supradicti Balsæ cõsobrinus, qui quum diutius antea commoratus fuerat, se in Apuliam contulit. Deinde quorundam Regulorum suppetijs Epirum intrauit, urbiq; nostræ bellum inferre cœpit: sed è regno expulsus, uix in Dauniam euadere potuit. Post Stephani interitum iterum Georgius eius nepos in Epirum rediens, aduersus urbem nouum bellum excitauit, sed statim cum eo fœdus ictum est hac lege, ut in eius ditionem Antibarium & Driuastum ciuitates cederẽt. Non multo post hos, dux Stephanus, ipsius Balsæ socer, ex superiore Mysia profectus, ingẽti numero militum totum agrum diripuit atque incendit: sed demum cum toto exercitu profligatus, amissis Antibario, Driuastoq;, uniuersoq; agro, turpiter aufugit. Postremò uerò temporibus nostris, Altomanus cum ingenti multitudine nos inuasit: qui quum agrum depopulatus esset, & Bolianam traiecisset, fugatus à nostris prope oppidũ quod Suacium uocatur, cum fratre suo

captus, Venetias uinctus missus est. Non omittam Scanderbegium, quem a Epirotarum principem, unà cum maioribus suis, in annos centum in Macedonia & Epiro regnasse ferunt. Hic est ille, qui tot & tanta præclara facinora pro fide catholica aduersus Turcas gessisse dicitur, quum ætate & uiribus floreret, collecta magna multitudine militum, in agrum Scodrensem irrupit, & urbem uexare cœpit: sed tandem cum senatu Veneto fœdus iniit, & totius prouinciæ imperator declaratus, ciuitate Veneta donatus est. Præterea Lechas Duchainus, diuturno bello urbi infestus fuit: & post uarias cædes in æquas pactiones descēdit. Acerbior postremò pestis in nos impetū fecit. Nam uiginti octo anni aguntur, ex quo Ottomanus nos assiduis incursionibus & bellis uexare cœpit. Quot clades, quot uulnera, quot damna passi sumus, longum profectò esset percensere. Quare patres gratissimi, quum tot & tāta pro fide catholica, & pro Veneto imperio, nos maioresq; nostri perpessi simus, uitam intrepidè exposuerimus, & tandem patriam liberosq; pariter amiserimus, læto animo, hilariq; fronte ad sanctissimum Christianorum cœtum profici scamur, antiquam, uberrimamq; Italiam, terram omnium terrarum alumnam, eandemq; parentem numine Deûm electam, Venetias omnium bonorum portum saluberrimum, urbem terrarum principem, fidei pacisq; domicilium tutissimum petamus, quæ ut diuino numine fundata est, ita perpetuum imperiū habitura. Ibi nos maxima præmia, maximaq; munera expectant. Ibi aurea corona nobis parata est. Conferamus nos tutè intrepideq; ad beatum Marcum, patronum & protectorem nostrum. Ad quem omnes fessi & miseri confugere consueuerunt: qui neminē reiecit, nemini ad se proficiscēti iter præcludit: sed omnes, & præsertim de se bene meritos, benignissimè suscipit, ac omni ope souet, amplectitur. Postquā Florius Ionima frequenti in concione sic perorauit, Scodrenses magis atq; magis commoti atq; persuasi, in hanc sententiam pariter omnes descenderunt, ut urbē, patriamq; (etsi asperum & graue id esset) desererēt, quàm durissimū immanissimumq; Barbarorum iugum ferrent. Itaq; ut Veneto omnino parêrent imperio, cui semper & ipsi & maiores eorum inuiolabilem fidē obseruarunt, & tanquam diuinum quoddam numen uenerati sunt, certi de incolumitate sua, atq; securi ab hostium insidijs facti, quibus nūquam fides, ne in cædem & perniciem eorum quicquā moliti essent, datis ab his obsidibus, quo Scodrenses iter tutum, incolumemq; exitum haberent, urbem Barbaris cesserunt. Qui eam statim admodum ouantes summo cum plausu ac lætitia ingressi sunt: ubi erectis signis & uexilis undiq; totam peruagantes uarijs organorum generibus & sonis, per uoluptates (ut moris est) effusi, de urbe potita iactātes, ingentem lętitiam se extulerunt. Scodrenses uerò urbe patriaq; relicta, omnes unà cum sarcinulis suis & suppellectile ad classem Venetorum, quæ ab urbe ad quinq; millia passuum aberat, se tuti receperunt: qui rebus omnibus, quæ illis ad huiuscemodi nauigationem opus erant se præmunierunt, & omnes pariter nauigia cōscendentes è portu soluerunt. Qui tum uelo, tum remis (ut aiunt) in Latium tetenderunt, & in sinum clementissimum, pientissimumq; Veneti senatus profugerūt. Pro cuius dignitate, sanctissimoq; imperio tādiu acerrimè pugnauerant, opes, sanguinem, parentes, liberos, patriam, uitamq; deuouerant: cuius auspicio infestissimum hostem deuicerant, sub cuius umbra ad mortem usq; dies faustos lætosq; ducerent, apudq; illos tandem laudabilem pro uiribus suis uitam finirent.

FINIS.

HENRICI PENIAE AD REVERENDISSIMVM CARDINALEM DE *Saulis, de gestis Sophi contra Turcas, Epistola.*

REuerendissime in Christo pater & domine, D. obseruādissime, post humillimam commendationem. Cogitanti mihi, mortalibus recepti beneficij semper ingratitudinē comitem esse, si qua parte possunt, accepti cōmodi memores se non ostenderint: has ad Celss. V. rerum nouarum plenas scribere decreui. Præsertim cum & antehac sæpius per literas & fecerim: & idem me facturum, quoties aliquid scitu dignum cōtingeret, pollicitus sim, gratumq; fuisse cognouerim. Ingrati profectò animi atq; impudentis esset, uestrę R. D. meritorum erga me obliuisci, & quod semel promiseram non prestare. sed de his hactenus. Selimus imperator post fratres nepotesq; strangulatos, omnia sibi ex sententia cedere perspiciens, rerum successu tumens, animo iampridem orbis terrarum imperiū complexus, expeditionem in Italos parare cœperat: ratus his subiugatis, reliquum quod destinauerat facilè perfici posse. Itaq; ingenti materia cæsa trirremes fabricare, naualia ædificare, remiges sociosq; nauales, atq; milites congregare imperauerat. Commeatus ad maritimas urbes, unde facilior in Italiam transitus, qui satis nauibus essent, deferre. Atq; ut hoc tutius peragere ualeret, cum Vngaro pacem firmare, mollitis aliquantulum conditionibus ab eo propositis, statuerat. Chendemumq; à consilijs & longa familiaritate, etiam antequam ad imperium adsumeretur, notum, belliq; non expertem, Ciliciæ, partiq; Cappadociæ, Turcarum imperio subiectæ, præsdem fecerat, data ei non parua militum manu, qua & fines imperij tutaretur, & hostem scilicet Amuratum ex fratre nepotem, ad Ismailem Sophum profugum, arceret. Quippe per exploratores cognouerat, Ismailem Scythico bello impeditum, id solum cogitare, neq; ullo modo suppetias Amurato laturum arbitrabatur, tam in remotis orbis partibus prepeditum. Quapropter satis tutum ab omnibus partibus imperium existimās, Italicam animo uersabat expeditionem. Sed longè aliter, ac ipse putabat, euenit. Nam Ismail Sophus, peracto Scythico bello, hostibusq; debellatis, cum uiginti signis collatis pugnasset, redacta in potestate in regione, usq; ad Glacialem oceanū progressus, pacata prouincia ad Armeniam maiorem redijt: motus Turcici, ut fertur, imperij propius, quos absens intellexerat, inspecturus: ibidemq; inuento Amurato, deq; rebus eo in Scythia orientali morante apud Turcas hostis apprimè doctus, Imperatorij fortunam filij misertus, quem tam miserabiliter (amisso per dedecus patre) exulem intuebatur, in auitum imperium armis reducere constituit: motoq; ab Terua seu Teuris uictore milite, quē in tria diuiserat agmina, triniscq; castris interuallo sedecim stadiorum dispositis, ducesq; assignauerat: duobus Amuratum & Vstaoglum, tertia uerò sibi reliquerat, cumq; his quasi Cappadociā Turcico subditam imperio inuasurus, proficiscitur. Quod cum Chendemus præsensisset, ad Selimum literis missis detulit, hortatusq; est, ut quàm citissimè traiecto Hellesponto, omissa Italica expeditione, ad tuendos imperij fines aduolaret: alioquin impar præsidium, & tutandis contra tot hostes finibus idoneum nactum, Ismailem omnia ferro igniq; uastaturum. Quibus acceptis, ab Hadrianopoli mouit (ciuitas hæc Thraciæ est) & Constantinopolim petijt. Mox nostro transfretato Hellesponto, antiquam Chalcedona, urbem Bithyniæ, iussis subsequi prouinciarū præfectis (quos Sangacos appellant) pariterq; omnibus Europæ militibus. Quibus

aliquantulum ibidem præstolatis, per Bithyniam, Phrygiam atq; Galatiam, ad Ereſgen Cappadociæ oppidum, toto ſequente exercitu, ſexageſimis peruenit caſtris: inuentoq; Chendemo, neq; ullo hoſtium cõſpecto, uaſtitatem uicinæ regionis igne crematæ cõtemplatus, ratus hoſtes metu receſsiſſe, consilium ulterius progrediendi, ultroq; Iſmailem Sophum laceſſendi bombardis fretus, cæpit. Quod omnibus penè improbantibus (fame nanq; confectũ exercitum, & tam longi itineris laboribus enectum intuebantur) ſed præ timore aliis tacentibus, aliis palàm aſſentientibus: alieno quippe periculo didicerant, quantum diſcriminis eſſet imperatorio non aſſentire conſilio. Solus uerò Chendemus præceps, domini conſilium damnare, pariterq; dehortari, ne ulterius progrederetur, auſus eſt, utq; hoſtẽ in Erſegen expectaret, militemq; tam longi itineris laboribus feſſum reficeret, ſuo periculo poſtposito, perſuadere conatus eſt. Nanq; Chendemo uidebatur, hoſtes non metu, qui uiribus longè ſuperiores erant, ſed dolo retroceſsiſſe, quo Selimum in externam ductum regionem, per inſidias interciperent. Præterea in alieno ſolo atq; hoſtili, unde commeatum habere poſſet, ignorabat: poſtremò Aladolum montanę Cappadociæ dominum, & alterum (cuius nomen adhuc non comperi) minoris Armeniæ regem, quos in armis ſtare perceperat, non minus Turcarum imperatorẽ q; Iſmailem Eimen explorauerat: hunc Chriſtianum, ſed Greco uiuentem ritu & ſchiſmaticum: illum uerò Mahumetanæ perfidiæ ſectatorem, poſt terga relinquere pertimeſcebat, ne ſi quicq; ſiniſtri fortè accideret, intercluſus ad internitionẽ cum toto exercitu deleret. Tum Selimus uera audire inſuetus, conſilium damnari ſuum, quod antehac nemini licuerat, ægrè ferens, ira percitus, & ut quidam aiunt, corruptum pecunia ab Iſmaile uel Amurato Chendemum ſuadere talia exiſtimans, oblitus beneficiorum ab eo receptorum, tanquam longę familiaritatis, qua cum homine uixerat immemor, ad ſupplicium inſontem, ueraq; monentem ducere interficiq; curauit. Dein paucis diebus interpoſitis ad Aladolum & Regem minoris Armeniæ miſsis nuncijs, ut ſecum caſtra iungerent, contraq; communem hoſtem proficiſcerentur, hortatur. Quod ſi facere nollent, ſoli ſaltem tutum præſtarent iter, commeatuq; iuuarent. Qui reſponderunt: iter liberum eſſe, neq; quo minus tutum ſit, per eos ſtare: uerum id ſe præſtare curaturos, commeatuq; abunde maiorem Armeniam ingreſſo daturos. Cæterum copias neq; ſecum, neq; cum aliis, quæ ad defenſionem ſui ſoli parauerant, iuncturos. Quibus aliter q; exiſtimabat relatis (arbitrabatur equidem aut metu, aut ſponte ſecum copias iuncturos) tamen à propoſito non deſtitit, ſed per Moſcicos montes, ubi Taurum Euphrates ſcindit, Armeniam maiorem ingreditur: dextraq; Aladolum, læua uerò regem Armeniæ relinquens, ſemper proximus Euphrati ita inceſsit, ut dextra parte agminis ripas tangeret, donec ad Pariadros montes & fontem fluminis peruenit: mirabaturq; necubi ſibi hoſtem occurrere, quem aliàs potentiſsimũ audiuerat, & inſidias ualde pertimeſcebat. Nam neq; per exploratores, neq; per captiuos, quo loco eſſet explorare poterat. Et iam ob exuſtum, quà incedebat ſolum, nec præſtitos ab Aladolo & Rege Armeniæ commeatus, deficientibus alimentis egere cœperat, propeq; ſeditionem erat: cum nũciatum eſt Iſmailem propè eſſe, uicinumq; Pariadris montibus parte alia, & Araxi fluuio caſtrametatum: adhortatis militibus, & circumactis montibus eò contendit: uadoq; Araxi tranſito, propter Choim oppidum conſtitit. Et ecce in ortu ſolis uelut nubem cernere, pulueremq; eleuari incipiunt, ac mox hoſtem adeſſe conſpiciunt: quem nuſq; per tot dierum ſpacium nedum uidere, ſed quibus in locis eſſet explorare poterãt. Lętus Selimus, arma militem capere iubet: etenim ad extremam alimentorum redactus inopiam, hunc diem aut uictis finem malorum,

rum, aut uictoribus, & commeatus abundantiam & Ismailitani fortunas im
periũ præstaturum arbitrabatur. Quippe non legatum Ismailis, sed ipsum Is-
mailem exercitumq; eius putabat adesse, unoq; prælio & hostem fugare &
imperium maioris Armeniæ, duce fortuna, in animum induxerat: ignarus
Ismailem Sophum legatum suum, nomine Vstaoglũ, cum quadraginta mil
libus cataphractorum præmisisse, ipsumq; trium dierum itinere cum reli-
quo exercitu abesse. Quapropter acies instruit, statim pugnaturus, si pugnæ
copiam hostes fecerit. Sed ut in conspectum Turcorum Vstaoglus deuenit,
castra locat, caduceatorem præmittit, & nuncios ad Selimum (Ismailem se si
mulans) ire iubet, eumq; interrogari, cur in hæc loca amicus olim tanquam
hostis uenerit. Ille Amuratum nepotem quærere, quem apud Armenios au-
diuerat, respondit. Itaq; hunc redderent, in cæteris amici præstaturum offi-
cium, domumq; reuersurum. Quòd cum in crastinum Vstaoglus se facturũ
pollicitus esset, diem illum sine pugna transmiserũt. Cras uerò sole orto Tur-
cus suos in campũ deduxit, aciesq; instruxit: in dextro cornu Bechlerbechũ
nomine Chasanbassam, cũ equitatu locauit Cyprio: in lęuo uerò Asiæ Bech
lerbechum Sinanbassam cum Asiatico equitatu, medium agmen pedite re-
pleuit. Ipse cum prætorianis aliisq; ad custodiã sui corporis deputatis in sub-
sidijs, quasi uallo clypeis ingentibus inter se ferreis manicis consertis, et in ter
ram defixis, turribusq; circundatus, in quibus bombardæ positæ erant, sub-
stiterat. Omnia inde conspectus, opemq; & auxilium laborantibus præstitu
rus, si pugnæ committeretur: sicq; an mandatis Vstaoglus parêret expecta-
bat. Iam in occasu sol erat, nono Kalendas Septẽbris, cum subito ingenti mo
tu, uno agmine ex cataphractis omnibus facto, Turcis nihil minus tunc ex-
pectantibus, Vstaoglus in dextrum cornu impetum fecit, Bechlerbechumq;
inter primos pugnantem obtruncat, cæteros prosternit fugatq;. Difficile ete-
nim erat, partim inermibus, partim læui armatura, & solis loricis tectis, con-
tra cataphractos resistere: moxq; diuiso agmine per transuersos pedites, alte
ra parte læuum inuadit cornu, altera imperatorem in subsidijs morantem:
cœperantq; penè omnes Turcæ retrocedere, cum imperator inops consiliĳ
bombardis hostem ferire iussit. quare non minorem in suo q̃ in alieno agmi
ne stragem ædidit: quo factum est, ut insolito bombardarum strepitu, equis
perterritis, renitẽtes Ismailitani equites terga uerterent, amisso Vstaoglo du
ce, ictuq; bombardæ interfecto, & uiginti millibus ex suis, quos turcæ inse-
quuti castris spoliarunt: in quibus ingentemq; gemmarum numerum in-
uenerunt alimentorumq; satis amplam copiã. At ipsi Sophi fuga elapsi (nam
nocte impediente eos Selimitani persequi non audebant) ad Ismailem qui
trium dierum itineris interuallo aberat cum exercitu ualidissimo, se contule
runt, remq; ordine gestam narrarunt. quibus intellectis Ismail, ratus optimũ
uniuersas uires in unum congregare, totisq; uiribus cum eo decertare, exer-
citum, cui Amuratum præfecerat, secum iungit, pugnaturus occasione ca-
pta, & noctu potius ob bombardarũ metũ q̃ interdiu. Interea Selimus rem
peregisse, hostemq; internitioni dedisse existimans, quamuis cruentissimam
habuisset uictoriã, ampliusq; quàm quinquaginta millia hominũ amisisset,
inter quos robur militiæ decem & octo Sangacos ex Europa, cum omnibus
penè eorum militibus: non tamen urbes Armenię ad deditionem sollicitare
destitit, nec eum opinio fefellit. Nam Teuris siue Terua urbs Armeniæ ma-
ioris & Metropolis regni, statim imperium suscepit, & præsidium in urbem
intromisit, missisq; ingentibus donis ad imperatorem, ut ad urbem accede-
ret, rogauit: seu quia ita Ismail ordinauerat, ut intercepto præsidio Selimum
imbecilliorem redderet: seu fauore uulgi eò se inclinante quò & fortuna.
His gestis Selimus nuncios, alterum ad filium Hadrianopolim, alterum ad

no-

noſtram deſtinat Rempublicam, à quo ego omnia ſuperius ſcripta præſens accepi, multaq; alia quæ ſciens prætereo, aliàs latius ſcripturus. Iamq; in tuto eſſe uidebatur Turcarum imperator, conuerteratq; animum ad prouinciam ordinandam, octoq; erant elapſi dies, ex quo apud Choim pugnatum erat, oppidum & hoc Armeniæ maioris. Necq; ex loco ſeceſſerat, fauſtum atque fortunatũ id ſolum in quo uicerat arbitratus, aberatq; à Teuris expedito homini itineris duorum dierum interuallo. & ecce, qui nunciarent præſidium Teuris impoſitum ab Iſmailitanis deletum, ipſumq; Iſmailem ingentibus copijs recenti milite aduentare. Quo nuncio perterritus, omnes ſub armis uigilare iubet, ipſe mutato tabernaculo, ad cõtubernia gregariorum ſe contulit: ueritus, ne ſi in ſuo pernoctaret tabernaculo, ab Iſmailitanis aut uiuus caperetur, aut pugnans interficeretur. Quippe per trãsfugam ſeptem millia cataphractorum coniuraſſe, ut ſe aut uiuũ caperent, aut interficerent, didicerat: feciſſentq; ni tabernaculo mutato præuidiſſet. Nam eadem nocte qua tabernaculum mutauerat, imperatorio habitu depoſito Selimus, Iſmail caſtra cum coniuratis reliquiſq; militibus aggreditur, perq; uim & militum robur cæſis qui repugnabant, tabernaculum imperatoris proſternit: illiusq; uicarium obtruncat, uniuerſumq; exercitũ cædit, uixq; Selimus cum paucis, relictis bombardis quibus in tanto tumultu uſus non erat, obſcuritate noctis adiutus effugit. Qui nunc in Amaſia oppido Cappadociæ dicitur eſſe, uiresq; reficere, donec hoſtis adueniat, iterũ pugnaturus. An Iſmail uictoria uti uelit, incertum adhuc eſt, nullumq; huius rei indicium extat: ſeu quia & ipſe cruentiſſimam uictoriam habuerit, ſeu quòd in nudo ſolo & ſine arboribus, difficile militi, & præſertim equiti, per hyemẽ iter eſſet. Alioquin potentiſsimum Regem, ut qui Armeniam, Meſopotamiam, Perſiam, Hircaniam, Albaniam, Parthiam, Bactrianos inſuper cum orientalibus Scythis, & partẽ Indiæ poſſideat. nam Luſitanos in mari Indico nõnulla eius caſtella cepiſſe, Sophis referentibus, intelleximus, & præſertim laceſsitum, incredibile eſt poſſe quieſcere, utcunq; erit. Selimus ruinam ſuam quantum poteſt occulit, nouum militem parat: quãuis in Europa aut nemo aut pauci relicti ſunt. Hæc ſunt quæ ad R. V. ſcribere uolui, cætera ſcripturus cum tempus dabitur, & forſan de ortu & genealogia Iſmailis, bellisq; per eum factis, & odio inter Turcas & eum, longe aliter ac omnes ante me ſcripſere. Quæ etſi recentia forſan non erunt, tamen quia ordine ſingula tractabuntur, celſitudini V. placitura ſpero. Cui me plurimum cõmendo, & quæ fœlix ſemper ualeat. Die ſexto Nouembris. M. D. XIIII. ex Conſtantinopoli.

DE BELLO RHODIO LIBRI TRES, IACOBO FONTANO *Brugenſi autore,*

PRAEFATIO.

PRæfari mihi licet, quod profeſsi plerique ſunt rerum ſcriptores, bellum maximè memorabile, omnium quę unquam geſta ſunt, me ſcripturum: ſic Liuius, ſic ego, & forte uerius, quod magnus Turcarum Tyrannus Solymannus, terra & mari geſsit cum Equitibus diuo Ioanni conſecratis, & Imperij Chriſtiani limites ad Orientem defenſantibus. Nunquam enim prælium tam crudele, & atrox. Mars æquè dubius fuit: norunt qui mecum in parte laboris & periculi fuere. Credet facilè quiſquis ſacræ & nobilis militiæ (nullius enim nomen recipitur, niſi aduram, & exhibito indice natalium) olim inſtitutum, & hactenus obſeruatum, pugnandi

pugnandi cum Turcis morem animaduerterit: tum horum opes & potentiam, qui uirilibus & incertis primordijs (ne originem suam, nec ipsi quidem satis tenent) ab antris Caucasi, debellata initiò Asia, deinde Thracia, postremò reliqua Græcia, duobus florentissimis imperijs Trapezuntio & Constantinopolitano euersis, omni propè Illyrico perdomito, in Italiã usq; Hydrunte capta (quę in Italiæ et Calabriæ finibus est) penetrauerunt: & recenti adhuc memoria, quasi hesternæ diei, Sultano uno pòst alterum, uita & imperio priuato, totam Syriam cum omni Aegypto Arabiaq; opibus suis adiecerunt. Quod bellum sic ex sententia confectum, Rhodiano initium dedit. Est enim filio Solymano uisum, quod Solymo patri, qui anno ab hinc quinto maxima classe Rhodum obsidendam parata, uita defunctus est, difficilem sibi ex Lesbo, Chio, Peloponneso, Eubœa, Propontide, ipsoq; Bizantio nauigationem futuram in Syriam atq; Aegyptum, stante incolumi Rhodo arce militum: utpote ex qua illi maritimis suis excursionibus, totum litoreum tractum deuastent, nonnunquam iusta classe congredi audentes. Præterea, ducere dedecus imperij sui, ferre gentem inimicam in ipsis regni penetralibus. Adhæc ambitioso iuueni magnos spiritus ministrare, Alba anno superiore ad confluentem Saui & Danubij uicta. Tum, quæ nequaquã mulcta molienti negligenda est, occasio temporis, quo principes Occidentis maximis cladibus sese inuicem afficiebant. Veruntamen priusquam belli gesti, Rhodianæq; obsidionis initium aggrediar, quo ad cognoscendum omnia, ut magis magisq; in aperto sint, quædam altius repetere necessariũ est. Nam ut experior, istud bellum multorum fide maius, ita eius quoq; historiam inuenio magis laboriosam mihi, quàm putaram. Sed istud quoq; malum post tot acerbos casus, hostium iniurias, bonorum direptiones, cædes, exilia, periricula uasti maris, febres, morbos, pestẽ, oculorũ ophtalmiã, mihi deuorandũ est. Etsi laboribus meis nulla certa merces, quam non tam specto, quàm laudem defensionemq; ueritatis, & sacrorũ nobiliumq; Hierosolymitanorum equitum gloriam: tametsi nemo dicendo, aut scribendo tantam illis gloriam parare potest, quantam ipsi sibi pugnando pepererunt. Quod igitur sacræ militiæ & mihi uertat bene, sic exordior.

Fabritio Carectano ingenti luctu, desyderioq; plebis nouendiũ uita functo, fuerat enim ad populi fauorẽ aucupãdũ, affabre factus, doctus literas Latinas, callidus, acer ingenio, cui consiliũ nec incœptũ ullũ frustra fuit, magnificus, siquidẽ magnã urbis partẽ nouo, ualidoq; murorũ ambitu cinxit, arma, tela, machinas, commeatũ affatim importari fecit, deniq; omnia quæ in bello uario, & multarũ rerũ egenti, usui esse solent. Culpant aliqui, quòd æra rium immodestius tractauerit, quibus ego nec assentio, nec repugno. Vbi luce orta, æs campanam sonuit, uniuersa militaris concio in classes suas distributa, ad phanum diui Ioannis conuenit: peracto solenni sacro, quæq; testata crucem, Intermagistro pridem ab antesignanis constituto, spondet allaturam sese de corpore suo militem, quem habeat optimum & prudentissimum. Constituitur hac ratione ex singulis militum decurijs octumuiratus quidam, cui ius, fasq; est, præfectũ comitiorum nominare, & tres mox suffragia daturos, dicere Equitem, qui summus suffragantium uocatur. Sacrificiũ, optionemq; militarem hi triumuiri frequenti ordine præfecto comitiorũ ante aram (neq; enim iam octumuiratus amplius, aut Intermagister, cuius potestatem uoluerunt maiores momentaneã esse, ne qua fraus suffragijs fieret) sacramento astipulantur, quæsituros ex toto ordine militari, quatuor & decem integros ac spectatæ fidei uiros, quibus socijs tribum suffragantem perficiãt. Quę simul atq; exit Christiano ritu expiata, per adorãdam crucem

quatuor

quatuor Didascalicos libros uolumini sacrificiorum, omni priuato affectu A
abiurato, non alium sacræ nobilissimæq; militiæ præfecturam se uouet, nisi
claris legitimisq; natalibus et maximis in Rempublicam meritis commenda
tum. Quo uoto, sacramentoq; à præside comitiorum stipulato, suffragato-
res secedunt, qui post graues de multorum uitijs ac uirtutibus censuras,
duorum potissimum rationem habendam esse duxerũt: Philippi Vilerij Li-
ladami, & Thomæ Docrai præfecti equitum Anglorum. Hunc siquidẽ plu-
rimum commendabant magnæ opes, ingenium, magna experientia, cõsue-
tudo Regum & principũ: ad quos arduis sæpe legationibus functus est. Illũ
negocia militiæ bene prudenterq; in Gallijs & Hispanijs administrata, usus
rerum Rhodiensium, fortitudo animi & corporis, uirtus omnibus spectatis-
sima: nec, ut quorundam esse solet supremum Magistratum ambientium, si-
mulata atq; efficta ad tempus. Factũ hoc modo est, ut sors utriusq; par exie-
rit, sed Liladami prærogatiua fuit suffragio equitis summi primiq; inter suf-
fragatores: qui appellatis more maiorũ Decurijs, uellent ne suffragatrici tri-
bui intercedere, aut obnunciare quippiã: simul ut responderũt, nolle: Quod
ergo, inquit, Deus, & numẽ tutelare prophetes Baptista, sacræ nobilissimeq;
militiæ nostræ benè & fœliciter uortat. Renuncio uobis Magnum magistrũ
nobilissimum equitem, F. Philippum Vilerium Liladamum. Statimq; recla
matum est ab uniuersa concione: Nobilissimo equiti F. Philippo Vilerio Li
ladamo, Magno Magistro nostro uita, uictoria, & decus æternũ. Qui quam
primum literis nuncijsq; à Rhodo missis, fortunæ suæ certior factus esset, ce
lerrime ad iter se accinxit, mouens è Lutetia Parrhisiorum maximo splendi-
doq; comitatu, Franciscum Christianissimum Regem Galliarum, Burgun-
dionum fines ab incursibus Cæsarianorum tuentem, adijt: benigne accep- B
tus, & dimissus Rhodano flumine (in quo nauigium armamentis bellicis o-
nustum, negligentia gubernatoris ad pontem ciuitatis Viennæ perijt) Mas-
siliam nauigat urbem, quòd sciunt omnes uetustissimam, in qua ob uetusta-
tem nimiam, nulla uetustatis extant monumenta. Paucos hic dies commo-
ratus, classem conscendit: leui inde uento Niceam, in finibus Allobrogum
delati, maximam nauium nostrarum puero conquinario negligentius ignẽ
seruante, incendio propè amisimus: actumq; iam erat nisi magnus Magister
graui edicto facto, ne quis nauim relinqueret, suos uoce & exemplo con-
firmans, ardorem flammę enascentis restinxisset. Liberati ancipiti periculo,
hanc quoq; deserimus sedem, uastumq; caua trabe currimus æquor. Corsi-
cam & Sardiniam præteruecti, in fœdam maximamq; tempestatem incidi-
mus. Cœlum strepere ingenti sono, & inter horrendos fragores crebri mica-
re ignes: capti omnes auribus, oculisq; uota nuncupabant. Miserrimus ego
insolita rerum facie, præ cæteris magis perterritus, flamma micanti exanima
tus, uexatione fractus, nausea ac uomitu sordens, interq; undæ furentis pro-
cellas obrutus, Deûm hominumq; fidem implorabam. Affuit uotis præsens
numen, Syracusis antiquitate & fortibus gestis illustri urbi applicamus, no-
uem hominibus fulmine enectis, pluribus percussis: animalium brutorum,
boum, ouium maior lues fuit. Hic ad curam, quietemq; corporis, & nauium
refectionem aliquantisper commorati, nactiq; auram secundam, uela & an-
choras tollimus. Prosequitur à puppi uentus euntes. sed ecce mox aliud ma-
lum. Nunciatur Cortugolum archipiratam, cui duos uterinos fratres (præ-
ter tertium, quem in uinculis tenebant) Rhodiani occidêre, classe ex triremi-
bus, nauigijsq; rostratis collecta, expectare in statione ad Maleæ promonto-
rium aduentum Magni Magistri. Diu disceptatũ, esset ne utile quatuor tan-
tum nauibus merces opulentas multorum negociatorum, materiam incen-
diariam copiosissimam, ac commeatum omnis generis, prẽterea ipsum prin-
cipem

A cipem uehentibus, occurrere maritimo latroni, nihil præter tela & hostes afferenti. Sed consilia nostra fors immutauit. adiuti enim aura, & secundo uento satis uehementi, portum Rhodium intramus, summa nostra & oppidanorum lætitia atq; alacritate. Processere obuiam armatæ triremes sacræ militiæ cum signis, sono, concentuq; tubarum. Arx Nicolea, & turres quæ utrinq; portum muniunt, omniaq; urbis propugnacula, multa crebraq; bombarda intonuere. Equites antesignani Magnum Magistum obuijs exceptum ulnis, festo apparatu, per medias turbas hominum undiq; sese effundentium & precantium fausta lætaq;, in urbem ad phanum diui Ioannis induxerunt: hinc peracto solenni sacro, cum plausibus & clamoribus, alijsq;, quibus effusa lætitia uulgo significatur, in prætorium. Paucis inde diebus interiectis, Cortugolus nauigatione nostra elusus, fremens, frendensq;, subito secundo exorto uento, obscuræ, quietæq; noctis auxilio speculatorem fallens, in fretum Rhodium erupit, ex insula forte post deuastationem agrorũ, prædam abacturus: & inciderant in eum, nisi sese commodùm uentus mutasset, duæ naues Venetæ ab Hierosolymis reduces, quæ eadem nocte à portu Rhodio soluerant. Aduentu hostili, & discrimine sociorum, classe quæ in anchoris stabat, quàm celerrimè expedita, Equites Rhodij in piratam tendunt, quod ille uidens, effuse fugere cœpit. Rhodij qui in spe erant classis potiundæ, satis pertinaciter secuti sunt. Verùm posti quam celeritate nauium, utpotè leuium, suas grauiores eludi uiderunt, abstiterunt incœpto, naues socio rum in pacatum ducentes. Tempore haud multo pòst, uenit Rhodum è castris iuxta Thaurinum Pannoniæ positis orator, missus à Tyranno Turcarum cum huiusmodi literis:

B

SOLYMANVS TSACCVS, DEI GRATIA REX REgum, Dominus dominantium, Maximus Imperator Byzantij & Trapezundarum, Rex prepotentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, ac Aegypti, Dominus Asiæ & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Hierosolymorum Dominator, possessorq; maris uniuersi:
Reuerendo patri F. Philippo Vilerio Liladamo Magno Magistro Rhodi, & Asiæ legato Salutem.

GRatulor tibi aduentum & nouum principatũ: quem, ut habeas diu faustum & fœlicem cupio. Spes est enim mihi quod uirtute & fide superaturus sis omnes, qui retro in insula Rhodiensi imperarunt, à quibus maiores mei semper uim suam abstinuerunt: quorum exemplo, ineo tecum amicitiã & gratiam. Gaude igitur amice, & gratulare mihi uictoriam & triumphum. Siquidem æstate superiori Danubio traiecto, regem Vngarorum, quem occursurum credebam in acie, sub signis expectaui inauso prælio decertare. Taurinum totius regionis urbem munitissimam, & uicinas aliquot arces ui abstuli, multis mortalibus ferro, & flamma trucidatis, pleriscp in seruitutẽ redactis. Victor & triumphator dimisso exercitu in hybernia, regressus sum ad regiam meam almam urbem Constantinopolim. Vale, ex castris.

Recitata hac Epistola in sacro, augustoq; consilio procerum antesignanorum, intellexit illico prudens Magister uerbis sibi nunciari pacem, re autem uim: quam, quòd paratus esset alia ui repellere, non dissimili artificio, literis sic compositis, significauit.

Philippus Vilerius Liladamus Magnus Magister Rhodi, Turcæ.

EPistolam quam ad me attulit orator tuus, rectè intellexi. De amicitia quod scribis, tam gratũ est mihi, quàm ingratũ Cortugolo. Conatus est siquidem, dum huc uenirem à Gallijs, me ex improuiso opprimere. Quod ubi non successit, obscura nocte fretum Rhodium inuectus, naues onerarias,

quæ ab Hierosolymis Venetias nauigabant, deprędari tentabat. Sed classe è A
portu meo mox deducta, uim prohibui, coegiq; piratam fugere, & prædam
Cretensibus negociatoribus ereptam relinquere. Vale, ex Rhodo.

Remissus est legatus cum summa fide & muneribus, adiuncto ei comite,
qui literas Magistri perferebat, homine quodã priuato: raro em̃ dignata est
Rhodus Turcã legatione publici equitis. Tyrãnus præcoci ingenio adule-
scens, cui rerũ prudẽtia uelox ante pilos uenit, cõtemplatus ingeniosam talio
nẽ literarũ redditarum, sensit secũ agi suis artibus, & Rhodios paratos esse
uim contraria ui repellere: neq; tam leuiter quàm Taurini defensores, dedi
tionem & imperata facturos. Veniebat præterea in mentem, quæ proauo
Mahumeti acciderunt, accidere sibi posse. Fortunam et Martem fallacia esse
numina, quæ fidem in paruis sibi præstruunt, ut cum operęprecium sit, cum
magna mercede fallant. Hoc modo animum celerem nunc huc, nunc diui-
dens illuc, in partesq; rapiens uarias, libidine aduersum nos, metu pro nobis
suadente, Cortugolum accersiri iubet. Vocatus accedit pręeuntibus duobus
augustalib. Mustapho & Farao, cui, ut mihi narrant, Tyrannus sororem col
locauit, hiq; omnia in Rhodios acerbe atq; ad gratiã principis sunt locuti, ut
facere solent quos regiæ opes alunt: sed acerbissimè Cortugolus uir natura
ferox, belli haud ignarus, probe intelligens literis de se quærentibus gratiæ
suæ apud regem non modò decreuisse quippiam, sed etiam permagnam eis
se accessionem factam, quem in hunc modum locutum fuisse accepi:

Ingentia tua erga me merita, Optime Maxime q; Imperator, faciunt, ut
quæ æstimẽ tibi & imperio gloriæ decoriq; futura, libere loquar. Voces quo
tidie ad me miserabilium hominum ex insulis Mithylene, Eubœa, Pelopon-
neso, Achaia, & continenti, Caria, Lycia, atq; omni litoreo tractu Syriæ ac B
Aegypti perferuntur, exponentium agrorum suorum depopulationes, dire-
ptiones urbium, prædas hominum & armẽtorum, multaq; infinita alia & in
credibilia mala, quæ in dies patiuntur, nemine uim prohibente à Cruciferis
illis & pyratis Rhodiensibus. Tendunt mihi miseri supplices manus, opem
meam orant, instant, urgent, ut illis auxilium ab imperiali maiestate tua im-
plorem, ut illos ab iniuria, cæde, rapinis istorum Cruciferorũ defendas. Oro
te igitur per adorandum nomen Mahumetis, per genium imperialem, ut po
pulum tuum ab his crudelissimis hostibus liberes, ut ex ferro, flamma, & ex
graui seruitute, quę morte durior est, aliquãdo eripias. Atq; illud tecũ etiam
cogites, non tam populo & priuatæ plebeculę hanc iniuriam, quàm publico
honori & nomini tuo, inferri. Quã si Regum, si principum aliquis Christia-
norum inferret, non patereris, scio, inultam: & nunc finis latrones, sicarios,
colluuiem hominum agros tuos uastare, urbes diripere, populum trucidare,
mare totum unicuiq; nostrum infestum reddere? Quis enim nauigat Dama
scum, Alexandriam, Memphim, Chalcidem, Lesbum, Chium, regiã tuam
Constantinopolim, qui non maximis ac certis quidem ab istis Cruciferis im
minentibus periculis se exponat? Quid per tot annos statim post uernũ æ-
quinoctium audimus aliud, quàm Cruciferos Rhodios portũ aliquem Tur-
carum occupasse? Turcas in seruitutem miserrimam redegisse? prædam ho-
minum ac rerum præciosissimarum, ex urbibus atq; agris direptam, Rhodũ
aduexisse? Et quod turpissimum est, te inspectante, in medio & penetrali-
bus regnorum tuorum hæc omnia fecisse. Ignosce mihi obsecro Imperator,
si aperte nimium dico, quod sentio. quicquid enim à me dicitur, nulla alia de
causa dicitur, nisi ut tu aliquando facias, quod iam multos ante annos faciũ
esse oportuit. Quod ad religionem nostram Mahumeticam ampliandam,
ad imperiũ & nominis tui protelationem pertineat: pro quo quidem propa-
gando nostras fortunas in quodlibet discrimen afferre, corpus telis armisq;

obijce

A obiícere, nihil laboris, nihil periculi ſubterfugere debemus. Quod ſi laudum & pugnæ amore flagras, & ad perpetuam immortalitatem mirũ in modum tendis, quo eam bello facilius cõſequi poteris, quàm ſi Rhodum, quæ quoddam Chriſtianorũ propugnaculum eſt, & dicitur: quæq; ſola nos ab illorum regionibus prohibet, expugnes, & in deditionem cogas? Dices fortaſſe hic: Maiores mei toties urbem illam fruſtra tentarunt: tentarunt & Thaurinum Pannoniæ urbem. Tu tamen multo magis munitam nunc quàm priſcis illis ſeculis in poteſtatem tuam redegiſti, & de Rhodo deſperas? Depone uanum iſtum timorem, audendo, agendoq; res Turcica creuit. Properemus ad illam obſidiendã terra & mari. Si populus tuus ſeruitute gemẽs, manibus ſuis eam conſtruxerit, num libertate, cupidine, atque occaſione, tot illatas iniurias uindicandi gaudens, eiſdem manibus deſtruere poterit? Quòd ſi cognoſcas, Imperator, eſt tibi, procurante ſummo propheta Mahumete, diuinitùs oblata occaſio, dum Chriſtianus Occaſus inteſtinis cladib. laborat. Num in gerendis negotijs ignoras ſequendas eſſe temporũ opportunitates, & in occaſione rerum deſidiam, ac tarditatem omnem quàm diligentiſsime fugiẽdam? Mutabiliſsimæ quidẽ ſunt temporum uices, & fortunam cum abire permiſeris, fruſtra poſtmodum diſcedentem ac fugientem ſis imploraturus.

Hac oratione animus iuuenilis inuidia Chriſtiani nominis æger, honorum & imperij appetentiſsimus, facile ad bellum decernẽdum impulſus eſt. Sed primùm rem ad proceres detulit, ubi ſic locutus fuiſſe traditur: Et ſi non dubito, Viri fortiſsimi, eandem uobis nunc mentem eſſe, quæ in aliis aggrediendis gentibus ſemper fuit, de communi tamen gloria atq; commodo, commune indicare conſilium uolui. Ex eo tempore, quo pater meus uita defunctus eſt, cum diuerſis populis ac nationibus bellum geſsimus. Syros, ut ſunt natura inſtabiles, & ad res nouas moliendas proni, rebellionem tentantes, ui in officio continuimus: Sophum magni Vſuncaſſani ex filia Nepotem, quæ Iacupi Regis ſoror fuit, præpotentem illum regem, ſemper nobis corde & opere mala machinantem, nec dum Aſſyria, Media, Armenia maiore, Perſide, Meſopotamia contentum armis noſtris, intra ſepta ſua concluſimus. Anno ſuperiore, omnem Pannoniam ultra citraq; Danubium peruagati, Thaurinum totius regionis locum munitiſsimum cæpimus, quęcunque tentauimus, ſubegimus. Tamen, ut de me ingenue dicam, animus ſupra imperium & ſanguinem Othomanicum ingens, in his uictorijs conquieſcere non poteſt. Nam quæcunq; hactenus egiſtis, & ſi magna ſunt, minora tamen uirtute ueſtra æſtimo. Huc me rapit cupido, hoc ſemper exarſi, Rhodum illam petere, omnesq; Rhodianæ militiæ uires & caſtra radicitùs euertere. Nónne uos idem haud ſanè minus quàm ego ſemper optauiſtis? Quoties enim uoces audiui Rhodum, Rhodum conclamantium, tempus à me expectatum eſt, ut expediti aliarum gentium bellis, huc omnes neruos, animosq; in unum intenderemus. Quod tam diu cupiuiſtis, in manibus ueſtris eſt. Nulla maior unquam facultas data bene gerendæ rei: murorum urbis Rhodiæ permagna pars ſolo æquata iacet, quæ haud paruo tempore reſtitui potetit, ærario expilato. Adhæc arcis præſidium parua manu militum conſtat, auxilia à Gallis longinqua, poſt Rhodum expugnatam, futura ſunt, aut quod mihi ueriſimilius eſt, nunquam. Neque enim Rex Francorum cum Imperatore Germaniæ & Italiæ domino, ad interni tionem depugnans, patietur naualia ſua dearmari, portus ſuos denudari præſidio nauium. Nec credatis etiam Hiſpani generis homines domi fame, bello, inteſtinis odijs implicitos, foris huc ex Sicilia & Campania tam facile militem & commeatum portaturos. Sed maior inſtat, ut putatis, à claſſe Veneta, ab auxilijs Cretæ inſulæ timor, imò nullus. Scio, neq; debeo omni-

bus palàm facere, quomodo huic malo occurrerim. Ergo magnanimi uiri, & nati ad subigẽdam uniuersam Christianorum ditionem, nedum Rhodum, sequamini alacres me crudelissimis & perfidis hostibus bellum inferentem. Quousq; patiemini quæso familiæ Othomanicæ, & in uniuersum Turcis omnibus maculam eam adhærere, quam Rhodij nobis asperserunt, uictoria superiori obsidione parta? quam non tam uirtus illorum fecit, quàm proaui Mahumetis consilium infœlix, Mysachum Palleologum militiæ ducem, una infœliciter commissa pugna, reuocantis. Sed fecerit sanè illorum uirtus uictoriam, tolerabitis ne ideo semper toto mari pyraticas istas excursiones continenti & insulis, urbium atq; agrorum deuastationes, prædas animaliũ, & quarumcunq; rerum optimarum, incendia, supplicia q;, raptus coniugũ, cædes liberorum, seruitutem affinium cognatorum uestrorum? Non sic me bene Mahumetus meus adiuuet, cuius ope atq; auxilio, inuitis Christo & Ioanne Cruciferorum magnis Dijs, spondeo me breui lunata signa medio uobis Rhodiæ foro defixurum. Nec quicquam mihi nisi gloriam quæro, utilitatem do uobis commilitones: auri & argenti cælata uasa, mundum muliebrem (qui præciosissimus esse dicitur) omnem pecuniam, splendidamq; supellectilem, ad uxores, ad liberos uestros, domum onustis nauigijs deportare. Nunc ergo ad Rhodum oppugnandam totis uiribus, bonoq; animo transeamus. Cumq; hoc faciendũ omnes una uoce succlamarent, assurgens Pyrrhus, natus (ut mihi relatum est) patre uulgare desertore fidei, cui longa uita & odium orthodoxæ fidei, mille artes, & nomina mille nocendi pepererunt: Nõ possum (inquit) non plurimum admirari præcocem, maximamq; prudentiam, & uirtutes, atq; ingenium Imperatoris nostri, adeò prudenter & disertè omnia, maximi clarissimiq; ducis in bello suscipiendo consilia exposuit. Fœlix Mahumetus, ter quaterq; hoc imperium, beata hæc Respub. fortunati nos tali principe: qui non tantum uiros & arma, sed prudentiam atq; consilium in prælia ducit. Quẽ optimum & laudatissimum pugnandi morem, si semper ad manum, semper ante oculos habeamus, non modò Rhodum, sed breui omnem Christianorum ditionem in potestatem nostram redigemus. Verùm ætas & experientia mea, præter ea quæ iuuenis Princeps sedulo & diligenter inuestigauit, suadet ex Equitum ciuiumq; Rhodiensium ordine, maximos (si fieri potest) uiros corrumpendos esse, & præmio, pollicitatione, mercede, gratia, denicq; modis omnibus, ad proditionem secretorum consiliorum solicitandos: quod quomodo fieri possit, accipite. Ego quasi pacis quietisq; cupidissimus arbiter, inducam nuncijs, literisq; magnum Magistrum, ut ad principem nostrum legatos mittat, qui uobi in nostra erunt manu, finite agere Pyrrhum. Placuit omnibus & in primis ipsi Tyranno, senis uiri consilium: mandatumq; ut rem illico summa cura, fideq; expediret. Cæteris ducibus, ut pararent terrestres naualesq; copias, quàm maximas possent. Neq; diu cõtinuit se bellici apparatus rumor. Mense intercalari pridie nonas, Rhodi nunciatum est Turcam nauium longarum carinis positis, contracta ad effectum eius operis ex Chio & reliquis portubus multitudine fabrorum, omnicq; alia nauali materia ferro, linteis, sparto, maximam classem Constantinopoli fabricare. Quæ fama dum indies crebrior, constantiorq; circos conuentusq; hominum permearet, misit Equestris ordo omnia exploratum quendam Epidaurensem Turcaicæ linguæ peritum. Renunciat is è Byzantio, epistola inter liquamina piscium abscondita, classem maximam parari. militem scribi, numerum præterea & formam tormentorum. Cæterùm hostem impetendum uulgo incertum esse: multos, tam de Rhodo, quàm Italia dubitare, pleroscq; de Cypro, aut Corcyra. Nuciũ istud multorũ animos, omen à se alienantium, securiores fecit: sed

dum

dum homines in quosuis potius, quàm semetipsos bellum apparari credunt, affertur sociorũ amicorumq; literis, finitimos hostiũ portus diligentissima custodia obseruari. Inter has belli imminẽtis curas, minime idoneo tẽpore, quidam ex equitibus Italicis missionẽ & pręmia flagitarũt, acerbè in Romanã curiam loquuti: cui stipendiorũ suorũ defraudationẽ acceptam referebant. Verùm Magister prudentia, ac consilio suo tantum effecit, ut responderent omnes, non cõsueuisse equites Italos Remp. in ancipiti discrimine constitutam relinquere, nec nũc quidem relicturos. Verùm quo plura bene atq; strenue fecissent, eo minus iniuriã tolerare. Cupere igitur se, ut primo quoq; paciori tempore legionis optimè meritæ ratio habeatur. Deinde cœptũ est urbis Rhodiæ cura & pręsidio cogitari. Equites, nautæq; lignatũ missi sunt, in desertũ continentis Latonæ lucũ, Phisco antiquo Lyciæ oppido uicinũ. Arma, tormẽta, telaq; recognita sunt: lapides molares, quibus molas manuales, asinariasq; quisq; sibi fabricare iussus erat, ex Nysiro insula importari: urbana multitudo in heptacurias suas partita est. Muri & propugnaculũ Auernorũ, à Basilio Cęsaris Caroli quinti architecto, Magistratu Fabricij moduli, maiori cum diligentia perficiebant: captiuis ad uoluntarios labores pręmio liberalitateq; magni Magistri inuitatis. Dum hæc tanto studio atq; ardore aguntur, uenit Byzantio nuncius à Pyrrho, quem diximus suprà, missus: homo festiuus atq; ingeniosus, munus suũ uerbis mirè adornans, prædicando dominũ, indolem præterea ac facile ingeniũ Imperatoris sui: attulitq; ab eo & Pyrrho ad magnum Magistrum bonas literas, quale exemplar tale est:

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOminus dominantium, *Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, Legatoq; Asiæ, Salutem.*

CErtior factus sum epistolam meam redditam esse, quam quòd rectè intellexisti (mirum dictu) quàm placuit. Confide, quòd uictoria Thaurini minime sum contentus, alterã spero, imò mihi polliceor: quam tibi, cuius semper sum memor, nequaquã occultã esse sinã. Vale, ex Constantinopoli.

Pyrrhi Epistola hac ferè sententia erat:

PYrrhus Apocletus, Philippo Vilerio Liladamo, magno Magistro Rhodi, Legato Asiæ, S. Epistolam tuam sensu maiorem, quàm literis, exhibui Maximo Imperatori nostro: tabellarium autem non sum passus admitti, ne plebeio nimium nuncio offenderetur, ad quem mittes deinceps uiros illustres, ętate ac prudentia commendatos, quibus cum, si in animo habeat, possit de re cõmuni trãsigere. Quod si facias, nec te facti, neq; me consilij pœnitebit. Quem mitto, affert ad te literas, etiam à nostro Imperatore, cuius diuino numini quomodo sit respõdendũ, monitus es. Vale, ex Costantinopoli.

Hæ literę trahebant in uarias partes multorum animos, qui à quietis consiliis non abhorrebant. Metientes alios ex fide, probitateq; propria, cõmendabant Pyrrhi consilium: dicentes uirum senem & prudentem, non tam nostræ, quàm patriæ & Imperatoris sui quieti studere: cupere eum consilio componere, quæ iuuenis princeps ferro. metuentem incerta casuum humanorũ, communem belli Martem, uim fortunæ, quæ maximos sæpe reges & exercitus parua manu hostium, paruoq; negocio pessundedit. Tantum ualuerunt horum consilia, ut deligerent oratores, frater Raymundus Marchetus, eques natus in Hispania citeriori, nunc Euboicæ prefecturæ titulo insignis, uir magnanimus, carus, facũdus, & castrophylaca, ciuis Rhodiensis, Turcaicè callens. Multis dispar sententia fuit, qui fraudem, dolumq; sentiẽtes, ab hostili consilio cauendum prędicabant. Quorsum enim ista legatio? Bellum ne indicendum tyranno potentissimo, nondum ex professo hosti? pacem enim scribit: an deprecandum nondum indictum? Vt timeri scilicet se intelligatis,

qui iam timet. Qua securitate, qua fronte etiam ibunt oratores non uocati à A
domino, sine diplomate per alienum agrũ, quem nos indies exurimus & ua
stamus? Sed Pyrrhi literas proferẽt. Huius scilicet cõmiseratio, huius fides, et
autoritas eos ab iniuria proteget: quasi seruus domino leges imponat, domi
no simillimus (hoc est) crudelis, perfidus, osor omniũ Christianorũ, maxime
Rhodiensiũ: quos tyrannus, si reperiat iam parata classe, & delectu militum
habito, uario cruciatu afficiet, ut uires nostras, nostros cõmeatus, secreta ure
bis, & militiæ nostrę sibi prodant. Magnã accessionẽ fecit huic sentẽtię homi
nũ uerè prudentũ, diligens studiũ missi oratoris, multa & uaria inuestigandi
de statu, situ q̃ urbis, numero & fortitudine equitũ: quapropter remissus est
cum uno tantũ comite homine priuato, Magistri epistolã ad tyrannũ afferen
te, cuius sententia talis erat: Quod memor sis mei, haud molestũ est: ego ui
cissim tui memor sum. Repetis uictoriã Pannonicã, qua nõ contentus alterã
speras: imò uel ante bellũ tibi promittis & canis, uide ne te fallas, nusq̃ minus
q̃ in bello euentus respondet. Epistola autem ad Pyrrhum missa, talis erat.

Frater Philippus Vilerius Liladamus, Magnus Magister Rhodi,
Pyrrho Apocleto S.

LIteras tuas, simul & nuncij mores, atq; ingenium diligenter perpendi.
Consilium tuum non contemno, nec obseruo quidem, dum miles meus
agros portusq; domini tui deprædatur: quod ut tolerarẽ, fecere iniuriæ quas
à Pyratis Turcis acceperunt. Verùm reuocabo excurrentes, missurus ad Im
peratorem tuum oratores, ad quos fidem publicam eundi & redeundi eius
diplomate testatam præmittas. Vale, ex Rhodo.

Verùm animaduertendum hic Magistri literas, ad Tyrannum non alla- B
tas esse. Nam Turca, ubi transfretasset equum ascendens, qui in reditum pa-
ratus steterat, adactis calcaribus, cursu quàm uelocissimo effugit, sociũ Chri-
stianum relinquens: qui reditu suo in urbem, magnam pacis desperationẽ af-
ferebat. Quapropter missi sunt in Cretam coemptores, qui ex insula uinum
& sagittarios importarent, nam arcubus & sagittis plurimum utitur Creta: à
Septentrione Aegeum, occasu Ionium Europæ maria habens: ab ortu Car-
pathium atq; Aegyptiũ, quæ Asiatica sunt: meridie Africum. Literę interea
à Naxo missæ, dicebant naues instructas, armatasq; in aquã deduci: Barba-
ros moturos inchoante luna. Nam hoc signum rebus gerendis auspicatissi-
mũ habent. Idem nunciabant frumentatores insulæ Pathmos, celebris olim
Ioannis Theologi, qui nauigio quodã capaciore optimũ frumentũ Euboi-
cũ inferebant: cuius uenundandi specie ac prætextu, multa quę in urbe obli-
denda agebant, iussu Turcarũ, quibus sunt uectigales, explorauere. Nec se-
gnius magnus Magister, nauiculas ad omnia exploranda circa insulas mitte
bat. F. Ioannes Lupus, quẽ Bellouacũ appellant, strenuus eques, qui postea
in defensione propugnaculi Britannici grauiter læsus fuit, rem sibi mandatã
diligenter peregit, nauimq; unã rostratã onustã frumento Rhodũ secũ addu
xit. Fuit infœlicior unius celocis præfectus eques Alphonsus, hic cũ in statio
ne quadã uentũ expectans, remiges longius diuagari pateret, à Pyratica qua
dam naue fortuitò interceptus, obnixus diu, ne uiuus in potestatem hostium
ueniret, grauiter sauciatus, captus est. Biremis præter paucos, quos fors & fu
ga saluauerant, cum nautis capta est: ignominia magis quàm damnum Rho
dios cõmouit. nã multis annis retro, nulla nauis Rhodia hosti in prædã cesse-
rat. Armatæ ex templo triremes, omnẽ orã uicinã circũnauigare iubent, si
cubi forte latentem pyratam reperiãt. Per idem tempus crebris ignibus una
nocte post aliã in hostico sublatis, signũ factũ est, esse ibi mortalẽ colloquen-
di cum Rhodijs cupidũ. Quare F. Menetonus eques Gallus prudens cõtra
pericula & insidias, naui uiris armisq; satis instructa, ad cõtinentẽ iussu pro-
cerum

cerum mittebatur, comite Iacobo Xayco triremium rationale, ut à loci incolis atque amicis omnia de futuro bello industriè diligenterq; inquireret. Erat enim Xaycus pręter maris ac regionũ notitiam, ciuilium quoq; rerũ gnarus, & Turcis negociatoribus, quorum didicerat idioma, unicè charus atq; acceptus. Quos ubi ad fontem inter calices ac libamina reperisset, circunseptos tapetis, bombyce, & alijs talibus, quę Barbari mutare cum Rhodianis mercatoribus panno laneo solebant, salutem ac fidem inuicẽ dat & accipit. Rogatus descendere ad comessandũ, donec ueniret è proximo tugurio quidam, cum quo multum familiariterq; uixerat, respondit nõ posse, nisi obside prius in naŭm recepto. Perfidi dictum cachinnis excipientes ultro merces & obsidẽ imponunt. Egressus tum & obuios amplexans dato statim signo, undiq; ex insidijs inuaditur, ac raptim pernici impositus equo protrahitur Byzãtium, ubi acerbis quæstionibus omnibusq; affectus supplicijs, quæ corpus ullũ pati potest, ad satietatem inimicorũ dicere facta, atq; infecta cogitur. Postquam isto dolo amissus est Xaycus: tum magis ac magis uulgo celebrari cœpit illorum prouidentia, qui militaribus comitijs reuocãdæ nuper decretæ legationis ad Turcã autores extiterãt. Itaq; ne mora diuturnior damnũ afferret, iusticium indictum est, uigiliæ uicatim exactæ, in processtris militaribus acutæ lanceæ dispositæ sunt, tormẽta per muros locata, singula loca firmata custodibus. Publicum armamentarium, instructum omnium bellicarum rerũ incredibili apparatu, reseratum est. Armorum atq; telorum portationibus tota ciuitas ferueret, à proceribus antesignanis lustrum conditum: recensa liberorum hominum, qui arma ferre possent, plus minus quinq; millia. Inter quos strenuè pugnarunt sexcẽti ferè Equites, quingenti Cretenses, cæteri qui pugnę diligenter fideliterq; uacarunt, fuere nautæ, remiges classiarij: quorum uirtutem plurimũ iuuerũt duces ipsi, maritimiq; excursores Michael Vitalis Gallus, prælio nauali semper acerrimus, & felicissimus Seringus Vandalus, ac Siculus quidã & unus Rhodius Nicolaus Mego. Rustici qui ex agris insulaq; conuenerant, non tam pugnando, quàm fodiendo ferendoq; terram, obsidioni utiles fuere. Reliqua urbana multitudo, aliquot tamen uerè strenuis uiris exceptis, imbellis, iners, neq; laboris, neq; periculi satis patiẽs ægrè minis, & imperio sub signis & stationibus suis retenta, lingua q̃ manu promptior, enses, clypeosq; gestando plus omnino ostentationis q̃ fortitudinis habuit. Dum fama futuri belli & animorum nostrorum per cycladas, insulasq; alias Aegei maris latè effunditur, Ioannes Antonius Bouladius Venetus faber, fortunæ suæ à Creta Rhodum uenit. Nam cum esset loco haud illustri natus concordante suffragio, contra omnia uetustatis exẽpla, ob bene diligenterq; nauatã Reipublicæ operam, inter Equites receptus est: donatusq; iure aureorum calcarium, importauit uina, commeatum omnis generis cum delecta iuuenum manu. Paulo pòst Dominicus Fornarius Ligur uir cautus, impiger, strenuus prælio, bonus consilio, cum ab Alexandria nauigaret in Siciliã ingenti oneraria naui, præciosissimis onusta mercibus, secundo ab urbe lapide in insulã descendit, inde consilio & prudentia nostrorũ in urbẽ ductus est, exceptusq; obuijs triremibus. Nã tãtæ nauis aduẽtu, quæ arma uirosq; afferebat, Rhodi ingens gaudium merito exortũ est: animis omnium nihilominus curam defensionemq; remittẽtibus, quos flexamina & uehemẽti sua eloquẽtia (haud dissimili illi quam in Cynea, Periclęq; fuisse scribũt) ad omne egregium audendum & faciendum inflammauerat Leonardus Calestrinus Ligur Archiepiscopus Latinorum, uir summa doctrina sacrarum literarum, & memoria prope mõstrosa, qua Cirum, ac Mithridatem uel æquat uel superat, in dicẽdo sentẽtijs acutus, & creber, uerbis ornatus atq; efficax: cuius luculentissimam orationem, quam in phano diui Ioannis ad Equites habuit, subijcio:

Vt hodierna die, quam maiores noſtri, Deo trino & uni ſacrum eſſe uoluerunt, ad celſitudinẽ tuam, Magne Magiſter, uos ô nobiliſsimi Equites, de fide, & de religione uerba faciam, monet officij mei ratio. Sed dum Reipub. faciem, ſtatumq; intueor, quod numinis uenia mihi liceat, orationẽ tempori accommodabo: quo non tam prædicanda eſt fides, quàm defendenda ab hoſte immaniſsimo, maximis huc terra, mariq; copijs ad noſtram euerſionem properanti. Cui nihil dubito, reſiſtetis, ut uiros fortes & equites Rhodios decet, utq; hactenus facere conſueuiſtis. Neq; eſtis, aut mea aut cuiuſpiam oratione monendi: tamẽ quo mihi faciam ſatis, quem etiam pectoralis iſta crux ad omnem Turcici nominis internitionẽ laborare admonet, & ne qua mentibus hæſitatio, ſcrupulus ue reſtare poſsit, propoſui (Equites) facere uobis fidem uictoriæ, argumentis minime inanibus. Quare attendite quæſo, ut cœpiſtis, diligenter: utar enim oratione, qualem tẽpus locusq; expoſtulat fideli, facili, & compẽdiaria. Primũ igitur oro ac obteſtor, ne aures, multo minus animos quorundam ominoſis uocibus præſtetis, omnia in peiorem partem rapientiũ: quaſi Diuina maieſtas durius aliquid de nobis ſtatuerit. Ego enim hunc timorem uos mittere iubeo: nõ quòd inficias ire uelim, extrema omnia exempla nos ꝓmeritos, ſi lege talionis & ſummo ſtricto q; iure agere libeat: ſed nihil tale Deo pientiſsimo in mentem ueniſſe credendum eſt, quippe qui ſemel familiæ ſuæ ſpopondit, omnem ſeſe malæ adminiſtratæ rei noxam ſeruis remiſſurum, quoties frugi diligentioresq; fieri cœperint: ut uos nunc feciſtis, ſacri Equites: quod, ut ſemper faciatis, uelim. Ne formidetis ergo immanem iſtum apparatum, quem facile cõceſſerim, uolente & procurante rerum omnium opifice Deo, in capita ueſtra excitatum, ſed non ideo ut confringantur illa, aut euertatur hic florentiſsimus ueſter militaris ſtatus, diuum Baptiſtã præſidem habens, qui ſecundùm Deum primus & ſelectus in cœlo eſſe creditur. Nunquam enim ille ſinet, diro ſui nominis hoſti tantum licere. Sed ut ſeueri patres chariores filios per duriora agunt: ſic uult Deus optimus maximus, hac potiſsimum ætate, qua ducem Magiſtrumq; elegiſtis, quo bello maior & armis, nec pietate fuit, per durum & difficile bellum militiam ueſtram clariorem, celebrioremq; efficere: ne ſemper à macherophoris iſtis in Occidẽte otium & ignauia uobis obijciatur, cum ipſi ijdem ſint ignauiſsimi. Quare magnas agite gratias Deo trino eidẽ & uni, cui hoc die litamus. Nec cogitetis illum omnia fatis & caſuum temeritati permittere: ſed res ſuas ſibi curæ eſſe, fouere idem, ſtabilire religionem, cupere exaltationẽ cultus & nominis ſui, explorare humana omnia conſilia etiam altiſsima, ſcire quid immaniſsimo & crudeliſsimo hoſti ſuo in mentem uenerit, iam iam ſerenti uirus Mahumeticum gladio, quo ſemine primùm enatum eſt. Cui oportebat Duces, Reges, Principes Occidentis primo quoq; conatu obuiam ire, ne uis mali latius ſerperet: & depoſitis priuatis ſimultatibus inſoleſcenti Tyranno (duobus acerrimis ſtimulis ad alienas opes inuadendũ inſtigato, ambitione nempe & cupiditate: hãc, ſiquidem natura ſanguinis Scythici, illam ætas 28. annorũ ſuppetit) cõcordibus armis, animisq; oſtendere, quàm ſtulta, quamq; periculoſa res ſit, inconſulto iuueniliq; feruore belli artibus gloriam quærere, & gentem Chriſto deuotam impetere: ac ſuas copias, ſuas claſſes, ſuos exercitus, eosq; gladios quibus uſi ſunt hactenus, in ſemetipſos contra communẽ cuiuſque noſtrum hoſtem conuertere: ut quas ille nobis cogitat inferre calamitates, aliquando ipſe experiatur. Verùm iſta fruſtra occinuntur ſurdis auribus. Teneunt ſupplices manus captæ urbes, & Chriſtianorũ Regum auxilium implorant. Confidit ſeſe breui ex crudeliſsima ſeruitute in libertatem priſtinam reſtitutum iri Thaurinum nuper captum. Conſtantinopolis Thraciæ nobiliſsima ciuitas, tot annos inter cõpedes ac pedicas immaniſsimæ ſeruitutis

uitutis Turcícę computreſcēs, ad huc liberationem à nobis expectat. Eubœa Cretam reſpicit, ad diui Marci ſigna ægrè aſpirās. Verùm illi infœlicium calamitates & miſerabiles querelas aſpernantur, inteſtinis ſeditionibus intenti: nihil aliud ſecum animo uerſantes, niſi alter in alterū exercitus ducere, ſigna inferre, manus conſerere. Quot enim nūc annos imperia Occidentis inter ſe cōmiſſa cernimus? & reges bellum uiciſsim propulſantes, & inferentes? dum interim populus agro & urbe uaſtatus, cædium, rapinarum, proſcriptionum pertæſus, ad delubra pacis & cōcordiæ inſulas ac ꝓpiciatoria fercula circunferens, fruſtra bellum in Turcas clamat. O dira portēntoſaq; præſtigia, quibus humanæ acies ſic faſcinantur. Hiſpanis atq; confœderatis gentibus, ſpecioſiſsimū uidetur Italiam buſtis Gallicis inſignire: Gallis denuo palmariū per cæſorum cadauera ultra citraq; Alpes cōmeare: Heluetijs interim ambobus magno auro pugnam uel pacem ſuam cauponātibus. Heu fatalis furor utrarunq; partium. O incredibilem noſtrorū temporū ignominiam. O inſignē noſtræ huius tēpeſtatis maculam, quę nullo unquam tempore deleri poterit. Heu pietas, heu priſca fides maiorum noſtrorum, qui priuata animorum ſtudia defendendæ Chriſtianæ Reipub. cauſa deponentes, copias, claſſes, exercitus inſtruxerunt, & reliqua ad diuturnū bellum neceſſaria collegerunt, quibus longinquas iſtas Aſiæ regiones inuaderent. Nūc (cedo) ex Pontificū, ex Imperatorū, ex Regum ordine aliquē de imperij Chriſtiani finibus ampliandis ſolicitū, & Alcyonē uidiſſe me gloriabor. Olim Vrbanus II. Pont. Max. habito ad Clarummontem concilio, ita Chriſtianorū animos ad mouendum contra crudeliſsimos Turcas iſtos bellū inflammauit, ut tercenta fortiſsimorum hominum millia in Sarrhacenos, qui eiſdem auſpicijs cū Turcis bellum gerebant, Hieroſolymæ recuperandæ cauſa proficiſci non dubitarint: & maximis itineribus, terra mariq; celeriter ſuperatis, Niceā expugnarunt, Antiochiam cæperūt, Hieroſolymam, Heracleam, Tarſum, plurimaq; alia oppida in Chriſtianorum poteſtatem redegerūt. Carolus à rerum geſtarum magnitudine Magnus, non contentus Hiſpanos, Saxones bellicoſiſsimos & duræ repugnantisq; ceruicis populos, Chriſti Ieſu iugo ſubdidiſſe, quum audiret Hieroſolymam graui Barbarorum dominatu oppreſſam, celerrime illuc ſe cōtulit, & Barbaros profligauit, Chriſtianosq; in urbem reſtituit, omni metu liberatam, ac firmis munitā præſidijs. Huc etiam cum Morinis ſuis extremis hominum Balduinus Flandrus, Conſtantinopoleosq; Imperator uenit. Venit Germaniæ Imperator Fridericus Barbarufus. Quod ſi nunc cōtingat, digito cœlum contingam. O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni, erumpunt crebrius, uel inuito mihi Demeanę iſtæ exclamationes. Nam cogor alta ſilentia rumpere, & obductum uerbis uulgare dolorem. Necq; continere me poſſum in tam publica morum & fidei calamitate, cernens ipſos ordinum ductores, Oeſtro uindictę percitos, frameam quam illis credidit Deus Opt. Max. ad ſalutarem tutelam innocentum, plebeculę ſuæ dearmatę cuſtodiam, fidei præſidia uibrandam in fontes, in noxios, in contemptores religionis, in hoſtes diuinæ maieſtatis, ſtringere, ac fodere in cognata fratrum uiſcera (ſumus ſiquidem fratres, cum habeamus communē omnes in cœlo patrem Chriſtum Ieſum) Sed ut uerè & liberè aliquando dicam quod ſentio, nos ueri germaniq; Chriſtianiſmi effigiem nullam tenemus: umbra tantùm & imaginibus utimur. Hactenus Hercules & Liber pater (ut eſt in prouerbio) ulterius fortaſſe Chriſtianæ libertati aqua fluere non uidetur. In uiam inſtitutam ergo reuertor, & uos Equites bene ſperare iubeo, quibus Chriſtus Ieſus, dū cæteri eam prouinciam negligunt, crudeliſsimum hoſtem nominis ſui debellandum & triumphandū tradidit. Eia ergo ſpe bona, & animo pleni, duce Deo arma capite, ac retūdite mihi nobili illo mucrone ueſtro, prę ferociētes illos ſpiritus, in

Turca-

Turcarum uultibus eminẽtes: & quemadmodum Dauid Goliadem occidit, & sic uos infame tyranni corpus, cultu indumentoq; Barbarico tectum, quod ritu patrio post largas epulas, & amplissimã ingurgitationẽ, muliebria quæq; agere & pati solet, gladijs uestris confodite: cõfossum Cassianis Brutijsq; uulneribus ultricibus flammis exurite. Quòd si tu fortissime Magister equitum cũ ista nobili sacraq; militari cohorte tua effeceris, egregiã certe laudẽ & ampla spolia referes. Si enim Scipio clarus est, qui Hannibalẽ ex Italia decedere coëgit, si ornatur eximia laude Aphricanus, qui duas urbes Romano imperio infestissimas deleuit: si est æterna gloria Mario, quod bis Italiã obsidione, seruitutisq; formidine liberauit: quanta te gloria putas, manet? si Turcas Christianis finibus quibus imminẽt, excedere cogas, & legẽ Mahumeticam deleas, ac reliquam Catholicam Græciam, Cyprum, Cretam, imò & ipsam Italiã seruitutis formidine liberes? Si enim hic uicerit hostis (quod Deus nolit) continuo istas prouincias permagno ex diuersis gẽtibus cõparato exercitu inuadet, uastabit, exuret, & miserrima seruitute opprimet. Accingere igitur gladio tuo super femur tuum potentissime Magister, & uos sacri Equites, estote fortes in bello, & pugnate cum serpẽte isto antiquo. Neq; moueãt uos ingẽtes hostiũ exercitus: sed reputate animo quod res est, uitam & interitum hominũ esse in manu Dei, qui non tam multitudini fauet, q; pietati. Quoties quęso populo Israelitico, locorũ angustijs circumuento, & parua manu cum innumeris gentibus Amorræis, Aegyptijs, Moabitis, Philistinis, Madianis, Cananęis depugnãti, præclarissimas uictorias cõcessit, hoste ad internitionẽ usq; cęso? Recensere nunc (nisi breuitatẽ essem pollicitus) copiarum Xerxis, Darij, cæteraq; Græcę & Latinæ historiæ prophana exempla, ex Iulij Frontini Stratagematicôn lib. IIII. nota, quibus apertè instruimur uirtute & audacia, ad uictoriã non numero opus esse. Rudis enim & indocta multitudo, ut inquit ille rei bellicę scriptor, ad fugã & cædem semper exposita est. Quare Alexander Magnus, cum pręter Macedonas suos uniuerso Illyrico innumerum delectum posset indicere, nunquã maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus quicquid excederet. Quapropter moneo uos Equites, ut ista obsidione geratis spiritus dignos nobilitate uestra, hoc est, egregios, audaces in prælio: siquidem maximũ semper his periculum, qui maxime timẽt, audacia pro muro habetur. Quàm omnia ad bellũ prospere feliciterq; gerendũ necessaria, quæ abundè adsunt, uobis addere & augere debent. Siquidem, ut omittã necessitatẽ pugnandi, quæ sola, uel timidos fortes facit, armis, ac militari peritia hostem superatis. Tenere enim licet uos loricis semper tectos, uerticẽ tegit galea minaci crista emicans, pectore æneus splendet thorax, manus armantur ense & clypeo, pedes innodantur duro solidoq; ferro, neq; ideo minus ad saltum & luctam habiles, nam arma & ferri graue pondus leue facit usus, ac quotidiana exercitatio, quæ uos belli stratagemata, artesq; edocuit, iaculũ recte emittere, tormentũ excutere, hastã ualide uibrare, gladio cęsim & pũctim ferire, mari classem dirigere, & inter duo maxima ineuitabiliaq; mala, quæ animus meminisse horret, ignem & aquã, inuictos esse. Et timebitis quæso nunc septiuallo, fossa, mœnibus, muro centumpedali in præsidio uestro, in arce uestra, incredibili tormentorũ machinarumq; apparatu instructa, quã annis ab hinc quadraginta contra tot Barbaros nudam & inermẽ defendistis, eã nũc relinquetis, nec pugnabitis duce hoc Magistro uestro Philippo Vilerio Liladamo, cui bellicę omnes artes, ac fortissimorum Liladamorũ patrio, auitoq; sanguine hæreditariæ ac gẽtilitiæ sunt, cuius solũ nomen uictoriam & triumphum se contemplantibus pollicetur? Siquidem Philippos ab equorum studio Græcis dicta uox perinde sonat Latinis, quasi dicas bellacem ac uictorem. Nónne si colligamus gerenda gestis, huius tam

fœlix,

fœlix, tamq; incruenta Sultanicæ classis expugnatio, abundè id temporis uictoriã pollicetur: Eia ergo fortissimo & constanti animo obsidionẽ tolerate. aderunt ab occasu regum, ac ordines uestri, parata subitaq; auxilia: & pugnam alacriter capessite, nec timete hostes tantum angusto scuto & ense, nudis femoribus dependenti contentos. Nam galea & lorica omnino nõ utuntur, & prudenter: huiusmodi enim arma non decẽt stolidos & fugaces. Si res primo conatu non successerit, uiros decent in acie stãtes, paratos uincere, uel pulchram per uulnera mortem oppetere: quorum alterũ optabile, alterum (si necessitas cogat uirũ) Christũ simul & militiam professis nõ pertimescendũ.

Hac oratione accensi Equites sunt, & Magnus Magister: dataq; ei notitia est omnium, quæ nuper allatus obses manifestauerat: quem ut inuenì urbanè uestitum, ita moribus rusticum (Siquidem gẽs Turcica à pueris nulli officio, aut disciplinæ, sed tantùm pascendo pecori assuefit) & ad omnia liberè, minimeq; fucatè respondentem, Turcam classem parare in finitimis Carię, Lyciæ regionibus, delectum militum habere mittendorum in longinquas Hismaelis Sophi prouincias, nec fefellit. Siquidem Tyrãnus, ut à nobis, quos omnia explorare non dubitabat, belli suspicionem auerteret, gentem uicinam duramq;, & bello natam, procul ad angustias Amani montis tuendas misit, ne inde Sophus in nuper acceptũ Sultani regnum erumperet. Sed parum profuit dolus. Nam magister stipatus armato satellitio centum delectissimorum iuuenum, quibus præerat F. Ioannes Bonauallis, pollens uiribus & decora facie, eques Auernus, ut obsidẽdis animum adderet, muros, stationes, locaq; singula obequitauit: impigre suorum & hostium res pariter explorans, quid boni utriq;, aut contrà esset, inquirit. Molem molendinariam munire iubet: B qua parte Occasum spectat, mariq; haud alto alluitur. Franciscus Fresnayus Romangius eques Gallus, morum facilitate, liberalitateq; omnibus acceptissimus, qui postea ad stationẽ Italicam pugnans occubuit, loci & magnę onerariæ nauis sacræ militiæ prefectus, mandatam prouinciam summa cura atq; industria exequebatur. Nam ante molem quam aggere, contabulatisq; turribus ac uasis luto & terra madefacta impletis munierat, tormẽtisq; uariæ magnitudinis, ut cuiq; aptũ uisum est, loco dispositis firmauerat. Naues magnæ, minorisq; formæ saburra, saxoq; grauatas, paululum à muro altiore mari depressit: quarum obiectu impedimentoq; triremes hostium, à loco prius machinamentis, audaciaq; militum expugnabili remotius arcebantur. Portus septus est ualida ferreaq; cathena immanis ponderis trãsuersum ante fauces proiecta, trabibus etiã quæ supra undas natabãt ualidis anchorarijs funibus inter se cõnexis, quæ à turri molendinaria ad arcẽ Nicoleam obliquo tractu protendebãtur: quo opere usus maris hostibus adẽptus est, eluisq; maritima oppugnatio, postulata & cõmissa cũ cęteris pyratis Turcensibus Cortugolo, cuius frater in Robore, carcereq; Rhodiano cũ diu squalluisset admotus obsidione hostili, inter mille & amplius Turcas, publicis operibus insolens, auræ & lucis diem extremum obijt cũ alijs multis: quos tam hostium foris immissa tormenta, quàm domesticæ ærumnæ uigilando, agẽdo, festinando, portãdo omnia debilitatos orco tradiderũt. Plures præterea in tumultu quodã populari temerè exorto, miserabiliter occisi sunt. Nec canum melior q; Turcarum fortuna fuit. Hi enim q; in culina pascãtur, & cibatu qui homini proprior est, à pueris tota urbe supplicio affecti sunt. Magister equitũ ne quid imparatum inexpertúmue sineret, paratis omnib. ad bellũ necessarijs, ciues ad se in Prętorijũ uocatos, in hãc sentẽtiã alloquutus est: Magnanimi uiri, ciuesq; optimi, audimus hostẽ Turcam permagno ex diuersis gentibus collecto exercitu ad nos properare. à cuius innata crudelitate, solitaq; perfidia, nisi nos ferro uindicemus, mihi equitibusq; meis, ac uobis etiã unum & cõmune periculũ est.

Siqui-

Siquidem unanimi conſpiratione & opera, res eius grauiter terra mariq; afflixímus: præda ex agris eius ui abacta, eſtis locupletati. Gentem ſuam hodierno etiam die graui ſeruitute opprimimus, iniuria ille nos, iure optimo dicimus. Siquidē maiores ſui ſpecus ſubterraneos & tenebroſa antra Caucaſæ rupis amplius non ferentes nullo iure, nullo titulo, nulla cauſa, ſola auaritia & dominandi cupiditate, odioq; ſanctiſsimæ religionis noſtræ irritati, Chriſtianos Syria expulerunt. Deinde Græcos ſua Græcia non una morte gentis contenti, ſed (ut ſemper fera & immanis eſt barbaries) animā uarijs exquiſitisq; tormentis eripuerunt. Quos iſte ſupra ætatem malus & arrogans puer omnibus grauis accola Arabiæ, Syriæ, Aegypti, regni Perſarū, magna parte totius Aſiæ dominatu, tot præterea locorum ac populorū imperio non contentus, tyrānide, cæde, bello, rapinis, perfidia, odio, impietate erga Chriſtum & homines, ſuperare conatur: & noſtras inſulas, terrasq; Chriſtianorum uniuerſas occupare mirabiliter laborat, ut tandem rerum omnium & mundi Dominus, diruat Chriſtianas urbes, Chriſtianos obtruncet, Chriſtianum nomen ſibi tantopere inuiſum penitùs deleat: quam non ferendam iniuriam ut propulſaremus, ſedem potiſsimū in hac Rhodienſi inſula delegimus: quòd hic locus ad bellum Barbaris inferendum uiſus ſit cęteris opportunior. Fecimus quantum in nobis fuit, adiuti ſumus à uobis, experimento cognouimus quanta ſit uirtus, fides ueſtra, quam ne nunc mutetis, nulla ſuſpicio. Quapropter non agam multis, ut in fide & officio permaneatis: nec longa ambage ad uirtutem uos hortabor, quam fortibus uerba nec addunt, nec demūt. De me ac equitibus meis diuo Ioanni deuotis parce quædam loquar. Sum cum his, quibus (ut ſpero) aderit principum Chriſtianorū & aliorum equitum meorum qui in Occaſu ſunt, peropportunum auxilium, paratiſsimus defendere uos, liberos ueſtros, coniuges, fortunas, phana, monumenta maiorū ueſtrorum, & cœleſtium deorum delubra. Quam opinionē, ut fixam, immotamq; ueſtris mentibus retineatis, efficere poſſunt (ne quid dicam aliud) fidele ingenium meum in bello, nec ſegne omnino, nec rude corpus, ſana & perpetua ualetudine ferendis laboribus, & excubijs aptiſsimum, equitum meorum nobilitas & amor erga uos, inimicitia in hoſtes: urbis præterea fortitudo, quam hic ſacer & nobilis Ordo ingēti pecunia aduerſus omnem tormentorū uim atq; impetum ſic egregiè muniuit foſſa, uallo, muro, mœnibus, turribus, propugnaculis, ut nulla ſit ciuitas quæ huic nedum præferri, ſed nec æquari poſſit. Ad hæc armorum, telorumq; incredibilis copia, uinum, caro, frumentum ſub terris conditum, ne humor, aer, gurgulio ue corrūpere poſsit, mire abundat: hominum ad bellum aptorum haud paruus numerus. Lignorū magna undiq; ſtrues. Aquæ ſaluberrimæ, quæ incluſis obſeſsisq;, plurimū ad uarias neceſsitates utilis eſſe ſolet, larga & indeficiens ubertas: quæ omnia certam uictoriam, certiſsimū & optatum belli euentum nobis ſpondēt. Addo quod ex noſtra parte pugnabit neceſsitas, pugnabit fides, pietas, conſtātia, pugnabit amor patriæ, amor libertatis, amor parentum, coniugum, liberorum. Illic uoluntas magis ducum quàm militum perfidia, impietas, inconſtantia, deliderium ueſtræ ſeruitutis, odium parentum, coniugum, liberorū ueſtrorum. Procul dubio (chariſsimi ciues) non ſinet Deus optimus tot tantasq; uirtutes ab iſtis uitijs ſuperari. Eſtote ergo animo pacato & ſecuro, nihil hoſtile, nihil ominoſum metuētes. Tantum in fide, quam tot annos difficilimis bellorum & fortunæ caſibus impliciti, ſacro militari ordini illæſam ſeruaſtis, permanete: & ſi neceſsitas poſtulet, armis dextrisq; uirtutem ueſtram hoſtibus oſtendite, fidem facite Hiſpanis, Gallis, Pannonijs, Italiæ, Britannię, Rhodios homines poſſe Turcarum ſpiritus reprimere, illorum claſſes & exercitus ab Italia auertere: cui tot annos ferrum & flammas minātur. Ad quam mirabiliter feſtinant

festinant & perueniẽt, si (quod animus abhorret dicere) hic uicerint. neque enim ambitiosus iste puer, animo, perfidia, crudelitate Hannibalem superas, Hannibalem imitabitur qui facta ingenti ad Cannas Romanorũ strage, uictoria uti nescierit: sed continuo celeritate Iulium Cæsarem uincens, expositis omnibus opibus Aegyptijs, quas pater in direptione Cairi reperit, Apuliam, Calabriam, Siciliam magna classe, magnis exercitibus inuadet. Inde in Gallias irrumpet, mox petet Hispaniam, cęterasq; Christianorum regiones, omneq; crudelitatis genus in uniuersos exercebit. Sed altius me rapit oratio quàm uelim, aut opus sit. Fides enim et uirtus uestra, Magnanimi ciues, in tolerando & oppugnãdo hoste firmior est, quàm ut oratione indigeat: constantior, quàm ut malis quæ inclusos obsessosq; pati necesse est, confringi possit, quanquam illa quæ uerè mala sunt, famẽ & sitim omnino nõ sentietis. Quas tamen populi aliquot, fide, uirtute, & animo uobis nequaquã comparandi, constantissime prtulerunt. Siquidem Petilini à Pœnis obsessi, parentes & liberos propter inopiam eiecerũt, ipsi corijs madefactis, & igni siccatis, folijsq; arborum, & omni genere animalium uictum trahentes, undecim mensibus obsidionem tolerauerunt: nec antequam uires ad standũ in muris, ferendaq; arma deerant, expugnati sunt. Casillini obsessi ab Hannibale, murem cẽtum denarijs emerunt. Excubias in stationibus agere necessarium erit: domorum ruinas si tormentis eiaculata saxa inciderint, æquanimiter tolerate. Sed reparari possunt hæc mala, & minora sunt, q; ut ideo deditionem faciamus hosti, in cuius clementia fideq; nulla spes est. Præterq; enim quod natura crudelis & perfidus est, tum nobis qui illi tot mala intulimus, à quibus solis sibi, ut ait, dominatori terræ & maris, quo eũ sępe deturbauimus resisti dolet, nullo modo mitis, fidelisq; esse poterit, quos toties Marte aperto, ui publica, ingenio, astu, dolo, fraude adortus est: uerùm semper conatu irrito, opitulante nobis Deo optimo Maximo, quem ante omnia uelim (charissimi ciues) propiciemus. Nisi enim ille custodierit ciuitatem, frustra uigilant custodes.

Postquam omnium animos alacres uidit, cohortatus ut petitionem suam curæ haberent, conuentum dimisit: & solennẽ supplicationem, quam etiam dies tempusq; anni expostulabat, ad phanum Deiparæ Virginis indixit, comitatus sacram maximamq; hostiam, latam circum omnia compita medius inter paludatos equites, sequente maxima hominũ multitudine, Deum optimum maximũ precatus est, ut bellum quod instaret, bene feliciterq; sibi, populo Rhodio, & nomini Christiano eueniret. Respondere omnes rem diuinam ritè peractã esse, precationi annuere cœlites, iri posse quò uocaret Christiana religio & inimicorũ audacia: Deum & sanctissimum tutelare numen omnia læta faustaq; portẽdere, urbis protectionem, uictoriam, & triumphũ: quæ dum uulgus (cui plerunq; plus animorum quàm consilij est) festiuissimè ante bellum cantaret, uiros primores prudentioresq; magna cura occupauit: qui summo studio ut uulgo fœliciter opinata contingere possent, procurare non cessabant. Inter quos frater Clemens Pontifex Græcorum clarus, absti-nentia, & ingenio, nec non Græca facundia meritò connumerandus est: qui Græcos suos ex uetere fortuna olim stupenda orbi, animum adhuc retinentes, oratione quàm appositissima ad obsidionẽ fortiter strenueq; tolerandam est cohortatus, loco publico, pro basilica mercatorum, & ante sacram imaginem Deiperæ Virginis è summo primarioq; phano gentis allatam: ut oratio hoc modo luce religioneq; commendatior, cui pòpulus ille alioquin deotissimus est, benignioribus auribus accepta, efficacem magis aculeum in animis audientium relinqueret. Sed nunc orationem ipsam adscribo:

Optimi, Magnanimiq; Dores, rumor aut uerius certitudo belli, quod nobis instat, diuersissimas inter se res gaudium & metum, in animum ingessit

meum. Neq; profecto scio, utro magis cõmouear. Nam dum tacitus mecum A
classes, copias, exercitus, uim, magnitudinemq; hostiũ mente reuoluo, totus
tremore horreo. Verùm dũ animus æger ex solicitudine (ut fit) in spem ra-
pitur, atq; in admirationem præsidij Latini, & fidei, fortitudinisq; Græcorum
repente mutor, & is qui non eram, fio: ex solicito liberrimus, ex pauido timi-
doq; audax, è tristi alacer & gaudens: spondeoq; mihi titulos, spolia, exuuias,
uictoriam ac triumphum de immanissimis hostibus. Et si me benignis, ut cœ
pistis, pergatis audire auribus, aperiã uobis spei & pollicitationis meæ ratio-
nem. Sed inuocato prius Christi Iesu Dei nostri optimi maximi, & Deipa-
ræ uirginis Mariæ auxilio, ante cuius imaginem sacrosanctam conuenistis,
in quo primam, maximamq; uictoriæ nostræ rationem pono: hinc sensim ad
humani ingenij uires, consiliaq; mortalium descendens, cerno generosissi-
morum Equitum constantissimam fidem erga Deum, erga Rempublicam:
cum qua collata illa Marci Attilij Reguli, multũ lucis dignatisq; amittit. Vi-
deo horum nobilitatem, ad quodq; maximum facinus sic animatam, ut nullo
cruciatu, nullo metu inde terreatur. Aspicio urbem inexpugnabilem muro,
mœnibus, propugnaculis, uario genere tormẽtorum, multiplici commeatu,
omnibusq; alijs, quæ ad nostram salutem, hostium excidia pertinent referti-
simam. Tamen libere dicam, quod sentio meo more, neq; ad gloriã uestram,
nec ad Latini præsidij uires nimium eleuandas. Hæc urbs cõtra tot hostium
conatus, tantas Barbarorum copias nihil potest, nihil etiam ualet Latinũ præ-
sidium, nisi coeat fortitudo & fides Græca: quæ ne Latinis tã necessario tem-
pore fraudi, doloq; sit uos precor. non quòd hic prece multum opus putem:
sed quòd sciã Turcas uos hortaturos, ut à Latinis desciscatis. Quid enim est
illis optatius, quàm uno tempore & uos circumuenire, & nefario scelere uos B
obstringere? Aut quid ìrati grauius de uobis sentire possunt, q̃ ut eos proda-
tis, qui se uobis & omnia sua crediderunt, & in eorum potestatem, ueniatis,
qui se per uos perijsse, ac tot damnis, tot contumelijs, tot que iniurijs affectos
æstimãt? Redeat obsecro in memoriam, maiorum uestrorum fides, non do-
mestici scriptoris, sed externi Latini T. Liuij, omnium mortalium iudicio di-
gni: cuius inuicto calamo, inuictæ populi Romani res gestæ cõscriberentur,
testimonio celebrata: qui multa egregia erga populum Romanum terra, ma
riq; ausi sunt. Nam cum Antiochus Philippum Macedonem aduersus Ro-
manos exercitu, nauibusq; adiuturus uideretur, Legatos ad regem miserũt,
si non rontineret copias suas, se obuiam ituros: non ab odio ullo, sed ne con-
iungi cum Philippo pateretur, & impedimẽto esset Romanis. Quę honestis-
sima legatio cum parũ profuisset, Rhodij Romanos adiuuãtes, Antiochum
regem fusum fugatumq; & exutum castris, prius Europa, post Asia, quæ cis
Taurum montem est, expulerũt. Quare merito à Catone, quinto Originum
libro (ut autor est Gellius) appellati sunt optimi fidelissimiq; socij Romano-
rum, quibus nec animum duntaxat bonũ, ac fidelem præstiterunt: sed etiam
naualibus prelijs, quæ multis locis facta sunt, omnibus adfueruet: nec labori
suo, nec periculo usquam parcentes: & quod miserrimũ est in bello, cum Mi-
thridates Asiam occupasset, Q. Oppium proconsulem, itẽ Aquiliũ Legatum
in uincula coniecisset, iussuq; eius quicquid ciuium Romanorũ in Asia fuit,
uno die trucidatum esset, obsidionem, cum soli in fide Romanorum perma-
nerẽt, passi sunt. Et in dissensione ciuili inter Antoniũ, & Octauium ultores
necis Cæsaris, & Cassiũ ac Brutum, cum petijssent, si in ciuili discordia à par-
tibus abstinere, & æquè omnes Romanos colere nõ liceret, tãtisper dũ ipsi ad
senatũ mitterẽt, bellũ differri, ut ex eius autoritate arma caperẽt, inuasa mox
urbe cũ ira uictoris cũcta quæ collibuisset, in matronas, in uirgines esset ope-
rata, omnib. bonis mulctati sunt: frustra misericordiam cũ multis lachrymis
rogante

A rogante uenerãdo ſene Archelao, à quo Caſsius Rhodi Græcè fuerat eruditus. Nam Aeſchines cum à Repub. excidiſſet, huc doctrinam Athenarumq; ſtudia intulit: fuitq; Gymnaſium ea tẽpeſtate hîc florentiſsimũ: in quod cum Ariſtippus philoſophus Socraticus, naufragio in littus noſtrũ eiectus diuertiſſet, & de philoſophia diſputaſſet, magnis adeò muneribus eſt donatus, ut non tantùm ſe ornaret, ſed etiam eis qui unà fuerant ueſtitum & cætera quæ opus eſſent, ad uictum præſtaret. Hoc Gymnaſio Tiberius poſtea Romanorũ Imperator amœnitate & ſalubritate inſulæ captus, ſine lictore, aut uiatore ſæpe obambulans, mutua cũ Græcis profeſſoribus officia uſurpabat. In quo, ut Antenodorũ audiret, Cato huc ab exercitu nauigauit. Cicero, quẽ unum Latini contra tot noſtros rhetores & philoſophos obijcere ſolent, quiq; primus, unusq; cuncta philoſophiæ dogmata à Græcis accepta, eis tradidit. Hic Apollonio, qui eum tantum, quantus eſt, effecit, operam dedit. Et quam gratiã reddiderunt oro Romani Græcis? à quibus omnia honeſtatis probitatisq; exempla, omnem armorũ literarumq; ſcientiam accepere, quorũ fideli opera & induſtria domi, foriſq; imperij ſui ditiones propagarunt? Nempe Caſsianam, ut audiuiſtis, & Rhodiorũ, quos ideo ſuperbiæ inſimulabant, quòd ſeſe ſuperari ſuperbia eſtimarẽt, opibus diripiendis intenti, infenſiq; fuerũt. Gentem uetuſtiſsimam nobiliſsimamq;, uel fama rerum geſtarũ, uel omni commendatione humanitatis, doctrinarumq; ciuitatibus, quas non tã liberaliter, quàm merito ob nauatam bello Macedonico & Aſiatico operã dedere, mulctauerunt. Necq; hac iniuria contentus Veſpaſianus, Rhodum cum adiacentibus inſulis adempta libertate, in prouincię formam redegit. Verùm optimi

B maiores ueſtri, tot alijs ſupra alias affecti iniurijs, magis quid illos deceret cogitantes, quàm quid mereretur aliorum improbitas: utq; leuitatis ac perfidiæ notam fugerent, ſemper in fide Romanorum permanſerũt. Vos quid nunc facere conuenit laudatiſsimi uiri, tam præclara ſubſtantiæ, & fidei domeſtica monumenta animo reputantes, pro Chriſto Ieſu Deo & homine, pro ſacra militia, quæ non modo æquis legibus, & facilimo imperio, uos ſemper indulgentiſsimè habuit, ſed etiã fouit, nutriuit, locupletauit? Ingrati, maliq; animi eſt reticere, quorũ beneficio ſis adiutus. Ingratiſsimi, peſsimiq; uerò, non repẽdere gratiã cum poſsis & debeas, cumq; omnimodo opus ſit tua ope. Defendetis ergo hoc neceſſario et difficillimo tẽpore Rhodios, in quos nulla ingratitudo perfidiaq; unquam cecidit. Qui liberi etiam aliorum libertatis cauſam egiſtis, ſacrum militarem Ordinem, arcem Equitũ, imò capita, focos, aras & fortunas ueſtras, quibus inſultat, & ultima exempla parat perfidus Tyrannus, hoſtis fidei ac religionis, quam à maioribus ueſtris accepiſtis: pro cuius dignitate gloriaq; aſſerenda, nullum diſcrimen, ne mortem quidem certã intentataq; fugere debetis. Sed cum uos cõſidero Græci, fidi, fortes, pij, ac ut uno nomine omnia complectar uerè Chriſtiani, cum Equitum Latinorũ audaciam, nobilitatemq; æſtimo, magna me ſpes uictoriæ tenet. Ite igitur duce Chriſto Ieſu, Ioannis Baptiſtæ, ac ſanctiſsimi Equitis Georgij, ſecũda fiducia contra gentem impiam & nefariam, perfidam, quæ nunquam uirtute, ſed ſemper occaſione freta uicit, nullam regionem, niſi domeſticis malis ruentem occupauit. Eunuchos ſeruos Orientis, imbelles Syros, fugaces Perſas, alioſq; quos tepens Pharius & leuium populorum nutritor Nilus emittit, tenero perlucentes amictu: & uix leue palliũ uitando ſole tolerãtes oppugnare ſolitam: non Rhodios, qui iſtas primum gentes cũ Imperatore ſuo Memphitico Halbuzato ingenti & fœda cæde ferè ad internitionem uſq; deleuerunt, & iterum adiuti à Pontifice maximo Caliſto III. Quiq; ipſorum Turcarum obſidione tantùm nouem & octoginta dierũ, octo millia præter quindecim ſauciatos morti tradiderũt. Sic enim numerum init Cauorſinus quaſi pollin-

ctor mortuorum, & uulneratorũ omnium chirurgus. Vidit sol lætus spectaculo, audierunt diuersarum terrarũ populi, intra paucos dies euersores Asiæ atq; Europæ ab Ambusono uno, unius Græcæ gentis duce stratos, cadaueribus suis eam terram metientes, quam pugna cõmittenda sibi spondebant. Si Diuina pietas, ductu auspiciisq; Ambusoni uos, quos genus Christianum iuxta ac ueteres illos Græcos heroas iampridem intuetur, tanta cæde hostium, tam celebri triumpho insignire uoluerit: quid creditis Christũ Deũ opt. max. socio tutelari numine iã ministerio uestri, ac serui sui Liladami principis, uerè optimi & nobilissimi, aduersus crudelissimos hostes suos acturum? certe mens maiora omnino concipit, & exprimere audeat. uerùm euentus rectius spem pollicitationemq;, qua me uosq; animaui, dubio procul confirmabit.

Mirum in modum Græcorũ animi hac oratione accensi sunt. nam ducitur, rapiturq; hæc gens inter cæteras maximè nationes laude & gloria, tantumq; suadendo & hortãdo hinc inde apud homines effectũ est, ut hostis magis cupidus sit, & detestatus: nec diu multorũ stultas uoces infeliciaq; sibi uota remoratus est. Quadã enim nocte elatis specula ignibus in hostico signũ dedit: missaq; est extẽplo cum Lembo armata militaris Triremis, & in ea Castrophilaca interpres, qui cum in proram processisset: Commodius, inquit, unus hostium turma equestri circũfusus, si in terram egrediaris, cum id facturum se negaret: quid inquit Xayci fortunã metuis? Adhæc ille minaci & Rhodio animo, Xaycus quem cõtra fidem sacramentumq; cepistis, nihil me solicitat. Nec uos quibus non credo, metuo. cum sermonibus de industria compositis uellent tempus protrahere, poma remigia deijcientes: aut paucis, inquit præfectus de puppi loquẽs, mandata explicate, aut hinc facessite, nisi malueritis actutum bombardis obrui. Barbari primum equis & arcubus ferociẽtes uno uerbo attoniti obsignatam epistolam super saxũ quoddam ponunt, ibi mandata contineri, & cum dicto calcaria adigentes, cursu quàm cõcitatissimo aufugiunt. Epistolæ autem talis fuit sententia.

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOminus dominantium, Maximus Imperator Byzantij & Trapezuntis, &c. Reuerendo patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, Equitibusq; suis, & uniuerso populo.

COmmouerunt me afflictissimæ gẽtis meæ commiseratio & summa iniuria uestra. Impero igitur uobis per celerem insulę & arcis Rhodiæ deditionem pie ultroq; concessa gratia, securè abeundi cum omni præciosa supellectile: aut si libet manendi sub imperio meo, in nullo nec tributo quidem minuta libertate aut religione uestra. Si sapitis, præferte amicitiam & pacem bello crudelissimo. Nam uictos ui, manẽt acerbissima omnia, quæ uicti à uictoribus pati solent: à quibus non defendent uos arma, domestica externáue auxília, nec ingentes muri, quos radicitus euertam. Valete bene. Quod nunc demum fiet, si potius quàm uim, amicitiam malueritis, quæ neq; fraudi neq; dolo uobis erit. Iuro Deum cœli, terræq; auctorem, iuro quatuor Euãgelicæ historiæ Chronographos, uicies quater mille prophetas lapsos è cœlo, summumq; inter hos nostrum Mahumetem, adorãdos item Manes aui patrisq;, tum hoc sacrum augustumq; meũ imperiale caput. Ex regia nostra Constantinopoli. Huic cum alij acerbius, quidam lenius, quisq; pro ingenio suo respondendum sentirent, nihil est responsum. Eodem die qui mensis Iunij decimus quartus fuit, appulerunt ad Cos insulam, Hippocrate suo, Veneréque Apellea nõ minus & solo cœloq; nobilem, triginta Triremes hostiles: harum præfectus leui præsidio in nauibus retento, militemq; fermè omnẽ in terram exposuit, ad exurenda tecta & frumenta, quæ iam prope maturitatem erant, atq; ad uicos, agrosq; depopulandos. Verùm Preianes insulæ dominus uehe-

mens

mens, impiger, ſummæ audaciæ uir, accenſus indignatione, funeſtã illis hanc populationem fecit. Nam expedita manu peditũ, cum tumultuario equitatu leuis armaturæ erumpens in prædatores, per ſegetes, per agros palanteis, clamore claſsico, ſtrepitu armorum ſimul à diuerſis locis facto, tãtum terrorem Barbaris iniecit, ut cæci & lymphaticis nedum fugiẽtibus ſimiles, ſine ui, ſine defenſione, in obuia tela armaq; incurrerẽt: nec, niſi naues litori propinquæ plerosq; trepidos & fugientes excepiſſent, ſuperfuiſſet cędi aut fugę quiſquã. Ita re infœliciter geſta, præfectus naues inde auertit, nec poſtea litus attigit. Rhodij haud minori ardore quàm Turcæ, in Langone cœperunt agros, campos q; ſuos deuaſtare, & ex eis quæ diutinæ obſidioni tolerandæ neceſſaria erant, in urbẽ importarunt: exciderunt arbores, confregeruntq; omnia ſuburbana, & quicquid amœni ſanctiue prope urbem infra lapidem ſtabat, demolitum, ſoloq; æquatum eſt, ne hoſti integrum uſui commodoq; foret. Perſuaſerat hoc pridẽ populo, F. Gabriel Pomerolus Promagiſter, ærarij triumuir, ſpectandus domi foriſq;, facundus, callidus, amicitia facilis, multasq; alias bonas animi & corporis artes poſsidẽs, hic poſtea in anticuniculum, uia admodum incommoda gradiens, pede lapſus, læſo paululum capite, ilia perfregit: paucisq; inde diebus extinctus eſt. Nunc orationem ipſam adſcribo.

Ornatiſsimi ciues, auditis Turcam ingens bellum moliri terra mariq;: erga quem incertũ, ſigna oſtendunt aduerſus uos, militiamq; noſtram. Laborandum igitur ac proſpiciendum nobis cõmuniter omnibus, ne ab hoſte immaniſsimo imparati offendamur: neue negligẽtia aut imperitia noſtra illi uires addat. Statuit igitur magnus Magiſter uicinas urbi arbores excindi debere, domos dirui, ambitus murorum qui foris ſunt ſolo æquari: quod ut ſinatis, rogat & iubet. Compertum eſt enim, relatione militum qui urbes defenderunt & oppugnarunt, hæc poſſe obſeſsis nocere & hoſti prodeſſe: à quo uobis fortuniſq; ueſtris idem quod nobis & commune periculum. Nam in eadem, ut dicitur, naui nauigamus. Magiſter, quẽ hoc difficilimo tempore magnũ & ſapientem uirũ eſſe expertus ſum, omnia leniter & modeſtè cũ populo, cum equitibus agẽs, etiã ubi res poſcebat grauiter: ut alios exemplo confirmaret, utridarium ſuum ſtationi Gallicæ prętiacens, haud dubie amœniſsimum, primus demoliri, extirpariq; præcepit. Dum per hunc modũ omnia amœna, iucundaq; aſpectu deformãtur, triſtius omnino deformeq; magis ſpectaculum erat, quod urbem prope maiori luctu mœſtitiaq; confecit, quàm ipſe aduentus hoſtium: miſerabilis ſcilicet multitudo inconditæ turbæ agreſtium hominum, ligna, frumentum, pecora legumina, aues cortiles, cæteraq; neceſſaria uſibus, & quib. diuturnior obſidio ſuſtineri poſſet, ex agris (quod Magiſter iuſſerat) urbi inferẽtium: quos immiſta ac circumfuſa turba ſequebatur, puerorum ac mulierum plorantium, quæ ſparſis crinibus genas, faciemq; ſuam, conſuetudine patria, fœde laniabant: ſupinas manus ad cœlum, ad Deũ tendentes orabãt, ut claram Rhodum ex flamma, ferro, peneq; fati faucibus eriperet: matresq; Rhodias & liberos paruos inuiolatos ſeruaret. Colluuio iſta agreſtium in arcta tecta cum urbanis locatorum, animantiumq; omnis generis cœlum graue morboſq; fecit, contagioſos tamẽ magis quàm perniciales, profluuium alui & febrim. Verùm cum iſtorũ brutorũ maxima pars, decreſcente annona, impaſta, neglectaq;, ac ſæpe morbida per ſtrata, per uicos, relinqueretur, maioris & peſtilentiſsimi prorſus mali ſeminarium factum eſt: quod uerò poſt fugã, deditionemq; noſtram, uim ſuam in hoſtes & miſeros qui remanſere Chriſtianos, ſæuè exercuit. Nec intacta ab hoc malo fuere obſidentium nos hoſtium caſtra. facile enim à tactu mutuaq; familiaritate morbum contraxit gens immunda, incompoſitaq; multitudo: cui cibus caro præter ſuillã uix ſemicocta, maſſaq; tritico manu molito facta, atq; in carbonibus

decocta, humi uti pecoribus pabulum & stratum cõfecta uigilijs sitiq; . Nam a iudex urbis uenerabilis & exactæ iam ætatis uir, pabulum & aquarum fontes lino putrido, aliaq; simili materia corruperat, quà uẽturum credidit hostem. Qui priusquam tota classe ad insulam obsidendam descenderet, arte atq; ingenijs usus, cũ 20. longis nauibus, reliquis aliquot auxiliaribus cũ supplemento in statione ad Gnidum promontorium, haud procul ab urbe Rhodo atq; in sinu Symæ insulæ (quæ Rhodiorum est) relictis, per cõtinuatos aliquot dies fretum, medium inter oram Lyciæ & Rhodum insulam nauigauit: cogitans isto modo ad nauale certamen è portu nos elicere. Spem enim habebat optimo sanè cum consilio propositã, si respondisset euẽtus, aut nauali prelio uincere, quod tunc tẽporis non multo minus fuisset, quam Rhodũ expugnasset: aut res nostras destructo inter pugnandum flore militum hominumq; nauticorum, plurimũ debilitare posse. Qui cum nullo fine facto nũc ad medium usq; fretum ueniret, nunc in altum regrederetur, inde iterum ad portũ prope procedens, classem in conspectu explicaret, plerisq; cùm ætate, tum ingenio feruidis, quibus non toleranda superba ista fiducia uidebatur, consilium haberi placuit, faciendum ne periculum naualis certaminis foret. Cancellarius sacræ militiæ idemq; ærarij Triumuir, multis illustribus factis domi bellique clarus, animo immoderato, incredibilia nimis alta cupienti, ingenio magno uarioq;, copia dicendi larga & exuberanti, quam prouectiori iam ætate cum in pueritia literis non uacasset, feriatus à bellis, negotijsq; cùm publicis, tum priuatis, quotidiana lectione omnis disciplinæ autorum sibi præparauerat. Plinium enim ita nouit, ut nemo melius nomen digitosq; suos: cui ad summum honorẽ Magistratumq; nihil obstitit, nisi nimia inconsultaq; honorum cupido, negabat cessandũ esse. Aut enim inquit, ut erat lingua immodicè liber, ingens ista classis, ad cuius necdum uim aut aspectum, sed solam famam plerique contremunt, quæ tamen noua non est (nam singulis annis uenire ad nos solet) his piraticis nauigijs ueluti membris caput iungẽda est, & tum utilissimum fuerit, quod quidem superioribus robore nauium, numero, & uirtute militari facilimum est, capiti membris defractis, huiusmodi dolorem atq; ignominiam infligere, ut perpetuo inde lãgueat: uel nulla alia quæ in nos fabricata sit, classis istam sequitur. Quod mihi (fremant licet homines, qui umbram suam ac cœli ruinam metuunt) uerisimilius uidetur. Nec enim tam uecors est Turca, ut hoc sero anni tẽpore, post septimũ Calend. Iulias, huc mo ueat parte æstatis, ad oppugnandam urbẽ commodiore exacta, & quam urbem munitissimam, nullius idoneæ rei egentem, ualidissimo firmatam præsidio: unde maiores sui semper cum clade & ignominia repulsi sunt. Cui prius quàm cuncta expugnandis urbibus reperta apud ueteres, aut nouis ingenijs inuenta admoueat, reliquũ omne æstatis transierit. Hyeme autem cùm ubiq; incõmoda sit oppugnatio, tum insula incõmodissima: præsertim hac, in qua non portus ullus, non consistendi usquam locus. Quin igitur Deo & tutelari numine bene iuuantibus, imus hosti superbissimo obuiam? Sed uno minaci indictulo ab adolescente anxio, ne classem suam aliò destinatam, à tergo inuadamus, dolo fraudeq; ad nos transmisso desides intra muros, mœniaq; nostra complosis manibus sedemus, nusquã metu ac pauore trepidi caput efferentes, timiditatẽ atq; segnitiẽ nostrã uocamus, si Dijs placet, artes Fabianas: & utinã Fabij essemus, nõ potius Antiochi, Aetholi (quorũ omnis ferocia in uerbis) Vitellij, credẽtes sedẽdo, aut uotis debellari posse. Verũ, nõ uotis, neque supplicationib. muliebrib. aut his sensib. cõsilijs ue, q̃ timidi cauta uocãt, auxilia Dei parãtur: uigilãdo, agẽdo, pspere omnia eueniũt. Propalàm his ferociora dicẽdo, tantũ apud multitudinẽ effecit, quę plerũq; ex incertissimo animos sibi sumere solet, ut sibi pugnã deposceret: uelle ait se abolere indignitatis

A tatis maculã cæde & sanguine hostiũ: non esse se sine armis, sine animis, sine manibus. Patribus, sine quorũ cõsilio, Magistro quippiã decernere ius, fasq; non est, uisum in hac rerũ difficultate fortunã non esse tentandam, lictoribus tantùm, & à populationibus conscriptis ad hoc mille uiris, hostem arcere placuit. qui cum uideret spem suam eludi, retroagens classem ad Villam Nouam (sic loco nomen) duodecimo ab urbe miliario iactis, anchoris descensionem fecit. Segetibus tantùm, quæ prope maturitatem, & pro derelicto habitæ erant deuastatis. Nam hominum, quod aut in utcis, aut in agris erat iam in urbem castellaq; sparsa per insulam hac illac munitiora cõcesserant. Quam iniuriã dum uindicatũ iret leuis armatura equitũ, misso ad hoc nuncio à magno Magistro redire iussa est. Prudens enim dux, militẽ ad maiores rerum casus seruabat: qui tota obsidione non ducem, sed etiam militẽ egit, & interdiu aliquando cum his cibum cœpit, noctu sæpissime ad tertiã uigiliam in stationibus mãsit: aut obambulans, aut fortuitò sedili è ligno, uel lapide insidẽs. In oppugnationibus ferocior q̃ patribus placeret, nec tela, nec hostes formidans: semper tamen cauta potius cõsilia cum ratione, quàm prospera ex euentu probauit. Fuitq; (quod mireris) inter tot curas, tam uarios & ancipites casus, semper eadem uultus gratia & maiestate: quem intuentes uenerabant̃ & amabant. Huic addendum, q̃ quicquid otij ac quietis à curis, ab oppugnationibus, à naturali usu, & desiderio corporis habere poterat, id totũ in preces, & rem sacrã cõuertebat. Sæpissime enim maximã noctis partẽ solus ante altaria thorace tantũ & galea, manicisq; depositis, orando, psallendoq; transigebat. Palàm equitum & populi uox erat, nihil timescendũ: Rhodum magni Magistri uigilantia precibusq; inuictam futuram.

B Nunc restat operis difficillimi pars laboriosissima, nunquam sine ingentissimo luctu, atque mœrore omnium hominum nedum meo memoranda. Nempe, in qua urbis nobilissimę semper lugenda deditio, & miserrima Hierosolymitanorum Equitum fuga continetur. Quam qui fando, audiendo ue temperare sibi à lachrymis potest, meo quidem iudicio modicè Christianus est, aut parum prudens male intelligit, quantum uictoria Rhodia uires Turcicæ auctæ sint, nostræ accisę. Verùm nunc omnis querela, etiam necessaria fera est, atq; ingrata. Quando quidẽ Occidentis Principes, qui obsidione moti non sunt, nec excidio cõmouentur, poti calice furoris, indignationis et irę Dei, quod utinã iuuenili meo tantũ calore effuderim. Sed uereor, atq; adeò uereor, ne repugnans reluctansq; dolori meo uerã uocẽ effetre sim coactus, & ne hi qui immisericorditer aliorum miserabilissimas querelas aspernant̃, iubentes quenq; saluti suæ consulere, dicentes secum, nõ continget malum, nec flãma, nec gladius hostilis nocebit nobis, mox ad palinodiã adacti, Hieremiæ uatis fatale, ac lachrymabile carmen recantare cogãtur: Ecce gentem à longinquis, & procul dissitis regionibus, gẽtem robustam, gentẽ antiquã, gentem cuius linguam ignoramus, nec intelligimus quid loquatur, comedit segetem, uineam, ficum, & stirpem nostram: deuorat panem, gregem armentumq; nostrũ, & ignis suus late omnia cõburit: quem ego iamiam scintillantem uideo, imò proximos lambentẽ flamma parietes. Nec credimus insanire agi nostrã, sed cũ omnia fulgure flammę hostilis propius admoto, Italiã, Hispanias, deinde Gallias lucere uidebimus: tunc inopes auxilij humani, ante aras & delubra diuũm frustra adflictantes nosmetipsos, ueniam irarũ cœlestiũ, & malis nostris finẽ efflagitabimus. At respondebit timeo, ab irato numine: Oratio uestra conuertitur in peccatũ, manus uestra, & imperiũ uestrũ sanguine madet suo, propediem flamma aliena Turcica exarsurum. Par est em̃, ut qui in terra uestra Christum dominũ Deum uestrũ cõtempsistis, in terra iam nõ uestra, sed hostiũ, barbaros et immanissimos Turcas pferatis: quod

ut uehementer futurũ timeo, ita rursus spero, & si quid ueri mens augurat, A opto, ut amor ac delitiæ nostri generis Christus Iesus, satis se pœnarum habe re putabit, si errati pœniteat. Illud enim potius quàm funestum quippiam in præfatione ominari libet, ac precari ut uelit orsis Secundi libri prosperos suc cessus attribuere.

DE BELLO RHODIO

LIBER SECVNDVS.

SExto Calendas Iulias mane diei, nunciatum est è specula, stante in uertice mõtis, diuo Stephano sacri, uno fermè ab urbe milia rio, maximam classem aduenire secundùm flexum Occidenta lis litoris Licij. Commota ciuitas est acerbo, non etiam in opina to nuncio: cuncta uario tumultu strepere, suo quisq; metu pericula metiri: & clamor ubiq; erat, qualis in obsidenda iamiam urbe esse solet. Cumq; dies o ctauus esset ab annua supplicatione, circumlataq; sancta hostia, iterum exa cto solenni sacro, uultu habituq; supplicum, reuerentissime in circuitu pha ni tutelaris numinis, ab Antistite sacri militaris ordinis portata est: & Deus obsecratus, ut Equites, homines q; Rhodios, quos religionis suæ propugna tores esse uoluerit, etiam robore militandi, & fœlicitate uincendi donaret: ferrum, flammam, cædes, rapinas in hostes numinis sui auerteret. Religione & sancta spe firmatis per hunc modum animis, sacraq; hostia sedibus suis re posita, clausis raptim portis, in muros cõcursum est, turba quoq; mulierum, puerorum, senumq; gressus suos baculo regentium & effundentiũ sese è do mibus ad spectaculum maximæ classis (nam ad trecentum, et amplius naues omnis generis fuisse dicũtur) uias passim & turres, tectaq; domorũ comple bat. Venerunt naues hostium longo agmine. Prima prætoria nauis præsidis Gallipolitani erat: cui classis cura, maritimæq; oppugnationis imperiũ man datũ à Tyranno fuerat. Agmen cogebat Archipyrata Carra Mahumetes, po stea tormẽto ab arce Telea accuratius emisso, orco traditus. Dux qui mediæ classi præerat, incertum quare (nam uento Fauonio secundissimo utebatur, neq; aliter oppugnationẽ tentauit) haud procul à portu, qui duabus utrinq; turribus multiplici, & uario bombardarum genere munitis fauces suas dila tat, triremes explicare iussit, uelaq; contrahens, malos inclinans, & simul ar mamenta componens, demersis utroq; latere in aquam remis, oram, urbem uersus legere cœpit. Re conspecta, subito ad arma conclamatum est, signa ca nere, decursus tota urbe fieri, fortissimus quisq; tendere ad portum, & molẽ quæ portus ipsius læuum latus efficit, quamq; suprà hostiũ iniuriæ obnoxiã esse diximus, & ab hoste peti homines putabant. Verùm Pyrata cernens se bombardis obrui, nulla aliter mora facta, sublatis raptim dolonibus, in altum non sine discrimine ignominioso q; clamore Rhodiorum stantium pro mu ris, ad reliquam classem se recepit. Quæ præteruecta ante urbem & ora pro pugnatorum, sub signis suis acie instructa astantium, cum sono cantuq; mu sicæ militaris, terrorem nõ tam incusset, quàm accepit: occupauitq; promon torium (Bo incolę uocant) tertio ab urbe lapide distans in Oriẽtem uersum. Cumq; is locus haud satis cõmode tot naues capere posset, pleræq; ante ho stiũ in salo stabant. Sed cum Rhodij tormentis per muros dispositis barbaro hanc stationem infestam facerent, propius ad terrã naues cõtraxit: stabantq; ita in arcto stipatæ, ut uix ullum telum in mari uacuum intercideret. Audiui proposita esse à Hieronymo Bartolutio Florẽtino, in rebus bellicis nõ in exercitato, rationem exurendæ classis: quæ cum ab uno ex præfectis æra rij (ut pleraq; alia ad hostiũ perniciẽ inuenta) non probaretur, à collegis quoq; improbari

A improbari cœpta est. Verùm dum hostis tormenta & machinas, cæteraq; ad urbis excidiũ pertinẽtia, è nauibus in terrã exponit, locũ castris eligit, terrestres exercitus à continenti in insulã traijcit, & urbis mœnia ac situm cõtemplatur, & qua facilius oppugnationẽ pati possit. Oppidani in omnes occasiones intenti, haud segne otiũ terebant. Siquidẽ ante murorũ fundamenta nullo ętatis sexus ue discrimine facto, profundissimos puteos, altaq; incilia in fossatis effodiebant ad cuniculos hostium excipiẽdos. Quã rem usu experimentoq; cõpertum est, nõ tantũ Christianis, sed etiã Barbaris in hiatibus et effossis lacunis sese occultantibus profuisse. Magnus Magister F. Ludouicũ Andugum Equitẽ ad Imperatorem Carolum V. in Hispanias misit: Romam ad Cardinales & sacros milites suos Italos: equitem Claudiũ Ducenuillũ in Gallias ad regem atq; equites suos Gallos, cum literis quibus opem miserrimæ urbi terra & mari obsessę implorabat. Par aũt erat communẽ Christianę religionis causam à Rhodijs primò strenueq; susceptã, cæterorũ quoq; Christianorũ Principum concordibus armis adiuuari. Sed fors aliter cecidit. Prexianes cuius suprà fecimus mentionẽ, uir cuiuis antiquorũ & huius ætatis ducibus conferendus, terrestri prælio bonus, nauali optimus, ad pericula capescenda plurimum habens audaciæ, & inter ipsa pericula plurimũ benignioris fortunæ, ut iure dubites fortior ne, an fœlicior sit, hyemem & æstatem iuxta pati, humi quiescere, eodem tempore laborẽ & inopiam tolerare à pueritia assuetus, & quæ cæteri miserias uocãt, uoluptati habere: cum duos tresue dies metu hostium in deserto quodam scopulo latuisset, nauicula exploratoria silente noctu excubitores fallens, Rhodum intrauit, magnã spem & animum omnibus afferens. Neq; enim milites alio duce plus confidere aut au-

B dere, nec Magister ubi quid fortiter ac strenue agendũ esset, aliũ quenq; præsi cere, malle: Is dies noctesq; armatus intẽtusq; milites hortabat, uigilias & stationes circuibat, opera quæ hostes igni ferroq; uiolauerant, sedulo reficiebat. Aduenit etiam è Creta insula consilijs atq; adhortationibus prudentis uiri Fratris Antonij Bossij, Gabriel Martiningus Brixiẽsis, in militia & toga spectandus, ac ex ueteri illa Brixiensi probitate, quam Plinius celebrat, multum referens, mirabilis inuentor, ac artifex operum bellicorum. Qui quamplurimos cuniculos (nam quinquaginta quinq; fuisse dicũtur) quos Turca propter scaturientem alibi aquam, alibi occursum indomiti silicis, ingenti cum mole difficultateq; agebat, perleui negocio ludificabatur, actis contra cuniculis & specubus introrsum ad murorũ radices effossis. Res ipsa hortari uidetur, quoniam de Rhodo obsessa agimus, eius situm paucis exponere, ac instituta maiorum domi militiæq; : quomodo Rempub. habuerit, ut in manus equitum Hierosolyminitanorum uenerit, disserere.

Insulam Rhodum Carphathij maris, sicut ego accepi, habuere initio Telchines è Creta, profecti, fascinatores & malefici generis homines, asperi inculticq;, quos primùm ferrum & ęs operatos scribũt. Hi neq; moribus, neq; lege aut imperio cuiuspiã regebãtur: sed postquã Ptolemus populis secũ iunctis, quos postea nouẽ nauibus ad bellũ Troianũ duxit, eã habitare cœpisset, multo inde & apud Deos & apud homines celebrior facta est. Siquidem Optimus Maximus illius ætatis & gentis Deus Iupiter, nõ cõtentus ibi ex diuino uertice Mineruã suã peperisse, etiã auro pluit: quod Poetas fabulatos crediderim ob nimias opes, omniumq; bonarum artiũ egregia studia, quibus is locus adeò refloruit, ut multi dissimulata patria mallent se Rhodios nuncupari: quod duobus Apollonijs alijsq; contigisse, memoriæ proditum est. Breuiq; res Rhodia in tantam claritatem & potentiam euasit, ut multis annis antequam Olympia instituerentur, plurimum toto mari polleret, eamq; potentiam ad Romanorum usq; tempora Rhodij summa cum ui & autoritate conser-

conſeruarunt. Eſtq; horum fideli opera & induſtria, nomẽ Romanorum in
Oriente rerum potitum. His ſiquidem Rhodiorum urbs magna atq; magni
fica commeatum, ſocios, naues, cæteraq; bello maritimo neceſſaria, ſine quo
Oriens inuadi capiq; non potuit, facile ſuppeditabat. Verùm haud eodem
omnino loco ſita, quo nunc ab Equitibus Latinis ære ingentiſsimo atq; ope
re ducentorum & quatuordecim annorum conſtructa conſpicitur, ad extre
mam oram inſulæ, quam Manuel Byzantius Imperator poſt euictam Ma-
crim Lyciæ urbem, & diu peruagatam, uerius quàm habitatam Cyprum, i-
pſis donauit, Poſſeſsionem tamen armis adepti ſunt, Græcis nimiopere
Syris familiaribus, ut qui ægrè iuſtum Germanumq; dominum ferrent La-
tinos recuſantibus: quos partim metu tædioq; longioris belli Gulielmus Vil-
laretus Gallus uariam fortunam domi foriſq; expertus, æquis utrinq; con-
ditionibus imperata facere coegit, adiutus à Ioanne xxij. Pontifice & Rege
Neapolitano. Semper enim regnum iſtud Rhodijs fauit. Hac etiam obſidio
ne commeatus duorum millium ducatorum & gratis & liberè, ſero tamen
hinc ad nos miſſus eſt. Cum quadriennium retro Lutetiæ ſcholia quædam e-
derem in Iuſtiniani Codicem, & Cõſtitutiones Bonifacij, Clementis, & hu-
ius quem dixi Ioannis xxij. deſcripſi uitam eius è uarijs autoribus, quorũ ne
mo auxilij Hieroſolymitanæ militiæ præſtiti meminit: quanq; inter omnes
conueniat pontificem hunc nimiopere ſtuduiſſe Gallis, & ſacrum bellum in
Saracenos molitum. Verùm domeſticos annales hic ſequimur: Regẽ tamen
Neapolitanum haud nominatim exprimentes. Volateranus Ladislaum ap-
pellat. Oppidum in planiſsimo loco poſitum eſt, & circumuallari coronaq;
militum cingi poteſt. Nam portu tantùm Septẽtrionem ſpectante, mari cin
gitur, reliqua parte in occidentem uergit: planicie lapidoſa haud magna lati-
tudine, longitudine maiori inter ipſum, colleſq; apricos, patente: qui urbi ad
iacent frequentes, fontibus domibusq; conſiti oleaſtris, ficu, uineto, ac cæte-
ris id genus arboribus, quæ in humo arida & harenoſa gigni ſolent. Verùm
manus & ars, naturæ defectum ſupplerunt. Muro enim atq; promuro uali-
diſsimo ſeptum eſt, præterea tredecim turribus aſſurgentibus, minaci ſpecie
horrens, quinq; maximis propugnaculis, omnem aduerſus uim iniuriamq;
hoſtilem firmatum, pluribus portis nobile. Diſciplinam militarem, mea opi-
nione, nuſq; ſæuerius obſeruatam aut exactam reperies. Vrbis totius cuſto-
dia in has partes diuiſa erat: à turri Franca ingenti altaq; magnitudine cacu-
men ſuum in cœlum prope ferenti, ad portam uſq; Ambroſianam, quà iter
ad montem Phileremum eſt, ſuper cuius uerticem tyrannus, Sacello Deipa-
ræ Virginis, in balneas ſedemq; arcanarũ libidinũ & monſtruoſi concubi-
tus mutato, arcem erexit. Sub ſignis lileatis Franci ſtabant, quorum caput e-
rat F. Ioannes Aubinus, natalibus & meritis in ſacram militiam clarus. Hinc
ad portam uſq; diuo Georgio ſacram, infractum robur equitum Germano-
rum, uexillis aquilaribus ſplendens. Tertio loco Galli, Auerni, finitimi equi
tibus Hiſpanis, ambo belli molem perferentes, quod ibi foſſatum latitudine
profunditateq; minori foret. Quinto loco phalanx Britannica pugnabat, du
ce magno Magiſtro: poſtea Galli Narbonenſes. Nouiſsima ſtatione, ſed pri
ma uirtute, legio Italica urbẽ aduerſus Pyrrhi uim fraudesq; defendebat, du-
cibus F. Petro Balino, qui F. Georgio, Aimaro Montaphio præfectis ſaucijs
ſucceſſerat, & Gregorio Morguto anteſignano Nauarrorum, copiarũ auxi
liariũ præſide. Verùm fraudes nõ tã extraneus hoſtis, quàm domeſticus effi
caciſsima ad nocendũ peſtis ſtruebat. Siquidẽ ferox una fœmina, ſanguinis
Turcici, incompos mentis, an amẽtia ſimulata, incertum (quæſtionib. enim
nihil exprimi potuit) ſerua ciuis ampliſsimi, ad rem atrocẽ & maximo cuiq;
uiro audendã animũ adiecit. Decreuerat enim cum aliquot coniuratis (nu-
merum

merum non teneo) in maximo quopiam tumultu & inuasione hostili, per diuersa urbis loca incendia miscere: quorum periculo consternatis, & deserentibus stationes suas pugnatoribus, Turcã nudata præsidio mœnia occupare posse, non inepta ratione colligebat: sed defuit, re indicijs & confessione consciorum cõperta, audaci incœpto suus euẽtus, sumptumq; de noxijs supplicium est. Turca per idem tempus nõdum uniuerso apparatu oppugnandarum urbiũ mœnibus admoto, collem quendã eminentiorẽ occupauerat: in quo Phanum D. D. Cosmi & Damiani stabat, ponè uirginis Elimonitræ sacellũ, fronte in stationẽ Anglicanã directa. Hinc magis exercẽdi militis causa, & nocendi nobis, leuibus tantùm tormentis utens, in urbẽ iaculari cœpit. Postea uineas agere, superq; aggerẽ iacere, uallo & fossa loca urbis, qbus imminebat, circũdare, cõparatis ad opus huiusmodi impletionemq; fossarũ & cuniculorũ, maximos subterraneosq; labores die ac noctu cõtinuatos, quinquaginta millibus agrestiũ hominũ, alsuetorũ magis agro ac pecori q; bello: qui cum morę culpã statim fuste, aliquando capite luerent, incredibili celeritate effecerunt, quod posse effici, negaretur. Excisæ sunt ab his rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & cõplanata fossuris montiũ iuga, quos Rhodij nihil tutum munientibus patiẽtes, primùm missilibus summouere, deinde ad erumpendum etiam in munitiones atq; opera animati, porta patefacta inuaserunt: turbatis undiq; clamore & impetu, fessis laboribus, nec animus, nec ars ad resistendum fuit, qua quisq; potuit per diuersas uias fugam faciebat, etiam milites custodes operum. Instabãt ferociter Rhodij, crescente (ut fit) & alieno metu audacia. Multi qui explicare se ab impedimentis nequibant, aut alio casu tardati, fœdè occisi sunt. Et cũ ingens multitudo accurreret è castris suis opem latura, maxima & latissima strages tũc per totos campos ædita est: omnia quà usus erat, constrata globis æneis, armis, cadaueribus, & inter ea humus infecta sanguine. Nam tormenta in eum euentum per muros & turres præparata, in medias hostium phalanges, cuneosq; confertissimos, cum maxima ui, fragoreq; & tonitru erumpentia, multos mortales pessundederunt. Quo genere pugnæ cum hostem semel bis atq; iterum eluderemus, munimenta sua noctu intentissimis uigilijs, quanta maxima poterat diligentia, accelerabat. Die custodiæ dupilcatæ sunt, & tormenta ad exitum Rhodiorum opposita: quæ non tam in urbe eos continuerunt, quàm quòd timebant, ne crebris eruptionibus nimium attenuarentur præsidij uires. Cunq; per hũc modum Rhodũ terra uerè obsessa esset, mari etiam, die noctuq; naues aliquot uento & remigio mobiles ante portus hostium in salo starent, adierunt præpropere magnum Magistrum nautici quidam, parati seu uersare dolos, seu certæ occumbere morti, dicentes rationem à se inuentã, qua hosti peropportunas insidias struerent: sineret modò eos facere, periculi esse nihil. Animus Magistri paulum arrectus annuit. Illi melopepones, uuas, aliosq; anni & regionis fructus scaphæ imponunt, mutati arma atq; ornatum, promissa barba, capite consuetudine Turcarum linteis turrito, conscendunt, tertia uigilia cœlo obscuro tendẽtes ad eam insulæ partem, quà traiectus in cõtinentem erat, gnari linguæ & gentis, fructus suos uænũ exponunt. Coemerunt mox Barbari profundæ intem pestiuæq; ac sordidæ gulæ. Epulas enim & quocunq; tempore, uel ante lucẽ, et quocunq; loco sumunt, protrahuntq; illas à medio sępe die ad mediam noctem distenti, & madentes inter exoletorum ministeria. Sunt enim libidinis in mares profusissimæ. nam persuasissimũ habeo, neminẽ Turcã pudicũ, aut ulla corporis parte purũ esse. Diuenditis hoc modo pomis ac fructib. et inter contrahendũ hostiũ animis atq; cõsilijs caute exploratis, nostri nauiculam à terra moliuntur, Turcæ quibus obsidionis initia tantum mirum in modum

displice

diſplicebant. nam præ inuſitata multitudine tormentorum, qualem nec uiderant unquam nec audiuerant, nuſquam recipiẽdi ſeſe tutus locus erat. Omnia enim ui & impetu letales bombardæ Rhodienſes penetrabant: hortari, obſecrare noſtros, ut in continentem illos traijciant. Qui ſimulata recuſatione, negare ſe id facturos, nauiculam modicam eſſe, nec tantę multitudinis capacem, ægrè tamen ut uidebatur Barbaris, ſeptem aut octo admiſerunt. Hi ingenti dolore ſuo, noſtro uerò gaudio Rhodum adducti, ſocio interprete à Preioanne & F. Gabriele ſummo militiæ præfecto, turrim templi diui Ioannis æditiſsimam ſcandere iuſſi ſunt: unde per omnem circumuicinam inſulam atq; in caſtra hoſtium proſpectus erat. Cum multa & uaria pro Duce arbitrio rogati ſinerẽ reſpondiſſent, inter cætera (quod hic adſcribendum putaui) renunciarunt tumultum, ac etiam rerum nouarum initia, cõiurationesq; complures intra hoſtium caſtra exoriri, militum aliquot cum ingens multitudo quotidie fame, miſeria, tormẽtisq; ab urbe emiſsis periret, et locus ſepulturæ uacans nullus extaret, ſub pellibus tuguriolisq; ſe continere: nec inde à Ducibus, uoce ue præconis extrahi poſſe, plurimos ſeceſsionem et fugam meditari metu, magnitudineq; prẽſentium & futurorũ periculorũ, querentes fruſtra ſe conari dicentes, duces ſi ſani eſſent, uim inexpugnabilibus inuictisq; nõ intentaturos: Rhodum nequaq; Albæ Pãnonicæ cõparandam, præeſſe Liladamũ cum ſelectiſsimo Equitum robore, nouas auxiliariũ copias, uel iuſto prælio acceſſuras, reſq; melioribus & fœlicioribus q; ad Albam ducibus geri. Quæ cum ad gratiã à captiuis auribus ſeruientib. dici æſtimabantur, res tamen ipſa poſtea patuit. Nam Pyrrhus aſsiduus deſertorũ & ſeditioſorũ inquiſitor placatorq; (tali enim tempore leniẽda magis q̃ punienda uis erat) literis Cõſtantinopolim miſsis, Tyrannũ in caſtra uocabat, opus eſſe celeri ſuo acceſſu, omnia ſeditionẽ & turpẽ fugam ſpectare, militẽ obſequiũ rumpere auſum, & imperia aſpernari. Interim dum Tyrannus iter parat, compertũ à ducibus per trãsfugas eſt (quos leuitas ingeniorũ in omnib. bellis prębere ſolet) turrim phani Chriſtianis pro ſpecula eſſe. Quare promouente etiam odio crucis in faſtigio erectę, nihil antiquius habuerunt, quàm crebroęre, magnitudine capitali bõbardis excuſſo, turrim illã deijcere. Quod dum diligentiſsime faciunt, ecce Tyrannus quinto Cal. Sept. hora poſt meridiana in caſtra uenit: ibi cum in uillã perneceſſarij mei Iacobi Galteri, quæ Megas andras dicit, uel caſu, uel nomine loci arridente deſcẽdiſſet, offendẽs omnia quæcunq; dici, aut fingi queũt, ignauiæ ac pauoris exempla in illo exercitu, nihil inſtituto diſciplinaq; militũ, aut imperio eorum qui præerãt, agi: plus ex malis moribus ſollicitudinis, q̃ ex copia ducentorũ milliũ militũ auxilij, aut bonæ ſpei accipiebat. Nihilominus ætate & indignatione tam erga ſuos, q̃ Rhodios efferuens, ſeruata tamen tẽperantia inter iram ſuã & culpam ſubiectorũ, uocatos ad concionẽ inermes, atq; etiam gladijs depoſitis, armato peditatu quindecim milliũ Chriſtboardericorũ, quos ſecum adduxerat, circumdedit, ſimul & ſuggeſtũ aſcendens ſedit tacitus pauliſper animo ſecũ cogitans, utrum in autores tantùm ſeditionis animaduerteret, an pluriũ ſupplicio uindicanda, tam fœdi exempli defectio, magis q̃ ſeditio eſſet. Vicit ſententia leniſsima ad multitudinẽ ſatis eſſe caſtigationem, tum ſilentio per præconem facto ita cœpit: Serui (neq; n. eos milites appellabat, ambitioſius id eſtimãs, quàm aut ratio militaris, aut maieſtas ſua poſtularet) quod genus hominum? Turcæne militare, uincere aſſueti? equidem corpora, ora, ueſtitum, habitũ meorum, facta, dicta, conſilia leuiũ transfugarũ & deſertorũ uideo. Heu quantũ me fefellit opinio mea. Abijt illa uis, uigorq; Turcenſis: dilapſa ſunt robora corporum & animorum, quibus Arabes, Perſæ, Syrij, Aegyptij, Meſſi, Pannonij, Tribali, Epyrotæ, Macedones, Thraces ſuperati ſunt: immemo

memores patriæ, sacramenti, disciplinæ militaris aduersus ducum iussiones, aduersus summi imperij mei maiestatē ausi estis pugnam detrectare, fugam moliri, inani cogitatione ac timore mortis & periculorum militaribus uiris indigno. Rhodum, si quis domi in conuiuijs, in compotationibus, in circo, in foro nominaret, expugnaturos uos lingua iactabatis, uix tēperabatis manibus: hic experiri uim uirtutemq; uolo. sed credidistis forte cōspectis signis Rhodios supplices ante portam se & sua in fidem potestatemq; uestram tradituros. Desinant omnes hoc sperare & dicere, mihi qui cōpertissimum habeo credant. Ignobilis & infamis ista cauea (quam uidetis) plena est feris esse tetricissimis: quarum rabiem nunquā sine maximo labore & cruore uestro domare poteritis. Domabimus tamen: nemo enim adeò ferus est, ut non mitescere possit. Quod donec perfecero, hic aut mori, aut cōsenescere decretum, ac iuratum: secus si unquam dixero fecero ue, tum hoc caput cum classe, exercitu, & imperio, diris execrationibusq; obnoxiū deuotumq; semper esto. Nec plura effatus, nisi quod clemens magis quàm seuerus princeps uideri & esse cupiens, omnibus primorum erratorum ueniam condonabat. Citatis deinde nominatim omnib. apud Tribunos impulsoribus, timore pudoreq; in uerba tyranni iurauerunt. Hunc finem exitumq; seditio militū apud Rhodum cœpta habuit. Omnia deinde melioribus auspicijs & intēsiore ducum militumq; cura acta sunt. Statuebantur locis diuersis duodecim æneę machinæ, obsidione Ambusoni, quintū numerum haud superātes, ore in cœlum erecto, base arctiori uersus terram, iacto bimestri qui altera obsidione tantū nouem dierum fuit, dies noctesq; continuato, globos saxeos eptapalmares in tecta templaq;, semel ferè in caput magni Magistri proijciētes, sed plus omnino timoris quàm ueri periculi attulerunt. Nam cum sonitu campani ęris diuerso ab eo qui uel oppugnationem uel uim tormentorum in muros quatiēdos iudicaret, homines à speculatore sedēte in fastigio phani periculi admonerētur. duobus millibus huiusmodi globorū tantum decem occisi sunt. Quod inter cætera quidam Apella renatus medēdi artis professor hosti prodidit, cui uersato inter milites trepidatione detecto, tormentis expressa confessio est peracti facinoris. Iecerunt etiam globos cupreos, plenos intus bombardis digitalibus, & inter eas exurimenta erant, bitumen, sulphur, pix liquida, foris coopertos sæpius in urbem tortis funibus, cui stili ferrei acutissimi inhærebant. Hi longo igneoq; tractu uolantes, dum casu suo crepabant, omnia fœdo fumo atq; odore obfuscantes, quicquid astabat cui inciderent stylli illi, bombardulæq; fœdæ, necabant. Sed cum huiusmodi tormenta nec diu plueret, & sæpius non frangerentur, liberata est ciuitas ancipiti periculo. Effe ratior uis erat quadraginta bombardarum, quæ iactu saxorum rotunditatis palmorum nouem, aliquando undecim, deformare magis quàm solo æquare murum poterant. Harum una, cum in domum, quam fortè fortuna haud infœliciſsimè præteribam, furibundo impetu irruisset, uolatu suo me prostrauit, Aethyopi sequenti, lapis euulsus caput & collum minutim contriuit. Et quia in Aethyopum nomen incidimus, nolo gentem quanquam seruilem, frustrari sua laude. Tota enim oppugnatione dominos strenue & fidelissime adiuit. Inter machinamenta hæc, quæ oppugnatione altera ducis Paleologi haud plura quàm quindecim erant: duodecim uastæ & immoderatæ longitudinis, æneæ machinę globos æreos saxeosq; multo maiores iusto capite in oppidum euomebant: quibus appositissimè nomina à serpentibus Basiliscis indiderunt: quòd tam machinæ quàm belluæ contactu suo omnia fœdantes parem noxam miseris mortalibus adferant: ante ora omnium istarum machinarum sæpius uno die in stationes singulas centum & triginta missilia, excutientium: quod licet multis supra naturam uideatur, tamen ita rem esse dili-

genti obseruatione compertum est. Barbari quo eas secp à bombardis et con A
spectu Rhodiensium intactiores seruarent, tabulas attignatione cõtigua in-
ter se iunctas oppoſuerunt: quarum medium trãsuersus introrsum axis sustí-
nebat. Has Turca superiori capite funibus ad tormentorum calcẽ reducto,
cum in tãtum altitudinis subduxisset, ut capita machinarum detecta appare
rent, mox appoſito ad forulum tormenti igne, murũ quatiebat. Est etiam alia
arte atcp ingenio hostis usus, ad tutelam suorum tormẽtorum, quæ sine rota-
rum adminiculo, super contiguas tabulas humi proſtratas iacentia texerat,
ualuis nõ altis necp se expãdentibus, sed quæ fune ductorio à milite utrinc
intra fossas abscondito clauderentur & aperirentur. Rhodius huiusmodi o-
pera, quibus confractis reliquum diei & tormentum hosti inutile redeba-
tur, præcipua cura ac diligentia tollebat: sed tantam animi præsentiam uirtu
temcp hostes præstiterunt, ut noctu reficerent, quæ interdiu bombardis diſsi
pata erant: quę reficiendi pertinacia, & crebro suo missili igne, incẽdijsep cu-
niculorum Rhodij sero inopiam tormentarij puluerís senserunt: quem rota-
tu molarum per dies noctesep quincp mensium continuato, bis septem for-
tissimi equi ex splendido illo equitio magni Magistri atterebãt, inter irrequie-
etos triginta & sex liberorum hominum labores. Necp enim tunc temporis
seruili ministerio in re tam periculosa utendum uidebatur: idcp ne qua fraus
contingeret, loco fideli custodia septo: cuius caput erat primũ F. Desiderius
Antagallus prefectus Manuacensis: postea Gulielmus Parisottus eques Gal
lus. Turris Nicolea, quam liberalitas ducum Burgundię struxit, quod insul
pta marmoribus insignia atteſtantur, super molem, dextro cornu ante portũ
admirabili antiquitatis arte & sumptu in mare proiectam: in qua stetisse ferũt
Colossum illum Solis, inter septem orbis miracula, primum: qui cũ terræmo B
tu corruisset, iacens quocp miraculo fuit: necp Rhodij, quod Strabo dicit, pro
hibiti erigere rursus potuerunt. Mira & supra fidem captumcp humani inge
nij de hoc Colosso prodit liber Græcus, quem penes me habeo, seu uerius li-
bri quædam uetusta pars incerto autore. Quæ licet nihil minus semper quę-
siuerim, quàm ut plus iusto à rerum ordine declinarem, historia in quincp li-
bros dilatata, eum multis alijs inter iter & fugam mihi uisis auditisep explica
re proposueram, ut opere uarietatibus distincto, legentibus amœna diuerti-
cula essent: & animus mihi per uarios casus, per tot discrimina rerũ in Latiũ
acto, memoria repetitioneep præteritorum periculorum cõstantior ac deuo
tior Deo liberatori redderetur. Sed id quocp alia ratione effici potest: quare
non putaui operæprecium bonas horas ulterius in re nec utili nec necessaria
collocare. Verùm nunc ad rem turrimcp D. Nicolao cõsecratam. cui cũ sup
plemento trecentorum militum, inter quos fuere triginta fortissimi & nobi-
lissimi sacri Equites, præsidebat Frater Guiotus Ragusus Gallus, eques ma-
gnitudine, animicp industria singulari. Hanc Turcæ per idem tempus diuti
no impetu tormentorum non modò inutili, sed etiam opprobrioso ipsis ten-
tarunt. Quæcunep enim tormenta opponebantur, ea tormentarij arcis pri-
mis ferè ictibus aut arte sua, aut D. Nicolai ope adiuti disrũpebant. Cumcp
per hunc modum omnis conatus diurnus irritus ludibrioep hosti esset, noctu
ad lunæ lumen, nihilo meliori fortuna (bombardis interdiu sub terra defos-
sis, ne à nobis frangerentur) turrim impetijt. Quæ cum occasum uersus pate
ret hiatu, commode equitem cataphractum capiente, factis supra quingen-
tis Bombardarum ictibus, dimissa, nec aliter tentata à Barbaris est. Verùm
circa mœnia ciuitatis cum totius orbis oculi hoc bellum spectarent, opus mi
rum in modum feruebat. Ingens cœptũ, pertinax conatus, par utrinc labor,
industria & spes haud dissimilis. Rhodiensi die noctuep irrequietissimo ad
uarios conatus hostiũ, necp ars necp uis defuit. Nam immani specu sub terrã

A infra propugnaculum nouum effoſſo, foſſatum rudere, ſaxo, terra, ſarmẽtis, opera hoſtili impletum, ſedulo repurgabat. tranſuerſis cuniculis, hoſtium cuniculos duos & triginta excipiebat, & palàm, ac clàm cœptis inimicorum audacter obuiam ibat: qui cum nonis Septembribus ab imo ad ſummum aperuiſſent, partem haud paruam per egregij p̃opugnaculi Anglicani, incenſo inflammatoq̃ cuniculo, cuius uiolentiſsimo crepitu tota urbs non aliter q̃ motu naturali ſemel obſidionis tempore facto contremit. Quem cum ſentiret magnus Magiſter ante altaria armatus, mediusq̃ inter preces Sacerdotũ canentium in Sacello pro introitu propugnaculi, Deus in adiutorium meũ intende, Domine ad adiuuãdum me feſtina: Capio omen (inquit) hoſtis adeſt, feſtinat in adiutorium Deus. Danda nunc opera nobis eſt commilitones fideliſsimi, fortiſsimiq̃, ut hic Ordo auſpicato inſtitutus, per tot ętates maioribus cultus, nec ab ullo hoſtiũ adhuc læſus, quãtum in nobis erit, incolumis poſteritati tradatur. Eoq̃ uehementius quod magis dedecus eſt parta amittere, quàm omnino non parauiſſe. Plura dicerem niſi ſtrenuis abunde dictũ eſſe putarem. Et ſimul cum dicto, ſequente ſatellitio armatorum, plenus ſpei bonæ atq̃ animi in hoſtes tendit: contra quos inferentes ſigna, licet undique tela conĳcerentur, cuſtodes propugnaculi arma & corpora intrepide obĳcie bant, deturbabantq̃ manipulos militum, per hiantem foſſuram ingredi conantes. Hiſq̃ turbatis, ac pedem referentibus, cæteri qui ponẽ erant, quos nec extructi aggeres, nec timor ſatis munierat (nam pleroſq̃ iacula tormentis, aut manu emiſſa uulnerabant) paulatim retrocedere cœperunt. quorum ignauia increpita, dux Muſtaphus ſi ipſi cunctẽtur, ſolum aſcenſurum ſe minatur. Barbari ducem circumfundentes cum ululatu, ſtrepituq̃ moris ſui

B in pugna ineundi, certamen inſtaurant. Aequatis itaq̃ uiribus, prælium aliquandiu atrox fuit: ſumma ui, & duces hortabantur, & milites pugnabant. Potuiſſentq̃ Barbari, ſi aduerſus partem ruina proſtratam leuia tormenta oppoſuiſſent, cum uix quiſquam noſtrorum ſine cæde, aut uulnere ſtare potuiſſet, eo impetu propugnaculum capere. Sed cum undiq̃ tubæ, clamor, adhortationes, aures circumſonarent, in capita toto turbida cœlo tempeſtas, telorum, ferreusq̃ ingrueret imber, & oppidani Equitibus immixtis, ſaxa & picem ſulphure tedaq̃ admixtam in Turcas conĳcerent, nec animos, nec uires Chriſtianorum amplius ferentes, nondum receptui ſigno dato, terga uerterunt, turmatimq̃ abibant: nihilq̃ ordinum, aut imperĳ memores paſsim, quà cuiq̃ proximum fuit, fuga effunduntur. Bombardæ per muros diſpoſitæ, in abeuntes & uagos cruentiſsimam ſtragem fecerunt, uti prius cum è caſtris magno agmine in prælium ruerent. Ceciderũt hac oppugnatione multi Chriſtiani, & inter ſtrenuè pugnantes, & occiſos Equites Gallos, Hiſpanosq̃, Philippus quidam Lommelinus Ligur negociator, qui ab Alexãdria uenerat, Stampalea ciuis Rhodius. Plurimi uulnerati ſunt: F. Henricus Manſellus ſignifer: F. Petrus Mela Saonenſis præfectus cuiuſdam onerariæ nauis, qui ambo uulnere obierũt. F. Michael Dargelmunt, ſummus Triremiũ & propugnaculi præfectus, amiſſo ſagitta oculo, poſt grauem infirmitatem ſuperuixit. Enituit etiam in huius propugnaculi cuſtodia, fortitudo cuiuſdã Equitis Itali, quem Baptiſtam Romanum uocant, & F. Franciſci Telis Luſitani. Hoſtium, quos belli euentus aut læſit, aut necauit, certum numerũ ſcribere nõ poſſum. Qui modeſtiſsime mihi loqui uidentur, mille cæſos ferunt. Templa luſtrata, ſupplicationes indictæ: Deo, ob uictoriam, honos habitus. Muliercula quædam Hiſpanæ gentis, ſingulari uitæ ſanctimonia, quæ ab urbe Hieroſolyma redierat, nudis pedibus frequens circa aras & templa, ſtipẽ publicã, quam non tam ſæpe emendicabat, quàm à ſponte offerentibus accepit, rurſus in pauperes erogans, ſedulò hominibus religionẽ incutiebat: Deũ

pœnas flagitioſorum iſto bello expetere: cæterùm ultione ſceleratorũ facta, A
urbi & mœnibus parſurum. Hæc ſibi per quietem, atq; inter preces obnun-
ciata eſſe, per ſanctè affirmabàt: & iam ſanctũ aliquid & prouidũ habere pu-
tabatur: nec aut conſilia eius aſpernari, aut reſponſa negligere uulgus uole-
bat: adeò deuinctas ſibi habet mortaliũ mẽtes religio, ſed miſeros fefellit ſua
uates. Dum hęc domi agunt F. Deſiderius Podius prefectus arcis Feracle,
qui multarũ rerũ cognitionẽ in receſſu habet, quã ut eſt modeſtiſsimus, palã
non oſtentat, ex inſula per nauiculã nunciabat, captos perfugasq; ad ſe dice-
re, q magnates quidã in Rhodo, ſecreta cõſilia cum hoſtibus cõmunicabãt,
qui uiam ſibi ſubterraneã ſternebãt, in ſepto Equitũ exiturã ad Phanũ Ioan
nis Coloſſenſis. Sic enim à Coloſsi illius, quẽ diximus, memoria (nõ q quiſ-
quam Coloſſas Phrygiæ ciuitatem cum Rhodo confundat) locum appellans
Græci, tam Turcarũ, q; Latinorũ imperio ſubiecti, qui linguã tantùm Græ-
corũ habent, ſicut ſpeciem hominũ, moribus ritibusq; efferatiores q; uilli Bar
bari. Magnis animorũ motibus ciuitas agitata eſt nuncio pernicioſi & occul-
tiſsimi mali, neq; enim ſcire poterãt homines qua uia contra foderent, quo lo
co, quo tempore, die an noctu, in ocio uel in tumultu eruptura foret uis illa
terrigenarũ. Iamq; non pro muris & mœnib. ſolùm uigiliæ erant, ſed quiſq;
domi ſuę, magnis prẽmijs primo euulgatori à Magiſtro propoſitis, armatus,
anxiusq; terræ partum expectabat. Indicia coniuratorũ, cum nomina haud
exprimerent, Magiſter ſilẽtio ſuppreſsit: uerùm prodidit exitus, quinto Idus
Septembres, quintoq; die poſt primã oppugnationẽ. Propugnaculũ Britan
norũ, quorũ hac obſidione non cõtemnenda manus bello perijt, prælio mul
to acriori primo, iterũ tentatũ eſt. irruperant per ruinas ſeptem animoſi uexil
liferi cũ delecta iuuenũ manu. Et cum pauci propugnatores pluribus pares B
eſſe non poſſent, ignominia accepta fuiſſet, niſi delecti Equites duce magno
Magiſtro, cum ſigno ſacræ militiæ ſuperueniſſent. Ad cuius primum conſpe
ctum Turcæ haud aliter q; fulgetris miraculo ue attoniti, cum ſuperiores ef-
ſent, ad ſuos ſe receperunt. Muſtaphus impigre ſuo munere fungens, inclina
tam nulla notabili cauſa aciem ſedulò reſtituebat. Cæteri duces militẽ terga
uertentem, iterũ ui, gladijs, & exhortationibus in prælium retruſerunt. Itaq;
pudore & imperio ſuperante metũ, pugnã denuo capeſſunt. Rhodij imbre
ſagittarum laborabãt. Sed cæperat omniũ animos, pectoraq; obliuio uulne-
rum, mortis cogitatio aberat. Hoc unum ſolùm meminerãt, hos eſſe hoſtes,
quos ſuperiori pugna cũ ſtrage & ignominia repuliſſent. Qua uirtute dum
prælium in tertiam horam protraheretur, Barbaris uires animiq; defecerũt:
inter duo millia, quæ manus militaris & tormenta proſtrarunt, miſſa ſiniſtro
cornu è propugnaculo Coſquinenſe (quod uocant) dextro Hiſpanienſi, cecí
derunt tres Satrapæ, indutí holoſericeo pallio ad pedes demiſſo: tam inhabili
ad pugnaã indumento Barbaros ueſtiri moris eſt. Ex noſtris pro tanta multi
tudine hoſtium, ſanè pauci ſignifero F. Ioachimo de Cluys ſagitta exoculato
uexillum amiſſum fuiſſet, niſi properè F. Emericus Ruyaulx ſingulari ma-
gnitudine Eques Auernus illud ab hoſtibus ſeruaſſet. Venerat hic cũ com-
militone ſuo F. Balthaſare Auguſtino Equite Hiſpano, ex Creta inſula in
Rhodum obſeſſam. Magnum & audax facinus. Iterumq; per mediã hoſtiũ
claſſem in Pactolum iuit, copias auxiliares acceleraturus: ſed inuidit diligen
tiæ ſuæ, & miſeræ urbi fortuna. Muſtaphus ſecundo iam prælio infœliciter
cõmiſſo, uileſcere apud Tyrannũ cœpit. Pyrrhus quo apud eum, omnesq;
Turcas gratiã & dignitatẽ ſuam tueretur, aggerẽ è terra lapideq; ante ſtationẽ
Italicam intra mœnia proſtructum magna diligentia, continuatoq; impetu
decem & ſeptem immanium bombardarum quatiebat. Nec ſegnius ſtatio-
nem Equitũ Galliæ Narbonenſis, quibus imperabat F. Raymũdus Ricaert

præfec

A præses Bithyniæ, cuniculis & tormentis demoliebatur. Habuerãt ambo ſibi à quopiam, qui ſpecie emendæ ancillulæ, à Georgio Sanctorino, ciue Rhodio, ſecreta urbis notauerat perſuaſum, oppidum hac parte capi poſſe: quos quoniã res obtulit ſilentio prętерire non fuit conſilium, quin utriuſq; mores, quantum ingenio poſſem, aperirem. Igitur his ingenium, crudelitas, perfidia æqualia fuere: magnitudo animi par. Item religionis noſtræ contemptus, in mares libido ambobus profuſiſsima: quam in Pyrrho minuit ætas, auget in præſide Caſsio. Hic dando, audendo, ignoſcendo (ſimulat enim clementiã, ut pleraq; alia bona) gloriam adeptus eſt: ille autoritate, conſilio, ſtudio, publi cæ utilitatis apud ſuos clarior. Sed hac parte, & reliquis oppidi locis, nobiliſ- ſimus Eques è Narbonenſi Gallia F. Gabriel Chier præfectus Auguſtalis, fraudibus & conatui hoſtium, ſemper maturè obuius fuit: pauperes urbanos atq; agreſtes profuſiſsima largitione pecuniarũ ſuarum, ad cuniculorũ effoſ- ſionem, cui operi præſidebat impellens. Quod ubi ſentiebat Caſsius, paulu- lum impetus ſuos repreſsit. Pyrrhus prædurus & pertinax ſenex, Equites I- talos quotidianis ferè, ac leuibus prælijs laceſſebat. Sæpe etiam inſtructa ſub ſignis acie, illos aggreſſus eſt. Siquidem decimo Calendas Septembres, iuſtis copijs occultatis intra uallum decem pedum altitudine, muros ciuitatis ſupe rans, ſtructũ ſeruili miniſterio hominum ex Mœſia Valachia allatorum, ag- gerem militarẽ illum erectũ principatu optimi Emerici Amboſi magni Ma giſtri Rhodij, quem diximus muro Italico præiacere, cum ſubita iuuentũ ma nu inuaſit, trucidatis aliquot, qui præſidio erant, & omnia magis quàm præ- lium expectantibus. Sed cum repentino ſonitu æris campani, ingens urba- na multitudo, immiſti etiam ſacri milites accurrerent, maxima ui certari cœ- B ptum: hoſtes æquo loco pedem firmantes, haud facile depelli quiuerunt. Pyr rhus ſtrenuè laborantibus ſuccurrere, integros pro ſaucijs acceſſere, omnia prouidere: contrà Equites memores nominis Rhodiani, & priſtinæ uirtutis ſuæ pugnã æquabant. Quod ille uidens, ſigno dato, recentes ſuos extra uallũ prodire iubet, ſcalis, grumiſq; ac cumulis lapidum tormẽtis euulſorũ, aggreſ- ſi milites, prope ſumma cœperant. Oppidani in ſubeũtes ſaxa uoluere, ignes longurijs ad idipſum factis immittere, detrudere eos ſpartis ferratis q; ſudib. Bombardarij propugnaculi Coſquinẽſis & Carectani, quod cuſtodiebat ue nerandus ſenex F. Fernandus gentilis, latus oppugnantiũ petendo, & nullo tormento ferè fruſtra emiſſo, maximã hominũ armatorumq; ſtragem edide runt. Extremũ tunc agmen procedere non audebat, primores ſenſim retro- cedere cœperunt, ſigna equinæ caudę quæ principũ naualiũ ſunt, & impicta lintea quæ ducũ terreſtris exercitus fluctuare. Quod dux uidens, poſtq; duas horas maiore animo q; fructu pugnaſſet, canere receptui iuſsit. noſtrũ pluri- mi leſi, inter cæſos occubuerunt Equites Itali, hoſtiũ ingens numerus. Moue rat iratũ ducẽ in nos iactura nobiliſsimi uiri (ſi modo ulla ſit inter Barbaros & unius tyrãni mãcipia nobilitas) qui pridie huius diei tormento traiectus, occubuerat, dum incautius inferiori, ueſte holoſericea: ſuperiore, redimicu- lo aureo indutus, longam uirgã rubrã manu geſtans, ante ora propugnato- rum obambularet. aiunt fuiſſe Protyrannũ, penes quem ſumma rerum inſu læ Eubœę erat. Solymanus hoc amiſſo, haud minorẽ dolorẽ concepit, quàm antea quũ bombarda accuratius è ſtatione Anglica emiſſa, ei ingenioſiſsimũ artificẽ, ſummumq; rei tormentariæ præfectum abſtuliſſet. Sed nunc ad ter tiam oppugnationem Anglicanã ſtylum diuertamus, quæ ut fœlicius quàm duæ primæ Muſtapho procederet, operam & conſiliũ cum Archimeto Hi- ſpanorũ oppugnatore partitus eſt. Hic cum maximã muri partem quem illi tuebantur, ignito, uiolentoq; diffractu ſubter effoſſorum cuniculorũ, in altũ aera eieciſſet, nube terreni puluerís obfuſcatos ſtatim maxima ui adortus eſt,

neq; segnius Mustaphus quinq; uexilla inferens, Britannos aggrediebatur. Pugna duobus locis simul, anceps & atrox fuit. Mustaphus unūquenq; nominans hortabatur, putaret se contra latrones, piratas, pro patria, pro libertate, pro aris atq; focis, quæ toties illi uiolarunt certare. Contra Rhodij, manu magis quàm uerbis strenui, intrepide resistebant. Christophorus Vualderic armorum & nauigandi peritus, Germanus Eques, urbisq; Imperialis Hagenau summus præfectus ac Commendator, qui Rhodijs in pace ius laboriosissime ac integerrime dicebat, quum præsidis Græciæ omnes contra se conatus, supra terram bombardis, & subter cuniculis ludificatus esset, necessario præsidio ad stationem suam dimisso, huc se conferens, cominus gladio cum hoste depugnans, duo illi uexilla extorsit: Barbari omnes cum strage & ignominia reiecti. Achimetanus miles & si animosior fuerit, iam in summa altissimi muri euaserat, nihilo tamen fœlicior. leuibus enim tormentis iussu & consilio Martiningi per tecta domorum in frontem oppositis, & leuo latere bombardis noui propugnaculi, cui præsidebat F. Ioānes Maupasus: itē dextro ex opere militari, ad radices portæ Athanasianæ, quod F. Florentius Guiuereaux diu magno animo & periculo corporis defendit, missilibus impetitus, uictoriam nobis reliquit, nec lætam, nec incruētam. Nam strenuissimus quisq; aut occiderat in prælio, aut grauiter uulneratus decesserat. Preianus in gula tormento uulnus accepit, nec tamen letale. Ioannes Buoch strenuus & magnanimus Eques, ærarij triumuir, & Turcomastix (id dignitatis nomen in legione Britannica est) cum semper uim & oppugnationem Turcicam futurā negasset, morte sua, utranq; expertus est. Occisus est enim inter Anglos, quibus ut Hispanis cum supplemento auxiliari opem ferebat, hunc finem habuit secundus ærarij Triumuir. Tertiū Deus ad grauiora meritaq; supplicia seruauit. Achimetus strenuus alioquin ac prudens dux, indignatus quod uoti compos non fuisset, propugnaculū Hispanum maiore postea ui tormentorum quatiebat, modico inde spacio locatorum. Nec minorē uim omniū quæ ad urbes euertendas pertinēt experti sunt Auerni, quos in prælium ducebat Frater Raymundus Rogerius, magnanimus & strenuus Eques, patre Gallo, Rhodi natus nono Calēdas Octobres. Aduersus hūc, commissum sibi locum strenue impigreq; tuentem, magna uis Barbarorum è castris processit, spem habens fragore cuniculi ducti ad basim muroꝝ, & pleni materiæ inflāmatilis, ingētem mox impositō igne ruinam adfuturam: qua oppidum capi posse militi duces sposponderant. Stabant iniquo loco Barbari, telisq; nostrorū obruebantur, nec cuniculus cuius tota uis in uenas subterraneas contraq; actos cuniculos euanuit, murum paratis ingredi aperiebat. Quapropter signo dato, clade aliqua accepta, nulla illata, statim redire in castra iussi sunt. Murus qui occultam introrsum uim cuniculi, & si palàm non apparentem accepisse à ducibus estimabatur, magno bombardarum numero, & impetu, per reliquum diei, noctemq; insequentem diruptus est. Tota nocte omnibus castris strepitus armorum, ingens hominum concursus exaudiri. Duces de summa rerum deliberabant, decreta in crastinum oppugnatio est. Tyrannus cupidus simul uincendi & anxius contrario metu: quippe bellum hominibus sumere licere, uictoriam in manu fortunæ esse: quæ ad eum diem ingentibus cœptis suis haud adfuisset, confidere tamen copijs suis, sperare fortunæ erga se mutationem: nulli hæreditarium uincere, uictoriam uagari, à uictore ad uictum uenire. Itaq; cum spes metum uinceret, ubi paucis arbitris in tentorio suo obambulans, diu multa secum animo uoluta sset, duces ac tribunos militum ad se uocari iubet: eosq; pro prætorio hūc in modū allocutus fuisse traditur: Vestra, magnanimi duces, fortitudo atq; prudentia nulla indigent oratione. Verùm ut pauca dicam, male sana mens

hostium

hostium facit, qui dū urbe tormentis lacera, cuniculis suffossa, dirutis templis, domibusq́, cæde, labore, uulneribus fessi, quæ mala toties oppugnatis accidere necesse est, primos spiritus, solitumq́ pugnādi ardorem non remittunt: uidētur militi nostro merito inuicti atq́ inexpugnabiles. Quam opinionem immutatam esse, plurimum ad strenuè fœliciterq́ pugnandum refert. Facietis igitur illis urbis potiundæ spem hortando, animum dando, promittēdoq́ omnia. Ad hæc aperietis consilij mei rationem, ne credāt se ad urbem unam oppugnandā adductos, oppugnabunt uerè mœnia unius urbis, sed in una urbe, uniuersam Christianam capimus ditionē. Hic cognati, affines, necessarij sunt omnium nobilium Regum, Principum, Dominatorum Catholicæ gentis. Hic pecunia omnis hostium: cuius concessa direptio, maximo uobis usui ad conciliandos animos militū erit. hic tormēta, arma, omnis apparatus belli est: qui simul nos instruet, & reliquos Christianos miserabiliter olim trucidabit. Potiemur præterea tum pulcherrima opulentaq́ urbe, tum opportunissima, portu egregio: unde terra mariq́ quę belli usus poscunt, suppeditentur: quæ cùm magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo maiora. Hæc illis arx, horreum, ærariū, armamentariū: hæc omnium quæ Turcas maritimo bello infestant, receptaculum. Hinc tutus in Brutios, Salentinos, Apulos, Siculos excursus. Sed cum considero uos, magnanimi duces, qui uirtute, prudentiaq́ uestra, opibus atq́ imperio meo, ante duos omnino menses Belgradum adiecistis, urbem inuictā, inexpugnabilemq́, uel proaui Mahumetis uiribus, magna mihi spes quod non diu latebris, clausturisq́ ciuitatis tuti menebunt crudeles & cōtumaces isti Cruciferi. Duces finita concione, mandata militibus explicabant. His urbis nobilissimæ & opulentissimæ direptio uoce præconis per omnia castra concessa est. Tyrannus cum ægrum curis animū (uti solet) somnus inuaderet, strato se reposuit. Magnus autem Magister (cui insolitus hostium nocturnus tumultus magnum quidpiam portendebat) armatus, intentusq́ singula urbis loca circumire, quemq́ amica uoce aut nomine proprio compellans hortari: meminerit se pro patria, pro libertate, pro uita excubare: omnibus necesse uiris fortibus esse, si motus intempestæ noctis in diurnam pugnam euadat. Respondere omnes bono animo sit, neminem illi se uiuis Magistratum aut uitam erupturum. Cumq́ ab hostiū seruo quopiam Christiano ad uigiles clamaretur, ultimam pugnam parari, urbem prima luce diuersis simul locis inuadendam, Liladamus nihil temerè, trepidéue agēs, cōuocatos Equites suos sic alloquutus est: Lætor, sacri commilitones, incidisse tempus, ut uno prælio ingentem gloriam parare, & arcem uestram tutando, orbis Christiani defensores, & nominis uindices à genere humano uocari possitis. Gens, in quam crastina luce pugnaturi sumus, sola multitudine freta nos impetit. Cęterùm, si non numero, sed dextra, pectoreq́ uirtutem metimur, haud dubium, pauci strenui multitudinem superabunt. Nec genus belli, nec hostē ignoratis. Cum his est uobis Equites pugnandum, quos semper mari iam quinquies, terra iusto prælio (omitto tumultuaria) tota acie mœnibus admota uicistis. Erit igitur crastino certamine is uobis illisq́ animus, qui uictoribus & uictis esse solet. Neq́ illi, quia audent, pugnaturi sunt: sed quia Tyrannus, & uiolenta imperia ducum sic cogunt. Igitur memores quibus parentibus, & quam Christiani orbis de uobis opinionē orti, quæ terra uos genuerit, quæ exceperit. In illos, sequentes unum furiosum iuuenem, cum indignatione quadam atq́ ira, ueluti si seruos uideatis uestros, arma repente contra uos ferentes pugnabitis. Ad quod faciendum non solùm indignitas, sed etiam necessitas (quæ sola uel timidos fortes facit) cogit. Siquidē hic in insula estis, unde nullus fugiendi locus: tum in urbe, cuius laceri & defracti muri, non tam uos, q́ arma uestra defendunt.

Ideo craſtina luce hic uincendum, aut moriendum uobis eſt. Vna dies uellæ
tam uictoriam uel laudandam omnibus ſeculis, mortẽ præſtabit. Plura dice-
re parantem, nuncius aduentantium hoſtium impediuit, Equites, popula-
resq; quos nouiſsimæ pugnæ fides, & ſperata uictoria fortes faciebat, in mu-
ros concurrerunt. Subito ſigna hoſtium canere, & urbs ad ſtationẽ Italicam,
Narbonenſium, Gallorum, portam Athanaſianã (quam aliter propugnacu-
lum Anglorum uocamus) murum Hiſpanorũ, & Auernorum quinq; ſimul
loca inuadi cœpit. Muſtaphus pauca pro tempore ſuos cohortatus, patentem
ruina locum inuadere iubet. Turcæ propugnatorũ globo illati ſumma ui pu-
gnabant: oppidani ubi maius periculum, eò acerrimè niti, ac hoſtem propul-
ſare. Neq; alius in alio magis quàm in ſeipſo ſpem habere. Vndiq; ingens cla
mor & ſtrepitus armorum. Funditur ater ubiq; cruor. Dant funera ferro cer-
tantes: hi cominus gladio, illi tormentis: quæ mira dexteritate torquebat Fra
ter Toros, Eques Hiſpanus, uita & moribus integerrimus: alij baliſtis & ar-
cubus utebantur. Vicarius Agonothetæ ac ſummi principis deſertorum ca-
tholicę fidei inter cõfertiſsimos Chriſtianos egregia animi magnitudine pu-
gnans, poſtquam multam intuliſſet cędem, tormento traiectus occubuit. De-
buerat meritò mors fortiſsimi ducis, ſuis pauorem incutere. Sed nihil tam in-
certum, quàm belli euentus: occiſio unius Barbari, reliquos in furorem atq;
amentiam uertit. Mortem enim clariſsimi uiri ultum iri cupientes, cominus
gladio, & procul nube telorum iniecta, noſtros paulatim loco ſummouebãt.
Muſtaphus ſuorum alacritatem cernens, flammę (ut dicitur) addebat oleum,
Mahumetem nomenq; Turcicum obteſtans, ſpolia, manubias, prędam me-
morabat: ferro uiam per medias acies faciendã: quo ſibi minus peperciſſent,
eo minus periculi. Adfuere commodũ feſsis ſubmiſſa ſubſidia, pugnam prio-
rum cęde hactenus inclinatã recentes æquabant. Et cum uiri propugnarent,
fœminę tela omnis generis ſaxaq; in muros gerebãt: anhelos ſudore, pugna,
cibo, & potu adportato reficiebant: nec minorib. animis milites Pyrrhi Equit
tes Italicos oppugnabant. Anceps utroq; loco prælium, totius negotij facies
uaria, incerta, fœda atq; miſerabilis: hoſtes pro pręda, pro imperio: Rhodiani
pro uita, pro libertate certabant. nec erat ullus ordo, aut ulla tã inutilis ad bel-
lum ætas, quæ eo die Hieroſolymitanos milites nõ iuuaret. Pugnarunt pro-
phani & ſacri, neq; Crucigeri ſacerdotes tãtùm, quorũ uirtus tota obſidione
haud ſanè minor quàm Equitum fuit, ſed etiam cucullati: & inter eos Fran-
ciſcanus quidam, cui Ioanni Antonio nomen: fœminę, pueri, & cum his im-
miſti ſenes, ſupra animi corporiſq; uires, defenſoribus tela miniſtrabant. La-
pides ſtratis effoſſos manu fundis eiiciebant. Ignes, ſulphur, oleum incendia-
rium, picem liquefactam deuoluebãt in ſubeuntes. Nec ulla pernicioſior pe-
ſtis ibi uehemẽtius timebatur. Quippe ubi feruẽs ſemel materia artus aliquos
apprehenderat, nec ulla ui quidem excuti poterat, & quicquid attigerat pera
urebat: iaciendo arma, lacerando indumẽta, unus alium impediebat: turbati
ordines, fluctuare ſigna, nec recentes audere ſaucijs ſuccurrere, cùm undiq;
in pectora tela è muris miſſa uolarent, in capita imber ignium & lapidũ plue
ret. Ad hæc clangor tubarũ parua dictu, ſed magni eadem in re gerenda mo-
menti res, non tantum Barbarorũ aures, ſed etiam animos mire perturbabat.

In iſto ardore magno Magiſtro hortanti ſuos pro porta ſancti Athanaſij,
(huc enim eum, quum prius ad ſtationẽ Italicam reſediſſet, Prætorij ſui cura
ſtrenuo, ac nobiliſsimo Equiti Fratri Antonio Monterolo commiſſa, belli
neceſsitas, periculorumq; magnitudo aduocauerat) nunciatur propugnacu-
lum Hiſpanum ab hoſte captum. Atroci nuncio (ut par erat) motus, non ta-
men defecit animo. Sed belli curam Emerico Gombaulio præfecturæ Pelo-
ponnenſis titulo inſigni relinquens, cum delecta manu iuuenum eò tendit.

Cæperant

Cæperant illud hostes admirabili casu: nam custodum maxima pars excesserat auxilio laborantibus, tredecimo inde passu manipulis Equitum Hispanorum, quibus cum acriter conserebāt manus. Achimetani milites pauci qui relicti erant, tormētum quoddam armis manu politis intentissimè aptabant, in dextrum cornu integrorum, qui fessis aduersus Hispanos succedebāt. Et ut sunt in omnibus bellis ignaui multi quidam ex his hostes, cum scandere in murum animus non esset, inter dilecta saxa, ruinasq; ad pedem propugnaculi aliquantisper pauentes remanere. Tandem, cum supra se solitudinem esse intelligerent, metu in confidentiam, & fortunā uerso, per cliuum reptantes occupata deserta parte, paucos inermes, & tormento aptando intentos à tergo occiderunt, & extollentes patrium trucemq; clamorem, deiecerunt uexilla. Turcæ qui intra munitiones suas parati intentiq; stabant, concitato per mediam fossam cursu, suis agglomerare sese non cessabāt, donec condensatæ undiq; pilæ æneæ tormentis euolantes, impedimento Barbaris essent. Duas horas super muros ancipiti Marte propugnaculo dimicatū est. Barbari loco superiores, inuenta ibi saxa in subeuntes Christianos iacebant, summouebantq; arcubus & tormentis multitudinem. Magister hortatur, imperat, quæ in rem sunt, quod plurimum ad accendendos animos militum intererat, testis spectatorq; uirtutis atq; ignauiæ cuiusque adest. Itaque in uulnera ac tela ruunt: nec illos muri, nec superstantes armati arcere queunt, quin subeant. Hugo Caponus, Hispanus Eques, unus è quatuor tribunis militum, & Memotius Eques Gallus, cum aliquot auxiliaribus Cretensibus in portam negligentia Barbarorum obice ferreo non clausam irruperunt. Cretenses infra teli iactum, Barbaros brachio apprehensos strictis pugionibus transfodiunt, multi in subter patentia mœnia deiecti, illiso cerebro expirarunt. Accendit recens ignominia iram in fortissimo uiro Magistro militū, qui fidem Christi deseruerunt, & hortatus uulgum ut sequeretur, primus cum duodecim fortissimis uiris pari robore corporum & animorum, in suprema muri Hispani euasit, quadraginta signa sua lunata defendens, nostra cruciata deturbās. Imperatorem suum milites (quanquam fessi labore, fame, siti, & pugna matutina, quæ in mediam diei lucem processerat) nauiter sequebantur. Liladamus cùm sæpe alias memorabilis, tum hac præcipuè pugna fuit. Nam parte prætorianorum demissa intra recuperatum propugnaculum, cū reliqua cohorte ad atrox, dubijq; euentus prælium accurrit. Hispani, cęteriq; sacri milites, & immisti his prophani, qui uulneribus, cæde, ac lassitudine confecti erant, conspectu Magistri, uelut tūc primum pugnæ signum accepissent, redintegrato animo & clamore, certamē restituunt: gladijs, saxis, contisq; ignes præferentibus, ac densatis missilibus, stragem & cædem continuabant. Bombardæ locatæ per transuersa opera, in summitate murorum, hostium latus fœde discerpebant. neq; segnius Auerni & Galli Narbonenses Turcas trucidabāt. Per hunc modum cum pugna æquata esset, recens præsidium ex arce Nicolea, duce F. Alioro Hispano Equite animi magnitudine, & cæteris pacis, belliq; artibus, cuius ueterum conferendo, eductum, rem ad se inclinabat, cuius ubi per internuncios certior factus esset Solymanus, oppugnationem cernens ab alta specula procul, è malis antenniscq; nauium structa, receptui canere iussit, & R. hodijs, & Barbaris grato. Iacho Basso autē gratissimo: nam dum alij pugnabāt maximè, ipse fugiebat maximè. Quam ignauiam prope stipite lusisset, per obscœnas inferioresq; corporis partes acto. Huiusmodi enim supplicij fœditate, Barbari sontes plectunt. Verùm nulli iratior, infestiorq; tyrannus fuit, quàm Mustapho belli istius machinatori: quòd uaniloquus, ut plerique Palatini esse solent, spem suam inflasset: quòd falsis adulationibus extollendo (uerbis multiplicatis) eius uires, Rhodianas nimium mendacijs depri-

deprimẽdo, occurſurum ad littora populum, ubi regiam claſſem aſpexiſſet, & facturumq; deditionem & imperata ſpopõderat. Quę uanitas promiſſorum nõ ſine maximo damno & dedecore nominis Othomanici iam patêre: quare mors ei indicta, coramq; trãſfigi à ſpiculatore telo imperans: Volo aiebat oculos paſcere. Iamq; ſupplicij apparatum lictor promebat, adeò torpẽtibus metu qui aderant, ut non modò ferocior uox aduerſus atrocitatem pœnę, ſed nec gemitus quidem audiretur. Pyrrhus unus, parantem ſe ſagittarium ſummouere auſus, prodiens ante tyrannum clementiam eius appellat, & uitam Muſtapho rogabat. Accenſus illi audaci facto & indignatione, eundem pari ſupplicio damnat, quòd ſe procul à regia, ab ocio & quiete in inſulam ad maximã belli tempeſtatisq; pericula euocaſſet. Vniuerſa Apocletorũ concio factum deprecari, humum hoſtilem ſatis madere, non eſſe rigandam ulteriori ſanguine duorum clariſsimorum ducũ. Itaq; cum ira iam deferbuiſſet, & admoneri ſe pateretur, Pyrrho prudẽtia & ſua ætas, Muſtapho cõiunx, ſororq; aui ſui materni, uitam impetrarunt. Illuxit itaq; dies hic tanta hoſtium ſtrage, Rhodianis tam celeber, quãtum unquam alius quiſpiam ab urbe cõdita. Inter coaceruatos corporum cumulos, reperti duodecim Satrapæ, & is quem dixi Vicarium Magiſtri ſcholæ militaris. cumulatæ corporibus foſſæ, ſtrages omnia tenebat, corpora quædam adhuc ſpirantia, multi trunci artus, diuiſa quædam à corporibus capita, pectora, latera, terga multorum ſauciata uulneribus: quidam ictibus ſaxorum integri, uel in mortem ſopiti iacebant, uel ægram trahebant animam, tellus cruore atra, undiq; triſtiſsima facies & plurima mortis imago, & uictoria ipſis miſeranda uictoribus erat, ſi de alio contigiſſet hoſte. Turcæ qui ſuos humare parabant, cernẽtes patientia occiſorum uiſcera, fœditatem immanium uulnerum, horrorem concipiebãt ingentem, nec defiteri aduerſos quos uiros, quę tela dimicarẽt. Vigiles Rhodij pro muris excubantes, palàm eis maledicere, Pyrrho Muſtaphoq; uecordiam obiectare, tyranno maſculam libidinem, Rhodios caudæ ſalaci nouaculas acuere, ignem infamibus parare corporibus: quorum interemptorum, uulneratorumq; numerum certum neſcio, nec ſi ſciam, referre auſim. Is quem in diurnos commẽtarios ſuos, temere tamen conſcriptos retulit nobiliſsimus Eques & antiquarius F. Macedonius, haud dubie multo inferior uerò eſt, duo tantum millia occiſa prodit. Sed F. Georgius Faucellus eques Lugdunenſis, qui hac oppugnatione egregium ſanè de ſe ſpecimen exhibuit, hunc numerum ad cæſos ſolũ ꝑ uallo Italico reſtringit. Roberus Peruſinus moribus & ætate grauis, atq; omnium quæ hoſtibus aut proſpera, aut aduerſa fuere diligentiſsimus inueſtigator, in oratione quam ad Hadrianum Põtificem habere propoſuit, cęſa narrat decẽ millia. F. Iacobus Borbonius Eques, clarus literis, natalibus ac uirtute, cæſorum ſauciatorumq; numerũ ad quindecim millia extendit. Ego ad hunc modum argumento neq; temerario neque improbabili, numerum ad uiginti millia augere non uerebor. quantam enim hominum, tum ſuapte natura, ſanguinis & bonorũ noſtrorũ auida, tum imperijs & exhortationibus ducum in cędem noſtram impulſorum, ſtragem feciſſe ſex horarum ſpacio, & quinq; ſimul locis putabimus, tormenta, arcus, tela, ſaxa, haſtas, lupos ferreos, curuos harpagones, deniq; omnia quæ ars aut prauitas humana hactenus ab æuo cõdito in ſuam perniciem excogitauit? Plura uexilla hoſtes amiſere. Itaque Equites cœperunt duo regia ingentis ſplendoris æſtimationisq;. A' noſtris præter plurimos ſacros Equites centum fere & quinquaginta prophanæ militiæ deſiderati ſunt, ſauciatorũ maior numerus. Decretum erat ſingulos Equites aut læſos, aut interfectos nominatim recẽſere: ſed cum huiuſmodi diligentia haud neceſſaria in hiſtoria ſit, ſimul ne nimio ſtudio recitãdorum nominum fides mea lectioni ſuſpecta fieret, cunctos ob

patriam

A patriam pugnãdo uulnera paſſos, æquali ſilentio trãſire animus fuit. ſua cuiq; gloria contigit: alij aliud decus tulerũt. nulla è Rhodiana militia natio expers iuæ pietatis, religionis, meritorum eſt. Claſsis cẽtum triremium armis uirisq; inſtructa, tota oppugnatione fauces portus obſidebat, occaſionem expectãs ſi quomodo poſſet ſubito inuadendi. Sed præfectus cum uideret ab equite Franco qui F. Petro de Cluſijs militabat & ſacro milite ulterioris Hiſpaniæ Luſitaniæq; omnes aditus à mari præcluſos, haud auſus eſt cõcurrere, homo nequaquam militaris ſanguinis, cui celebre, mutato ad Achimeti preces capitali ſupplicio, quod tyrannus ſumere iuſsit. plenus adhuc ira, & uehementi admiratione ob importatum ab Andugo in ſummo loci, temporisq; diſcrimine auxilium, palàm tota cõcione, & in puppi prætoriæ nauis cẽties uirgis, fuſtibusq; cæſo, maris imperium poſtea ademptũ eſt ob animi ignauiam, & quod ſæpe nimium falli ſe pateretur à nautis noſtris: qui indies creſcẽte inter oppidanos hominum & rerum bellicarum inopia, ſupplementum & commeatum importabãt ex arcibus Lindo, Mauolito, Feraclo, Petrea, quam ex ruinis Halicarnaſsi, Piramidibusq; Mauſoli ſepulchri inter ſeptem orbis miracula nominatiſsimi, ſtruere cœpit Hẽricus Schlegelholt, eques Germanus, dum Tamberlanus inuaderet Aſiam, coniiceretq; in uincula Bayazetũ Turcarum regem, qui prius Pannonios & Ioannem Burgundiæ ducem, inſigni apud Nicopolim prælio profligauerat: præterea ex inſulis Coo, Lero, Calymnia, Niſero. Telum autẽ & Chalcea Barbari haud lõgo ab aduẽtus ſui die, inopia aquarũ cœperunt, omnia crudelitatis exempla in uictos exercentes. Sed cum res ſic obtulit, non putaui ſilentio prætereundũ facinus, neſcio utrũ atrocitate, an animi magnitudine nobilius, quod auſa eſt ſupra uires, ſupra B ſexum ſuum mulier una Græcanici ſanguinis, quæ cum arcis præfecto conſuetudinem habebat: quem ut agnouit fortiter dimicando occiſum, amplexa duos uenuſto corpore & amabili indole pueros, quos defuncto genuerat, poſtquam maternæ pietatis oſcula extrema libaſſet, & notã crucis Chriſti lachrymantium perturorumq; frontibus impreſsiſſet, ferro atrox fœmina iugulauit, & trementes adhuc, exeunte ſimul ſanguine & ſpiritu, artus cum cæteris quæ chara habebat, in ardentiſsimum rogum coniecit, ne hoſtis (dicebat) uiliſsimus uiuis aut mortuis, gemina nobilitate corporibus potiretur: & cum dicto induens chari amatoris paludamẽtum madidum multo adhuc ſanguine, accepta framea in hoſtes tendit, ibi egregia bellatrix & omnium ſæculorum memoria digniſsima uirago, inter confertas hoſtium phalanges, more uirorũ fortiter bellando occubuit. Tyranno (ut à diuerticulo quodam modo in uiam reuertar) poſtquam tot locis, omnibus copijs, tanto tempore urbem ſumma ui fruſtra oppugnaſſet: nulla amplius libido inuadendi aliena regna erat, ingentes illi ſpiritus conciderant: nihil præter receſſum & fugam meditari. Linqui adhæc ſæpe animo, atq; collabi diu, ſine uoce ſimillimus mortuo iacere, memoria tot præliorum infœliciter commiſſorum, ſtrage tantorum ducum, tot fortium militum, quorum ſanguine haud temnenda Italiæ pars parari poterat, æger, torpens ac ſilens, diu omni humano acceſſu, atq; colloquio, etiam complexibus, & uenere Abrami abſtinere, quem perditè deperit, quamuis agreſtem opilionem & patre pecorario Raguſino natum. Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo conſentire dies, & ab uno ſydere duci: huius conſilio Aſiam ille regit, maximam Europæ partem moderatur, ab hoc bardo inepto, agreſti monſtro, emaſculato, nobiliſsimæ Italiæ tot præclaris ingenijs, tot præterea ſtrenuis atque magnis ducibus, fœda mors & ignominioſa ſeruitus parantur. Sed tyranni mentem nihil æquè ſollicitabat, quàm Lunæ ante initam pugnam deficiens lumen; quæ colore ſanguinis ſuffuſo, dira, fœdaque apparuit. Diſs

inuitis

inuitis ad Rhodum fatalem Turcicæ gentis peſtem ſe ueniſſe dicebat, Abraimus & quæſtor, cui publicæ pecuniæ in diuerſos uſus erogandæ cura fuit, animo metum excutiebant, naturæ uicem eſſe lunamq; deficere. cum autem terrã ſubiret, aut ſole præmeretur, tempus quod omnia domat expugnaturum quos ferunt flamma uincere non poteſt. Interea amœni receſſus cauſa etiam terrendi magis obſeſſos munimenta in uertice montis Phileremi erigenda Tyrannus annuit. Cœpta ſtrui arx eſt ingenti opere atq; ſumptu. Muſtaphus dum indies tyranno ſuſpectior eſſet, ſine autoritate, ſine gratia (præterea exulceratam mentem habens ignominia nuper parati ſupplicij, nihil enim magnorum uirorum animis tenacius inhæret quàm iniuria) literis ad ſagittam ligatis, hoſtium cõſilia oppidanos docebat, & fugam in urbem molie-batur. Sed inuidit fortuna incœpto nobis ſalutari. nam cum in caſtris nunciata eſſet mors rectoris Syriæ, quem Barbari Caierbechum appellant, Muſtaphus ad liniendam minati ſupplicij iniuriam, cum ampliſsimo imperio, ut Syros in fide atq; officio cõtineret, ad Babylonem Memphiticam miſſus eſt. Verùm quando hiſtoriam ſcribentem nõ deceat, parum comperta pro ueris narrare, Lectorem hic admoneo, quæ de Muſtapho hoc loco dixi, accepiſſe me ab hominibus magis opinionem ſuam, quàm rei certam cognitionem ſequutis. Quicunq; tamen proditor, & fugitiuus iſte fuerit, magnũ eum uirum ſecretorum conſiliorum participẽ fuiſſe, liquido cõſtat. Tria millia Syrorum poſtea, & quingenti Mammaluchi, qui rectoris mortem attulerãt, per triduũ leui certamine, ſed quo nullũ nobis, nec moleſtius, nec nocẽtius, ſaxa ignesq; iaciendo, cum cuſtodibus propugnaculi Athanaſiani bellum geſſerunt. Verùm leui certamine, nec iuſto prælio, neq; bombardis, cuniculis, tormentiſue clara Rhodos capi potuit. Iã quietis aliqua facies apparere, efferacior uis tormentorum cõtinere pauliſper ictus & boatus ſuos. In ſumma, obſidio magis quàm oppugnatio aliquot dies fuit. Hoſtis tamen dies noctes in ſolsis excubans, dolum tentabat defenſoribus mœnium, præmia modò, modò formidinem oſtentans. Latinos tantum ad ſupplicium ſe cupere: Græcos uerò Imperatorem Græciæ inuiolatos ſeruaturũ dicebat. Sequuta eſt inde fœda imbribus hyems, tonitrua, fulgura, minæ cœleſtes, non ſolùm corpora feſſa labore, metu, ac uulneribus, ſed etiã animos Barbarorũ frangebant. Pręterea aſperũ mare naues in ſtatione, qua haud facile alia infeſtior claſsi eſſe poteſt, ita affligebat, ut prefectus ubi nulla facultas adminiſtrãdi aut adiuuandi daretur, cõuexata & lacera claſſe, dimiſsis funibus & anchoris continentẽ petere ſit coactus: quam ob rem, magnã, quod neceſſe erat accidere, totius exercitus ſui perturbationẽ Tyrannus ſenſit. Vnus poſteaquã Achimetus ei promiſerat, quod ima murorum dolabris, uectibusq; ferreis euerteret, tanti mali patiens, uocatosq; ante prætorium ſuum milites: quorum lubricæ ac rigentes manus uix arma tenere poterant, in hunc modũ alloquutus eſt: Quãta pro dignitate atq; decore imperij mei feratis magnanimi Milites, haud ignoro. Continuus cœli fragor, immenſa imbrium uis, ſonorum cœlum, algor, fames, ſitis, cæteraq; longæ iſtius obſidionis mala, ut arma uos deponere, quietemq; neceſſariam ſumere ſinam, multum me hortãtur. Sed uideamus primùm, an ne turpe ſit uiris fortibus uictoriã, quæ in manu eſt, hoſti, tædio imbrium & tempeſtatis relinquere, uallum, foſſam, aggeres, non in urbem modò, ſed in cœlum etiam ſpectantes, munitiones, turres, & talium oppugnãdarum urbium apparatum deſerere. Certe aut non ſuſcipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate imperij Turcici oportet. Quod ſi æſtate factum non eſt, hyeme ut faciamus, cogit me cùm publicũ imperij decus, tum ueſtrũ quenq; priuata ſua utilitas. Si enim hinc reducimus exercitũ, quis eſt qui dubitet hoſtes, non cupiditate ſolùm ulciſcendi, ſed etiam neceſsitate impoſita ex alieno prædandi,

cum

cum sua amiserint, agros uestros, domos, fortunas uestras inuasuros: uos, cõiuges, liberos, necessariosq; in multo fœdiorem, quàm nunc est seruitutem redacturos. Vrgete igitur obsessos, nec ante abscedatis suadeo, quã spei uestræ finem cæperitis. Si hercle nulla necessitas subesset, tamẽ ipsa dignitas, famaq; corporum & animorum uestrorum perseuerantiam imponere debet. Nam ora, oculi omnium gentium, omnium Christianorum in istud bellum, in uos conuersa sunt. Quos si hyemem unam durare in castris non posse intellexerint, meritò æstiuas aues appellabũt: qui statim nubilo cœlo, tecta, ac receſſum circunspicitis. Græcos ob unam pellicem, Troiam decem annos oppugnasse dicẽt: sed Turcas cædibus, rapinis, excursionibus terra & mari factis, seruitute præterea ducentorum & quatuordecim annorum uexatos, oppressosq;, unam hybernam obsidionem perferre non posse, terrorẽ nominis uestri hactenus uanum fuisse: famam illam (ut pleraq; alia quę non uisa magis timentur) auxisse apud homines ignaros in regionibus exteris. iam tuto sustinere quemque uos posse, qui impetu potius bella geritis, quàm perseuerantia quę in omni genere militiæ maximè autem in obsidendis urbibus necessaria est. quarum plerasq; munitionibus, ac naturali situ inexpugnabiles, fame sitiq; tempus ipsum uincit atq; expugnat, sicut Rhodum expugnabit: in quam occultum telum paratum est charissimi commilitones. Verùm cunctis præsentibus res se tractare non patitur. tam nescire enim quædam multitudinem, quàm scire oportet. Plericq; id callidè magis quàm uerè dictum existimabãt, & quanquã ingentia præmia, & placida ducis oratio mœstos & fatigatos militum animos parum reficerent, uicit tamen in gente obsequentissima Imperatoris amor, & magni secreti auida expectatio. Achimetus teli illius autor, sponsorq; uictoriæ, ad murorum fundamenta septa haud alto promuro, post quem custodes nostri excubabant, crebro (licet haud satis tuto loco) militem suum submittebat. qui cum (nescio quo infelici fato nostro) promurum illum occupasset, factus uoti compos, auxiliares inuocabat: hi intra locum se munierunt, donec dux murum musculis testudine pluteis in eum casum paratis subiret. Quod quidem facillimum illi factu fuit, per fossas iam complanatas, multa terra iniecta, cuius eminens supra modũ altitudo usum tormentorum è cauis propugnaculi Auerni latus hostium tentantiũ impediebat, neq; Rhodij è fastigio murorum immanibus bombardis illis dirutorũ, cum nusquam in illis esset consistẽdi locus, propter Chiriobardericos, intra aggeres suos tormentis paratis latitantes, quicquã deuoluere in subeuntes poterant. Itaq; homines defunctos, ut uidebatur omnibus periculis, & in umbra quodam modo quietæ pacis existentes, recẽs atq; inopinatum malum mire perturbabat. Cõspectus primùm pauorem, silentiumq; torpens iniecit, admiratio deinde ac commiseratio, suiq; aperta querimonia subijt. Preianus ad omnia impiger & audax, perforantes igne, oleo, pice ardenti, reliquaq; materia incendiaria summouebat. Sed cum fugientibus ignem, fustuarium, morsq; parata essent, & pro saucijs semper reponerentur integri, fatale opus septimo die Octobris incœptum, magno conatu miserrimorum seruorum procedebat. Serui enim sunt Turcæ omnes, etiam consilio, autoritate, armis præstantissimi, solus unus Tyrannus in tam immenso imperio cuncta sibi possidet, cæteros omnes quenq; pro dignitate & merito stipẽdijs alens: hi quo pleno discriminis opere ocyus se liberarent, excauatum circa fundamenta murũ stipitib. fulciebant, quos adiectis malleolis, ignibusq; torrendo muri ruinã parabant. Verùm cum res ex sententia non procederet, eundem cathenis ferreis, funibusq; anchorarijs mirabili machinamento distrahere in terram conabantur. Sed tormenta per Auernum propugnaculum disposita, exiguo tempore insani & multorũ dierum operis molem deiecerunt. Dux Achimetus postquã

omnem conatũ ſuum ludibrio eſſe uidit, atq; obuiã ſibi ueniri ab oppidanis A
intellexerat, anxius trahere cum animo ſuo, omitteret ne incœptũ, quoniam
fruſtra uidebatur: an fortunam operiretur, quæ ſola promiſsiones ſuas Tyran
no factas implere, & morte eum liberare poterat. Interea ut iuſſum fuit à Ga-
briele Martiningo Drachones fieri intra murum craſsiſsimũ, ut educta inde
arma iuuentus operarios trucidaret, & minutorum tormentorum utroq; la-
tere poſitorũ conglobatis ictibus muri faciem, ad quam hoſti aditus erat, tue-
retur. Sed Martiningi mandatum ſpecie ſatis tutum, euentu nobis & ſibi in-
fœlix fuit. Nam oculo ictu Chiriboardæ inter opus ordinandũ priuatus eſt,
ut plericq; alij ſtrenui Equites, inter quos haud immerito retulerim F. Ioãnem
Omendem Equitem Arragonenſem, cui cura ueſtitus militaris diſtribuendi
incumbit. Diſpoſuerunt Barbari multitudinem horum tormentorum per ri-
mas partis muri, quæ inter eos & nos media adhuc reſtabat. quẽ, cum ignari
eſſent quantum hæ Chiriboardę nobis nocerent, ſuſpenſo opere terebrandi,
denuo bõbardis maiori mole acriter feriebant: quarum uis iam ſolito erat effi
cacior erga murum tot modis debilitatũ. Qui ubi indies magis magisq; tor-
mentorum cõtinua uiolentia labaret, oppidani ad omnia tuenda obeundaq;
multimoda arte deſtineri cœpti ſunt, non nocte, nõ die ceſſauerunt ab opere,
ut nouum murum, ab ea parte qua patefactum oppidũ ruinis erat, reficerent.
Hoſtibus & defenſoribus par labor, ſimilis animus: quẽ illinc ſpes, hinc deſpe
ratio fecerat. Cretenſes, quorũ operam atq; induſtriam ſcriptores in bello na-
uali commendant, etiam huic terreſtri utiles fuere, & locũ difficillimæ cuſto-
diæ, cum ſupplemento ſacrorum Equitum adeò egregiè, fideliterq; obſerua-
runt, ut nõ ſint ueriti Caſtrophilacam ciuem Rhodium, opibus, & cognato-
rum atq; affinium celebri multitudine potentẽ, cuiuſq; in extruendis operib. B
diſponendis munitionibus, ſumma toto bello fuerat diligẽtia quiq; ipſos ſæ-
piſsime pauit cibo ac potu largiſsimè adminiſtrato, in uincula publicitùs con
ijcere, quòd tempore & loco ſuſpecto, contra Magiſtri edictum per ſingulas
ſtationes uoce preconis diuulgatum, ſagittam in hoſtes eieciſſet. Quẽ ubi va-
rijs & multis quæſtionibus affeciſſem, nihil potui expectorare, adiutus etiam
opera prudẽtiſsimi & nobiliſsimi Hiſpani equitis F. Ludouici Luel: cui cum
quatuor tribunis militum iuris dicẽdi ac diſtribuendæ annonæ cura erat, quã
quod inter amicas & fortuitas cũ pleriſq; ciuibus cõfabulationes hoſtis iram,
ſi auxilia tranſmarina non uenirent, aliqua tributi ſpecie uel manumiſsione
ſeruorum leniendam dixiſſet. Hanc grandi cum difficultate expreſſam à reo
confeſsionem, ubi nocte ad magnum Magiſtrum retuliſſem, ſtrato (cui indu
mento militari ſeptus incumbebat) ſe attollens ac gemẽs ad uigilias perrexit,
iuſsitq; nullo alio addito uerbo ut reus ſeruaretur. Per hoc tẽporis Tyrannus
foris comitia celebrare, cũ ducibus de ſumma rerum frequẽter conſilia inire.
Omnium unanimis ſentẽtia erat urbem eo die capi poſſe. Cæterùm ut in mul
titudine ſemper aliis aliud placet, quidam ſentiebant (ſic enim mihi obſidi ho
ſtes ipſi retulerunt) Rhodiorum animos prius colloquio tentandos, ſi forſan
pacati quippiam reſpõderent. Ad hunc modum uictoriam minori ſanguine
imperatori futuram, & orbis totius imperium anhelanti utilem eſſe clemen-
tiæ famam, quam ſummis ducibus ad opes propagandas miro uſui eſſe Caſ-
ſius & Achimetus affirmabant. His magna animorum contentione deſerto
rum fidei magiſter contraſtabat, qui ſæuitia ingẽti & cupiditate prædę ad exi-
cidium ciuitatis trahebatur. Tyrannus placitorũ Mahumetis ſtudioſiſsimus,
ingenio infido & ſupra naturam hominũ ac feræ cuiuſq; truciſsimæ crudeli,
quam tamen crudelitatem altitudine ingenij ubi expedit mire diſsimulat, in
ſententiam ſeueriorem magna totius corporis & animi alacritate acceſsit, &
per omnia caſtra urbis direptionẽ militibus concedens, eos in hanc ſententiã

alloquutus

alloquutus est. Tandem magnanimi uiri Fortuna uirtutem atq; constantiam uestram egregiè experta, digna laboribus modo præmia affert. Victoria & opes hostiũ quæ tam diu cupiuistis in manibus uestris sunt: nunc tẽpus Græcolatinos istos, qui plures pene perierunt, quàm supersint, non homines, sed effigies & umbras hominum, fame, uulnere, squalore, laboribus debiles, impotentesq; trucidandi, qui scio uobis resistent: non quia audent, sed quia necessitas perituros cogit. Sumite perfidię, crudelitatis & sceleris pœnas nunc à Cruciferis, & documentũ modo graue posteritati exhibete: ne quis unquam Turcam ulla in fortuna opportunum iniuriæ ducat. Strata in urbẽ uia est, patet oppidum immani ruina, quæ commodè alam triginta equitũ amplecti potest. Ab hac exhortatione Imperatoris milites incitati, cum per aliquot dies inter stragem ac ruinas captæ urbis nihil superesse præter armatos hostes uiderẽt, nec quicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionẽ animos, ni uis adhiberetur, experiri ultima & impetum se facturos in urbem Tyrãno promiserunt. Vtq; omnia eis opportuna magis ad uincendum forent, oppidanis palàm obscœnam necem & miserrimam seruitutem pridie diei quàm pugnam inirent, minabantur, & lapides crebris tormentis excutiebant, quæ per hiatum disiecti muri in urbem uolantes, multas uno die domos prosternebant. Interiorem autem recenter oppositum murum propter suam decliuitatem raro attigerũt, quæ res magnæ nobis saluti fuit. Fragor ruentium tectorum, sonitus hostium, tonitru fulgorq; bombardarum, magnam miserię plebi perturbationem iniecit. ploratus mulierum puerorumq; undiq; audiebatur, omnia triste spectaculum erat, dira & feralis ubiq; rerũ facies, diem tam fœde exactam, turbulẽtior omnino nox excepit, noctem lux turbulentissima insecuta est. Albescenti enim cœlo fulgentia legionum signa in patentibus campis conspiciebãtur. Barbari spe prædæ & uictoriæ alacres, cum immenso strepitu armorũ cantu ululatuq; patrio ad diruta atq; disiecta mœnia properabant, maximam uexillorum multitudinem cinctam festa fronde ante portam Ambrosianam statuentes, quam Angelus eques multis fortibus factis atq; prudẽtia animi insignis, prefectus modo Aquilarius & Augustalis Thomas Chiensel custodiebat, nec segniter, nec imprudẽter. nã tria magnæ molis hostilia tormenta contrarijs suis tormẽtis, quo suo facto & opera Christophori Vualdenric, cuius suprà feci mentionem, ciuitas hac parte non admodum firma ab excussionibus & ui undecim immanium tormẽtorum liberata est. Regia classis portum locaq; maritima circumnauigãs inuasionem simulauit: dixisses urbem terra & mari inuadendam, expiratura respublica, casurum omnibus imperium meritò uidebatur. Nihil tamen tot onerati atq; obruti malis flexerunt animos: sed tantum arma ferrumq; in dextris uelut solas reliquias spei intuentes, abalienatis à memoria periculi sensib. ad sonitum æris campani effusi undiq; ex domibus, antris ac latebris, quas plericq; contra imbrem ignium & immanium saxorum sibi parauerant, densato agmine in rabiem uersi ad pugnã cucurrerunt, pro nudata mœnibus patria corpora sua opposituri. nihil ducum exhortationibus, nil imperio opus erat: sua quenq; conscientia recordatione malorum hosti illatorum ad defendẽdam impigrè urbem hortabatur: & proponebat alius alteri hostile iugũ, ludibria & uictoris superbos uultus, ultima omnibus supplicia & fœda mors ob oculos erant. pugnabant inter ruinas collapsi disiectiq; muri uelut campo patente Equites & ciues Rhodij: fœminæ uiros suos ad cœlum manibus tensis, poscentes à Deo & numine tutelari uictoriam, ut pro patria, pro libertate, pro domesticis opibus, pro religione Christiana fortiter pugnarent hortabãtur, mortem clamabant timendam non esse, quæ nouam beatissimis animis uitam afferret. Mulier quædam corpore quæstum facere solens, hoc die S. Andreæ profecto

fecto, ut commissum sępissimè scelus morte expiaret, multos Barbaros acuta A
cuspide transfodit. Quædã afflictæ matronæ in domibus suis patrię occasum
cum suo exitio expectabant: multæ mœstissimæ matres cum cœtu uirginum
in templis ante aras, ante imagines sanctorum prostratę, funesto comploratu
atq; ululatu fœmineo inter se dissonæ, uotis ac lachrymis delubra implebant,
dubijs rebus diuinam opem implorabant: & ut optimi cœlites nefandã uim
à pudicis corporibus auerterẽt. F. Clemens Metropolita (cuius ante prælium
in re diuina placandisq; superis, in prælio cohortandis excitandisq; & consi-
lio & exemplo uirtutis militibus opera singularis ac diuina extitit) homines
Græcos manu sacrosanctam Crucẽ gestans, sancta spe & fortitudine bellan-
di implebat. Si more uirorum pugnarent cuncti, inquit, multos uictores su-
peruicturos: cõtrà si ignaui remissiq;, in acie sibi parcerent. Inuasa mox urbe
omnes ante ora captarum coniugum, liberorumq;, inter uerbera & uincula,
omnia fœda atq; indigna passuros. Antistes sacræ militię & phani Diui Ioan
nis Colossensis, Equites hominesq; Latinos exhortabatur, ne ullum ante fi-
nem pugnæ cęp morientes facerent. F. Ludouicus Tentauillus iuuenis con-
gestis omnibus à natura fortunaq; bonis splendens, nobilis, diues, forma, ui-
ribusq; corporis excellens, facundia pollens, bello quoq; bonus, propius cum
Liladamo magno Magistro & perneccssario suo uexillum Christi Crucifixi
quod ferebat in hostes intulit. Pugnatũ est circa illud utrinq; summa ui & ua-
rio Marte: Barbari cœpisse iam se urbem si paululum adnitantur, credebant.
Itaq; quo plus terroris adderẽt, cuncta clamoribus permiscebãt. Rhodij uerò
eos pro uictis habebant, quia non uicissent ipsi numero & robore corporum
maiores. sunt enim Turcæ ferè omnes procero altoq; corpore, capitibus ton- B
sis, & raso pleriq; uultu, excepto superiore labro, quod omnibus (cum tõdere
inter eos aut nephas aut dedecus sit) pilis contortis atq; reflexis utrinq; ad am
bas aures hirtum horridumq; est: præterea loco ad pugnam & uictoriam ap-
tissimo. Accendebãtur ergo animi & certamine laboris & periculi, atq; ipso
inter se conspectu, ita ferox natio bello orbẽ peruagata, si tamen Turcæ bella
& non potius latrocinia agant, occasione semper, raro uera uirtute adiuti, ab
unius oppidi defensorib, longa obsidione prope enectis fœde reiecta est. Op
pidani pedem & terga uertentem Barbarum clamore incessebant. Turcę ge-
nus hominum in iram & cæcam rabiem præceps, indignati quod uictores
plurimi à paucis & uictis, si incepto prælio perseuerantia adesset, irriderẽtur,
uersis in frontem cuneis Rhodios aliquãto atrocius quàm antea adorti sunt:
cecidissemus haud dubium omnes eo die & prælio cum patria, nisi coimmo-
dum custodes qui summa extremaq; murorum adhuc stantium tuebantur, è
tabulatis atq; ibi erectis operibus nubem sagittarum & machinalium globo-
rum in dorsa per ruinas urbem incurrentium, eiecissent: & quod maximum
atq; omnium utilissimum fuit, tormẽta dextra leuaq; parte muri recenter in
speciem quadratam extructi, Barbarorum latera fœde confringebãt. magna
strages edita, atrox spectaculũ, gemitus & ululatus non clamor amplius mo
rientium erat, & plures omnino mortui fuissent, nisi imber Cheriboarderijs
obstitisset. nam illorum puluis pluuia madefactus, haud facile incendi potuit.
Achimetus astutus uir & tenuis, boniq; sensus, quanuis obeso & propenso
sexquipede uentre, ueritus ne suorum cędę nobis crescceret nimium animus,
gnarus præterea maximarum rerum, cardinem momento temporis in bello
uerti, & q hostis contemptus, sæpe cruentũ certamen daret, ingentesq; exer-
citus infelici hora, parua manu deleri posse, milites in castra reduxit: comper-
tum ibi (si modo uera narrant) cecidisse eo die præter ingentem sauciatorum
turbam, quinq; millia fortissimorum uirorũ. Duces omnes territi tanta suorũ
cæde (quanquam nemo ex eis uictoriam desperaret) unanimi sententia sta-
tuerunt

tuerunt urbē haud amplius iusto congressu tentandam. Verùm inductis per medias ruinas in eam quinq; fossis atq; incilibus, murum illum qui oppositus erat, & alterum opponendum ponè, quæ adhuc uallum ligneum obiecimus, dolabris, terebrisq; subrui debere: obsessos interea in dies, inq; singulas horas leuibus, & tumultuarijs pugnis lacessendos. Vnicū istud consilium magis quàm omnia alia prælia hostibus profuit: qui dum indies, nouaq; pro dirutis opponebantur, opera ferro igneq; uiolarēt, & oppidani præmio quadraginta millium ducatorū, quæ summa in sanctiore ærario ad ultimos casus, testamento Ambusoni relicta & seruata fuerat remunerati, tuendo, diruendo dumos, fossas transuersas uijs perducendo, minorē indies urbem facerent: breui in tantam extremitatem sunt adducti, ut qua primū aut potissimum parte ferrent opē, cum omnia lōge lateq; hostium essent, satis scire non poterāt. Nam altitudo areæ intra urbē ab hostibus occupatæ passuum erat ferè ducētorum, longitudo centum & quinquaginta. Tyrannus interea quanquā certus uincendi, animum ad consilia Achimeti & Cassij applicat. Qui nuper frequenti ordine procerū dixerant, uolentibus imperij fines propagare, utilem esse clementiæ famam. Et Pyrrho mandauit, ut obsessorū animos colloquio tētaret, ille quendam Hieronymum Moniliam Ligurem ad mœnia misit, qui fidem et tutelam corporis à defensoribus impetrans, pauca quædā et utilia desolatæ urbi uelle se exponere aiebat. Omnium animi arrecti erant, iussus est dicere: negat sibi palàm id licere, sed secreto cū Matthæo de Via Ligure, habitatore Rhodi, aut per epistolam loqui uelle. F. Forouius Eques Auernus, qui forte adstabat, cuius tota obsidione uirtus atq; uigilātia singularissima extitit (ferūt enim hunc solum è turri diuo Georgio sacra, quæ in mœnia & ruinā murorum spectabat, ultra quingentos Turcas, ui tormentorum neci tradidisse) indignatus mētione secreti colloquij, nuncium bōbardis abegit. Multi quorū animi in spe ultima obstinati ad certādum fuerant, postea q; uictor obsidens colloquium tentauit, & spes uitæ adfulsit, magnū Magistrum rogare, ut genti suæ optimæ meritæ prouideat, tot prælijs sese uictos, urbem dirutam, multos mortales ægros, occisosq;, rem bellicam comminutam esse, satis sæpe iam & uirtutem militum & fortunam tentatam: caueat, ne se cunctante hostis maiorem indignationē cōcipiat, si uideat postulata sua sperni. His atq; alijs talibus ad legationem Magistri animum impellunt. Mittuntur ad tyrannum legati F. Anthonius Groleus Eques Auernus, ingenio, & Græci sermonis cognitione cōmendatus, qui toto bello signifer sacri, militarisq; uexilli fuerat, Robertus Perusius, homo ætate grauis, & Græca facūdia pollens, accepti pro his obsides, cognatus unus ducis Achimeti, Epirota quidā qui per patentē ruinā murorū à nobis ad hostes transfugerat, quod quidam Græce gētis præfectus faciem illi depalmasset, homo cuius acre ingeniū & linguæ Græcę, Turcaicę, ac Italicę usus apud nos in obscuro, magno nostro damno inter hostes illuxit: accessit deinde Tyranni ipsius interpres, neq; enim ille peregrinam aliquam linguam nouit, quemadmodum apud nos Imperator Germanus, Gallicam, aut Hispanam, ratus id contra decorē esse sermonis patrij, & Othomanicam maiestatem. Oratores ergo nostri prætentatis & excusis prius diligenter uestibus, si quod ferrum absconditum esset, Tyrannum rogant, quā ob causam colloquium expostulasset, ille similis nesciēti cum ira & indignatione factum negabat, & castris quàm primū excedere iussis, hanc epistolam ad magnum Magistrum et oppidanos dedit. Nisi misertū me foret humanę infirmitatis, quæ multorum ambitiosas mētes plerunq; in maxima, & minimè necessaria mala præcipitat, profectò hasce literas direxissem minime. Sed morte qua digni estis, & miserrima seruitute uos afficerem, quod quam mihi sit facile, ipsi cognoscitis: egregiè iam experti uim meā, si sapitis, experiamini gratiā. satis

indulsistis furori, satis dementiæ uestræ: redite ad cor, facite ocyus quã impero deditionem, do uitam, do opes, præterea optionem manendi & abeundi, nolite si quod omnib. uotis petendũ erat, ultro offeratur, fastidire: nõ quemadmodum hodie utrunq; uobis licet, sic semper licituru est. Reditu Oratorum in urbem, magnus concursus hominum omnis generis eos sequentium factus est ad domum, qua magnus Magister se tenebat, haud procul à muro urbis diruto. summota cætera multitudine, ciues primores inducti sunt. Recitatum cum esset frequenti ordine Equitum & ciuium Rhodiensium, minax imperiosi Tyranni mandatum, magnus Magister, cui satis honorum, satis superq; uitæ erat honestæ mori, sic exorsus est: Audiuistis sacri commilitones, uosq; magnanimi mei Rhodij, feralem & tristẽ epistolam: cui quomodo sit respondendũ, haud anceps deliberatio est. Vel parendũ fortioribus, uel moriendum. uictoriæ omnis spes decollauit, nisi adueniãt foris auxilia. Si meum igitur approbatis consilium, fidem, nobilitatem à maioribus nostris acceptã, bellicam laudem domi, militiæq; partã per tot annos, fortiter ferro, ac dextra ad extremum usq; spiritum & sanguinẽ tuebimur, ne uiris sit fortibus glorię, quam uitæ finis. Huiusmodi ducis oratio amarior multis uisa est, q̃ Tyranni imperium. diu mœstum silentium aliorum alios intuentium fuit: multi occulta oris mutatione motuq; corporis magis quàm uoce, quid ipsi sentirẽt, exprimebant. tandem sacerdos quidam Græcus, cum summa animi commiseratione & lachrymis, in hæc uerba prorupit: Tacerẽ ego quoq;, si priuatus essem, aut in uario turbulentoq; tumultu, non primus meã sententiam dicerem. Verùm quando cura cõmunis salutis uocẽ nemini exprimere potest, & omnes sciunt dicendi, ac suadendi quod quisq; uelit, aut optimũ putet occasionem modo esse, quæ nec semper, nec diu erit, eam præterlabi nõ sinam. Fingamus igitur potẽtissimi principis obsidentis nullum nobis mandatum factum, sed ueluti priuatus cum priuato, amiculus cum amiculo, ante focũ & inter cõpotationes, sine cura, sine studio immodico alterius partis, sine libidine aut odio de rebus principum nihil ad se pertinẽtibus solet, nos differere: & tũ neq; ingrata, neq; ut spero infructuosa erit oratio mea. Sex iam menses Græci & Latini unanimis armis, non solùm foris ante muros, sed in uiscerib. urbis infestum hostem sustinuimus, sine ullo auxilio, sine ulla externa ope, q̃ ut diu omnes frustra sperauimus, ita singuli nũc certo desperamus: hostis autem uel occulta Dei benignitate motus, uel uirium & animorum nostrorum ignarus, quæ uulneribus, cæde, morbo, dies ac noctes cõtinuato opere perierunt, id ultro offert, quod optandũ nobis, ac summa ope petendũ erat: aurum argentumq; omne publicum & priuatum, corpora uestra, fœminarum, puerorũ seruat inuiolata, urbẽ tantum, quam ex magna parte dirutã capramq; se rẽ totã habet, adimit. Magne Magister, nobilissimiq; Equites, cùm alijs multis naualibus prælijs, tum hoc terrestri præcipuè oppugnatione fortitudinem uestram sum expertus, cuius cum in re desperata amplius nullus sit usus, prudentiam uestram & clemẽtiam appello. Cum iam omnia uictoris sint, quod uitam opes relinquet, in lucro est, nõ in damno urbis insulæq; deditio, quam uictor hostis imperat: quæ licet grauis, acerbaq; nobilitati uideat, fortuna uestra uobis suadet. deditionẽ ergo faciendã censeo, potius q̃ trucidari corpora uestra, rapi trahiq; ante ora uestra uos, cõiuges, liberos, belli iure, finatis, si ulla misericordia flecti potestis. Si qua Christiana pietas in militaribus animis est, ne ad ultimum perditum eatis rogo, innocentem hũc populum, & ut modestissimè dicam, non malè de uobis meritũ, quem Christus Iesus, quẽ hostis infestus seruare uult. Pietatis caussa, nec ullius alterius loqui quę loquor apud uos, uel ea fides sit, quod neque dum uestris uiribus restitistis, neque dum auxilia à principibus speratis, deditionis unquam apud uos mentionem feci.

Postea

A Posteaquam autem cernam omnia fatis in peius ruere, cõmunes fortunas nostras in extremo sitas, hostem infestum, spem alij nullam, penuria rerũ necessariarum bellum non posse trahi, deditionem suadeo, pacem quàm bellũ malo, & gratiã potius quàm uim experiri. Cum hic peroraſſet, nemini certare cum eo oratione necesse fuit, adeò prope omnis ciuium audientium cœtus sacerdotis erat, aliqui tamen, conscientia iniuriarum quas Turcæ intulerant, & quia nec deditio tuta ad tam infestos hostes uidebatur, nec spes mœnibus aut armis tuendæ salutis erat, se ac cæteros periculis obiectare & more uirorum cruẽtam luctuosamq; uictoriã hosti relinquere cogitabant. E' quorum numero quidam quem & iuuentus & extrema (ut credebat) hora nõ solum liberum & loquacem, sed etiam inermem inter armatos proceres & seniores uiros ciuitatis, coramq; ipso magno Magistro audacem faciebat, sic eloquutus est: Nihil unq̃ minus consueui quàm quòd ipse sentirẽ corã principibus uiris aut in magna hominum frequentia dicere, adeò malui semper aliena uerecunde audire, quàm impudenter ingerere mea. Sed nunc cum extrema dicendi necessitas institutũ uitæ tenorẽ obseruare me ulterius non patiatur, quid nobis diro nuncio & graui imperio perfidissimi tyranni commotis faciundũ sentiam, liberrime loquar. Deiecit immanissimus hostis murum, & ciuitatem nostram trecentos & amplius pedes ingressus est, molestissimus hospes sub eisdem tectis nobiscum uiuit ac uersatur. Qui durum aduenam & grauem uicinum perferre amplius nolunt, turbatori tota possessione cædendum suadent. Mihi longe alia mens est sacri Equites. nec enim tam leuiter fundum ducentos & quatuordecim annos cultum relinquendum uerendum sentio, sed molesto inquietatori aliam molestiam inferendã, & cum
B prædatore continuo præliandum: quem ubi armis animisq; nostris inuitum & repugnantem quinq; menses exclusum tenuissemus, irrupit tandem in ciuitatem nostram, nulla sua uirtute fretus, sed tempore quod omnia domat, hodieq; agitur ab introitu suo dies ferè quadragesimus, nec dũ iter longum centum & sexaginta integris passibus, quanquam mire festinans, conficere potuit, tardatus impedimentis, quæ illi obiecimus, & obiectare non cessabimus, si uiri sumus, si sani, si pristinæ uirtutis memores: me prius perdãt cœlites quàm isto gemino obtuitu cernam sacros Equites tradere clarã Rhodum, antiquam propugnatricem Christianæ religionis, immanissimis hostibus, contaminatis omni infamia Mahumetis, qui præter anhelam sitim nostri sanguinis, quam sint infido malignoq; ingenio, si nescimus, satis nobis exemplorũ præbent. ne quæramus quo modo alijs exemplo simus, Constãtinopolitana calamitas, posterior Eubœæ clades, recentior Metonensis, tum Mamaluchorum Cayrensium contra fœdus, contra acceptam & datam ab ipso imperatore fidem miserabilis trucidatio. Quid? nónne in mentem uenit summorum ducũ, qui Belgrado imperabant, dolo fraudeq; hostium procurata mors? Eamus nunc sani homines & fidem adhibeamus insanissimis belluis, permittamus corporũ nostrorũ potestatem, quibus nõ lex, non ratio, nihil sancti, nihil pensi est: quorũ nescias maior sit auaritia an crudelitas, qui nihil aliud multos iam annos meditantur, agunt, q̃ quomodo dolo, ui, nomen Rhodianũ ipsis tantopere inuisum penitùs deleant. Sextum iam mẽsem circumuallatos inclusosq; nos tenent, nobiscum ultima pericula grauissimos labores perpessi, ante propugnacula & muros sæpe trucidati, postremo iniuria fulgurum, imbrium, tẽpestatis, hyeme, quæ omniũ bellorum terra ac mari quies est, hinc auerti nõ potuerunt, tanta auiditas supplicij expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. nec omnino iniuria, nos quoq; illorum cruorẽ fudimus, & adhuc funderemus libenter, si per fortunã liceret. Verùm quãdo Deo immortali aliter uisum est, & ultimam necessitatẽ effugere non

possumus, cruciatus & contumelias quæ hostis sperat dum liberi dum potentes nostri sumus, honesta uelim morte inter arma inter uexilla S. Crucis euadamus, hoc pacto æterna gloria quæ pro Republica cadẽtibus inter superos & mortales parata est, perpetuo perfrueremus, quã uirtuti & nomini tuo nobilissimo, Magne Magister, inuidere eos non conuenit, qui multorum annorum pacis cõmodo atq; fructu usi, tum liberalitate etiam sacro sanctimilitaris Ordinis, extremũ nunc belli onus ferre accusant. Quæ uerba excipiẽs quidam Græca nobilitate atq; prudentia insignis uir, magno silentio gentis suę etiam multorũ Latinorũ assensu hunc in modum sententiam deditionis perorauit. Quod dolor & desperatio facũdos homines facere possint, magis quàm prudẽtes, cùm sæpe aliàs tum hoc die cognoscere potuistis sacri Equites. nunquam enim prudens à modestia labitur ad maledicentiam, non commiscet uera falsis, non cupit cædem ciuium, non suadet furorem, non hortatur ad dementiam. Sed ita profecto multis ingenitum est, cum ipsi nec prudentia nec consilio malis suis explicare se possint, cæteros in eandem pernitiem protrahere, adeò semper noxiæ & auidæ fuerunt societatis calamitas et malitia. Verùm si tu magne Magister, mihi quoq; dicendi potestatem facias, homini inter suos neq; potẽtia neq; autoritate ultimo, quod cùm præsens calamitas, tum ipsa etiam necessitas impetrare abs te debet. dissera quæ acutissimus oratoris plura atq; magnifica uerba, & rei agendæ causa conquisita, nõ solum refellant, sed etiam mentem tuam ad id quod utile, honestum ac necessarium est, motis inde odeo, metu, turbatione, diffidentia erigere possint. N. noster quem non solum uehementem oratorem esse, sed interdum etiam trucem simus omnes, quum tamen ingenio sit mitis, atq; adeò mitis, ut neminem ex his quos appellat Barbaros, insanos, immanissimos, quorum detestatur perfidiam, accusat crudelitatem, quos sine lege, sine penso, sine ratione uiuere exclamat, nedum occidere, sed ne modice quidem uulnerare uoluerit. Et nunc tempore indutiarum, dum sagittarum imber pluuia globorũ cessat ferreorum, ignis, lapidum, prodiens de cauea sua miros excitat tumultus: omnia commiscet tragœdijs, & quanto in discrimine uersetur ignarus, mortem quam hactenus factis se horrere manifestauit, nunc dictis inuocat, ne ludibria & contumelias hostium, inquit, ferre cogatur. superbia hæc est, non fortitudo aut Christiana humilitas. Verùm ista nec minatur neq; parat hostis, nequaquam tam perfidus aut crudelis quàm ipse uideri uult, refricatis cædibus Cayri, Eubœæ, Metonis, Constantinopolis, urbium uel ui uel ingenio militari expugnatarum: non obsidentis & obsessi conuentione permissarum in fidem uictoris: qui quia pepercisse nobis uult, committere curpe reatis non patitur. Sed unde hæc noua clementia? Inusitata erga populum Rhodium pietas? Ego rerum arcanarum tyranni non sum conscius, nec unquam alieni beneficij rationem inquisiui, cum opus est accipere gaudeo. Verùm quid ipse in re dubia sentiam, minime diffitebor. Vult (existimo) Rhodiensi oppugnatione & uictoria cæteris gentibus quibus imminet uim suã ostendere & gratiã. ne, semper sæuiendo aut solitudinẽ eã facere, quibus imperaturus aduenit, aut animis mortalium perpetuo à se alienis cũ omnibus ferro & flamma certare cogatur: quibus malis non tam hostiũ q̃ suorum iacturam fecit. Hanc ob causam (ut reor) uitam nobis, & opes relinquit, nedũ ipse eas ui auferre, & nos insano bello retinere uelimus, ambo in maximam ruamus pernitiem, uictori prope tam luctuosam q̃ victo. præterea si omnes hic trucidat, licebit tunc quidem nemine uiuo hic resistente per cæsorum cadauera Rhodum ruinis patentẽ ingredi. Sed clausa est Lerus, serata Petreia, munita Arangia, Lyndus situ inexpugnabilis, hic tela, hic enses, arma, uiros esse credit, & nouus belli iterũ apparet desudandus labor: nisi malit uestram mili

militiam fatalem imperij sui pestem, in suos grassari: quæ loca sine cæde, sanguine (ut par est) habebit, si te magne Magister, si uos Equites, & nos miseros incolumes hinc cũ leui suppellectili dimittat. hæc humana consilia nisi illum ad gratiam & miserationẽ nostri cõmouerunt, tum dubio procul numine agitur, & occulta erga nos Dei ac Domini nostri Christi Iesu crucifixi pia clementia. Cui uos si sani estis, si uiri religiosi, si uirtutis hominum uere Christianorum memores, obicem opponere non conuenit, & uestra ruina hanc miserabilẽ plebẽ extinguere. Quæ semestri obsidione ista uix quod satis ad naturale desiderium corporũ esset quieti dare potuit, pro uobis in acie stans, pro uestra gloria uictoriaq; uulnera & mortem ferens. Cuius fideli opera & diligentia domi foriscq; adiuti estis. Siue Turcã inuaderetis terra Mytilene, Naupacto, Metone, Patris, totaq; Peloponneso, siue eundẽ turbaretis possessione maris Ionij & Aegei, qua ex re uel cæco apparet, quàm sit iniuriũ & à ueritate alienũ, obijcere nobis quod pacis fructus metientes, belli onera recusamus, imò bellũ nunquã recusauimus. Nunc aũt & si maxime gerere uelimus, non possumus, robore iuuentutis occiso paucis reliquijs quæ supersunt non tantùm corpore, uulneribus, morbo, uigilijs, labore irrequieto, sed etiã animo fractis, dum hosti secunda, aduersus nobis omnia sunt. Tum maxima, eademq; optima parte ęnearum machinarũ continuo usu rupta: cuius si hodie integra extaret, nullus usus, nulla utilitas esse potest, inopia tormentarij pulueris, qua non modo laborat hæc ciuitas, sed etiam Lerus, Lyndus, Halicarnassus, Arangia. Nunq; fui secretorum cuiuspiã aut cupidus, aut diligens explorator, multo minus militiæ uestræ, tamen hæc ita esse dissimulare non potes magne Magister, qui illinc palàm militẽ secreto machinalẽ pulue-
B rem importare huc fecisti, quo tua prudentia, sex mensis externũ sustinuisti hostẽ, & unius atq; alterius domestici proditoris fefellisti impietatẽ. Sed sino libenter hæc omnia, desero ueritatẽ, relinquo multitudinẽ, uenio & loquor ad paucorũ gratiã et fingo armorũ et animorũ nobis esse satis. Sed hoc rogo, his ne ad custodiã, an perditionẽ utendũ suadeant? Ad utramq; fieri nequit, non magis q̃ seruum esse & liberũ. Ad perditionem? Demẽtia hęc est, & uecors superbia exosa Deo atq; hominibus. Ad custodiam ergo: sed quomodo custodiemus urbem (non dico q̃ res est) iam amissam, atq; ab hoste occupatam, in qua ille regnũ possidet, diruit, mutat, uersat ima sursum, suprema deorsum? Sed mœnibus nudatam imani ruina ad stationẽ Hispanã patentem, qualis muro Italico nõ impendet modo, sed adest iam, atq; infertur. Quo pacto seruabimus infœlix istud oppidũ ad stationes Narbonensem, Britannicam, Auernam, & turrim D. Nicolai lacerũ? Quod etsi tam lacerum, si tam egenum omnium rerum bellicarum non esset, sed integrum, & armis, & cõmeatu instructissimum, cogente sic necessitate, suadente prudẽtia, relinquere deberetis, quando omnis ulterior pugnandi facultas uobis ablata est. an non uidetis, ut leui imò nullo negocio, hostis ex noua, quam supra montem Phileremum extruxit arce, tantum duobus miliaribus hinc distante, omnem commeatum uobis intercipere potest, & insula & mari: præterea omnẽ accessum & exitũ ꝓhibere. Profecto uidetis uiri armis & prudẽtia insignes, cuncta hæc diu melius præuidistis, quàm ego armorũ & bellandi prorsus rudis, tantùm mercibus uenundandis, & alendæ familiæ assuetus. Sinite me ergo dicere uerũ. Excessere omnes aditis, arisq; relictis, Dij, q̃bus imperiũ hoc steterat. Aduersus uim hostiũ, nulla ars, aut custodia humana reliqua est. Expectare aũt exercitus angelicos, diuinas è cœlo acies, aliaq; id genus miracula: est meo iudicio iratũ deũ quanq̃ in ipsa ira adhuc miserantẽ magis ac magis irritare. Consulamus ergo destitui omni humano auxilio, saluti nostrę, noli te rogo magne Magister ꝓ has lachrymas, per innatã nobilitati tuæ

pie-

pietatem, istam miseram urbem direptionibus hostium exponere, senes & a
mediam ætatem gladio, uxores & filias nostras stupro, pueros nostros inia
mi, abominandæq; Veneri Barbarorum, tum insanis ęternisq; erroribus im
pij & uirulentissimi dogmatis Mahumetei. Vtinam uidissetis Equites, qui-
bus lachrymis, quanto gemitu, mœsta familia, & plorantes circũ matres pue-
ri, nos huc dimiserint, quibus precibus sint prosequuti. Vellem sciretis quali
animo, quantaq; cum spe incolumitatem suam à uestra clemẽtia expectant.
Potuisset hæc oratio uel lapidem cõmouere, uerùm Magister, cui nobilis ille
& ingentior spiritus, quàm præsens fortuna postularet in uultu apparebat,
singulos ad uigilias, cum sermo in multã noctem protractus esset ire iubens,
nihil aliud respondit, q; cogitaturũ se de cõmuni salute. Et sequente luce pera
cto sacro uiros rei militaris peritos, nominatim Preianum, Gabrielem Tadi-
num, quem suprà Martiningum appellauimus de statu & salute urbis diligẽ-
tius percunctari cœpit, omnium concors sententia fuit, urbem in quam ho-
sti & fronte, & utroq; latere expeditus ingressus esset, amplius nulla arte tene
ri posse. Prolata hac tristi suorum sententia, post longam sanctioris consilij,
tandem omnium Equitum & ciuium, in quo diuini ac humani iuris peritis-
simi uiri fuere, disputationem, utrum ne despondere uitam, & tuere in per-
nitiem Saguntinam, & fatum Abydenorum, an seruare tot miserabilium ho
minũ corpora, signa, tabulas, æra, monumenta orthodoxiæ præstaret: Magi
ster unanimi omniũ suffragio & instigatione deditionẽ faciendam pronun-
ciauit. Dum hæc disceptarentur, quatriduana pax fuit, timoris tamen & pe-
riculorũ plena. Violauit hãc Fornouus iniussu ducum. Indignatus enim ho-
mo nobilissimi & Gallici sanguinis Barbaros urbem audentius inspectare, g
tormentarios globos in confertam multitudine excussit. Venit ad hęc peri-
dem tempus ex insula Creta, naue Hieronymi Carmanioli iussu, astuq;, qui
uel cautissimos fefellit, & opera F. Ludouici Andugi à Morsia oppido regni
Castellæ, Equitis splendore nataliũ, & animi, corporisq; bonis ornatissimi,
Alphonsus Hispanus summus triremium nostrarũ nauarcus, uir ad omnia
maris & armorum pericula summe audax & impiger, intulitq; in Rhodum
uina & inconsulto senato Veneto cẽtum uoluntarios Latinos milites, nullũ
Cretensem. Turcæ, & fractione fœderum, & q; nauim receperamus, quàm
multo milite, & ipsi & nos refertam credideramus merito cõmoti, uersi in ra
biem & furorem, sine signis, sine ducũ imperio, per dissecti stratiq; muri ruí-
nas, in urbẽ ad tabulatũ usq; uice quarti muri oppositũ incurrerunt. Magnus
Magister, dimisso cõsilio & senatu procerũ antesignanorũ, ad tumultum ac-
currit. Pugnatum aliquandiu hinc inde est acri animorũ contentione, Magi
ster (quod quoties rem quispiã impigre fortiterq; gessisset, tota oppugnatio-
ne fecit) ingenti eo die præmio remunerauit uirtutem. Dalmatæ cuiusdã fa-
miliaris D. Marini Restij, ciuis Ragusini, quem insana plebs cum more hu-
mani ingenij multa noscendi cupido de dispositis insidijs, & suffosso ad cre-
mandos hostes puluere inquireret, quasi proditionis conuictum, non expe-
ctato iussu Magistri, in carceres coniecit. Parum à ui, tumultuq; populari in
iuriam accepit coquus Antistitis phani Colossensis, nõ tamẽ tam immerito,
q; innocẽter. Siquidẽ octauo Calendas Octobres, dum omnis Ordo & ętas
circa mœnia propugnaret, magnanimus ipse miles in fastigium phani scan-
dendo irrupit, inde bellantiũ utrinq; cędes & uulnera secure, minimè tamen
ociose prospexit. Nam hostib. à quibus neq; uideri, neq; audiri poterat, pro-
cul in aere minabat, defensoribus agitatione uexilli ibi reperti (ut uidebat) a-
nimũ addens. Et primũ ab hominibus religiosis diuus Ioannes æstimabatur,
inde cognitus homo uocat fustifer, uerbero, sacrilega, pditor, fautor hostiũ,
qui eis è specula signũ faceret. Et quanq; crebro missi nũcij ad descensionem
illum

illum hortarentur, nihilominus personam suam egit, donec iaculis & lapidibus funda excussis, impetitus descendisset. Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfusus, rapitur, cæditur, mulctatur miser: unus barbam euellebat, alius depalmauit faciem, tertius cõculcauit uentrem, quartus iugulo ensem intentauit. Accurri, & hominem ereptum è fati faucibus in publica uincula conieci. Hac pœna non contenta muliebris cõmotio opera puerorum carceres effregit. Et collo grandi fune nautico iniecto (quẽ manibus puerorũ sors obtulerat) miserrimum inter uerborum ludibria & contumelias ad crucem protraxerunt, pars sacrilegum, pars proditorem, multi recutitum appellabant: nonnulli constantius asserebãt Turcam esse, & missum exploratorẽ. Perierat infœlix manibus furientium, nisi cõmodum renunciatum & assertum fuisset ab Antistite templi, esse culinariũ suũ, natum in Gallia ad Fossas Marianas, nec Turcaicæ, nec Græcæ linguæ peritum. Simili iniurioso spectaculo, subq; ipsum deditionis nostræ tempus, & post uiolatas indutias, Magister gladiatorũ Turcensiũ crudelis, sanguinarius bellator, corpore uasto & rudi, quod cõuenientes sequebant mores, contemptus hominũ, superbæ aures, cõtumelioſa dicta, libidines nouę, inhumana crudelitas, affecit tres Christianos, quos Barbari incautos extra urbem in hostilem campũ lupis ferreis protraxerunt. Nam manus illis auresq; abscindebat, postea uulnere inhonesto nares truncauit, & in urbem remisit cum huiusmodi literis. Nullam salutem magne Magister. Quem ego ante tres, quatuorue ad summũ dies his manibus minutim conscindam, & milites mei populo tuo nulla habita considerationę ætatis, sexus, ordinis, ui, ferro, flamma miserabilem animam eripiẽt, ut insigni exemplo posteritati innotescat iustitia Turcarum & Christianorum perfidia. Quos uiolatis indutijs externa auxilia recipere, & improuisos milites trucidare non pudet, quorum nemo (credas) amisit multã animam. Magister minaci epistola perlecta subridens. Ne modis omnibus (inquit) oppugnati non essemus, etiã minæ, & cõuitia addita sunt. Verùm magis turbati sunt animo, Robertus Perusinus, Frater Raymũdus Marchetus, de quo supra primo lib. dixi, & Frater Raymũdus Lupus à Pacis Eques ulterioris Hispaniæ ingenio acri, & summo iudicio Oratores in castris hostiũ, quos Achimetus incandens ira ob fœdus uiolatũ & nauim uix mediocrẽ receptã, procul dubio omni tormentorũ, & cruciatus genere affecisset, nisi in oppido nostro egissent obsides. Verùm cum Nicolaus Vergotus, & Georgius Sangristicus ciues Rhodij, urbis tradendæ formulã attulissent, repente lenita est omnis efferatorũ hostiũ exasperata rabies. Tyrannus cinctus ingenti exercitu & proximiore cohorte prætoria, quæ ad pompã & terrorẽ auro, armisq; præfulgebat, singulas pacis ac deditionis leges testib. Deo & Mahumete fœderũ inspectoribus, conceptis uerbis pronunciauit. Cõuenit inter cætera capita, Diuorũ templa inuiolata manere, pueros nõ auellendos è parentũ familia, neminẽ cogi debere, ut Mahumeti nomen daret, mansuris quinquennalem tributorũ immunitatẽ concedi. Abituris dari naues, & cõmeatum usque in Cretam, tormentorũ bellicorũ quantũ liberet tolli posse, diem deserendæ urbis arbitrij Christianorũ esse. Quæ perfidus Tyrannus Deorum ac hominum iuxta contemptor ut seruaret, tantum abfuit, ut die natalis Christi, antequam quisquã fugam adornasset, porta Cosquinij propugnaculi ui effracta urbi infesta signa intulerit. Et sacra omnia prophanans, primarium phanum numini tutelari sacrum in ædem Mahumetis cõuertit. Euulsis è sedibus suis statuis, & beatorum imaginibus abrasis, sepulchra Magistrorũ, & quicquid sculptum scriptumq; Magistratus causa erat, diruí ac complanari iussit. Ornata eximie sacra Basilica fuit, & copia uicini marmoris & ingenijs artificũ. Nec diruere modò ipsa simulachra ac sepulchra euertere satis habuit, sed lapi-

des

des quoq; ne integri cumularẽt ruinas, frangi iussit. Et post aquam nõ tam ira satiata quàm irę exercendæ materia deerat, templum omni composita effigie & simulacro uacans ingressus, ueneratus est Mahumetem, qui secundũ illud summum & æternum neq; mutabile neq; interiturum numen, selectus maximusq; in cœlo esse à Barbaris creditur. Postea hi qui spretis patriæ religionibus Mahumeti nomina dederunt, gens ad rapinam & immanitatem prona, Iudęis haud absimilis (nam genitalia circumcidere instituuntur, ut diuersitate noscantur) transgressi in morem Turcarũ idem usurpãt, nec quicquàm prius inbuuntur quàm contemnere Christum, exuere patriam, parentes, liberos, fratres uilia habere, passim tota urbe templa conspurcare incœperunt, rapere quæ oculis ac manibus obuia essent, miserorum hominum sarcinas ad portum deportatas ut nauibus imponerentur, diripuerunt. Sacrum xenodochium omni ornatu cultuq; & suppellectile argẽtea plane maximi ualoris spoliarunt. nullum tormentum nauibus imponi patiebantur, triremibus tamen sua remanserunt magis casu quàm illorum uel fide uel gratia. Christianis cæsis fustibus & colaphis uice iumentorum ad ferendum onus utebantur. Iudæos uel quadraginta annos retro renatos ad Mosem redire compellebant: uernas, seruos tinctos aqua lustrali, Mahumeti sacra facere. Christi crucifixi statuas luto cenoq; conspersas per strata eiecerũt: Christianis tollere uolentibus, statim fustuariũ paratum erat. In foro aut loco publico nemo expers iniuriæ aut contumeliæ esse poterat. Nec is quidem qui imperatam pecuniam exoluebat. Nam ego cum uno solato Gallico & aliquot Marcellis Venetis à pluribus Barbaris uexationẽ meam redimissem, neq; possem omnium auaritiam inopia nummorum explere, miser ad necem usq; uapulaui. Magnus Magister consilio siue iussu Achimeti assumpta humili ueste, qualis supplici, uicto, & uictoris maiestatem ueneraturo conueniebat, foris in castra hostium ad prætorium tyranni iuit, paucis comitibus ex illo infœlici ordine Equitum. Qui cum die ac noctu semestri oppugnatione ultima ausi passiq; essent, & iam post uniuersa uitæ & uictoriæ amissa atq; desperàta subsidia, affecti continuis uigilijs, longo diuturnoq; morbo, cæde, opere irrequieto exhausti uiribus, arma substinere nequirent, necessitatibus humanis magis quàm ui in ignominiosam superbissimorum hostiũ potestatem deuenerunt. Magister cum à summa luce in maximam usq; diei partem impotus impransusq; sub densissima etiam pluuia et grandinum turbine diu ante prætorium expectasset, tandem lato clauo à Barbaris indutus, ad conspectum tyranni inductus est. Ambo alter alterius intuitu & admiratione mutua attonitus, inuicem sese paulisper contemplati sunt. Tum salutatus primum à Magistro, & manum suam passus osculari, sic loquutus perhibet: Et si meritò iureq; optimo deditionis leges quas præscripsi irritas facere possim sceleratissimis tuis Cruciferis, ac populo Rhodio, tibiq; in primis hosti tam infenso, à cuius merita pœna iustissimum uictorem nec fides, nec sacramentum flectere deberet, decreui tamen in sontem & nouissima exempla promeritum, non tantùm pius esse & clemens, sed etiam liberalissimus: cui si grauissimos uitæ anteactæ errores bene agendo emendare uelit, honestissimos ordines, summos magistratus, suprema imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor. Hæc ne recuses, & præsens fortuna tibi suadet, & Christiani quorum causam meliore incœpto quàm exitu aduersus me tuendam cepisti, hanc talionem merentur. Quid enim prohibet quin à tuis omnibus desertus & proditus, uictus, in perpetuam fidem & ultro oblatam gratiam, potẽtissimi & benigni uictoris ueniasq; Ad hæc Liladamus: Maxime clementissime Imperator, inquit, oblatã cõditionem ego præ tantis ducibus tuis minime mereor: fors aũt & merita de te mea haud talia sunt, ut refutare illam

illam uel ausim uel debeam. Liberè tamen dicam inter arma victritia', victus ante victorem, cuius summam clemẽtiam nunquam desperaui, cuius fidem haud sum ueritus, malo aut statim amisso imperio priuatam & infelicem hãc uitam amittere, aut semper in gloriã eam uiuere, quàm à meis transfuga potius quàm victus appelari. Vinci enim fortuitum est, & à tanto victore etiam ipsi victo nõ prorsus pudendum: sed suos deserere & militiam mutare ignauiæ & perfidiæ plenum duco. Solymanus admiratus cani principis in tanta difficultate animum & modestiam, iussit dimissum à colloquio cum summa fide & satellitio Turcaico in urbem reduci ad augustale. Singuli etiam Equites qui magnũ Magistrum suum comitati fuerãt, uestę coccinea donati sunt. Nec hoc officio satis se fecisse Solymanus prudentiæ & fortitudini magni Magistri credidit. Die ergo quadam improuiso urbẽ ingressus, salutato Mahumete, magnum Magistrum reculis suis componendis intentũ inuisit. Hic cum se submittere in genua, & uictoris maiestatem adorare uellet, ille nullo modo id passus est. Imò motis paulisper à fronte manu dextera insulis imperialib., quod reuerentiæ genus Turcarũ reges Deo tantum, & Mahumeti exhibere solent, magnum Magistrum Babba, hoc est, patrem amantissimum & reuerendissimum appellauit. Et infra scripta alter alteri per interpretem locutus est. Prior magnus Magister modestia, prudẽtia, magnanimitate, non minus inermis in urbe capta, q̃ armatus in acie esse solebat admirabilis, sic exorsus est. Si quanta audacia mihi fuit, tãta fortuna rerumq̃ prosperarũ accessio fuisset, victor potius in hac urbe quàm victus essem. Verùm posteaquam claram Rhodũ euertere fata uoluerunt, lætor te mihi sorte potissimum datum esse, à quo uim acciperem & gratiam: tibi quoq̃ inter alia multa egregia non in ultimis laudum hoc est, uicisse Rhodũ & pepercisse. adiecisti hoc modo potentiæ tuæ clementiæ famã, quæ neq̃ summis mortalium spernẽda est: nam per hãc solam æquales Deo æstimamur. Seruabis igitur nihil dubito pacis leges, quas dare clemẽtia tibi suasit, mihi accipere necessitas. Aeternum nunc exemplar clementiæ & uirtutis Turcicæ ero, magis quàm si statim deditionem feci̇ssem. Pertinacia modo mea, gloria & pieras tua per orbem terrarũ inclaruit. Ad hæc, Mihi inquit Tyrãnus, etiam magna lætitia est, quod te Deus monuerit, ut aliquãdo pacem quàm bellum malles, atq̃ hoc utinam tibi à principio placuisset: profecto à summa potẽtissimaq̃ maiestate mea ad hoc tempus plura bona accepisses, quàm mala perpessus es. Quę quod nulllo odio tibi intulerim, sed sola dominandi libidine, uel hinc colligere potes, quòd te tuosq̃ inuiolatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bellum gero ut diuitias, ut opes cõparem, sed ad gloriam, famã, immortalitatem, protelationem imperij tendo. Est enim regis sanguine regum orti proprium, rapere atq̃ inuadere aliena, non quidem auaritia, sed gloriosa cupidine dominandi, cui quum obstat uicinus, armis & ui eum tollere satis habeo. Verùm tyrannus ficta omnia loquebatur, & longe aliter quàm animo agitabat. Priusquam enim hũc amicum sermonem meditatus esset, ducibus delegauerat, ut maximam onerariam nauim triremesq̃ militię, & in eis Magistrum cum equitum cœtu Constantinopolim ueherent. Cuius rei non modo occultus inter duces rumor, sed etiã inter milites publica uox erat. Quam ubi percepit Liladamus, cũ proceribus Turcarum egit, ut Imperatorẽ suum fidei sacramentiq̃ admonerent. Interea ipse sub noctem Christianæ circunci sionis enauigauit, urbem suam infœliciss̃imam perfido Tyranno relinquens: cui quantũ uno ab aspectu curuatis more patrio, antrorsum poplitibus equo insidentem iudicare possum, nec autoritas, nec dignitas formæ deest: statura est recta, oculis nigris paululumq̃ truciorib. cæterùm uultu gratioso & subfusco. Anteambulabant pedites sagittarij, ore, circa suprema labra effero, pilis

intortis, quos Mistacas appellant. A tergo sequebantur equis insidentes molles pueri ministri libidinum, forma tamen non satis uenusta, & incompto nigroq; capillitio ad humeros promisso. Sinistrum Tyranni latus obequitabat Farraus præfectus ripæ Euphratis, qua minor Armenia Ciliciæ cõiungitur, & etiam ultra Amanum montem in Comagenæ finibus, quibus Mesopotamia prima Hismaelis Sophi prouincia à uetere Sultanorum ditione disterminatur. Adduxerat iste nocte natalis Dominici xx. millia integrorum militum, qui cum decẽ alijs millibus ripam memoratã aduersus eruptiones Persarum custodierunt, dum Rhodus oppugnaretur. Quæ cùm sæpe aliàs obsessa oppugnataq; & fortissimè defensa fuerit, maiore ui uincẽte causam meliorem, ut dixi in oratione mea ad Adrianum VI: Tandem anno à nato Christo xxiij. supra sesquimillesimũ, sub iusto clypeo miserabiliter occubuit Christiani imperij antiqua propugnatrix: & ut inquit eloquentissimus uir F. Thomas Guichardus, in oratione sua pro Rhodijs, ærumnosæ Græciæ protectio, peregrinantium diuersorium, naufragorum portus, miserorum Asylum, languidorum Xenodochium.

DE BELLO RHODIO,

LIBER TERTIVS.

COmpertum semper habui operis præsentis materiam uires meas excedere, & fœliciore stylo posteris tradendam esse. Verùm ut palàm & in urbe Roma hominum doctissimorum theatro ineptus essem, coegit me primum obseruantia sacrorum & nobilissimorum Equitum, coegerunt deinde mala mea: nam hæc pectori altius inhærent, quàm ut eorundẽ nulla à me mentio fiat. Difficile quidem est silere, cum ames & doleas. Et mouebit forte absonus atq; incompositus hic planctus meus talium animos, qui qua sunt eruditione, bellũ omnium maximum, maxima cum eloquentia posteris commendabunt. Quod cum multi in Germania, Italia, Hispanijs, Gallijs, & in alma urbe Roma præstare possent, cumulatissime ut speramus, præstabit Paulus Iouius, artis medendi, & literaturę cultioris antistes, tum historicus in primis celeber & uerus. Deus immortalis, quanta fide, quàm graui iudicio, quo rerũ ordine, quali proprietate uerborũ, qua orationis facilitate, describit ille, aut uerius ante oculos ponit omnium Regum principum, populorum, tam in Oriente, quàm in Occidente acta, gestaq; atq; utinam facundis omnibus ingenijs placeret, quod instituerũt doctissimus humanissimusq; Iouius noster, & Petrus Alcyonius iuuenis, ingenio, eloquentia, & multiplici rerũ scientia præstãtissimus, quod præclarissima & nunquam peritura ingenij sui monimenta testantur, Aristoteles & Galenus uersi. Legatus Medices de exilio, oratio elegãtissima de nece Christi ad Quirites, funebris item laudatio defensorum Rhodi, quæ scriptiter scilicet fecerunt aut dixerunt prudenter alij quàm quæ ipsi sentiãt uulgo tradere, profecto res humanæ melius se haberent. Sed hic est temporum præsentium status, & optima magis optari quàm fieri possunt. Verùm ne Prologus sit prolixior fabula, Tertium librum aggredior belli Rhodij. Bellũ enim potius quàm oppugnationem uocare libuit, quando non tantum circa urbis nostræ mœnia, sed omnes arces Rhodi, & aliarum insularum, quæ Rhodiorum sunt, terra, mariq; acriter pugnatum sit. Narrabo hic igitur paucis multa, quæ toto itinere ad almam usq; urbem Equitibus & populo Rhodio contigerunt, insularũ, regionum, urbium, locorũ descriptione exactiori omissa. Hanc enim in appendice magis quàm libro, tum historia non topographia facere mihi, nec ocium, nec animus est.

Expulsi

Expulsi patria, laribus antiquis, affecti humanis omnibus incommodis, classi laceræ hyberno tempore impositi, decẽ dies aspero mari & tempestuoso erravimus. Appulit tandem ad Scythiam, Cretę insulæ uicum & promontorium maxima nauis nostra, quæ in ipso portu dum sub noctem anchoras iaceret, prope impegit, nauis castellata Hieronymi Carmanioli, quem ordo equestris, quòd tempore difficili Rhodo succurrisset iure aureorũ calcarium donauit, uẽto pomeridiano uehemẽtius flante in ipsius stationis cautes acta fœde perijt. Ibi unda maris Turca inclementior, cuncta quæ miseri homines secum attulerant, absorbuit. Reliqua classis alto & ignoto mari iactabatur. Ioannis Bouladij nauis, postquã Cortugoli classem euasisset, undis per laxas compages incurrentibus ferè submersa fuit. Nihilo secundiori fortuna triremes, quæ magnum Magistrum portabant in mari Carpatio usæ sunt. nam naufragium prope fecerunt: sed Deo Opt. Max. rebus præter spem succurrenti, cum duodecim alijs leuioribus Cretensium nauigijs in portum Candiæ actæ sunt. Ea est hodie prima Cretẽsium ciuitas in plano sita, duodecimo forte ab antro Mynois miliario, uerùm proximior monti Idæ, qui Iouis incunabulis, & poetarum carminibus famatus apprime est. In hac Veneti ius dicunt & imperant, ut reliquis omnibus insulæ urbibus. nam Creta Venetorũ colonia est. Magnus Magister, omni ordine ciuitatis obuiam procedente, lachrymãtęq; summa cum ueneratione à Dominico Treuisano grauissimo & sapientissimo consule exceptus est. Miserat hunc senatus Venetus, dum Rhodus obsideretur in Cretam cum summo imperio & classe sexaginta triremium uiris armisq; egregiè instructarũ. manslt hic sacer Equitum ordo ad inchoatam usq; Quadragesimã, summa cum cura & diligẽtia mœsta negotia sua componens, classem lacerã reficiens nauibus nautas imponens, nam flos horum bello perijt, inter quos sedulo industrieq; omnia quæ uis hostium diruerat, reficiendo enituerunt, Petrus quidam faber nauticus Rhodiensis, & Georgius quidam Ligur, classe nostra, quæ tormentorum ictibus Rhodi acceptis, tum nautarum negligentia circa urbis defensionem occupatorum, & multa unda maris lacera ruptaq; fuerat, utcunq; refecta, & necessario commeatu accepto, Februario exeunte à Creta insula soluimus, iussu magni Magistri, & nobilissimi Equitis Angli F. Gulielmi Austoni, uiri integritate uitę, & facilitate morum excultissimi: quem proceres antesignani maximę immò uniuersæ classi nauium castellatarum præfecerunt, quas uẽtus & parum propitia aura, postquam uela nautæ expandissent, diu in conspectu insulę aspero mari hinc inde uagas retinuerunt. Tandem post longam cum unda & uentis conflictationem, necq; ullam in insulam, nisi parũ soli niueo marmore splendentis, cœliq; amœnissimi descensione facta, superatis Naxo uino suo nobili, in qua etiam hodie Bacchi uetustissimũ templum cernitur, Zacyntho, Chephalenia, Sphoradibus insulis, ad altum pelagus in sinum Adriaticum æstuãs peruenimus, magno Magistro procul è conspectu, & à tergo relicto: qui cum triremibus, quę nunquam altum pelagus tranunt, & nauigijs minoris formæ semper secũdum oram maritimã nauigauit, omni in loco ad quem descendisset, cunctorum lachrymis, studio, officio, & humanitate, honoreq; exceptus. In Corcyra uerò & Gallipoli quãtus sit ei publicè priuatimq; à Magistratu, à popularibus exhibitus honor, haud facile dixerim. Sed cum omnium officiosa obsequia, atq; præterea commoditatem, & commeatus recentis frequentiã, cætera mala, quæ nauigantes pati necesse est superarent, ingẽs morbus remiges, classiarios, sacrosq; Equites inuasit, cuius uis nequaquam tamen tã efferata erat, quàm illius qui inuectos nauibus onerarijs, & affectos omnibus humanis incõmodis, squalore, uomitu, fame, siti grassabatur. Hac rerum incõmoditate, cibi potusq; defectu factũ est seminarium magnarum

ægritudinum, quæ poſtea in Meſſana ciuitate regni Siculi nobiliſsima in ora poſt Pelorum ſita, modico interiecto freto, à regio Calabriæ oppido diſtanti, enaſcentes ſeuè & atrociter omnes moleſtarunt: plurimos quibus nec hoſtes, nec maris tempeſtates nocuerunt, in aliud ſeculum retruſere: mihi etiam ne animã morbi uis eriperet, magis diuina clementia quàm humana res effecit. Et dum infœlices exules patria & ſedibus maiorum noſtrorũ expulſi, has calamitates & miſerias in terra ignota pateremur, penè cunctis malis grauior omnibus erat mora magni Magiſtri. cum enim grauiora naufragia tertio Idus Apriles ad Siciliam appuliſſent, neq; de ſe nuncium mitteret, nec ueniret ille tertia aut quarta hebdomada pòſt, meritò omnes plurimum timere, ne cum triremibus malè ad bellum paratis in Afrorum poteſtatem ueniſſet, qui pyraticis nauigijs mare Siculum apprimè infeſtum reddunt: quidã naufragium feciſſe credebant, alius claſſem ſuam peſtilenti aliquo morbo infectã, non audere procedere uaticinabatur: omnia uario tumultu ſtrepere, & ut in rebus triſtibus ac dubijs fieri ſolet, ſuo quiſq; metu pericula ſibi fingebat. Tandem ineunte menſe Maio, Rhodijs etiam Meſſanæ inhabitatoribus omnibus lux pergrata aduentu magni Magiſtri orta eſt. Gratior tamen fuiſſet dies illa mortalibus, ſi principem militiæ Rhodiæ triumphatorẽ in claſſe uictrice & ſpolia hoſtium præferẽti conſpexiſſent. In lacero autem & morbido naufragio, uixq; ut à prædatoribus tolleretur digno ubi uiderunt, nemo lachrymas continere potuit. Dici uix poteſt, qualis gemitus, quantusq; ploratus circumfuſę undiq; turbæ fuerit: nemo ſuſpiria, nemo lachrymas ſponte ubertimq; profluentes reprimere potuit, niſi quem dolor mutum effecerat. Et ultra promiſcuæ multitudinis optimi erga Rhodios animi iſta ſigna, ampliſsimus etiam honor & fauor Magiſtro Rhodiorum exhibitus eſt à primoribus regni Sicili, & ipſo Prorege Hectore Penitagello comite montis Leonis, heroe natalibus, literis, uirtute præclariſsimo: qui obuius cum Ioanne Lignano archiepiſcopo Meſſanenſi Reuerendiſsimo, & fratre ſuo Fabritio Penitagello priore Baruli, eum inter ulnas humaniſsime exceptũ & oſculatum ſplendido comitatu multorum nobilium uirorũ in urbem induxit. Venerat Fabritius hic Meſſanam cum bis mille expeditis peditibus in agro & ex iuuentute regni Neapolitani ſelectis, ut Rhodum ſuam ſubleuaret. Eſt enim unus ex equeſtri ordine ſacrorum Equitum, idq; fecit ſola animi ſui magnitudine & pietatis affectu, nullo maiorum ſuorum imperio coactus. Mandatũ enim receperat tantum de commeatu & nauibus parandis, qua in re diligẽter induſtrieq; ſe habuit cũ collega ſuo Carolo Ioſuualdo priore ſancti Stephani, qui non ſemel tantùm Rhodianorum animos ad ſpem fidemq; uenturi auxilij erexit, literis miſsis per F. Ioannẽ Breſſolum Equitem Italicũ: qui cum præli naualis peritia etiam literas & hiſtoriæ cognitionem coniunxit. Quin etiam nepotem chariſsimum Ioannem Ioſuualdum, qui Rhodi fortiter dimicando occubuit, nauicula præmiſit exploratoria ad obſeſſos conſolandos, ſocio F. Michaele peralto Equite Nauarro, cuius admiranda parandi ſalis petrarum ars, & tormentarij pulueris faciendi dexteritas, operumq; ignotorũ induſtria Rhodijs in tempore difficillimo, magno & neceſſario uſui fuit. Saluti autem eſſe non potuit rebus ſeſsis nemine ſuccurrente. Et his qui ſuccurrere uoluerunt, obſtitit fatum. Ne culpam reijciam in Adrianum VI. & Maximũ Pontificem & mortuum, aut in uiuentẽ quempiam regem uel principem. Nam & reges & principes omnes, iã conſtat Rhodo obſeſſæ bene uoluiſſe, optaſſe defenſoribus uictoriam & triumphum, quibus ut potirẽtur, Carolus quintus Imperator, inter homines Opt. Max. è regnis ſuis Neapoli, Sicilia, militem, arma, commeatum decem millium ducatorum & gratis & libere tollere permiſit. È portubus ſociorũ, & confœderatorũ gentium in Italia, naues maxi-

mas

A mas onerarias abducere. Adrianus etiam summus Pontifex quãquam summa rei numariæ inopia præmeretur, & iam legatum cum ingenti pecunia in Vngariam misisset, ut regnum illud in fide atq; officio Christianæ religionis contineret, procurante nobilissimo & prudentissimo Equite Iuliano à Rodolphis antesignano Crucigerorum Capuanorũ, in auxilium urbis obsessæ sex millia ducatorum erogauit: quorum loco utinam sex triremes uel uacuas equestri ordini concedere potuisset & uoluisset. Nam arma, uiros, commeatum, & cætera bello necessaria inuenissent hic, & iam forte uictrix Rhodus de hoste suo triumpharet, immò hostium summum principem (credo) in uinculis contineret. Quod ut fieret, maximè optasse non dubito Franciscũ Galliarum Regem, & nomine & re ipsa Christianissimũ, qui uel summis regni proceribus factum haud satis probãtibus, & re sub ipsum tempus in Insubribus parum fœliciter gesta, etiam à Cæsare, & socio populo confœderatisq; regibus uim expectans, sex naues & inter eas Tremoliam à portu suo Massiliensi, ut his Rhodo auxiliarentur Franci Hierosolymitani Equites soluere patlus est. Quos ubi magnus Magister Messanę repperisset simul cum Equitibus Hispanis & Italis auxiliaribus, seuero grauiq; consilio indicto, causam publicè in cœtu omnium Equitum dicere, & moram expurgare iussit. fuit oratio omnium & diserta & uera. Sed nobilissimi Auerni Equitis F. Ioannis Lidserami lõge omnium disertissima & apertissima, adeò ut singuli ueritatem manibus pedibusq; palpare (ut prouerbio dicitur) potuerant. Missus fuerat à Magistro Lidseramus hic tres prope menses ante obsidionem, cùm ob alia negotia, tum ut increbrescẽte fama belli in nos Turcaici, copias auxiliares quanto ocyus posset expediret. Sed neq; ipse, nec Daucenuillus & Andugus, quorum suprà feci mentionem in secũdo libro, quicquam profecere: imò nec Nicolaus Hussonus secretarius magni Magistri, & quarta uice missus cum literis à Bartholomæo Politiano, uiro doctissimo prudentissimoq; scriptis F. Antonius Boysius accensus Equitum Italorum, uir rebus gerẽdis longe accommodatissimus: qui cũ Fabritio Carectano optimo & laudatissimo Principi ob fidem, industriam, diligentiamq; suam semper fuerit charus, etiam ob uirtutes suas huic Magistro acceptissimus est. Postremo denique cum totius rei nostræ summa grauiter periclitari inciperet, exijt ut suprà dixi F. Emericus Reaux ad transmarina auxilia acceleranda. Sed cum horũ omnium nec diligẽtia nec industria profuerit, in durum atq; ineluctabile fatum, cladem nostram sine cuiusquam offensione reijcere possum, & merito (ut puto) & prudenter. An non fato potius quàm hominum nauticorum uel perfidiæ uel ignorantiæ ascribam? quod nauis Ianuensis maxima, quam Faraam uocant, commeatu, armis, uiris refertissima, tranquillo mari atq; in ipso oræ Ligusticæ portu Monecho Herculi sacro fœde perierit? Etiam Thomas Nuport prior Aquilarius legionis Anglicæ delectam manum sagittariorum Britannicorum & auxilium uiæ ignotum argenti pondus & auri Rhodum ferens, cum in uentum contrarium incidisset, ui tempestatis iterum in insulæ desertum quoddam promontorium repulsus, unda maris cum omni gente sua submersus est. Et ne in omni loco fortuna, ut Iuno Troianis, Rhodiorũ nauigationi non aduersaretur, fratrem Antonium à S. Martino priorem citerioris Hispaniæ, senem in armis à puero exercitatũ, & Homerico Nestori similimum in piraticam classem Aforum iniecit, à quorum tormẽtariorum saxorum ictibus tantam uim rostrata nauis sua passa est, ut pene fluctibus depressa fuerit. Similem etiam uim ab hostibus accepit nauis oneraria prioris Castellæ Didaci Toletani illustrissimi ducis Albæ filij, digni profecto tanto patre: nam præter egregias corporis dotes, animi quoq; bonis, iustitia, prudentia, fortitudine egregiè excultus est. Cum ergo Messanæ sacer Equitum

ordo subsisteret, & pestis futuræ suspicio hominũ mentes iam præoccupasset, A
ne tanto malo miserrimi Rhodij exules post tot tantasq; ærumnas suas con-
taminarentur, uisum est patribus, locum, aeraq; salubriorem inquirere. In di-
cto igitur hanc ob rem sacro magnoq; concilio, omnium suffragijs ager Nea
politanus & amœnitate cœli & fertilitate glebæ, rerumq; omnium quibus ui-
ta sustinetur copia alijs prouincijs præstare iudicabatur. Placuit igitur eo cur-
sum dirigere. Sed Puteolani cùm post Idus Iulias classis nostra eo pueniſſet,
mandante magistratu Neopolitano, timore contagiosæ pestis, terra nos pro-
hibuerunt. In ruinis igitur Baiarũ & specubus circumuicinis aliquandiu nos
continuimus, uitam trahentes. Missa è Neapoli & Puteolis alimonia, quam
distribuit industrius Eques Narbonẽsis F. Ioãnes Bonifacius, qui hostili ob-
sidione tribunatũ militarem & diligentissimè & sapientissime gessit. Verùm
cum suspicionem hãc uanam fuisse compertum esset, laxior annona ab urbe
ad nos redit, & honor magno Magistro à proceribus regni exhiberi cœptus.
Carolus Lanoius rei militaris, & regni iuste sapienterq; administrati laude il-
lustris, munera cerealia ad magnum Magistrum misit. postea etiam in ædes sa
cra diuæ Virgini ad fauces criptæ Neapolitanę eum honorificè excepit, cin-
ctus ipse splẽdidissima & nobilissima corona procerũ regni, atq; custodibus
corporis hastas præacutas gestantibus, quorum tunicis ante & retro, aquilæ
imperiales intextæ erãt. Verùm cum sulphurea Puteolorum graui insuetoq;
odore suo multorum capita & sanitatem læderet, & aliæ multæ causſæ recel-
sum suaderent, nec haberet mœstus senex regno eiectus, patria extorris, quo
& salubrius & decentius confugeret, quàm ad sacrosanctam Romanam ec-
clesiam, ut eius sanctissimo tũc Antistiti Adriano VI. casus suos exponeret,
unanimi suorum decreto petijt Ciuitatem ueterẽ, quæ in ora est maris inferi, B
distans ab urbe Roma trigesimo miliario. Estq; ibi à reuerendissimo Episco-
po Conquensi Hispano, summi pontificis nomine, mira & ingenti gratula-
tione exceptus: admonitus etiam, ut quàm primum Põt. Max. inuiseret, cum
sacra militia non nisi Diuũm nomine è tam rabidis hostium, & perfidiæ Tur
caicæ faucibus erepta. Cupere sanctissimum senem & pontificem ante uitæ
exitum dare sacratissimo & nobilissimo Ordini equitũ, et uago miserrimoq;
populo Rhodio, quietas sedes, urbemq; mansuram. Magnus igitur Magister
non diu cunctatus, Romam profectus est, sacræ militiæ summo imperio de-
legato nobilissimo Equiti F. Bernardino Araschæ præfecto maris, & olim
arcis D. Petri in Caria, in qua cõtra uim & insidias Barbarorum (dum Rho-
dus obsideretur) custodienda & prudenter & fortiter se habuit. Quomodo
autem magnus Magister quantoq; cum splendore & ornamento Romam
ad ædes ipsas Pontificis inductus sit, haud satis eleganter explicare possim ho
mo tenuis facundiæ, in libello ad hæc angusto. Processerat obuiam, uel extra
muros urbis Põtificis Maximi ea domestica familia, induta pallijs rubris, pa-
tres purpurati, quos summa secundùm Pontificem Maximum dignitas atq;
autoritas raro in publicũ prodire sinit: familiares misit honorarios, qui ante
magnũ Magistrũ uecti, mulis coopertis, stragulo coccineo ad terrã demisso,
dominorũ galeros gestabãt. Hos sequebatur archiepiscoporũ, Episcoporum
aliorumq; prælatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & uirorum quos aut insi-
gnis eruditio, aut uitæ autoritas commendaret, magnus numerus sane maie-
state, & grauitate morum conspicuus. Ipsum autem magnum Magistrũ cin-
gebat utrinq; pedestre agmen Heluetiorũ custodum corporis Pontificij, am-
bulans passu militari. compositoq; ad sonitum tympanorum, fistulæq; Ger-
manicæ, manu longa hastilia gestãs, quibus ferox illa natio hostes suos in prę-
lijs confodere solet. Adfuit etiam prætoria cohors Equitum. Item præfectus
urbis cũ satellitio suo, & uigilum ministrorumq; iustitiæ equestris pedestrisq;
cuma-

turma. Hac pompa comitatuq; omniũ Ordinũ & Magistratuum urbis Romæ, dum per medias turbas hominum omnis ætatis sexus atq; ordinis, qui passim ad spectaculum è uicis, domibusq; sese effuderant, ille ad Vaticanum ueheretur, moles Hadriani, eademq; diui Angeli arx honoris & lætitiæ signum, immanes frequẽtissimosq; bombos tormẽtarijs machinis expressit. Postea locatus in honoratiore parte ædium, cum sacrosancti antistis maximam in terris potestatem adoratum supplex de more ueniret, processit ei obuiam aliquot passibus Adrianus VI. quanquam senex & æger & summus Pontifex. Qua in re ostendit egregiè Adrianus diuinus homo, humanus Deus innatam sibi cum cæteris uirtutibus à puero humilitatem. Equidem si historiam liceret in panegyricum uertere, optarẽ hic mihi ad Adriani laudes describendas eloquentiam (non dico Ciceronis) quam assequi nullo modo possumus, sed F. Hyppoliti Emilij à Pennabilorum Augustiniani declamatoris diuini uerbi facundissimi: qui dum defensores Rhodios uehementia orationis in prælium animaret, ipse lapide ictus exanimatus est. Persuasi enim mihi, si iustus Deus uicario suo longiores annos tribuisset, restituturum fuisse in integrum (ut uerbo iurisconsultorum utar) sacrum Hierosolymitanorum Equitum ordinẽ. Quod unice apud illum procurabat popularis suus, idemq; militiæ Hierosolymitanæ nobilissimus Eques F. Petrus dux. Spes tamen est, imò fides certissima facta equestri ordini, quòd omnia, quæ Adrianus ante diem uita ereptus omisit, Clemẽs VII. Pontifex optimus, laudatissimus, uel supra uota resarciet. Qui cum omni cura, industria, uigilantia, semper apud Leonem X. Pontificem Maximum eius germanum fratrem, & Adrianum VI. militiam Rhodiam protexerit, fouerit, amplificauerit, iam meritis suis, & diuina prouidentia adiutrice orbis & urbis imperium assequutus, eadẽ omni studio iuuat, fauore prosequitur, beneficijs accumulat. Gratias, priuilegia, indulta Romanorum pontificum antecessorum suorum, nõ solum nouo diplomate firmauit, uerumetiam sua sponte quàm locupletissime auxit. Quod ut semper faciat, & inter principes Christianos acerbissimis inter se odijs dissentientes, æternam pacem clemẽtia, prudentiaq; sua componat, longam & fœlicem uitam sanctitati suæ optemus. Philippo quoq; Vilerio Liladamo de communi hoste Solymãno Turcarum tyranno, uictoriam tam fœlicẽ, quàm olim de Gaurio Syriæ, Arabiæ atq; Aegypti rege tulit, cum ei duas classes in sinu Issico caperet, unam factam quidem alterã ferè fabricatam, & in Regem Lusitaniæ principesq; occidentis destinatam. Quod cum sanctissimus & prudentissimus Pontifex compertissimum habeat, nec non alias innumeras uirtutes, quibus Romæ inter Pontificatu singularis Liladamus extitit, nam prefectus à collegio patrum purpuratorum custodiæ sacrorũ penetralium, quibus comitia includebantur, prudentissime mandatum sibi munus gerens, sacro ordini fidem & diligentiam suã approbauit. Cum collegis omnibus modeste & familiariter uixit, nemini se præponens, omnes obseruans, nullarum partium studiosus: unde facile summam laudem sine inuidia inuenit. Et merito suo summo Pontifice factus est charissimus, qui in eo ornãdo omnia studia sua, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem fixit, & locauit. Viterbium ecclesiasticæ ditionis, uel primariam urbem inhabitandam concessit. Ad quam Magister dum hæc scriberem, ut sibi uenturo cuncta præpararet F. Carolum Pipam misit præfectum agentium in rebus suis, uirum ingenio, morumq; facilitate, & industria animi ad res omnes gerendas longe aptissimum. Quod cum sæpe aliàs, tum optime in obsidione Rhodia perspexi.

FINIS.

BELLI PANNONICI PER ILLV-

STRISSIMVM PRINCIPEM AC D. D. FRIDE-

ricum, comitem Palatinum, &c. contra Solymanum
Turcarum tyrannum gesti
Liber I.

Melchiore Soitero à Vinda Iureconsulto auctore.

SI quis uarios Principum Regumq; casus & diuersa fortunæ ludibria, quibus ubique gentium rerumq; Dominos miserè exercuit, fallax nimium & incõstans Dea, animo secum exactius perpendat, mirabitur hanc ausam & in terrę numina, tanta cum insolentia & fastu, utranq; sibi uẽdicare paginam. quia & si Iulius Cęsar, quũ olim ad hoc culmen & fastigium rerum, euectus, maris inter procellas periclitaretur, illam in se tanquam supra humanam sortem positum, nihil posse existimarit: atq; syderalis scientiæ Matheseosq; illi periti notores, nullam in capita hæc sacra, stellarum configurationes habere potestatem iudicarint: Noxiam tamen & hijs in pręsens Deorum cœlestium nutu cognouimus esse uim, quæ tam breui momẽto, tot præclaros Principes, uel rupto uitæ filo, humanò potuerit eximere consortio. uel sedibus suis eiectos, à dijs patrijs laribusq; procul alienũ uertere solum compellere. Defuncto namq; Maximiliano Augusto, mox & Leonis Decimi Pontificis Maximi, insequuta est ruina, crederes hijs ueluti orbis luminibus extinctis, naturam quoq; omnes suas immutare uoluisse uices. Quandoquidem Dux Vuirtenbergius, audita Maximiliani morte, iustis uix dum rectè Christiano ritu persolutis, ius humanæ societatis uiolare ausus, auitis sedibus à Sueuiæ confœderatis pellitur, quem sequutus Daniæ Rex Christiernus, nam dum imperium eius grauius ferunt subditi, regno suo quod æquo iure iam diu possederat excutitur. Pari sorte & Gallorum Rex Franciscus ius, dum imperij fasces Cæsareumq; diadema Carolo inuidet, collatamq; illi à Septemuiris adimere conatur Maiestatem Ticinensi in agro, Germanis Hispanisq; militibus congressus, à Nicolao de Salmen Germano Comite capitur, amissis etiam ex Regulis, proceribus, & principibus suis quàm pluribus. Quæ tempestas & in mundi caput urbem Romam, Pontificemq; Maximum Clementem septimum, & sacrum quoq; & purpuratũ Cardinalium ordinem, non minori quàm olim sub Heinrico in Pascalem desæuit immanitate. Quare cum Christiani Principes, nunquam antea mutuis armis, & uersa in semetipsos rabie: acrius conflictarẽtur, nouaq; religio, & noui ritus, qui tunc per mystas quosdam liberius forsitan quàm decebat, passim tradebantur, priuatorum mentes adeò peruertissent, ut hij nepharia quæq;, quasi furia quadam infernali, & sæua exagitati Erynni, in Templa, in Deos, & homines, patrare auderent: atq; Rusticorum manus, tum temporis maxime, per Germaniam motus ingentes, nec Spartaci illius, Euni, aut Viriati, minores, atq; bella plusquam ciuilia commouisset, Solymannus Turca, Caspiam concitauit gentem: quæ olim ab Alexandro magno, Macedonum Rege longo hinc semota recessu, ferreisq; repagulis Caucasias concluſa intra rupes, Christianum sanguinem iampridem, & ab eo tempore quo portas illi Hyrcanorum reserauit Rex, haurire assueta, atque noua tum quoque & recenti de Soldano Aegypti uictoria, sua sponte & à natura satis insolens, efferacior facta, uoluntariam hinc odio in nos ducta Vatiniano, & liberam præstabat operam. Aggressus itaque Bellgradum fortissimum Germaniæ nostrę propugnaculum propere subigit, & Rhodum, ipsum religionis Christianæ

A ſtianæ ſcutum hucuſque & antemurale, non multum diu poſt expugnatam, ſuam redegit in poteſtatem. Dein noſtro malo perpetuo uincere edoctus, Ludouicum Hungariæ Bohæmiæq; Regem, ſpei optimæ adoleſcentem, inter Drauum Iſtrumq; flumina cum paucis & incautius occurrentem, dolo magis & perfidia ſuorum, quàm uirtute propria trucidat circumuentum: quo uicto Hungariam ipſam ueluti ſpe omni deſtitutam celeri itinere percurrens, ignis flamma depopulatur: & præda ditatus ingenti, præſidijs munit firma quæq;, infirma uerò demolitur. Nec diu multumue cunctatus, ne Germanorum qui Pannonijs uicinitate ſunt proximiores, irritaret animos, Thraciam exercitus cum parte citato gradu repetit, quo per hyemẽ quę tunc inſtabat maioribus contractis copijs, futura æſtate totam ſubigeret prouinciam. Sed interhæc poſt hunc infelicem Ludouici Regis caſum, maximum inter Auſtriæ Archiducem Ferdinandum, quem nunc Cæſarem agnoſcimus, & Ioannem Cæpuſienſem Comitem Iazigum Tranſyluaniæq; Præſidem, de regno Hungariæ oritur diſſidium. Ferdinandus enim id dotalibus ex pactis ad ſe pertinere exiſtimabat: alter uerò Ioannes ſcilicet comes, illud electionis iure ad ſe ſpectare contendebat. Vnde tandem quum uterque ſua in ſententia perſiſteret immotus, nec alter alteri cedere uellet, ad arma peruentum eſt, & bellum planè pernicioſum & exitiabile ortum. Quoniam autem potentia, Ferdinando, Ioannes ſe intelligebat imparem, propriis uiribus diffiſus, externa confugit ad auxilia. Nam & interea temporis dum hæc agebantur, ueteris Marcomanniæ populi, antiquo fœdere quod olim priſcos inter Bohęmiæ Reges, & Auſtriæ Principes percuſſum fuit, Ferdinãdum ſibi creauere Regem. Veritus itaq; Ioannes ne regno ſolùm cui inhiabat excideret, uerumetiam ne & comitatu, quem à maioribus ſuis habebat hæreditarium, pelleretur, Turcarum tyranni implorabat opem: qui occaſione noua, qua ſibi ad regnum parari intelligebat aditum, apprimè lætatus, lubens hunc in ſuum accipit patrocinium. nouerat enim callidus latro ille, quàm multa regna maiores ſui, per ſimiles huiuſmodi occaſiones Chriſtianorũ principum è manibus, à Paleologi ipſius atq; Cantacuzeni temporibus uſq;, iampridem antea eripuiſſent. Ferdinandus uerò Rex quum incendium illud non ſuam in perniciem tãtùm, uerumetiam & totius Reipub. Chriſtianæ euerſionem, exarſurum præſentiret, ſibi quoq; & communibus rebus in tempore duxit proſpiciendum. Et quoniam tunc forte Germani principes, Septemuiríque illi ſacroſancti, Panegyrim Spyræ ueterem Nemetum apud urbem celebrantes conuenerant, commodum uiſum huic, & hos de ferendo auxilio compellare. Profectus itaq; celeriter illuc, rem eis huiuſmodi prope uerbis expoſuit: Nõ uos fugit principes magnanimi, Diuum Maximilianũ Auguſtum parentem noſtrum, has nobis olim parauiſſe nuptias, hunc matrimonij illius ſanctiſsimi, inter nos & Annam coniugem, Reginam nobiliſsimam ſponſorem fuiſſe & Paranymphum. Qui inter cæteras conuentiones & hanc dotalem nobis præſcripſit legem, ut ſi Ludouicum Regem quem tunc unicum Vladiſlaus habebat filium, ſine hęrede legitimo decedere è uita contingeret, ſuperſtite Anna ſorore coniuge noſtra, & ipſa prole fœcunda, uel nos ipſi loco illius & iure maritali ſuccederemus in regnum. Nõ diſplicuit id ſeni Vladiſlao, & idem quoq; appoſitis Diplomati ſigillis, regni proceres comprobarunt. Migrauit ex hac uita communi fatorũ ordine Vladiſlaus. Nec diu poſt & Ludouicus dira morte (heu horret animus dicere aut meminiſſe) à beſtia illa Turciaca fuit peremptus, patuit nobis exiſtente conditione, & ex pacto conuento, ad regnum aditus. Sed dũ huc iuris ſuffragio fulti adnitimur, ſolus Ioannes Vaiuoda, nos hinc, contra omnẽ rationis æquitatẽ amoliri conatur: & nec hominũ fidem, nec Deũm religionẽ reſpiciẽs, Solymannũ Turcã ſola

inuidiæ

inuidiæ præpotentiæ & dominandi libidine ductus, orbis in ruinam & ad- A
uersum nos solicitare est ausus. Qui occupatis iam pridem antea firmissimis
quibusque, certum nunc miseris Hungariæ populis minitatur exitium. Nisi
igitur hijs uestra ope, uestro auxilio, celerius succurreritis, actum erit dubio
procul, de tam nobili regno: sed ne uos tum quidem, & Germania uestra,
à periculo & interitu longè aberitis. Nam statim ac insigni præsidio illo latus
uestrum nudatum fuerit, & fortuna quoq; uestra, tanquam in præcipitio po-
sita, nutare incipiet. Nostis enim & uos ipsi exemplis multis admoniti, quàm
pertinax sit hostis ille truculẽtissimus. serpit namq; ignis more, ut plurimum
uicina quæq; deuastans. Quare si uos sociorũ miseria & infœlicitas, qui huc-
usq; nõ secus ac fideles Limenarchæ quidã, pro Imperij Romani & Reipub.
Christianæ incolumitate, tam diligenter euigilarunt, nihil mouet: at moueat
uos saltem, patriæ uestræ, atq; religionis communis pietas, & salus: atq; arma
iam tandem non pro socijs hijs solùm, qui sanguinem suum toties pro uobis,
& rebus uestris, ueluti largo imbre quodam profuderũt, sed etiam pro uobis
ipsis, pro liberis & coniugibus uestris, pro focis & aris, spiritu magno & ger-
mano, corripite. Neq; enim nunc diutius, & donec hostis intra limites rece-
ptus fuerit, expectandum. nã tutius longe est, si Scipioni Africano credimus,
bellum foris & procul à patria, & in solo alieno gerere, quàm hostẽ proprios
intra terminos receptũ, gnauiter sustinere. Dictis hijs, Principes Germani,
& si magnis quibusdam alijs curis detinerentur, nihilominus tamen nec &
hanc negligendam duxerũt esse rem. Decretæ itaq; sunt extemplo, hunc ad-
uersus hostẽ, auxiliares copiæ, & qui ab incursionibus limites tutarentur con
scripti milites. Præfectus est hijs illustrissimus princeps, Comes Palatinus B
Rheni Bauariæq; Dux Fridericus. Nam & huic communi principũ suffra-
gio, populiq; fauore & clamore, Imperium cum rerum summa oblatum pri-
mùm, & demum etiam id iustis rationibus & argumentis recusanti, ob me-
rita & uirtutes, quibus nec priscis cedebat ducibus, demandatum est, & esse
iussum. Qui quum quale onus humeris suis foret impositum, qualemq; pro-
uinciam subijsset, iam sua pro prudentia secum cogitaret, cõsilio prius quàm
facto opus esse intelligebat: nam tumultuarijs in rebus consilium capere rarò
uel temporis ratio patitur, uel loci admittit opportunitas. Ratisponam igitur,
ubi quondam Noricorum Regum, fuisse sedem commemorant. Principes
qui rei gerendæ, quasi Apocleti quidàm, consultores adiuncti erant, euocat,
Bis illuc conuentum fuit, & bis illinc re infecta discessum. Nam peractũ tunc
penitùs nihil, nisi quod posterioris conuentus die, duo qui Turcę in Hunga-
riam obseruarent expeditionem, constituti sunt speculatores, Sebastianus
Schilling iureconsultus insignis & Eques auratus, atq; Christophorus Bel-
nitzer Brunduni Bauarici præfectus, Barbaræ Hunicæq; linguæ, haud igna
rus, munia strenuè exequuturi, Budam usq;, quam Sycambriam olim dictã,
quidam existimant, progressi, Turcarum Tyrannum, ingenti collecto exer-
citu, Adrianopoli egressum & aciem Hungariam uersus dirigere cõperium-
tur, & principi Palatino celerius reuersi denunciãt. Qui cunctatus nihil, trãs-
uectionem parare, Lustrumq; condere, Magistros equitum, Tribunosq; pe-
ditum, ocyus iubet, & quia uerò hęc tanta cũ celeritate, ut rei exigebat neces-
sitas fieri non poterant, ne hostis dilato longius negotio, pro more suo depre-
dandi inde arriperet occasionem, ut in rem forè uisum, Philippũ principem
ex fratre nepotem, bello acrem adolescẽtem parua equitũ peditumq; manu,
ad retardandum hostilis furoris impetum, præmittit: quem & ipse mox reco-
gnitione peracta militumq; nominib. intra pyctatia receptis, toto insequutus
est cũ exercitu. Egressus itaq; Neomarckt è regia sua, Ratisponam celeriter
contendit, & nauibus illic quas diu antea parare iusserat, propere conscensis,
unà

unà cum tribus fratribus germanis, Honorico Traiectẽsi Episcopo, Ioanne Ratisponensi Ecclesiæ præsule, & Guelphone quẽ ueteres, nos nunc Vuolfgãgum dicimus, natu minimo Palatino, Danubij per fluenta delapsus, tertia die Lyntium Austriacum appulit: ubi à Rege Ferdinando (nam is illic tum erat) perbenignè exceptus, atq; ad cœnam omni magnificentia & splendore regali exornatam, honorifice deductus est. Multa coram inter conuiuãdum de belli rebus commentati sunt, seriis tamen his, delectantia quædam, & βιωφελῆ nonnunquam comiter intermiscentes. Post conuiuium à Rege discessum precatus Princeps Palatinus, postera die & sub diluculo abire paratus, quoniam moras nectere diuturniores, nec commodũ uidebatur nec utile: negatum tamen à Rege, inconsulta & indiscussa re discedere. consumpta est igitur tota ea dies consultationibus, & stratagematum ratiocinationibus, & sequenti primum utrinq; discessum. Comitatus est Rex unà cum Reginis duabus Anna cõiuge & Maria sorore, ad naues usq; perhumaniter deducẽs abeuntem. donauit tamen huic antea in signum amoris equos duos Argolicos: quorũ alter auro, alter ostro tectus erat purpureo. Equestre sanè hoc & huiusmodi Principe non indignum præmium, actis gratijs pro morũ ciuilitate sese cõmendans Princeps, classem Grein uersus, Scyllea rabie famosum oppidum & uelis & remis impulit, ubi uix egressus nauem Melchiorem de Harstal, quem iampridem antea, ne quicquam interim dum morã apud Regem traheret, negligeretur, ad Principem Philippũ, ut Austriæ caput urbem Viennã præsidio muniret, bellicq; consultores atq; Apocletos istos Chremsium, ut Closternumburgij Cetium iuxta montem, aduentum eius præstolarentur, dimiserat, anhelum & properantem obuium habuit, qui Turcam Solymannum urbi Viennæ exercitu ingẽti & innumerabili imminere, hancq; obsidione arctissima undiq; premere nũciabat: quem & mox cornicen quidam, eadem indicans, & ne latius progrederetur admonens, à consultoribus belli missus, est insequutus. Quibus omnibus territus is nihil, classem parare, arma capere, aciem instruere, bellicaq; instrumenta ex ordine disponere, & Chremsium ipsum ocyus iubet appellere, miscebat in diuersa fluminis ripa, perfidissima Mahumeti gẽs, omnia cæde, igne, ferro, flamma. Fugiebat misera Christi plebecula, incerta quò se conderet tandẽ, aut quò euaderet. Exanimes penè omnes, uiri, & fœminæ, infœlicia pignora, charos liberos, dulcesq; penates tanquam medio igne raptos trahebant. Motus hoc miserando spectaculo pientissimus princeps Palatinus, & quos re ipsa militis ob paucitatem, quum uix sexcentos ex omni exercitu secum retinuisset, iuuare non poterat, uerborum tamen benignitate, innata pro clementia sua fouere, & lenire conatus, se horum & Deum aliquando fore ultorem in præsentiarũ adijciens, Et tunc tertium quoq; à Sigismundo de Vueyxelberg, Equite aurato, & Vagitio Paulo Constantinopolitano, leuis armaturæ ductoribus, quibus & pontis Danubiani tutela commissa fuerat, acceptum est nuncium, quod mox aliud & iterum aliud est insequutum. Quæ licet omnia, ne latius progrederetur, admonere debebant Principem, nihilominus tamen sub aurora ipsa uela uentis, se suosq; Deo & Fortunæ committere statuit. parauerat iam omnia, & mens erat medios penetrare per hostes: sed quia longe aliter dijs superis uisum, nebula repente & cœlo sereno orta, lucis, & remigij usum nautis ademit. Nam nec tunc Danubij per fluenta ob infames scopulos, nauigare tutum. Inter hæc belli consultores, iuncto Bauarico equitatu peditatúque omni aduenium, indicantes hostem in urbem omnem occlusisse aditum. Hanc neque terra, neque aqua tuto posse adiri, se omni conatu nisos, si quo modo penetrare possent, irrita tamen spe, se penitùs effecisse nihil, intercepisse namq; Tyrannum, classe pontes Danubianos hosq; in

iecto

iecto igne Græco incendisse, & alia exercitus parte, totã circumuallasse urbem, habere hunc suis in castris, ultra trecenta millia militum, quibus circumquaq; oppleuisset omnia, se nunc eo retrocedendi cepisse consilium, quo maturius quid in re tam ardua facto esset opus, unà secum deliberarẽt. Commouebant hæc Principem ipsum non parum multum, angebat animum consanguineus, & ex fratre nepos Philippus, cruciabat commilitonum infœlicitas, & plebis ipsius quæ undiq; cædibus & rapinis expositа erat, miseria & calamitas: infractus tamen, si qua arte, modo, aut ingenio obsessis subuenire posset, usq; cogitabat. Et firma adhuc erat sententia, uel mortem fortiter oppetere, uel interturbatis saltẽ hostium cuneis, in urbem prorumpere. Belli autem consultores quum hunc impossibilia cœptare intelligerẽt, diuersum sentientes, ne se tanto huic periculo committere uellet admonebant. Non enim hic urbis unius de præsidio tantum, sed totius orbis potius de imperio, nunc concertandum: ex suo capite iam non unius hominis aut exiguæ gentis alicuius fœlicitatem, sed Christianæ Reipub. atq; Germanæ nationis, salutẽ ueluti sacra ex anchora dependere: impossibile esse, quod mente cõcepisset, tam exigua manu hostium castra penetrare, nec id si absq; noxa & periculo fieri possit omni, usq; adeò profuturum. nam si & ipse quoq; urbis intra septa concludatur, neminem fore, qui tanta cum fide Regi Ferdinando, Septemuiris electoribus, cæterisq; Germaniæ Principibus & Dynastis, quãto in periculo Respub. uersetur, queat significare: neminem qui obsessis interim donec maiores ex Germania contrahãtur uires, consilio, ope, aut opera possit subuenire: singulari Deorum prouidentia factum, ut serius & post obsessam primum urbem aduenerit, nõ spernendum cœleste consiliũ: melius esse in loco aliquo non intuto residere, & eo quasi munimento quodam se tenere, maioresq; copias operiri, atq; hosti nonnunquam fortius incumbenti, data opportunitate à tergo insultare, sic impios illius conatus facile reprimi atq; obsessos socios, egregiè posse tutari. His & alijs rationibus persuasus, uix tandẽ quieuit Princeps, atq; apud Chremsium, Stain & Mauteren tria hæc oppida, nisi quod ea Danubius intermedius disiungit, unũ uisa, donec spes melior resulgeret, residere constituit. Et omnia hæc Regi Ferdinando & Principibus imperij quo celerius fieri possit indicare. Missis igitur undiq; literis & nunciis, rem quo in statu sit propere significat, admonetq; ut si saluã uelint Rempub. Christianam, patriam liberam, incolumes liberos & parentes, omni collecto iuuentutis robore, reseratisq; Martis penetralibus, & Argiletei Iani apertis templi foribus, impij hostis illius tyrannidi se opponant pro tempore. Nam rem Christianã uix ullo unquam antea tempore uel Caroli Martelli, uel sub Henrici primi imperio, Hunica etiam sæuiente gente, magis acriusq; fuisse afflictam: omnia nunc stare in præcipiti, breui, nisi nouis uiribus fulciantur ruitura. Et quoniam idem incendium, Bohæmis & Morauis cæterisq; Marcomannicæ nationis gẽtibus, qui omnes olim Marobodui Regis fortissimi agnoscebant sceptrũ, uicinitate erat proximum: eosdem quàm & iam antea in armis esse audiuisset, in auxilium accersire non uidebatur importunum. Præerat hijs tum Regis Ferdinandi loco Ioannes de Berenstain Baro, Scripsit itaq; huic ut & celeriter aduersus hostem communem, cõmune ferat auxilium, quod & cæteros quoq; Pãnoniæ superioris admonuit proceres, subijciens ne patiantur metu conterritos incolas diutius palare, sed animis consternatos potius uerbis quibuscunq; in spem meliorem studeãt erigere. Mesmores, longe magis timidè fugientibus, quàm fortiter pugnantibus mortem pallidam imminere. Decretum erat tum cõparato exercitu, Turcarum classem, quę utrunq; pontẽ occupauerat, ex improuiso intercipere, aut obruere, obsidionis fortunam in eo uerti ratus, si Danubiana præsidia prius intercluderet,

sisset,

A sisset, statuit igitur uiam ferro in urbem aperire, atq; inde obsessos, cõmeatu, & aliis ad munitionẽ necessariis rebus iuuare. Aperuit id clam misso nuncio Principi Philippo, quo is commilitones suos ad obsidionem atq; res alias arduas constanter perferẽdas animaret: forè enim breui ut hij eo tempore quo Turcarum castra esset aggressurus, ad eruptionem parati, omnibus portis effunderentur, atq; uictores quidẽ, & durissima obsidione liberati tandem, hostium cuneis commiscerẽtur. Dum hæc per Principem Palatinum parabantur, non quieuit ediuerso Turcarũ tyrannus, more suo circumiacentia quæq; deuastare, missis nanq; leuis armaturę equitibus quibusdam, nec non classiariis & peditibus expeditis, ueteris Iuliobonæ per agros Marhafeldiã uersus, acie directa profectus, infirma aggressus, solo æquat cuncta: cæduntur senes, rapiuntur iuuenes, mulieres turpia maritorum sub oculis passæ, unà cum liberis intereunt, infantes uel utero secti, uel qui matrum adhuc hærebãt uberibus, parẽtum auxilio penitùs destituti, stipitibus per uicos passim suspensi, dulcem, quam nuper acceperant, exhalabãt animam. Hæc & alia multa quæ nec scribere, nec fari fas sine pietate, discrimine, & misericordia, ab hostibus crudelissimis sunt perpetrata: quibus haud immeritò misera Christi cõterrita plebecula, sine duce, absq; rectore, & magistro, errabunda uagabatur: quò confugeret, aut quẽ inuocaret nescia. Principis tandem quẽ primùm Chremsium, pauco cum milite aduenisse compererat, auxilium implorat & opem. Venerunt eodem die trium prælatorum, de Closternumburgo, Cetuagio, & Melck (quæ & antea ueteribus sub Dynastis, & priusquam ad sacros fuit deputata usus, arx ferrea dicebatur) legati, precatum idem, indicantes, nisi cœnobia & oppida ipsorum firmo quodam muniantur præsidio, actũ iam esse, de se rebusq; suis omnibus: eo namq; Ferentariam Turcarum excurrisse turmam, & huic nisi celerius militum nonnullorũ occurratur subsidijs, ipsi tanquam imbelles & armorũ inscij, non possint resistere. Collegerat interea tem poris Principis iussu, Gulielmus à Buechaim, fuga elapsos mille indigenas, quibus dum rectore carerẽt, ducem tribunosq; precabatur. Adiunxit igitur hijs opportune quidem, & Dijs ita uolentibus, oblatos ueteranos quosdam, & Bauarorum ex cohorte lectos nonnullos nobiles, qui unà cum illis prædicta ad loca profecti, ea ab hostium impugnatione fortiter sunt tutati, eadem industria & Axpachium, nobile non procul à Spitz oppidulo situatum monasterium, ab incursionibus hostium tutum, per loci illius præfectum & illæsum fuit conseruatũ. Tutabantur iuxta Stockorauiam Diui Colomani morate insignem uicum, cum indigenis locicq; incolis Danubij transitum Chenringi fratres germani duo, gloria insignes. Haymburgum uerò pedites sexcenti, qui quũ tantæ hostium multitudiui resistere diffiderent, summa rerum trepidatione, deserta arce, Chorneoburgum se conferunt. Vbi quum multa militariter per sæuitiam in ciues perpetrassent, à principe in ordinem redire, hijsq; desistere iussi, minus obtemperantes ademptis signis & armis, prouincia secedere grauioris pœnæ sub comminatione iubentur. Ortum est proxima nocte & sequenti Chremsij incendium ingens, quo auctore incertum, multi id militibus ob ignominiam missis, multi id hostibus in proximo locatis putabant ascribendum. perierunt eo Conrado Gotzmanno peditum ductori, equi nonnulli & ministri non ignobiles. Dum hæc foris agebantur, Ferentarij Turcæ bellico ritu urbi obequitando, integrum per triduum cuncta perlustrabant: nostri uerò ediuerso mœnium intra munimenta infracta delitescentes uirtute, omnia quæ ad defensionem erant necessaria præparabant. Suburbana igitur quia ampla & imminuta, ne damno nostris forent, & præsidio Turcis, diruta sunt & incensa, machinæ & bellica instrumenta, per turres & eminentiora quæq;, unde in hostium castra facilius posset eia-

culari, ordine recto disposita. Naues quæ in anchoris iam diu perstiterant, atque Italicum frustra expectauerant militem, submersæ: fossæ post muros ductæ, & aggeres erecti: urbis custodia per stationes diuisa, & ualida undiq; elocata præsidia: portæ penè omnes præter eas per quas egredi nõnunquam in hostes liceret, latere cocto obductę, & sic compositis rebus non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum castrorum munitione hostem, aggressi exigua manu nostri, collatis ultra uallum & munitiones signis pepulere. Tentatum est idem sæpius, & plerunque feliciter peractum. nam cæso hoste plurimo, sine sanguine nostro in urbem reditum. postremò etiam & Hybrahim Bassa, secretorum Tyranni omnium conscius, dum gratia speculandi Viennæ situm incautius processerat, penè fuit deprehensus. Actum fuisset proculdubio belli de mole, capto hoc, tanquam unico rerum & omnis fortunæ arbitro. quia uerò hunc seruare ad peiora, & Dijs quoque ipsis placuit, nostratium manus, & is tunc quoque effugit. Bis quidem in huiusmodi eruptionibus à nostris militibus male pugnatum est, semel quum cohortis Ductor Vuolfgangus Hagen, noctu urbem infelici egressus auspicio, ut suos tuto reduceret & incolumes, inter primores impigre dimicans, gregariorum suorum qui ordines turbauerãt, inertia potius, quàm fortitudine hostium uictus, ad arcis portam cum ueteranis quibusdam & Hispanis fortiter occubuit. Et iterum semel quum Christophorus Zetlitz Vexillifer quingentorum equitum turma, hostium usque procurrisset ad castra, & captus denuo nimia multitudine circumuentus, cum sex commilitonibus suis, qui & in acie cæsorum commilitonum suorum, atq; leprosorum quatuor, quos per summum scelus trucidauerant Turcæ, capita contis præfixa gestare sunt coacti, in Tyranni perductus est conspectum: à quo multum de Regis Ferdinandi absentia & rebus, multum etiam de principum animis & instituto, quibus urbis tutela commissa erat: hanc ne contra tantam potentiam ipsius seruare sperarent? interrogatus, aptè & prudenter respondit: Ferdinandum Regem non admodum procul hinc abesse. Nam iustum expectantem exercitum in Lyntio oppido residere. Decretum enim huic, per Germaniam, Boihæmiam, & Marcomanniam, communi omnium consensu, auxilium maximum. aliquantisper igitur si uter bello plus ualeat experiri libeat, & donec conueniatur expectandum. Regem neque abfuturum diutius, neque sæuam Martis aleam detrectaturum, maturare enim & hunc rem, & has nationes omnes iamdudum ad arma conspirasse. De principum uerò animis & instituto scire quod uellet, sibi parum liquere: sed hoc unum constare, Principes hos & reliquos commilitones omnes, summos & imos, conceptis iuramenti uerbis, iampridem uouisse, uel urbem tueri magnanimiter, uel suprema quæq; perpeti, & diram mortis necessitatem fortiter & Saguntino more obire. Frustra itaque eum tot bellicosissimis illic præsidentibus uiris, (quod uenia sua dictum uelit) prędæ huic inhiare, quum illis spes omnis, ueluti quondam Spartiadis ipsis non in mœnibus & muris, sed in armis & uirtute posita sit. Adesse enim illic intra urbis mœnia cum Principe Philippo Nicolaum de Salmen Comitem, Gulielmum de Rogendorff, Leonhardum à Fels, & Eckhardum de Ryscha, bello omnes inuictos heroas, & magnificentia rerum gestarum insignes & claros bellatores, qui non facile ad quemuis leuis auræ uentum soleant concitari. Ad quæ & si commouebatur aliquantulum Tyrannus, dissimulato tamen calore, pauca hæc tantum intulit: Se hucusque multis cum gentibus congressum, uictorem fuisse semper, nec labores suos antea unquam frustratos, quare ne & nunc quidem de ui-

A de uictoria & belli fortuna, quamuis læpius sit anceps & dubius Martis exi
tus, desperare. Cæterùm nosse hunc & alios unà secum captos, se uitæ illo-
rum iam & necis liberam habere potestatem, & uitam si uelit nunc eis posse
auferre: hanc autem hijs, quoniam & uictis hostibus ignoscere sciat, iam ul-
tro donare, urbis uerò defensoribus, illuc reuersos uerbis suis iubet nuntia-
re, urbem illam quam tamen aduersus tantam potẽtiam cui nec Taurinum
nuper, nec Rhodos clara restitisset, tueri aut defendere esset impossibile, ipsi
traderent: certasq; pacis conditiones & leges, quas ipse dicturus esset susci-
perent, tractaturum se de hijs extra urbis mœnia, ne militum uulgus im-
pium quid interim aut crudele admittat. difficile enim esse id à sceleribus &
impietate cohibere, curaturumq; se inter cætera in primis, ut illis saluis cor-
poribus & rebus hinc liceat abire, confidant itaque clementiæ suæ & omnia
candida futura, sic eos sibijpsis & rebus suis rectè consulere, si pro tempore,
& priusquam Martis sæuitia latius euagetur, ad benignitatem suam confu-
giant: sero nimis hæc post exitum uictoriæ expectari, ubi nil, nisi mors atra,
cædes certa & exitiũ miserabile soleat imminere. Quare perpẽdant secum
exacta trutina rem diligenter, ne id quod eis per indulgentiam nunc ultro
offeratur, posthac precibus nequeant impetrare. Decreuisse se omnino hinc
non nisi expugnata urbe discedere, & subacto toto terrarum orbe, in pa-
triam regiamq; Constantinopolim redire. Quemadmodum enim duobus
solibus, Alexandro Macedone teste, legitime regi non possit mundus, ita
duobus regibus non queat recte gubernari. Vnum esse omnium in cœlis
Dominũ, se unum in terris Gentium omnium Principem futurum. Dixe
rat hæc, & continuo retento unico Vexillifero, cæteros omnes & aureis tri-
B bus Hungarici ponderis singulos donatos dimittere iussit. Reuersi in ur-
bem summo gaudio excepti, grauia hæc & imperiosa Tyranni mandata re-
ferentes, Principibus exponunt: qui surdis auribus excipientes, ad hæc re-
spondere quippiam iudicabant indignum. Quare quum se ampullosaq; &
magnifica uerba illa sua contemptum iri, sibiq; à nostris nihil responderi in-
telligeret, animo & ira æstuans diu noctuq; uolutabat, quomodo urbe po-
titus, contemptam suam ulcisceretur Maiestatem. Visum itaque hanc sum-
ma ui & conatu omni oppugnare. Sita est autem Vienna quinque mil-
lia passuum à Cetio monte, ima in planitie, Flauia à gente quondam dum
Pannoniæ terminos Romani, Barbarorum aduersus incursiones tutaban-
tur condita, & ob memoriam nominis tanquam positum monumentũ Fla-
uianum, olim ab aris Herculis, Alexandri aut Bacchi ritu ibi conditis, ap-
pellatum: nunc uerò Vianna prima syllaba omissa, uel à torrente qui eam à
meridie imbribus auctus præterlabitur, sic dicta. Quæ licet Septentrio-
nem uersus Danubij fluminis obiectu firmior aliquantulum reddatur, reli-
quis tamen ex oris neq; arte neque natura usque adeò est munita. Nam fos-
sæ ante mœnia si quę sunt, siccæ, & nullius laticis liquore persuse, facilem op
pugnantib. præbent ascensum, & mœnia ipsa, quamuis cocti li laterculo sint
constructa, turrium tamẽ propugnaculis hostilem aduersus uim & iniuriam
non satis sunt firmata: quia & hæc nec lata nec alta, ueram adhuc referre ui-
dentur antiquitatem. Adortus igitur hanc quindecim è regionibus uineis
admotis, cuniculisq; & subterraneis meatibus actis, muri nitebatur subuer-
tere fundamenta: quos fomentis, sulphure, bitumine & puluere tormenta-
rio farserat, ut igne admoto militem suum, quem undique in aciem eduxe-
rat, tanquam fumi nebula tectum, urbis intra munitiones ingenti ruina pa-
tefactas, facto impetu deduceret. Sed præsides dij atque tutelares loci, aucto
re Christo, suorum miserti, crudele illud & impium Tyranni detegerunt

consilium. Capti enim per opportunè & secreto quodam fatorum ordine A
transfugę tres, uerũ profari tormẽtis coacti, proditionis præmio accepto, ur-
bis ędificia incendere se pollicitos fatebant, ut dum intus ad arcendũ concur
rerent incendium, ipse interim foris, nudata suo præsidio occuparet mœnia:
indicabant idem & Turcæ à nostris militib. deprehensi, & idem Fridericus
Princeps misso clàm nuntio admonebat: Vnde facti alacriores nostri, nihil
laboris aut curæ ulla ex parte remittebant, atq; longe maiori quàm antea di-
ligentia intra urbẽ stationes, ante portas custodias, & post muros peragebãt
uigilias. Et tũ demũ qua ex parte murum suffodere niterent animaduersum:
doli detecti, atq; fodientium elusa opera. Quicquid enim ab hostib. illuc un-
quam cõgestum, id totum à militib. nostris contrarijs & trãsuersis cuniculis
aut meatibus actis, ui raptum, aut solertia quadam & astu ablatũ, & hostes e-
tiam ipsi nõnunquam, qui se tentandæ fortunæ gratia illic condiderãt, graui
ter afflicti, inania cœpta Tyranno & uanos labores referebant: qui ut & hoc
sibi parum feliciter procedere sensit, quadrifariam diuisum exercitũ, & senas
sibijpsi succedentẽ in horas, cõtinuato die ac nocte prælio, urbẽ iubet oppu-
gnare, & fossores interim in auersissima munitionũ parte, cuniculos nume-
ro plures agere, ut sic uel perpetuis laboribus exhausti, atq; paucitate milites
nostri uicti, loca deserere cogerent: ut operis à sensu, armorũ strepitu & di-
micatione auersi, actos cuniculos nõ sentirẽt. Non fuit uana spes Tyranni.
nam statim ac signũ inuadendi Turcis datum, & à nostris inter mœnia ad ar
ma cõcursum, suffossus & crebra ui pulueris impetitus murus, tribus ex oris
ampla patefacta fenestra, corruit. Vnde ingenti sublato clamore cõnixi pri-
mo Turcæ, & agmine densato patentes muri aditus, per ruinas magno mo- B
limine gradientes, oppugnare incœperunt, atq; nostros omni glandiũ ac te-
lorum genere impetere & urgere, nostri uerò ediuerso primo in limine im-
moti, & animo infracto stantes, insultantium impetũ sustinere, atq; hostes i-
psos lancearum contis tormentorũq; globulis, fortiter excipere conabantur
& arcere. Illi Germanorum ac Hispanorum militũ ardorem, micãtemq; ira
uultum, non maiori constantia ac Samnites olim furentia Romanorum ora
ferre, sed mox impulsa à fronte tantum acie, omnes retroire, Germani Hi-
spaniq; milites erumpere, trepidantes à tergo cædere, & si quos maior so-
lito audacia ad altiora urbis mœnia euexerat, ad ima præcipitare: Tyran-
nus fortes pristinæ uirtutis & gloriæ admonere, labore & uulneribus fessos
reficere, atque subsidijs nouis fulcire, ignauos increpare, & demum omis-
sum prælium redintegrare: hi uerò rem non alia uirtute quàm antea gere-
re. Nam accepta clade maxima etiam postremo imperij & ordinũ immemo
res, ex acie auffugere. Pudebat ignominiæ, quam non ad urbis unius modo
expugnationẽ, sed ad uniuersi belli summam pertinere existimabat, Tyran-
num. Et iam si quo modo gloriam recuperare, clademq; acceptã memorabi
li quadam re, & facinore aliquo insigni, abolere posset, anxius & furibũdus
cogitabat. Indignum uidebat tot consumptis & exantlatis laboribus, cœptũ
opus deserere, econtrà uerò periculosum tot præstantes & bellicosos uiros,
temeraria urbis unius in oppugnatione deperdere. Placuit tandẽ paucis die-
bus interiectis, & donec animos & uires resumerent milites, armis tempera
rare, & denuo reparatis primùm & cõpositis omni studio rebus, summa ui
& omuib. copijs circumuallatam corona urbem iterum inuadere. Eductus
itaq; in aciẽ & in stationes, unde tutius prorumpere posset miles, qui & iam
ad signa elocatus consistebat: ut nostros cohortes tanta alacritate, pro mu-
ris & mœnibus excubare conspexit, totus animo frangi cœpit, et trementib.
genubus collabi. Sonabant iam utrinq; classicum æneatores, & ad belli mu-

nia

nia fortium animos incitabant, sed Turcæ metu exanimes, non secus ac conspecto Persei quodam spectro, in saxa mutati, persistebant immobiles. Compertum tunc, ut sæpius antea, illud Catilinæ dictum quàm uerissimũ: Verba uirtutem non addere, & Imperatoris orationem ex ignauo strenuum & timido fortem nõ facere. Quoniam & si hos ad omne imperium surdos iam & pertinaces, non uerbis tantum & lenta uite, ut quondam apud Romanos moris fuit in ordinem cogere, uerumetiam & strictis gladijs & accynacibus nudatis Tyranni iussu, uerbera multa intentantes, urbis in oppugnationem adigere niterentur, Zumbasi ipsi & tribuni militares, ab inuitis tamen & à superioris certaminis memoria pauidis adhuc, nec oppugnationem nec operam aliquam aut obsequium militare extorquere potuerunt. Totum sic exactum est triduum, ut hij ante castra, & extra uallum, sæpius educti, sæpius in agmina & aciem coacti, stupidi penitus, & absque omni aculeo, & tanquam primo insultu totũ uirus semel profudissent, sua in pertinacia perdurarent. Quum igitur tyrannus Gyngisheros illos suos, in quibus omnis belli & uictoriæ spes nõ secus ac Triarijs olim situata & reposita erat, æquè ac gregarios milites & mercede conductos, quos Asapides uocare solent, animo consternatos, & diuturna obsidione & longa profectione pertæsos animaduerteret: Regemq; Ferdinandum iam & Principem Palatinum, ingenti Germanorum & Boihæmorum robore ceruici suæ, suo tergori audiret imminere, timore perculsus, fugam cœpit meditari, & obsidionem, hyemis ante aduentum, quam nec sui tanquã Asiatici molles & frigoris impatientes ferre poterant, dissoluere. Aduocatis itaq; in concionem Visiheris, Beglerbegis, Bassis, Sansachis & Zumbassis, atq; alijs tribunitiæ aut
B alterius cuiuscunq; militaris potestatis hominibus, habita oratione, hũc prope in modum disseruit: Audimus cõmilitones, Ferdinandum Regem atq; Fridericum illum Palatij Rheniq; Principem, conscriptis atq; ueteri sacrata Samnitum lege initiatis, per Germaniam Boihæmiam & Marcomanniam, aduentare exercitibus, & utranq; Danubij fluminis secundùm ripam, nos contra infestis signis contendere. Quod quidem summis uotis optabamus antea, id nobis iam sero nimis, post tantam militum nostratium pertinaciam uidemus ultro obuenire. Nam si iusta acie cum hijs nunc fuerit decertandũ, uix æquo marte in tanta militũ pertinacia depugnabimus. Quàm enim periculosum & difficile sit, inuitis ac repugnantibus militibus prælium inire, atq; ancipiti belli fortunæ se committere, uos ipsi longa experientia rerũ edocti iampridẽ nostis. Quare quum non minor sit uirtus adempta opportunitate, armis nonnunquã tẽperare, quàm oblata occasione hosti magnanimiter occurrere: decreuimus tandem obsidionẽ hanc, quam & uestro consilio nuper suscepimus dissoluere, militemq; ipsum pro tempore & priusquã frigoris & hyemis intẽperies abeũdi facultatẽ adimat, in portũ & hyberna reducere. Vestrum aũt erit hæc omnia, ne uel miles animaduertat, aut hostis præsentiscat, summo silentio, Minotauri symbolo moniti, cõtegere, atq; educto iterũ in aciem stationesq; milite, oppugnationem uestra de industria fingere, ut hac simulatione tuti nos interim cum sarcinis cum impedimentis & grauioris armaturæ militibus sensim hinc subducere, & uos deinde tanquã uelocitate corporum ac leuitate armorum, ad accelerandum iter expeditores, facilius subsequi possitis. Ita enim fiet ut metu dubius hostis mœnibus egredi non audeat, & exercitus noster incolumis ad tutiora euadere queat. Gnauiter exequuturi mandata duces illi & tribuni, corpora milites ueteri Græcorum more curare iubent, & arma expedire, atque dein quumprimũ classicum intonuerit paratos adesse. Cessatum est utrinq; ab omni opere bellico biduum, & ad noctem demum tertiam sequẽtem, dato prodeundi signo

in aciem reditum, ordines instructi, agmina in stationes deducta, atque om- A
nia quæcunque ad oppugnandum necessaria, magno apparatu expedita.
Stabant extra uallum Turcæ, uix arma manibus retinentes tremuli, cuncta
quæ simulabantur ex uerò agi existimantes. Nostri autem intra muros
quamuis consiliorum tyranni penitus ignari, nihil remissum aut humile
cogitantes, actis diligenter pro tuitione mœnium custodijs, atque muri rui-
nis sedulo refectis, hostis aduentum expectabant: decantantes etiam læti
interim, non ueterem illum Germanorum barritum, sed hymnos sacrosan-
ctos & Christo suo dignos uersiculos, præsagientibus forsitan animis fi-
nem nunc adesse laborum. Fit enim sæpius ut & nescia mens humana,
quasi Numine quodam tacta, diuinitus futura prænunciet. Collato pro-
pè pede & ex propinquo posthac pugnatum nunquam, sed omnia bom-
bardis & machinarum tormentis eminus acta. Tegebatur cœlum densa
glandium & missilium nube: tremebat tellus & ingenti ædito mugitu mo-
uebatur: uulnerati multi, cæsi, aut fœde lacerati, tormentorum ui & im-
petu tanquam turbine rapti, mediam aëris per regionem ferebantur. Ce-
cidit eo in tumultu dum incautius progreditur, Natoliæ præses, summo
tyranni atque suorum omnium luctu, fulmine caranthiaca è turre missole-
taliter ictus. Motus hoc infortunio tyrannus, incensis statim prima sub uigi
lia castris, institutam antea accelerat abitionem, quod tamẽ ne foret inultum
miseros prius Christicolas, quos sors iniqua captiuitate inuoluerat, cõtra ius
gentium & phas omne, crudelitate summa coram mactare iubet omnes. Au
ditus est morientium eiulatus & clamor, nostris à militibus, intra urbis mœ-
nia, nescientibus tamen quid ageretur, donec postera die exorta, hostis fu-
gam animaduertêre, cæsorumq; corpora passim castrorum per planiciem B
dispersa reperierunt. Miserandum hoc quidem & triste spectaculum. Jace-
bant mixtim sanguine uulneribus & cruore fœdati, uiri, senes, iuuenes, pue-
ri, matres (neque enim sexui uel ætati pepercerat, ferina belluæ illius ra-
bies) sed erit hoc spero non impune. Deus enim faciet ut iuxta Ezechielis
Prophetæ uaticinium, martialis Germanorum manus, de patrato tam ini-
quo facinore, condignum aliquando sumat supplicium: tyrannumque il-
lum non secus quàm Tamberlanes Scytha, Pazaitem olim cauea inclusum
aureisq; cathenis uinctum, orbi exhibebat deridendum spectaculum: quod
propè fore Carolo Imperatore, & duce Cæsare Ferdinando, ueterum ora-
culis admoniti iampridem auguramur. Nam & hoc hijs deberi palmarium,
multa ante sæcula nec gentium quidem tacuerunt Dij. Si enim candi-
dissimo rerum Augustalium scriptori Suetonio Tranquillo credimus, du-
centis annis Galbæ ante tempora à fatidica quadam puella, Cluniaci que
Iouis sacerdote pronunciatum fuit: Oriturum quandoque ex Hispania
Principem, dominumq; rerum: quod licet tunc temporis quidam ad Gal-
bam ipsum, quoniam maiores eius hac in prouincia præturam, & ipse quo-
que proconsulare gesserat imperium, referre uoluerint, ego tamen id ad in-
uictissimos pientissimosq; Principes hos iudico referendum: Schiltpergij il-
lius nobili ductus Historia, qua indicat se quondam ad Nicopolim unà cum
cæteris Christianis militibus profectum, illicq; affecto Sigismundo Impera-
tore insigni illa clade, ab immanissimis Turcis fuisse captum, & belli iure
serui loco habitum, per triginta captiuitatis suæ annos diuersa loca peragra-
tum, peruenisse tandem ad Abrahami Patriarchæ Ilicem, in ualle Mambræ
Ammorræi, iuxta curiam suam, ubi & supremum mortalibus expectan-
dum iudicium, mundi sub origine deplantatam: quæ à Gentilibus sacrosan-
cta ideo habeatur, & solenni quodammodo consecratione ueneretur, quòd
particula de hac quantumuis minima collo suspensa, regio siue Herculano

mede-

medeatur morbo. unde & factum, ut & hæc à Sarracenis & Mahumetanis muri ambitu circumsepta, peruigili custodiatur cura: & Turcarum tyranni huius titulo se hucusque uoluerint præsigniri, exaruisse hanc Christo Deo & saluatore nostro, crucis in lignum elato, & eam antea priusquam Victor ille gentium, missus ab Occidente imperator, uirtute & armis illuc profectus, rei diuinæ mysteria cærimonias que, & omnem purioris Christianismi cultum ex integro restituat, reflorere non posse. Et id non tam nostrorum assertionibus, quàm etiam Gentilium & Sarracenorum comprobatum prædictionibus: quod & uerum esse Diui Hieronymi, Beati Isidori, Egesippi & Iosephi Iudæi credere inducimur testimonijs. quibus & sacræ quoque astipulantur literæ, quæ & Ilicis illius siue Therebinti, ad quam tres Angeli Domini Abrahamo quondam apparuerint, meminere. cum quo & Flauij quoque Vopisci in Floriani Imperatoris uita adductum conuenit uaticinium, palàm & omni uerborum absque inuolucro confirmans, nasciturum aliquando ex Pannonia Principem, & Iudices Parthis, & Persis, qui Francos & Alemannos, sub Romanis legibus habeat, qui per omnem Affricam Barbarum non relinquat, qui Taprobane præsidem imponat, qui ad Romanam insulam proconsulem mittat, qui Sarmatis omnibus Iudices, qui terram omnem quam Oceamus ambit, captis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen Senatui reddat imperium, & antiquis legibus uiuat, ipse uicturus annis centum uiginti. Taceo interim ac lubens prætereo Methodij, Cyrilli, Rupæcissæ, Merlini, Brigittæ, Ioachimi, Alsanfredi & Torquati, atque aliorum multa non è Druidum querB cubus, aut Corthina Cynthij elicita responsa, sed pijs mentibus spiritus instinctu cœlitus enunciata oracula: quæ omnia tanquam ore uno prolata, hijs Principibus Orbis deberi imperium profitentur. Sed de hijs satis. redeat igitur nostra unde digressa est oratio. Soluta itaque urbis nobilissimæ per tyrannum crudelissimum obsidione, Hybraim Bassa consiliarius intimus & secretorum omnium unicus arbiter (nemo enim in admonendo hoc uno ius maius, aut libertatis plus habebat) collectis leuioris atque expeditioris armaturæ equitibus, compositis que ex arte & industria subsidijs, præcedentem à tergo integrum per diem suum tutabatur tyrannum, qui correptis repente signis, tanta cum acceleratione illis hinc profectus est, ut & urbes & oppida omnia, quæ improuiso metu & tanto rerum tumultu perculsa, imperium acceperant, & deditionis uelamenta oleæ ramos scilicet, & portarum claues obtulerant, nullo uel stipendio uel præsidio imposito, intacta reliquerit: & quinta post abitionem die Budam Hungariæ trigintaduo milliaribus Germanicis à Vienna distantem, omnibus cum copijs peruenireт: non minori cum dedecore & turpitudine ex Germania tunc (quam triennio, quum tamen Romani hanc ducentis & decem annis uix triumpharint, subigere certo sibi persuaserat) qua quondam Xerxes Persarum Rex cum tam numeroso exercitu è nobili Greçia aufugiẽs, amisit tam celeri ex profectione suorum quàm plurimos. Quorum cadauera unà cum ingenti Camelorũ & bestiarum numero strata passim per itinera fuerunt reperta, ui frigoris, hyemis sæuitia, & famis diuturnæ tolerantia iamdudum antea emacerata. Petierunt nostri, antiquam legum contra constitutionem, qua (Triphonio teste) cautum fuit, ne captiuorum ratio haberetur aliqua, aut cum hoste de hijs ageretur quicquam, captiuorum permutationem, inducti ad id, non tam suorum misericordia, quàm captorum Turcarum perpetua precum instantia. Misso nuncio à Bassa Hybraimo tyranni loco contra morem responsum perbenignè, posse si uelint, absque omni periculi metu, de hijs qui agant, transmittere. Se

enim neq; ad prædam neque ad urbium ueniſſe euerſionem, ſed ut Regem A
Ferdinandum tamdiu expectatum, & nuſquam comparentem terri uirga
inuiterent: conceſsiſſe iampridem noſtratibus nonnullis abſq; omni redem-
ptionis precio liberam redeundi poſtliminio facultatem, quod ut & ipſi fa-
ciant uiciſsim, rogare. Nam Martis aleam eò nunc progreſſam, ut hoc com-
mercij genus inter ipſos futurum ſit quotidianum. Nuncium ipſum Bapto-
ſerica, & Zetlitium Vexilliferum, quem in eruptione captum iam ſupra di-
ximus, aurea ueſte donatos dimiſit. & ſuis nunciare iuſsit, ſe omnia poſthac
quoniam & hoſti fides ſeruanda bona et Attica tractaturum fide. nam quod
præſidijs Budam elocatis, pacta conuenta nuper non ſint ſeruata, id non
Turcis ipſis, qui fidem ſemel datam fallere non norint, ſed Germanis ipſis
potius qui perierint imputandum: ueritatis tamen ſine ratione hæc. Certum
enim eſt hos, contra ius & phas, fidem præſtitam & pacta manu ſubſcripta
tyranni, unà cũ Ducibus duobus Chriſtophoro Beſſerer & Iohanne Trau-
bínger, inermes iam & deditos, à Gyngiſheris fuiſſe trucidatos. At quis in
Cylice fraudem, in Thrace commentũ, & in Turca huiuſmodi miretur men
dacium, quum hij & ridendo & per ludibrium fidem fallere ſoleant? Præ-
clara tunc maximè per omne obſidionis tempus, Principum Palatinorum
Friderici & Philipi uirtus illuxit: qui inter cæteros quamuis multi illic egre-
gij, inſignibusq; facinoribus & rebus geſtis præſtantes adſuerint bellato-
res, uelut inter ignes Luna minores emicuerunt. Nemo enim hijs unis ui-
gilantior, nemo laboris & periculi tollerantior: neque enim ullis moleſtijs
exhauriri poterant, aut curis uinci, ſed omnia circumeuntes, omnia perlu-
ſtrantes, nunc boni militis, nunc optimi ducis aut imperatoris munere fun-
gebantur: ſtrenuos comiter compellabant, ſaucios & ægrotos fomentis & B
pecunijs mire confouebant & iuuabant, ut planè auitam maieſtatem in hijs
cognoſcere potueris, & Palatinum ingenium perſpicere. Quare quum al-
ter foris, alter intus, urbem tanta cõſeruaſſet induſtria & uigilantia, conuerſi
in eos omnes, hos Seruatores patriæ, hos Σωτῆρας & paraſtatas appellabant.
Vnis hijs omne quicquid unquã magnificum geſtũ erat tribuentes & acce-
ptum referentes. Nam & crebræ inter hæc urbis ante liberationem à Turcis
factæ excurſiones, tanta noſtris à militibus Principis Friderici auſpicio re-
preſſæ ſunt fœlicitate, ut niſi cœleſtiũ id tribuatur benignitati, ueri fidem, atq;
credulitatem ſuperare uideatur omnem. uicit mille Turcas triginta nauibus
Danubium tranſgreſſos, Marafeldiæ per agros rapientes & incẽdentes om-
nia, ad Stockorauiã, Iulius de Hardeck Comes, ducentis cum equitibus miſ-
ſus, in quos quia tum primum ſub oculis ipſius arcẽ & uicum Schmida incẽ-
derant, iuſto animi dolore cõmotus, equites tanta concitauit uehementia, ut
hos propè prius ad internitionẽ cæciderit omnes, quàm hũc ipſi adeſſe præ-
ſenſerint. Amiſit tumultuaria hac pugna, pęrter unũ cui Coborle nomẽ, ſuo-
rum penitus neminem, & hunc tamen morientem non inglorium. Nam
is ut primum mutuum peruentum fuit in conſpectum, equum tam acri im-
petu, calcarium ſtimulo in hoſtes adegit, ut per medios & fuga iam effuſos,
ad naues uſque preter omne negotium proruperit, & unam ex hijs ſecum,
in quam hoſtibus grauem & repletam deſilijerat, ad fluminis ima demerſe-
rit, ſponte moriens: & non ſecus ac ſi ueteri Decij alicuius, aut Codri ritu,
ſuper telum pedibus ſubiectum conſiſtens, præfante pontifice ſolennia uoti
uerba, patriæ pro ſalute caput ſuũ deuouiſſet. Occidit partim fudit & cœpit,
Caſpar Erlebeck à Trauſintz ad Treſelmauri piſtrinum, quod direptum in-
cendere moliebantur, trecentos ultra Turcas, decem cum equitibus tantum
& peditibus prætorianis ſex, inopinantes adortus, Leonidæ Spartiadum
duci haud abſimilis, niſi quod is medios inter hoſtes concidit, ille uerò tro-
phæa ad

phæa ad ſuos lætus & uiuus reportauit. Multi hoſtes à leuis armaturæ equitibus, quos Huſſaros barbaro appellant uocabulo, confoſsi ſunt, multi capti, & ad Principem Fridericum uiui perducti. Multi etiam quum aliquando ad templi cuiuſdam turrim, nephaſti ex ſacro, uitæ quæritantes præſidium, confugiſſent, à Georgio de Leuchtenberg prouinciæ præſide, Sigiſmundo à Vuolfgango de Vueyx, Bauaricorum equitum prætecto, Corneomburgum iuxta, ubi Principis iuſſu præſidebant, Tyranni ſub oculis, & toto propemodum Danubij ex ripa ſpectante exercitu, cæſi ſunt & ignis fumo, non aliter ac quondam Alexandri Seueri Imperatoris iuſſu, fumi uenditores enecati. Liberata autem ſic, ut iam dictum eſt, obſidione Vienna & rebus hijs ita inſigniter geſtis, Princeps Fridericus, illuc quàm maximis potuit itineribus contendit, eo animo atque inſtituto, ut iunctis utrinque copijs cum hoſte, ſi is pugnam non detrectaret, acie conſligeret, uel ſaltem poſtremum agmen præcurſoribus, ſi fugientem conſequi non quiret, inceſſeret aliquantulum & carperet. Quare mox ut Viennam uenit, milites conuocare iubet, atque numerum eorum tribunos inire. ſed uix cœpto luſtro, Gregarij ſtatim tumultuari, ſtipendium quintuplex ob egregiè defenſam urbem poſcere cœperunt: commeatuumq; omnium quos per obſidionis tempus inſumpſiſſent, gratuitam remiſsionem exigere. Princeps eos primum leniter & innata pro clementia ſua admonere conabatur, ne partam tanto cum decore nuper gloriam, tam atra nota uellent defœdare: demum etiam adhortari & precari ab hoc rerum tumultu deſiſterent, nec egregium illud & nobile quod ipſe inſtituiſſet opus iam præpedirent. Fateri quidem ſe eos omnes ob nauatam in defenſanda urbe fortem operam, præmio & obſidionali corona dignos: importunum tamen eſſe hijs friuolis contentionibus, tempus nunc terere. Nunquam enim antea magis quum hoſtis interim elabatur, nocuiſſe differre paratis. Sibi igitur credant, ſe namque ſeduló & diligentia ſumma curaturum, ne inſignis eorum uirtus maneat indonata, modo in præſentiarum pareant & obſequantur. Mouit hos nihil Principis benignitas, ſed maiori cum importunitate æra militaria & ſtipendij auctarium flagitare inſtabant, & quum ad mollendam illorum pertinaciam, Ductores quoſdam hijs longa per militiæ tempora notos demiſiſſet, accenſi acrius ira magis ſæuire, poſtremo quoque proiectis ſariſsis atque lanceis ſuis, Ductoribus circumuallatis, ni ocyus æra dentur, lymphati & furibundi mortem minitare. Protracta eſt huiuſmodi concertationibus uſque in ſerum tota dies, & tunc primùm diſceſſum: ſed mox poſtera luce uix dum recte exorta, eò iterum reditum, & tum quoque pernicioſum diripiendæ urbis conſilium per eos ferebatur initum. Quare quum nec imperium apud hos ualere ullum perſpiceret, atque ſe & ſocios omnes & urbem ipſam in ſummo periculo, in ſummo diſcrimine uerſari intelligeret, feſtinandum duxit, & inſano illorum furori antequam maiorem erumperet in ſeuitiam occurrere. Ad compeſcendum itaque eorum tumultum, triplex hijs pectus eſt ſtipendium: ſed ſero nimis id tum erat, quia hoſtis interim ad tuta, & unde eum conſequi haud etat poſsibile, euaſerat. Laxauerat animos forſitan nimia idem ſub tempus indulgentia, nec non & rei militaris, dum hoſtis foris acriter urgeret, ſatis licenter habita diſciplina. Non manſit tamen id impunitum, quoniam & ſi facinus illud non eadem ſeueritate, qua olim huiuſmodi mala expiari ſolitum fuit, decimatione uel crate ſit uindicatum, in capita tamen ſeditionis, atque auctores non nullos tanti criminis ultore gladio grauiter fuit animaduerſum. Fœdæ multæ ea ante tempora exortæ ſunt tempeſtates, morbi uarij præſertim per Germaniam

maniam incogniti, peſtilentia ingens, nec non per multos annos continua propè rerum omnium ad uitæ humanæ uſum pertinentium inaudita charitudo: quibus prodigia multa, Deorum in nos iram ſignificantia, accedebãt. Nam Viennæ diu antea, tres ſoles unico arcu incluſi, integrum per diem in cœlo ſplendere uiſi. Luna ſanguinea maculata cruce pernox conſtitit, trabs ingens & trecentorum paſſuum longitudine, diui Stephani Prothomartyris, atq; urbis illius numinis tutelaris, per templum ducta, prima pòſt meridiem hora comparuit: humanas hæc territa ueré mentes, ad Deũm igitur concurſum delubra, & obſecrationes inſigni animorum factiæ deuotione: id ſaltem impetrauere, ut certum, quod paſsim imminere ferebatur, ab urbe & Orbe, Friderico & Philippo Principibus Palatinis auctoribus, ueluti Dioſcuris quibuſdam, pelleretur exitium.

DE BELLO PANNONICO
LIBER SECVNDVS.

INTEREA dum hæc in Germania Pannoniaq; agebantur, Imperator Auguſtus citeriori aberat in Hiſpania, qui ſatim ac de hiſs certior factus eſt, compoſitis domi rebus in Italiam, quæ bellorum adhuc fluctuabat tumultibus, magnis itineribus contendit: & pacata hac, militem qui illic ab eo, quo Rex Gallorum captus eſt, præſederat tempore, ſecum arripit, & tranſcenſis Alpibus, qui Rhetos Vindelicosq; ueteri à Germania diſterminant, in Pannoniam progredi ſæuientiq; hoſti occurrere ſtatuit, ſed Alpium fauces nõdum ingreſſus, hoſtis abitionem turpemq; fugam & reliqua omnia ut acta erant comperit. Quoniam uerò hoſtem hunc quaſi dulci illecebra quadam ineſcatum futura æſtate rediturum certo ſibi perſuadebat, animo ſecum, quomodo impijs illius conatibus poſſet reſiſtere, cogitabat. Impoſsibile uidebatur diſsidentibus inter ſe atque mutuis armis contendentibus Principibus Chriſtianis, egregium quippiam aut magnificum perficere: nam diſcordia ipſa, ut plerunque aliàs ita hoc tempore exitialis maxime iudicabatur & pernicioſa. Placuit itaq; ante omnia nouum illud dogma, ueluti certum quoddam diſcordiæ ſeminarium mentibus hominum reuellere, atque diſcordantes Principes, qui ab inani uerborum pugna ad armorum peruenerant inſaniam, tanquam reparato ueteri Athenienſium ſœdere & ἀμνηστία ipſa renouata, in unitatem concordiamq; reducere, atq; edicto publico conuentu, Auguſtam Vindelicorum, antiquiſsimam quondam Romanorum Coloniam Principes imperij euocare: quò ut ueris ſub initium ſeptem uiri electores, alijq; Principes, Dynaſtæ ac proceres unà cũ ciuitatum legationibus, Maieſtatis imperio obtemperantes conuenere, Curiam ingreſsi & habito ſenatu in primis noui dogmatis de religione rem ordiri cœpere, et ipſe Imperator Auguſtus tum Saxonum Principem cum ſuis adhærentibus monere iuſsit: Dogma illud nouum quod ipſi ſectarentur à lege diuina planè eſſe alienum. pugnare enim id ueluti ex diametro honeſtiori ueterum doctorum cum diſciplina, nec cum bonis moribus aut ſacroſanctis Eccleſię traditionibus aut inſtitutis conuenire. Deſiſterent igitur nec tam friuolè à Chriſtiana unitate diſcederent, quam cœleſte Numen ueritatis ſpiritu tam egregiè & prudenter à mundi initio confirmaſſet, Prophetæ ſancti & Patriarchæ diuinitùs & eiuſdem numinis inſtinctu afflati docuiſſent, martyres & beati Chriſti confeſſores felici ſanguinis ſui profluuio com-

probaſ-

probassent,& quam tandem etiam piarum mentium,Patrum quoque & maiorum nostrorum unanimis consensus per tot secula & annorum reuolutiones laudassent pijssime & adorassent. Ne igitur hijs omnibus plus, sed ad sobrietatem tantùm quod & satis esset saperent: & si hæc eos parum forsitan commouerent, cogitarent saltem quàm ingẽs malum esset, statum publicum, otium commune Christianæq; rei tranquillitatem perturbare, præsertim hoc tempore iniquo, quo hostis Turca iugulo nostro intentus, nos tam acriter armis nunc undique impeteret & urgeret. At hij in eadem perseuerantia, in proposito & animi sententia immobiles perstitere, indicantes etiam se à Christi doctrina Euangelijq; ueritate recessisse nunquam,& doctorum suorum dogma cum Apostolorum traditionibus in nullo penitùs discrepare: propterea nec pudere eorum omnium, quæ hij in hunc usque diem palàm docuissent,ipsiq; credidissent, Imperatoria Maiestate & Principibus omnibus coram professionẽ publicam facere,certamq; & indubitatam rationem reddere. Composuisse namq; suos iampridem antea quos euulgauerint in lucemq; ediderint libellos multos,sanæ doctrinæ atque purioris Christianismi testes & indices synceros,nunc se hos quibus totius dogmatis atque fidei ipsorum contineretur summa,humiliter offerre: paratos etiam de hijs cum doctis,si quomodo pacari posset res,amice conferre. Non displicuit Carolo Imperatori reliquisq; Germaniæ Principibus ac Dynastis, proposita mutuo conferendi condito. Lecti sunt igitur ad id ex omni cœtu utraque à parte uiri septem omni eruditionis genere atque prudentia singulari præstantes: qui collatis utrinque sententijs atq; nodosis argumentationum Meandris resecatis, controuersiæ de capitibus acri iudicio & diligentia summa multum discussere. Et à multis creditum eos tum sublata concertationis atque dissidij materia,rem componere potuisse omnem. Si illi qui sparsis per prouincias ac territoria sua monasterijs bona,quæ adimere ausi fuerant,tunc restituere uoluissent. Nam quum hæc contra ciuilium legum constitutiones fieri uiderentur,iussit Imperator,redditis ablatis,manibus post hac temperare. Quanquam autem illi mandatis forsitan obtemperassent libenter, quia tamen ablata ministris suis beneficij atque donatiui loco concesserant iam,parere huic sacræ iussioni non poterant moti. itaque hac atq; alia de qua hic disserere longum foret ratione, imperata facere recusabant. Imperator igitur mandata, ingeminare ac repetere cœpit, hij uerò tãquam iure licuisset id se defendere. Discessum fuisset tunc proculdubio infecto omni negotio, nisi Fridericus Princeps Palatinus, cuius opera & consilio tunc maximè utebatur Augustus, rem illam sua pro prudentia alium ad conuentus diem, qui Ratisponam indictus est, distulisset, & spe finiendæ illic controuersiæ facta, commune aduersus Turcas Principum consensu impetrasset auxilium. Sed idem tunc Ratisponæ penè contigit, quod antea Augustæ. Nam si Ludouicus Princeps Elector, Palatinæ domus natu maximus, unà cum Archipræsule Maguntino eodemq; Principe Electore, partes suas non interposuisset, & illinc quoque eodem modo, quo antea priori in conuentu infecta pace fuisset discessum: quòd ut hi duo Principes bonorum perquam optimi sensere, atque dissidium illud iam nihil aliud, nisi bellum ciuile & intestinum spirare intellexerunt, Suenisfordiam Franconiæ oppidum secesserunt, & assumpto arbitratoris officio, rem inter Imperatorem ipsum atque utriusque partis Principes dictis legibus, hunc in modum composuere, ut rebus eo in statu quo tunc essent sic permanentibus, nihil à quoquam siue ueteri is adhæret disciplinę, siue is nouum sectaretur dogma, inuouaretur: sed omnes quasi factis inducijs donec coacto concilio generali, res ex integro decideretur,

manibus

manibus ac iniurijs hinc inde temperarent, præstitis tamen nihilominus communem aduersus hostem interim, communibus auxilijs & promissis, & Imperator Augustus apud Pontificem Maximum institutū maturaret consilium: uel si id tam maturè Maiestas sua impetrare nō posset, alium saltem ad cōponenda reliqua conueniendi diem indiceret. Gratæ fuere Maiestati Augustę propositæ LL. hæ, & à partibus utrinq; animis lætis acceptæ pacis conditiones, & Principibus Electoribus, quod tumultum quem hucusq; per tot annorū curricula componere potuisset nemo, soli ipsi prudentia sua & opera indefessa sedauissent, gratiæ ingentes actæ, & non immeritò: nam nemo antea in lapsantem Rempublicam, plus opis aut operæ contulit, quàm hi duo Principes in hāc tum temporis dissidijs & tumultibus fluctuantem industria sua contulere. Non abierant adhuc Ratispona Principes, nec consilium omnino erat peractum, crebri nuncij Solymannum Turcam nouā & priori longe maiorem in Pannoniam parare expeditionem referebant. Imperator igitur & Principes non diutius cunctandum rati, soluto conuentu, rem quoq; duxere maturandam: ne dum lento quodam ut anteriori in profectione ad arma procederetur gradu, hostis interim pro celeritate sua præoccupata prouincia, damnum daret ingens: aut uulnus, quod omnem superaret artem inferret improuisus, & rectè quidem & prudenter. Nam cunctatio nisi certo quodam & Fabij illius Romani iuxta institutum reguletur modo, noxia est plerunque bello, inutilis & damnosa, præsertim hunc aduersus hostem, qui ocyor Euro ire solet ac redire, atque hic uel illic, unde minus speres insultare. Constitit ob rem priori bello prudenter beneq; gestam, iterum Augusti Cæsariscq; & communi omnium Principum suffragio, penes Fridericum Principem Imperij summa, additi sunt huic Apocleti & belli consultores, Guilelmus de Rennenberg, & Georgius de Haydeck, antiqua & heroica apud Germanos prognati familia, Rinhardus de Neyneck à Glatt, Sigismundus de Hesperg, Vuolfgangus de Affenstain, & Vlricus de Schellenberg, Equites aurati omnes, nisi quod & posteriores duo iuris Diuini & humani non fuêre imprudentes. Atque soluto sic conuentu Principes ut primùm domum redíêre, habito undique per prouincias delectu, auxilia promissa ad locum & tempus constitutum ordinauêre. Quare & Princeps Fridericus profectionem suam duxit accelerandam, iniquum ratus si πρόβωλος ipse, serius, quàm cæteri adueniret. Ordinatis igitur sua in prouincia sedulò rebus, diebus paucis interiectis, Abudiacum Danubianum Thermis & ueterum scriptorum monumētis celebratum, atque sex milibus passuum supra Ratisponam existentem uicum reuersus est, & Carolum Augustum fratremq; eius germanum, quem is inter hæc unanimi Principum electorum consensu, raro fraternæ concordiæ & antiquitatis exemplo consortem Imperij & Cæsarem asciuerat, ibidem conuenit: cum quibus de belli rebus pauca. nam plura nec res nec tempus patiebatur, colloquutus, castrorum locum in Lupi campo, qui Danubij fluminis secundùm ripam è regione urbis Viennæ & pontem propè expositus est, capere iussus, quod uel is situ & natura ad pontis fluminisq; custodiam, & ad conseruandum liberum in urbem aditum commodior, uel quod Martij animalis ab nomine, cuius fœmina olim geminis fratribus Imperij conditoribus fœlicia ubera præbuisse feratur, auspicatior iudicatus. Additum tamen in rem præsentem quum uenisset, de hijs Apocletorum atque Petri de la Quoua qui & castrametationum maximè esset gnarus, consilio commodius tractaturum multa: tunc quæ iam non cogitentur animo occurrere, se quoque ambos cum exercitu quem peculairiter spopondissent, & qui nunc in Hispania Italiáque conscribatur, breui affuturos, id saltem caueret, ne capta semel in Lupi campo castra, ipsorum ante aduentum

tum & se inscijs hinc amoueret aut transmutaret: sed ea potius interim uel duplo uallo & fossa ueteri, Romanorũ more, communiret: uel antiquo Germanorum instituto, carrorum multitudine circũsepiret: militemq; rudem adhuc, atq; uarijs ex gentibus congregatũ & collectum, arte quadam & disciplina militari, aduersus callidum ac dolosum hostem hunc prœliari erudiret. Multum enim ueteranũ & exercitatum à nouo & tyrone differre: & hac ratione fieri, ut hi quasi phratria quadam et amicitia mutuo cõtracta, firmius inter se cohærerẽt: & cum necessitas ingrueret, fortius prœliarẽtur. Finito colloquio, acceptoq; hoc mandato, Fridericus princeps celeri cursu Boiodurũ ad Ernestum Bauariæ ducem, lociq; illius præsulem deuehitur: & quoniam sitocomiæ munus atq; omnis annonæ militaris curæ huic erat demandata: hunc ut cõmissum sibi officium gnauiter exequeretur, compellans familiariter, est adhortatus. Nosse enim quantum periculi immineret, si annonæ penuria in castris oriatur, uel si ea minus iusto uel maiori quàm par sit precio uenundaretur. Nec diu moratus illic Chornumburgum appellit, militemq; ipsum in rãdicibus montis Peysenbergi, iuxta arcem Greitzenstain, castra prima interim capere iubet, atque mox Labacensi episcopo Ioanni Cantio, atque Petro de la Queua, aduentum suum in urbem Viennam, ubi hi præsidebant, significat: admonétque ut postera die Imperatoris Caroli, Cæsariscq; Ferdinandi mandata de belli rebus audituri, apud eum Chornũburgi conuenirent. Sequenti die exorta, hi ut iussi erant comparuerunt, & exposita Augustali sententia, castrorum demetatione & loco diligenter & omni ratione excussa, diu consultauere: & exquisitis animorum sententijs multi erant, qui castra Stubę ad portam inter urbis Viennę mœnia, & secundum torrentis nominis eiusdem ripam iudicarent collocanda: multi (& quorum pars obtinuit quoq;) qui principali à decreto ne latum quidem unguem existimarent discedendum, inducti etiam noua ratione, quòd nec milites numero plures, nec qui eos recenserent adhuc conuenissent. Nuntiatũ eo tempore Turcarum Tyrannum Constantinopoli sexcentis militũ millibus iam antea pridem egressum, Gũzam exiguum oppidulum, nulla arte, opere aut natura munitum obsidere, idq; non die aut nocte intermissa oppugnatione, omnium copiarum ui premere & urgere. Præsidebat autem illic centum cũ militibus tantum, Nicolaus Iureschitz, uir pietate quidem erga Deum & patriam insignis, qui quamuis rerum omnium, quæ ad obsidionem tolerandam erant necessariæ, plane foret inops, neque enim has Turcæ tum celeritate præuentus comparare potuerat, belli tamen machinam in se unum conuersam tanta fortitudine animi diebus uigintiquinque sustinuit, ut eum omni ope humana destitutum, tanto hostium à furore, solo auxilio diuino intelligeres conseruatum. Excitauerunt Turcæ circa oppidi muros in planicie, nam & hoc in plano situm est, qui mœnium altitudinem superarent, aggeres duos, unde semper defensorum terga in opugnationibus tormentorum globulis & ictibus crebris pulsabãt. Actum fuisset semel de nostris, nisi Deus suorum misertus, malum hoc auertisset dubio procul, nam Turcæ illatis ultra uallum & mœnia supra uexillis octo, eos omnes tunc inde depulerant. et erant iam sine defensore mœnia, & sine propugnatore oppidum, quoniam omnes tunc saucij & fessi testudinis sub munimento delitescebant, & nemo erat qui iam posset uel auderet resistere, sed ecce imbellis ętas, senes, pueri, matres, quę hucusque ædium intra parietes se continere iussa, alta uoce et pectore imo Dei auxilium fidem & misericordiam implorans, mirificè fuit exaudita, eiulantium enim clamore hostes animis perculsi, oppidulum milite opletum existimantes, oppugnatione obmissa à mœnibus uictores resiliunt, numinisq; præsentia perterriti persequente etiam nemine, eadem penè turpitudine

pitudine aufugere illinc compulsi sunt: qua olim Hercules abiecto clypeo aureo, ab Oxidrochis Iouis fulminibus, & rubente dextera cœlitus defensis, tentatum: si Nicolai animus ad deditionem compelli potuisset, sed frustra. Frendebat igitur cœlestium consiliorum ignarus Tyrannus, dentibus atque animo & ira æstuans, oppidum illud inducto aratri sarculo, funditùs cogitabat euertere. Quia uerò Deus Optimus Maximus, cuius nutu reguntur uniuersa, occulta & immensa benignitate sua, qua se pie colentes fouere semper solet, sæuientis aliò auertere uoluit institutum. Ibrahimus enim Bassa, cui in admonendo ius summum fuisse suprà diximus, statim ac Tyranni mentem eò tendere intellexit, captato peropportunè, & donec animi æstus aliquantulum resedisset, expectato tempore intercessit inquiens: Hunc rem nec nomine nec magnitudine sua dignam parare, si tot uirium, tot operarum in oppidi unius tam inualidi & imminuti expugnatione prodigere conaretur, unde tamen uix uel præmij uel gloriæ quippiam foret expectandum. nullam enim inde si etiam id expugnari detur, apud quenquam oriri admirationem. Nemini enim mirum uideri, magnis copijs & tantis, oppidum natura & præsidio inualidum, expugnare: præsertim perseuerantia tanta, qua etiam inuicta aliàs sæpe debellarentur. Ediuerso autem si belli fortuna, cuius uicissitudines plerunque incerta contingere solerent, necessitate in diuersum cessisset, magnum sui inde apud omnes generari contemptum. Quare consultius esse militum laboribus, in re tam exigua, & ubi honoris nihil sperandum parcere, & eosdem ad opus maius, quod restare non ignoraret, reseruare, quàm uirtutem & fortitudinem ubi ostendi non queant, in tam ignobilis uici illius oppugnatione, frustra & inutiliter consumere. Nam licere iam minori cum dedecore hinc abire, quàm post ultimos conatus, uiribus attritis demùm & infecto negotio, discedere. Magnificentius itaque esse, obsidionem illam soluere nunc, atque Nicolaum euocatum oppido donare, quàm tanto cum militum discrimine suprema quæq; experiri. Dictis his atque huiusmodi similibus rationibus adductis, ægrè tandem obtinuit, ut Tyrannus ipse Nicolaum, quem armis uincere non potuerat, misso caduceatore in castra ad Ibrahimũ uocari, atque hunc in modum oppido quanuis alieno donari pateretur. Vocatus autem Nicolaus, quanquã letaliter uulneratus esset, spemq; iam nullam reliquam haberet, uenire tamẽ ad Ibrahimum etiam tum constanter pernegabat, nisi diplomate & obsidibus præstitis factus securior, ne quid ab eo, quod uel à dignitate sua, uelà religione Christiana & fide foret indignum, exigeretur. Laudabilius esse ratus, unà cum suis fortiter interire, quàm se suosq; ludibrio, atque fluxæ hostium fidei credere aut offerre: & quia ob magnanimum uiri responsum creditum res ipsius non usque adeò accisas, nec uires adeò attritas aut labefactatas, quin insultantium ac oppugnantium uim aliquandiu adhuc sustinere potuisset, id quod petebat non fuit negatum. Nam Turcarum ex nobilioribus obsides, duo dati sunt propere, et diploma ut petitum fuit præstitum & oblatum. Egressus itaq; Nicolaus acceptis his oppidum, Ibrahimi in conspectũ postquam peruenit, honorifice exceptus et considere iussus, de tribus tantùm præcipuè fuit interrogatus. Primò, ex ueteri morbo, de quo in Thracia nuper quum legationis munere apud Solymannum Imperatorem fungeretur laborasset, iterum reconualuisset. Secundò, an uulnera quæ proxima in oppugnatione excepisset, forent letalia. Tertiò, qua fiducia ductus Imperatori Solymanno, cui cæteri omnes uicinia iuncti colla sua submisissent, solus ipse hucusque tanta animi pertinacia restitisset. Mirari enim se si ullam spẽ in Rege Ferdinando, Calypede modo, & nimium tardo existimaret

A existimaret reponendam. Inferebat ad id Nicolaus, primùm gratias ingentes se agere, quod de ægritudine sua præterita, & uulneribus in propugnatione proxima acceptis, tam humaniter tuisset percũctatus, liberatũ se Christi Saluatoris sui gratia morbo iam pridem, nec uulnera esse lenifera. Ad tertium autem quod attineret, nosse eum pro prudentia sua, boni bellatoris esse, aduersarijs & hostibus magnanimiter resistere, nec rebus asperis facile perturbari: aut grauibus fortunę insultibus gradu & animo leuiter dejci aut dimoueri. Se humana ope destitutũ, Diuinum confugisse ad auxilium, quo conseruatus hucusq; perstiterit inuictus: quod & sibi post hac nunquam defuturum speraret. Regem autem Ferdinandum quem nunc Cæsarem, & Augustæ Maiestatis hæredem omnes Christiani orbis Principes legissent & agnoscerent, tam procul non abesse, quin et breui magno cum exercitu esset affuturus. Quare si sibi in hunc usque diem non sit subuentum se nihil mirari, multas namque causas & rationes, quibus institutum præpediri potuerit opus, interuenire potuisse, quum fortuna instabilis aliàs à natura, quia sine pedibus nusquam minus quàm in bellicis rebus Martijsq; negocijs sibi ipsi constare soleat. Admiratus igitur Ibrahimus magis ac magis excelsum et inuictum Nicolai animum quum illum non solùm oppido, quod per tot dierum spatia tam in signi cum uirtute aduersus tot hostium millia defendisset, sed quouis etiam ingentissimo præmio dignum tacite apud se iudicaret, donare se Imperatoris sui Soleymanni nomine eum hoc oppido inquiebat, ob uirtutem suam nobilem & in defendando oppido egregiè operam nauatam. posse enim nunc si uelit id omni sine dubio unà cum præsidijs & defensoribus suis perdere penitùs & euertere: quia uerò natura sua mitis sit ac clemẽs
B Imperator Soleymannus, uirtutumq; ac fortium uirorum maximus amator & ipectator, iussisse ei & oppidum illud unà cum commilitonibus & præsidijs suis in præmium uirtutis conferre, rei alienæ satis munificus Donator: nunquam forsitam donaturus, si hoc insigni absque iactura & clade militũ suorum speraset expugnare. Accepit munus hoc gratijs actis & animo quidem læto Nicolaus, deprecans ut & munificentia illa liberius atque militum absque iniuria frui liceret, uiolentas manus illorum cohibere pollicitus est id se curaturum Ibrahimus, dummodo & ipse uicissim in ægrotantes & saucios Turcas qui exercitum consequi non ualerent, suos quoque sauire non patiatur: & sic cœpta obsidione postera die soluta hinc perrectum. Certiores itaq; facti de obsidione oppidi (nam reliqua adhuc ignorabant) Princeps Pa latinus proceresq; Germani, quonam pacto subueniri posset obsessis inter se collatis sententijs iterum consultauere. Et quoniam non dum tantæ militum confluxerant copiæ, nectantũ exercitui inerat robur, ut cum hoste aperto Marte contendere liceret, tutius iudicatum hos subsidijs quibusdam atq; annonæ prouentibus elusis per noctem hostium uigilijs, donec Imperator Augustus, Cæsarq; Ferdinandus maior bus cũ copijs aduenirent, munire & adiuuare. Inspectæ tunc tormentorũ machinæ atq; annonæ & prouentuum inita ratio, & ubiq; negligentia quædam & incuria reperta, mandatum itaque his, quibus id negocium publice iniunctum fuerat, sarcire neglecta, & prospicere in tempore, quæ inde euenire possent incommoda. Soluto consilio, urbem uersus ad conuiuium, quod Labacensis Episcopus opulentia & apparatu magnificum Principi Friderico cæterisq; Heroibus parare iusserat, properatum: & quum ad pontes illos Danubianos qui numero tres sunt fuissent peruentum, milites omnes per stationes custodiasq; diuisi, armorum strepitu bombardarumq; boatu prætereuntes excipiebant: non minus honorificum etiam tum, quàm olim armis laudare existimantes. Primi pontis munimenta Caspar Rurzan prouincialium cohortium ductor obtinebat.

Secundi, Sigismundus de Brandis Classiariorum nec non Manipulo- A
rum quorundam Nauarcha. Tertij, cum urbis mœnibus Lotoniæ comes,
structæ acies atque inter se concurrentes naumachiæ atque terrestris præ-
lij speciem exhibebant, spectatu quidem iucundissimam. Inde in urbem ad
conuiuium maxima congratulatione & lętitia omnium peruentum: id non
diu protractum. nam mox ad consilium rebus sic exigentibus reditum,
& decretum Imperatori Carolo Cæsariq; Ferdinando omnia hæc de Gun-
zæ obsidione, de commeatu, de machinarum tormentorum que refec-
tione, de castrorum metatione, atque de Ducum Tribunorum que mi-
litarium absentia, per quæ omnia, quibus instituto & excursionibus Tur-
carum obuiari posset præpedirentur, ocyus misso cursorio nuntio signi-
ficare, precari que Maiestates, aduentum institutam que profectionem
iam tandem uelint maturare. Et post hæc urbis mœnia refecta, muri so-
lidati, addita propugnacula, auctæ turres. Sylua Viennensis (nam & hæc
ab urbe ipsa nomen retinet) arborum struibus ne receptaculi loco hosti-
bus foret, occlusa. Consumpta huiusmodi sedulitate sic tota die eaque
iam in uesperam inclinante, digressus à reliquis Heroibus Princeps, Vagi-
tium Paulum cuius supra libro priori sæpe meminimus, ægrotantem ex i-
tinere inuisit humaniter & alloquitur. Dein Loysium de la Quoua mille
quingentorum Hispanorum præfectum comiter compellans, & militi-
bus illius quos is statim ac Principis aduentum præsenserat, in aciem co-
ire atque eodem modo quo priores in urbe pugnæ simulachrum fingere
iusserat, summa animi delectatione spectatis ac pro innata comitate sua
lingua uernacula laudatis & salutatis clementer, nam illius eam à pue- B
ro, & eo tempore quo cum Philippo Rege Caroli Ferdinandique paren-
te in Hispaniam profectus est edoctus; apprimè gnarus erat. Vt primum
autem & multam sub noctem Chornuiburgum rediit, Imperatori ac Cæ-
sari hæc omnia de quibus antea in consilio tractatum fuerat gnauiter,
notarios ac exceptores illos perscribere iussit: & quamuis ita summis la-
boribus omnem penè consumpsisset noctem, sub aurora tamen sequentis
diei Principum Imperij auxilia, quæ hucusque uaria per loca fuerant
dispersa, colligere imperat: atque recognita, castrorum locum in Lu-
pi campo, ut cum Augusto Carolo Cæsaréque Ferdinando conueneret
capere. Paritum Principis mandato sedulo. nam statim conuentum, &
castra sine mora ut iussum constituta, & quia tunc nonnullorum frau-
des, qui priuatam utilitatem publica facerent potiorem, patuere: atque
indicatum Hispanicum præsidium, effracto Chremsij publico horreo,
annonam diripuisse, nec Viennam magna copia rerum abundare, qua-
re commeatuum ratio per Palatinum Principem & Apocletos ipsos ite-
rum inita, & iussum publicam quandam uenalium facere licitationem, ut
miles ea quibus indigeret, iusto Agricolæ tamen absque detrimento
comparare posset pretio. Erant tunc in castris neque machinæ neque
tormenta, quibus ea quouis saltem modo munire liceret. Rescriptum
itaque de hijs Cæsari Ferdinando, qui horum sumptum atque curam Au-
gustę susceperat, ut hæc iuberet ordinanda. Commissum id à Maiestate
sua consiliarijs Viennæ præsidentibus, qui Bombardulas Carrathas (ut
uocant nostri) uiginti duas situ, rubigine & diuturna incuria satis ne-
glectas, cum fossatoribus iumentis & bestijs iugalibus centum miserunt.
Tyrannus autem dum hæc tanta diligentia parari uidit, tot tantasq; no-
strorum copias undique confluere, diffisus iterum Mahumeto suo Acy-
naci & Dijs patrijs omnibus, fugam eodem modo quo priori profectio-
ne se-

A nefecerat, maturare cœpit, atque Croatina clauſtra uerſus ſumma celerita-
te contendere. quod ut animaduertit Princeps, indecorum duxit planè
& à dignitate ſua penitus alienum, hoſtem hunc è Germania, iam tam in-
ſigniter & ſecundò afflicta, inultum diſcedere: uias omnes præſidijs mu-
nire iubet, effugia occludere, & fluminum tranſitus r eiectis pontibus a-
dimere, atque Imperatori interim Carolo Cæſarique Ferdinando pro-
perè indicare, ſi ipſi negotiorum molibus præpediti ad pugnam uenire
non poſſent iam, militem ſaltem quem huc uſque apud ſe retinuiſſent ad
exercitus incrementum ſine mora dignarentur tranſmittere: eique cum
hoſte pugnandi tribuere poteſtatem, ne & is nunc quoque poſt tot &
tanta ſcelera in Germania perpetrata: poſt tot cædes, excurſiones & de-
populationes commiſſas, impunitus iterum elabaretur. Inter hæc literæ Ni
colai ipſius atq; Longini de Buchaim (nam & is una illic in præſidio erat)
quibus opem & auxilium precabantur, Viennam allatæ ſunt, quas ad Prin
cipem perferendas præſidij præfecti, Equitibus auratis Helfrido de Mec-
kau, & Feliciano à Petſchau, eo cum mandato dederunt, ut & nuntiarent,
ſe hijs quamuis planè deſperatis puluerem tormentarium iam, frumen-
tum & annonam ſubmiſiſſe, oppida reliqua Neapolim, Eiſenſtadium, &
Edenburgum tanquam belli turbinibus proximiora, ualidis Equitum pe-
ſidijs firmaſſe, ut hij ſi qua uis maior aut hoſtilis tempeſtas ingrueret, ea
aduerſus hanc tuerentur: obſeruarentque ſi hoſtem ipſum frequentibus
incurſionibus à Gunzæ obſidione poſſent depellere: ob id & eis adhuc
primum iuxta conſilium commodum uideri exercitum ocyus tranſporta-
re, atque hunc poſitis caſtris ad Stubæ portam, ſecundum torrentis ri-
B pam urbi Viennæ propius admouere: ita enim abeuntem hoſtem faci-
lius inſequi licere, atque fugientem impedire, multa tempora, donec pon
tium per anguſtias tantus tranſportetur exercitus, præterire: melius hæc
nunc dum commode fieri queant, præparari. Legatis poſt acceptas li-
teras, expoſitáque mandata, à Principe reſponſum, quæ cum Gunzenſi-
bus ac reliquis oppidis acta forent, atque de remoranda Turcæ abitio-
ne conſultata, ſibi non diſplicere. Laudare igitur ſe Præfectorum indu-
ſtriam & ſedulitatem, caſtrorum autem ad mutationem quod attineret,
graue ſibi uideri, ea Maieſtatis contra decreta præſcriptoq; loco moue-
re. Quàm ſeuere namque olim in contemptores imperij uel etiam ſi fe-
liciter ceſſiſſet res fuerit animaduerſum, ipſi noſſent, nec filijs, nec uictori-
bus parſum. Rectius iam Imperatoris Cæſarisq; reſcriptum ad literas
proximas, quibus hæc omnia ſignificaſſent expectari. Reuerſi erant inter-
ea Turcarum ex caſtris Leonhardus Nogaroli comes & Ioſephus à Lom
berg eques auratus, ab Auguſtis Principibus in Thratiam ad Soleyman-
num miſſi legati, referentes hunc ad pugnam dimicationemq; propera-
re, & relicta Gunza Viennam uerſus cum toto exercitu contendere. Scri-
pſerat hæc Principi Palatino Cantius, ſe decreuiſſe aduentantem ſtru-
ctis undique & elocatis ſyluarum per abdita inſidijs excipere, ad hoc E-
quitibus nonnullis celeribus & expeditis ſibi opus eſſe: precari itaque quoſ-
dam Germana è iuuentute corporis robore & animi uirtute inſignes, at-
que inſtitutam adrem idoneos legere, ſibiq; in ſubſidium ſubmittere. Non
abnuendum id ratus Princeps, mox iuuenes ſeptingentos omni ex nobili-
tate lectos, unà cum Erneſto de Gleychen comite, qui ducta Græcorum
antiquo more ſorte his præfectus erat, noctis ſub conticinium Viennam
miſit, ſed eadem nocte aliud à Cantio, quòd Turcarum Tyrannum inſtitu
tam mutaſſe ſententiam, indicabat nuntium, ad Principem remiſſum, qua-re di-

re dilato in aliud tempus negotio, & ab Equitibus in castra reditum. Quo A
niam autem omnia iam Germaniæ Principum auxilia conuenerant, ne
cessarium duxit ac utile ductores illorum Tribunos & Centuriones om
nes à militum uulgo seuocatos, paucis his de magistratibus cæterisq; rebus
militaribus mature ordinandis commonefacere: Diu multumq; expecta
ti duces commilitonésque fortissimi per opportunè iam tandem aduenti
stis, & eo tempore quo Soleymannum Turcam omissa Gunza oppido ad
Lytæ fluminis ripam subsistere ferunt, cunctabundum transitum que eo a
nimo & instituto occultè parare, ut solita celeritate fretus, nos opprimat
inopinantes: quod factu haud admodum difficile illi esse, nemo est cui
rerum nostrarum status saltem aliquantulum notus, qui non perspiciat.
Apud nos omnia quæ ad conflictum durumq; Martis certamen sunt ne
cessaria, in hunc usque diem permansere imparata: uacant munera mili
taria adhuc omnia, præfectus his nemo, quod sola absentia uestra factum.
Quamuis enim ad hæc Heroes nonnulli, uiriq; alij haud ignobiles iam
pridem antea, tum ob ætatem multam, tum ob rerum cognitionem insi
gnem nobis summe placuissent, neminem tamen absentibus ac inscijs uo
bis, ad ea ipsa euehere uoluimus. Sed in hoc uestrum omnium commu
ne, quum inde communis omnium dependeat salus, iudicium expecta
re, iniquum rati, contra morem Maiorum honorem hunc & liberam le
gendi militarium magistratuum facultatem uobis præripere. Quum uerò
res ipsa ob uicinitatem hostis, qui admotis castris, tam propè nunc ferox
& minitabundus consistit, moram aut dilationem longiorem non ad
mittat aut patiatur, sed festinationem summam exigat potius & deside
ret: decreuimus ut electionis negotium illud citius & feliciori auspicio B
queat expediri, hos uobis ueluti candidatos quosdam proponere, Guliel
mum namque de Rennenberg comitem, prudentia Nestorem, magna
nimitate uerò & uincendi arte Achillem aut Aiacem, equitum magiste
rio dign ũ iudicamus: Theodoricũ Spettiũ, pectoris robore Martem quen
dam aut Diomedem, campi præfectura & Mascalliæ munere: Vlricum à
Schellenberg, fortitudine Mutium, scientia iuris Scœuolam, recognitione
militum & censura: Ioannem Hilliche uigilantia Draconem Hesperi
dum, aut Argum oculatum, cum uicarijs duobus Melchiore de Harstal,
& Vuolgango à Hesperg, uigiliarium cura: Ioannem à Stadio, uafritia &
industria Ithacensem Vlyssem, Sitocomiæ annonęq; militaris officio. Ve
strum tamen erit ex hoc tam insigni procerum cœtu uel uos uel alios quos
cunque, qui uobis ad munera hæc uisi fuerint habiliores legere, ut hi pro
tempore, & hostis ante aduentum sic constituti reliqua in exercitu recte
ordinari possint, & quæ huc usq; neglecta fuere, resarcire. Dixerat hæc &
continuo ab his, prestito tamen prius militari sacramento, se Principis
mandato semper & diligenter parituros. ad suffragia discessum, nec ibi de
his diu concertatum, sed mox reditum, Principiq; hos quos & ipsi ad mu
nia hæc placere intellexissent, eis quoque non displicere responsum. Boi
hæmi quoque quia ex Lunæ sylua millibus octo progressi, Henricho
Trayscb Hesso & Ernesto de Brandenstain ductoribus, per Marcoma
norum fines transierant, atque castra à nostris longius quàm è re fore ui
sum posuerant, ea ut uiribus unitis hostiles insultus facilius sustineri possent,
propius coniungere, & admouere iussi sunt. Redierat sub idem ferme tem
pus ab Augusto nuntius cum literis, quibus Maiestas ipsius Principi Fride
rico cum hoste agendi, atq; ex Lupi campo castra mouendi facultatem per
negabat, significans se breui reliqua exercitus cum parte adfuturã, commea
tuumq;

tuumq; ac aliarum rerum omnium rationem diligentẽ tunc habituram: subijciens etiam his, quoniam superioris Saxoniæ militibus, Ioachimũ iuniorẽ senioris Ioachimi Marchionis eiusdemq; Principis electoris filium Ducem præposuissẽt, illis in præsens alium præponere non oportere. Lectis his ingens lætitia in castris orta, quia tum quod de interitu regni Turcarum in fatis esse passim ferebatur, impletum iri ab omnib. iam sperabatur. Et quoniã constans fama erat, quæ linguis mille rerum fidem exaggerare solet plerũq;, Imperatorem Augustum Reginoburgo egressum, itineribus magnis, coactoq; gradu Viennã uersus pergere, ire placuit quo eius sub aduentum parata forent omnia, & reliquum quoq; militũ uulgus, Principis in uerba iuramento adigere, & armis inspectis recognitũ uerbis breuibus, quum longiora tempus ipsum non pateretur, unitatis concordiæq; admonere: quòd intellexissẽt hostium animos nihil æque in spem uictoriæ ac ciuiles intestinasq; dissentiones, quas aliquando ob diuersas de cærimoniarum ritu opiniones, inter eos orituras certo sibi persuadebant extulisse. Et tantum adhortatione illa tam breui & perexigua ualuit, ut totũ hoc militiæ tempus, sine quouis tumultu aut dissentionis strepitu sit transactum. Iactatum tunc uulgo Hãnibalem olim exercitum suum uarijs ex gentibus congregatum, seueritatis disciplina habuisse concordẽ: Principem uerò Palatinũ diuersis ex nationib. collectum æterni numinis benignitate, ac clemẽtia sua singulari, qua etiam Cęsarem Iulium superarit unanimẽ. Scripsit eadem die Cantius Principi iterũ, se ex Turcis septem qui Neopolim transfugerint compertum habere, Soleymannum Tyrannũ incensis ad Lytæ flumẽ castris, Valerianos Croatinosq; uersus aufugere, atq; transmisso Sauo amne, Thratiã repetere, quare Equitibus sibi antea in subsidium decretis, nunc maxime opus esse. Abeunti enim hosti, flumina tria magnitudine iusta obstare, Drauũ, Rabam, & Rabunzã, quæ quoniã fugam acceleranti, uno die, cũ tam ingenti exercitu traijcere foret impossibile, futurũ, ut transmissa exercitus parte una, reliquam in diuersa fluminis ripa ad insidias & occasiones oẽs opportunã, trepidus post se cogeret relinquere. Statuisse itaq; hanc uel illic sub silẽtio noctis, uel ad Croatina claustra, quæ spatij ob angustiam ad unius hominis tantũ uestigium paterẽt, impetere. Princeps uerò quia hostis calliditatẽ non ignorabat, uerebatur, ne quũ istam exiguã se insequi intelligeret manum, reuertẽ ex improuiso, nostrosq; priusquã succurrerẽ inopinantes opprimeret, Præsidum sententiam in hoc duxit expectandã. et qm̃ Legati illorum qui nõ diu post unà cum Cãtio ipso aduenerant, eadẽ petebant & referebant, Cantiusq; pro maturando subsidio præsens iterũ instabat, maiores illi copiæ q; antea sunt decretæ. missi sunt enim cũ præfectis duobus Vuolffgãgo à Montfort comite, & Gregorio à Losenstain Barone, Equites mille sexcẽti, q postera die ut primũ illuxit Viennam profecti, postea Neapolim, regijs equitibus, qs Cantius illuc præmiserat, se coniũxere, & campi planitiẽ quę perpetuo tractu ad XXVI milliaria Germanica extendit, ingressi, cõtinuato cursu hostium uestigia legẽtes, Muræ pontes & Græzã Valerię, quã à Diocletiani filia sic dictã Amianus refert Metropolim sunt præteruecti, omnib. curribus, sine impedimentis, nisi quod Vngarica quædam uehicula Cotia à patria dicta, quibus commeatuum nõnihil uectabatur, eos à longe sunt insequuta. Nouus tũc & incognitus antea Germanis equitib. accelerandi itineris modus adinuẽtus est. quis enim credat equites Germanos ferramento & armatura graues, tam breui tẽporis spatio & non intermisso cursu tot milliaria potuisse emetiri? sed uincit omnia labor: nã nec die nec nocte ab equis discessum, nõ castris locus datus, non somno aut quieti tempus, donec hostis quæsitus, tandem est repertus. Turca

namque Soleymanus & ſi Caroli Imperatoris Cæſarisq; Ferdinandi aduen A
tu perculſus, ſumma trepidatione per clauſtra, p flumina auſugiſſet, ſubſidia
tamen quædam & ferentariorum copias nonnullas ingentes noſtratium ce-
leritate præuẽtus, poſt ſe in ſuam exercitusq; tutelam relinquere eſt coactus:
Quarum una quæ & Tyrannũ ipſum ponè ſequebatur, & cui Baſſa quidam
præfectus erat, in hos equites noſtros incidit. Trepidatũ primò & mox corre
ptis armis acriter utrinq; concurſum, cæſi fuſiq; momento Turcę & Ducem
hunc quoq; ſuum amiſere. Nam Vagitius Paulus illum primo uiſu agnitum
teli cuſpide equo deturbauit, impetitum & humi deiectum gladio peremit,
ocyus reſurgere niſum. Caput huius lanceæ cuſpidi præfixum diu circumla
tum, & equo illius ephippium totum aureum detractum, frena quoq; & pha
leræ unionibus & gemmis mirũ in modum exornatæ, uictori belli iure tan-
quam Duci à Duce opima ſpolia adempta, uirtutis in ſignum conceſſa. Mul
ti tunc ex uulgi fece honorem hunc (quia æmulis non caret uirtus) Paulo in
uidebant, ſed nemo bonus (quis enim bonæ mentis, uiro tam bono & forti
inuideret) qui Thrax & patria exul pro nobis & religione noſtra ſuos con-
tra Thraces & gentiles tam fortiter depugnaret. Alia quoq; prædatoria ma-
nus, quæ numero iuſtum exercitũ prope adæquabat, eo uel repentino equi-
tum noſtratium aduentu ab alijs excluſa, uel uoluntaria malitia & libidine
prædandi impulſa, ad Lyntiũ uſq; Harpiarum quodam more excurrerat: o-
mnia Cæſaris Ferdinandi ſub oculis incendendo & rapiẽdo deuaſtans. Scri
pſit igitur Ferdinandus Cæſar, miſsis binis literis Principi Friderico, admo
nens ne prædones iſtos cum tanto noſtro diſcrimine diutius euagari patere-
tur impune, ſed hijs procerum cõſilio properaret obuiare. Princeps per hoc
quũ antea quod Auguſtali reſcripto, armis donec ipſius Maieſtas adueniret, s
temperare iuſſus foret, incertus ſatis, factus eſt magis dubius. Vt igit quid hu
iuſmodi in rebus factu eſſet optimum ab alijs quoq; exquireret, indicto con-
ſilio proceres Viennam euocare iuſsit. Non conuenerant adhuc uocati, &
præfectorum præſidij Legati aderant, qui ferentarios prædones iſtos inter
Chremſium nunc & Viennam obuerſari indicabant, hijs duos exitus tãtum
ad effugium patere, quos placeret poſitis illic præſidijs occludere. Ediuerſo
uerò & ipſe princeps interim & priuſquã legati iſti aduenerant tres ex cõſul
toribus belli ad Labacenſem Præſulem, ut de famæ inconſtantia certũ quid
referrent, demiſerat: qui quoniam ad thermas iſtas Paduanas cum Latroniæ
Comitis militibus in ocurſum hoſtis contenderat, Viennæ non fuit inuẽtus.
ſed non diu poſt literas ad Principem dedit, quibus hoſtes aciem Neopolim
uerſus dirigere ſignificabat, deprecans equeſtre quoq; hos cõtra ſubſidium,
cui à Principe quia quò hi euaſuri tandem eſſent incertũ, petita cõmode fie-
ri non poſſe reſponſum, nã debilitatũ ſatis antea per ſubmiſſum Cantio ſub-
ſidium equitum robur: conſultius uideri Viennã ad indictum cõſilij diem,
quò & Marchionem de Quaſto, Auguſtæ Maieſtatis loco uenturum ſpera-
ret, conuenire. res enim huiuſmodi colloquio inter præſentes, quàm literis
inter abſentes cõmodius pertractari, & quia cõuentus iã inſtabat dies, Prin-
ceps Palatinus prima luce de reb. his, cũ Preſule illo atq; Marchiõe de Qua-
ſto, Proceribusq; alijs in mediũ cõſulturus Viennam eſt ingreſſus, ſperans et
hos rebus communibus non defuturos: ſed iam diei multum proceſſerat, &
tamẽ neq; Preſul, neq; Marchio, quãuis Proceres reliquiq; preſentes forent,
comparebat: ſed demum expectati multum miſsis literis ſe uenire non poſſe
excuſabãt: alter quia hoſtis ad Thermas Paduanas erũpere conaret, alter qa
iniuſſu Caroli Imperatoris atq; ſine mandato comparere nõ liceret, cauſam
& rationẽ quæritãs & prætexẽs. Quare indiſcuſſo negotio Principum illorũ
ob ab-

ob abſentiam iterum diſceſſum. Nam & tunc penitus nihil actum, niſi quod Marcomannorum atq; Boihęmorum Duces Zidislaus de Loypp, & Ioannes de Bereinſtain ſe ad omne obſequium unà cum militibus ſuis offerentes, à Principe Palatino humaniter ſunt ſuſcepti: & indicia quædam uaria & incerta non uſque adeò tamen incertis autoribus, de Turcarum illorum exitu ſunt allata. Nonnulli enim hos in Viennenſi ſaltu intra latibula ferarum delitescere: Nonnulli eas ad Thermas Paduanas, uel uicum Threskirchen eruptionem parare. Quæ omnia quamuis ancipitem Principis animum in diuerſum abriperent, eò tamen tandem, ne ullam incuria ſua prætermiſiſſe uideretur occaſionem, impulere, ut peditum cohortes nonnullas cum ualida ruſticorum manu, quæ intercisis arborum molibus ſaltum circumſepiret, propere dimiſerit, atque Pemplingero illi & Turco Valæ, quos cum equitibus ſuis expeditis & Latronię comitis militibus Præſidij præfecti ad Thermas illas hoſti oppoſuerant, communi procerum & Apocletorum decreto Equites nongentos ex Bohęimis Germanisq; lectos cum peditum cohortibus octo in auxilium demiſerit, hisq; Brandenburgij Marchionem Principis electoris filium & Hoierum de Mandsfeld Comitem & Conradum à Bemelberg Equitem illum auratum, qui olim Clementem Septimum Pontificē Maximum in ſede ſua tam immaniter perculit, præfecerit: ipſeq; aſſumpta exercitus parte & Zidislao de Loypp, qui mille & ducentos equites quum ſexingenti tantùm ab eo fuiſſent petiti ſecum adduxerat, montem Viennenſem inter urbem & ſaltum eiuſdem nominis medium ſitum ſpe bona plenus inſederit, illicq; per integram noctem quamuis duriſsimæ pruinæ in-
B ſtaret tempus, ignibus ſine & luminibus, ne qua præſentię eius procul fieret ſignificatio, hoſtis aduentum & exitum expectauit, ſed fruſtra. Quare & ſic tranſacta uigiliſs nocte, ne ſuperuacaneis fatigaret laboribus militem in caſtra reduxit, Imperatoriq; Auguſto omnia hæc feſtina celeritate perſcripſit, rogitans enixè, ſi quid maieſtate ſua abſente contra hoſtem hunc perpetratum iri contingeret, id pro innata clementia animo ęquo ſuſciperet, bonicq; conſuleret. Belli namq; fortunam non maturum ſemper & quod è longinquo aduocetur conſilium expectare, ſed repentinum potius & quod ſub manu ipſa (ut Scipio dicere ſolitus ſit) naſcatur requirere. Sæpius enim pugnandum non quia uelis, ſed quia neceſsitas impellat, hoſtis cogat, uel diſciplinę militaris ratio expoſtulet. Aduenerat nō diu poſt, Imperialis aulæ prętorijq; Præfectus, Adrianus à Roy Comes, mandata quędam Auguſtę Maieſtatis de cōmunibus belli rebus ſecum afferens, de quibus cum principe Palatino ſecretè & ſemotis omnibus arbitris colloquutus, huiuſmodi propemodum reportauit reſponſum: Quoniā moris ſit apud Germanos inueteratąq; cōſuetudine receptum, res belli atq; ad cōmunem ſtatum & utilitatem pertinētes, unanimi procerū conſilio pertractari, haud iniquū ſibi uideri, eaſdem nunc quoq; Heroum illorum qui imperij atq; Maieſtatis ſuæ pro decore, ad tot & tantos labores perferendos huc aduenisſent, communi decreto definire: ſic maximum apud hos ſi ueteri honore ſe dignari ſenſerint, beneuolentiam comparari. Et ſic uix dum digreſſo comite Adriano, à Marchione Ioachimo ex Thermis Paduanis reſcriptum, certo per exploratores cōſtare, hoſtes triuium quoddam, quò uel per Valerianos ad Tergeſtum illud antiquiſsimū & nobile, uel per Chēbergum montē hūc tediferum, uel Suuaracum amnem uorticoſum euadere liceret: occupaſſe cliuū tamē anteriorē, & poſteriorem, quia uterq; natura ſua ſatis anguſtus eſſet, & uix plauſtro permeabilis à prouincialib. arborū trūcis & ſaxorū molib. præcluſum: medium

uerò

uerò præsidio ualido, ut his inde etiam nullus pateat exitus, infestum, opor- A
tere igitur cum toto exercitu priusquam hostis ille lubricus & inconstans
iterum elabatur confestim & sine mora insequi. Princeps Palatinus ut hæc
accepit, communitis castris et relictis præsidijs quibusdam qui ea tuerentur,
postera die se cum inuicta equitum peditumq; manu Laxenburgum, mer-
catura boum insigne emporium contulit, atque inde mox idem Marchio-
ni de Quasto qui cum Hispanis militibus ad diui Peletini oppidum reside-
bat, significauit, & ut eò usque nunc progressos hostes, quibus ipse opposi-
tis undique & elocatis subsidijs effugia omnia obstruxisset, iam tandem pro
pelleret, nec pateretur eos cum tanto Hispanæ gentis dedecore, in Christi
plebem diutius & impune ita pergrassari: sed ab illo quamuis rapi, uastari,
ac depopulari coram pene conspiceret omnia, contra hos actum aut gestum
penitus nihil, quam autem ob rationem nec hodie satis constat, multi ut est
dicax militum uulgus, metu id, multi inuidia, qua is erga Germanos pe-
culiariter moueretur, factum iudicabant: sed an uerum id sit, quum & inno-
centum milites proscindere famam sæpius soleant, incertum, hoc tamen cer
tum alterum nec pium satis, alterum nec usque adeò magnificum. Hostes
uerò quum omnem exitum auffugiumq; intelligerent esse occlusum, nunc
illuc rimam quæritantes, incerti & furibundi circumferebantur: quare Glo
genitz primò, dein Bistorphium quò usque & Brandenburgij Marchio
eos est insequutus, procurrebant: postremo etiam Loyberstorphium quò &
Princeps Palatinus sub media nocte, quum & hos castra sua illic posuisse ex
ploratores indicassent, motis propere signis est profectus, & mox iterum &
uix dum explicatis tabernaculis & tentorijs hostes adesse compositaq; acie B
aduersum nos contendere relatum, quare & ad arma à nostris conclamatũ
sed uana trepidatione quorundam id factum: nam & hij nec illic diu persti
terant. Missi itaq; ad exploranda uisendaq; omnia ex nobilioribus equites
quatuor, qui usq; Starckenbergium arcem progressi eos in ualle ima inter
Altenmarckt oppidum, & uicum Podenstain ingenti præda onustos conse-
disse compererant. Sub idem tempus sunt reuersi, nunciantes illos montium
intra septa quæ ob angustias nec equiti peruia forent, se occuluisse, nec diu
post Turco Vala mille cum equitibus suis quibus præerat, idem indicaturus
superuenit, ob armorum uestiumq; similitudinem primo hostis creditus, po
stea uerò ex signis, quæ errorem nostris aperuere, agnitus, unde & arma
quæ miles repentino tumultu arripuerat dato redeundi signo reposita. Quũ
autem iam post multa diuersaq; explorationum indicia certum esset, ubi nã
locorum hostis resideret, commodum uisum Philippum de Oberstain Rhe
nensium Ductorem cum expeditis cohortibus quibusdam, ut si itineris cele-
ritate atque temporis oportunitate quid proficere posset, præmittere, & huic
tandem etiam quod cunctari aliquantulum uidebatur, Sebastianum Schert
lium Augustanæ Vindelitiæq;, & Iohannem Sayler Palatinæ cohortis præ-
fectos, cum Veteranis trecentis in subsidium & ad ferendam opem tãquam
manu & consilio promptos bellatores submittere. Qui acto raptim agmine
ad Philippum statim noctis tamen sub conticinio peruenere, & hostis præ-
sentia animaduersa castrorum situm & reliqua speculaturi per sentes & ue-
pres atque alia syluarum abdita ferarum more reptantes, ad procubitores
ipsos in stationibus pro exercitu suo uigilias agentes penetrauere: ex quibus
uno, fuga sibi consulentibus reliquis, per opportune capto, quindecim
Turcarum millia in ualle proxima castra posuisse, cognouerunt. Ad supre-
mas igitur uigilias & eò unde intra uallum ipsum & castra prospicere lice-
bat, progressi, eos qui intra castrorum se munimenta condiderant, adducta
sagittariorum cohorte adoriuntur. Fundentes namque numeroso crepitu à
bombardis

bombardis ignitos plumbeosq; globulos, sternentes passim atque graui som
no oppressos & torpidos Turcas uel premebant uel ad arma excitabant: qui
consensis raptim equis ex ualle in montium cacumen prosiliunt, & structa
protinus acie, militibus nostris animo et impetu ferocientes occurrunt, quos
nostri studio quodam retrocedentes extra syluæ fines, ubi cæteris cum co-
hortibus Phillippus ille de Oberstain constiterat, tanquam ad paratas insi-
dias pertrahebant, alacritate, summa etiam nonnunquam Sebastiani Scher-
tlij illius et Sayleríj iussu, quorum industria hæc omnia agebantur, tandiu ob
sistentes donec à sagittarijs illis eminus configerentur. Cecidere nocturno
hoc prælio, & priusquam ad Oberstainum fuissent protracti ex Turcis pe-
ne mille, nostratium paucis desideratis. Nam & si sæpius contempta pauci-
tate nostra ad obterendum tota acies in nos conuerteretur, sagittariorum
tamen fortitudine hæc semper cum clade quadam insigni & iactura repelle
batur. Et quoniam intempesta iam nox erat, quæ rebus gerendis plerunq;
est inutilis, armis aliquamdiu temperatum, ex acie tamen utrinque non di-
scessum, atque id tandem quod actum, ad Principem Palatinum ut ante abi
tionem cum Schertlio conuenerat relatum. Qui ut primum de ijs certior fa-
ctus est, milites omnes sub diluculo armis & equis paratos cum silentio pro-
xima in campi planitie adesse imperat, ut eos inde ad loca insidijs aptiora
pro tempore, & antequam hostes latius propellerentur, posset elocare. Qua-
re per eam noctem equis nec sellæ non fræna detracta, ne equiti ferramen-
tum. Nam & Princeps ipse eodem oneratus, noctem exegit insomnem, Ho
merici illius memor, non decere Pemnona ἀρχὴν, aut alium quempiam pri
marium uirum, cuius curæ populorum multitudo sit commissa, solidam dor-
& mire per noctem: præsertim quum tot momenta rerum ex eius quoque ar-
bitrio dependeant. Præterierat iam tertia uigilia & aurora ipsa lucis aduen-
tum ostendere uidebatur: datum est militibus per præcones tacitum profi-
ciscendi symbolum, nec mora, dicto citius parent, & in constituta campi pla
nitie ut iussi erant conueniunt. Habebat hæc austrum uersus montium iuga,
in quibus hostium ac cohortium nostrarum acies utrinque consistebant, à
Septentrione flumen' quoddam & paludem uoraginibus & limo profun-
dam & inuiam: ab Occidente castra nostra, & uallum, atque à regione & pla
ga Orientali syluam densam et ad tegendos pedites non incommode natam.
quare trans flumen & paludem quæ ad effugium sola patere credebantur,
Theodoricum Spettium cum leuis armaturæ Equitibus consistere iubet.
Fũditores uerò sagittarios et pedites nõnullos alios inter arbusta iuxta syluã
se abscondere. Et dein seipsum inter fluminis ripam montiumq; radices,
cum reliqua exercitus parte medium continet, ut si quo hostium acies fuga
inclinaret, eò se opponere posset, & fugientes intercipere. Quumq; omnia
iam in hunc modum constituisset, Oberstainium & Schertlium rem cœptã
telamq; semel orsam, per remissum nuncium peragere admonet, ac fessum
uigilia & nocturna pugna hostem iterum adoriri. Quoniam autem interim
per noctem ut eos ad structas præordinatasq; insidias facilius possent pro-
pellere, atque à faucibus montium si illuc redire forsitam niterentur arcere,
cohortes suas post hostium copias circumduxerant, terga illorum confestim
bombardarum glandibus tanquam imbre largissimo iterũ compluere sunt
adorsi. Pepulere eos breui ad montis illius quod iugo castris nostris immi-
nebat, & unde in campos armis uirisque fulgentes prospicere licebat, fasti-
gium et cacumen. Quare illi primũ conspectis agminibus nostris, ueluti uiso
lupo exanimes & amissa uoce conticuere. Mox uerò & postquam spiritus

redditi,

redditi, sublato ingenti & ad sydera usq; clamore, barbarico ritu ferale quid ululare, atq; tum etiam ueteris militiæ memores, & in cuneos arctius consti-
pati, suspenso pede et animo, effugium circumspicere. Iussit hos Princeps in-
ter spem metumq; dubios, excussa campestri machina primum excipere, &
non diu post fulmine hoc territos, dato per lituos tubasq; dimicationis signo
inuadere. Impetiuit illos primùm Bohemorũ atq; Slesitarum equitatus: quæ
ad signa cursoria, ut nostri appellare solent, à fronte agminis principalis con-
stiterat. Deinde & ipse princeps phalange sua & armatura graui, magnani-
miter & acri impetu concurrens. Quare certamine paruo in fugam fœdam
uersi, totis campis palantes, nunc huc, nunc illuc sunt circumacti, & demum
etiam cum omnia effugia insidijs præoccupata & occlusa intelligerent, desi-
cientibus pauore animis, per omnia arcta præruptaq; ueluti cæci ruentes, in
flumen paludemq; præcipitabantur, ubi pars quædam profundis gurgitibus
hausta submergebatur: pars alia relictis equis, reiectis sarcinis & uestimen-
tis, atq; solis armis quibus se tutari posset aliquandiu retentis, corporibus nu-
dis enatabat: multis tamen limosa paludis uada obstitere, omnemque fugæ
spem ademere. Hærentes enim illic tanquam pedica irretiti, & ocyus se inde
nequeuntes, ab equitibus peditibusq; nostris, qui unà cum Spettio illo ultra
flumen subsederant, trucidabantur: quos & Princeps quoque ipse cum eos
contempto omni discrimine uitæ in diuersam fluminis ripam eniti, seq; ite-
rum conglobare animaduertisset, traiecto statim amne est insequutus: &
continuato cursu, nunc à fronte, nunc à tergo & latere fortiter insistens, per
milliaria duo Germanica impellebat, nec antea destitit, donec cædibus &
uulneribus abunde satiatus, ad Marchionis illius à Brandenburg milites pro
trudisset, qui & si rerum harum penitus ignari, casu quodam fortuito super-
ueniissent, intermissum tamen iam reintegrabant prælium. Cæsus est tunc
iterum magnus hostium numerus, & magna tunc quoque Marchionis anti
quos auos & proauos manu & fortitudine referentis emicuit uirtus, non
solum enim is inter primos dimicabat acriter, uerùm etiam & ad idem fa-
ciendum commilitones suos uerbis adhortabatur, & exemplis magnanimi
ter admonebat. Restabant iam pauci quidam quos equorum uelocitas tu-
tata manibus nostratium eripuerat. Dijs immortalibus forsitan ita uolenti-
bus, ut uictoriæ ac gloriæ huius omnes nostri fierent participes, nam nebu-
la quæ repente & saltus & campos omnes circa intexuerat, eos ad Cantium
illum atque alios heroas Vuolfgangum à Montfort, & Gregorium de Lo-
senstain, qui cum copijs auxiliaribus fugientis Tyranni recentia uestigia e-
rant insequuti, tanquam ad aras Tauricæ Dianæ, aut certum quoddam ma-
ctationis deduxit sacrificium: nam & illic, uel ab Equitibus illis, uel à colonis
& agricolis ita cæsi & extincti sunt, ut ex quindecim millibus istis, ne unus
quidem qui cladis nuncium ad suos referret superfuerit: captus enim, & ex
his ob peculiare Prouincialium in Turcas odium penitus nemo. Signum
unum purpurei coloris ereptum, Caroli imperatori in honorem & uictoriæ
symbolum oblatum, à quo multi quorum uirtus eo in prælio ante alios fue-
rat insignis, dignitate equestri aureisq; calcaribus sunt donati. Captiui multi
tunc quoque, quos Turcæ solita pro crudelitate nondum enecauerant, recep-
ti. Præda omnis, quæ tamen perexigua fuit, militibus concessa. Fuit hæc
uictoria nostris omnino incruenta. Nam præter unicum equitem Agnulfi,
uulgo Lemle, toto exercitu desideratus est nemo, uidebatur Princeps hanc
hieroglyphico, quo uexillum suum atque labarum post susceptum præfectu
rę imperium inscribi uoluerat præauguratus, quia in hoc Angeli imaginem,
dextra macheram, sinistra uerò schedam quandã huiusmodi cum inscriptio
ne (è cœlo uictoria) ferentem, parare iusserat. Turcarum cadauera ob diui-

tiarum

tiarum ſitim quas illi abſorbuiſſe ferebantur, (heu pudet auaritiæ) inciſa,
A ſed hi ſtomachi in penetralibus nil niſi uuarum baccas & granula quædam
habere ſunt inuenti, ea famis uehementia, Mahumeti ſui contra legem qua
ab omni uini uſu arcentur, inſumere compulſi: quoniam & prophana &
fœda omnia in uſum conuertere neceſsitas coegerat. Acta ſunt crudelia hæc
à gregarijs nonnullis: de nobilioribus enim atque ueteranis, quod unius pro
bare exemplo ſufficit, longe aliter conſtitit. Fuit hoc in conflictu Eques
quidem Germanus, Sebaſtianus de Fleckenſtain, nobilitate rei que milita-
ris peritia inſignis, cui inter dimicandum, Turca quidam ſacculum num-
mis plenum ueluti redemptionis pretium quum obiecisſet, equi ex ſella in
quam ſorte quadam deciderat, hunc tanquam uictoriæ remoram indigna-
bundus reiecit: ad Ditem ueſtrum hinc abite, inquiens, diuitiæ: non enim
hic aurum, diuitias aut alia huiuſmodi irritamenta malorum quærimus, ſed
uirtutis premium potius honorem & gloriam militarem. multa tunc Turca-
rum Saracenicis literis conſcripta apud interfectos reperta ſunt monumẽta,
horum elogia ſiue teſtamenta, quæ hij ob inſtantem metum, quemadmo-
dum olim ad Veſuntionem Romani ſub Cæſare Iulio, in caſtris antea obſi-
gnaſſent credita. Fugientem Tyrannum lues ingens ſequuta, eum maio-
ri ſuorum clade, quàm antea priori profectione affecit. Relatũ namq; tunc
ultra centum & quinquaginta hominum millia, Numinis diuini ira fuiſſe
perempta: non minus ea tum quoq; quàm etiam olim ſub Senacherib rege,
quum angeli manu una nocte octoginta quinq; millia cæderentur ſæuiẽte.
Cecidit per idem tempus è cœli ſummitate pluribus in locis ingens ignium
uis, quare à multis creditum, ſupremum mundi inſtare diem, quod Adamus
B Ptothoplaſtes, ut Ioſephus Iudæus teſtis eſt, hunc etiam ſub igne aliquando
periturum retuliſſet. & Cometa proximis tribus annis & ſingulis qui profe-
ctionem hanc præceſſere, naturæ ſuæ ſecundum rationem Septentrionem
uerſus, regnorum mutationem ſignificans, apparere uiſus. Et Dracones nu-
mero multi, diuerſi tamen coloris, per ſummitatem aeris tunc quoque uola-
uere, Boihęmiam petentes, ſpiritus immundi. Kakóque Dęmones, quia hij
Philoſophorum iuxta ſententiam migrare nonnunquam locumq; immu-
tare ſoleant, exiſtimati. Parta autem uictoria hac ad caſtra quæ haſtatorum
agmini aſſeruanda interim commendata fuerant, reditum, & die una ad
quietem reficiendóque corpora militi conceſſa, Laxenburgum toto cum
exercitu quem ſecum adduxerat Princeps Palatinus, repetitum, quò & Phi
lippus Princeps ex fratre nepos & conſanguineus, cũ Eckhardo de Reiſch
equito aurato nomine Auguſtæ Maieſtatis congratulatum uenerat, & pe-
titum, ut Strigonium oppidum quod Cæpuſij Comes uiribus ingentiſsimis
oppugnabat, miſſa copiarum exercituſq; parte ui eximeret, obſidionéque
arctiſsima qua premeretur quàm primum liberaret. Legatis uerò quia Impe
ratorem Carolum unà cum fratre ſuo germano Cæſare Ferdinando Vien-
nam appuliſſe conſtabat, paucis, Maieſtati uero ſuæ coram poſtea concordi
procerum ſententia hunc prope in modum reſponſum. Neminem in hac
tam inſigni Principum omnium procerum ac militum corona eſſe, qui au-
guſtiſsimæ Maieſtatis ſuæ Imperium non ſummo ſtudio ueneretur & ado-
ret: id enim ſacroſanctum haberi & iudicari apud omnes. quare & ſi profe-
ctio illa ſero nimis iam & eo tempore, quo ueteres Romani milites ſuos olim
ex caſtris ad hyberna deducere ſint ſoliti, apparetur, ſe tamen omnes ad
quoduis periculum pro Maieſtatis ſuæ ac imperij honore & gloria ſubeun-
dum, eſſe paratos: dummodo omnibus unà coniunctim ire atque toto cum
exercitu illuc trajicere liceat, & reliqua omnia quæ ad huiuſmodi profectio-
nem ſint neceſſaria, maiori cura & diligentia quàm antea pręparentur. Peri-

culloſum namq; eſſe, hoſti ſe tam acri & ſæuero, neglectis omnibus ſine qui- A
bus nullum bellum recte ſuſcipiatur, tanquam prædam quandam certam &
indubitatam obiicere. Quamuis autem Imperator pro mittendo ſaltem exi-
guo aliquo Strigonienſibus ſubſidio iterum inſtare decreuiſſet, Principis ta-
men Palatini conſilio deſtitit & quieuit, indicantis ſi Strigonium ipſum eò
uſq; furorem hoſtilem & impetum, quò illuc exercitus aliquis uel ſubſidium
traiiceretur, ſuſtinere poſſet, id & poſtea hyemis beneficio, ſub qua omnis op
pugnatio inutilis plerunq; eſſet & intempeſtiua, tutum fore & inexpugna-
bile. Principi dein à Carolo Imperatore de cæſo fugatoq; tanta felicitate ho-
ſte gratiæ ingentiſsimæ actæ: Duces reliqui, tribuni, proceres caſtrenſes, &
milites unà omnes laudati, quòd patriam communem & imperium tam in-
ſigni opera ſua tutati eſſent egregie & adiuuaſſent, & ita miſsione facta cun-
ctis abire libere conceſſum. Debebatur quidem ob rem bene feliciterq; ge-
ſtam militi laurus, Principi triumphus: ſed quia non idem hodie, qui olim
uirtuti habebatur, honos, illis nec ullus decretus eſt.

DE GOLLETA ET TVNETO EXPVGNATIS, DE QVE REBVS CAROLI V. Imperatoris in Affrica feliciter geſtis, Aloyſij Armerij ad Georgium Loxanum, Epiſtola.

QVanta mihi & quàm grata tecum fuerit conſuetudo mi Lo-
xane dum Auguſtæ in illo celebratiſsimo conuentu Cæſa-
ris, ac totius Germaniæ ſimul eſſemus, uel ex hoc conijcere B
poteris, quod inter arma, et tot belli Affricani tumultus, non
ſolùm tui obliuiſci non poſsim: ſed etiam te conueniendi
uehementi afficior deſiderio. Quod quia & tẽporum ratio,
& interualla locorũ ingẽtia non permittunt, ut præſens preſtare queã, abſens
per literas, quę uices præſentis preſtabũt omnino facere decreui: et preſertim
his tẽporibus quibus Cæſaria maieſtas apertũ bellũ, & expeditionem nullo
unquã tempore reticendã, contra hoſtes Chriſtiani nominis ſuſcepit, ſecq; in
Affricã ingenti numero claſsis, & maioribus copijs ad augendam Chriſti re-
ligionẽ trãſtulit. Nõ te latet mi Loxane, quo animo Cæſar ſemper in Chriſtia
nam Rempublicã fuerit, & quãtopere deſiderauerit, nõ ſolùm obuiã ire infi
delium furori: ſed etiã Chriſti nomẽ ubiq; locorũ celebre reddere, q̃d Deo,
Opt. Max. fauente ita iam ſuis auſpicijs duces præſtiterũt, ut non ſolùm ori
noſtro, ſed etiã ad Antipodas, & ignotas aliquando noſtris regionibus na-
tiones & pertulerint, & continuo ita perferre non ceſſant, ut breui fore ſpe-
remus, quod Spiritus ſanctus per os Dauidis dixerit, In omnem terrarũ orbẽ
Chriſtianę religionis nomen emanaturum, noſtroq; Cæſare ſuperſtite quod
Chriſtus dixit. Vnum ouile, atq; unum paſtorẽ Chriſti uicariũ humani gene
ris futurũ. Satisq; conſtat ſuã Maieſtatẽ id ſemper cogitaſſe, quod & quietẽ
inter Chriſtianos pareret, et non ſolùm nouas hęreſes recẽs exortas ſedaret,
ſed etiam Mahumetanum dogma penitùs deleret, audaciamq; Turcæ com-
primeret, qui Chriſtianorũ diſcordijs adeò creuerat, ut non contentus occu-
patis olim ſedibus totq; Chriſtianorũ regionib. pulſis inde ui & armis legiti-
mis poſſeſſorib. nõ ſine magno Chriſtianæ Reip. detrimẽto, quiſquis Chri-
ſti nomẽ coleret, infeſtis armis opprimere conaretur: iugumq; Mahumetanę ſe
ctę uniuerſę Chriſtianitati imponere: hinc Hũgariã deleſſe et bis in Germa-
niã impetũ feciſſe, ac pleraq; igne, & ferro deuaſtaſſe, omnia peruaſtaturus,
niſi Cęſar prohibuſſet: nõ ſatis exiſtimãs, piratas et latrones Affricã deuaſtã-
tes, et infeſtũ mare nauigãtib. reddẽtes eo uſq; ſollicitare nõ deſtitit, donec ex
latronibus

A latronibus duces, & classis, & copiarum constitueret, & pecuniis adiutos ad Tunetum & regnum totius Affricæ occupandũ transmitteret: ratus hac potissimum uia fœliciter rebus succedentibus, non solum Italiam, sed Galliam etiam, Hispaniasq; facile peruastaturum, Imperiiq; fines late promoturum. Itaq; comparata classe octuagintaquattuor nauigiorum, intra biremes & triremes, eademq; & militibus & socijs naualibus, & non contemnenda pecuniarum summa instructa, duce Barbarossa latronum, ac piratarũ principe, ad occupandam ciuitatem Tuneti, quam fraternæ Regum discordiæ, in duas partes diuiserant, misit: deditq; in mandatis, ut in transitu Regni Neapolitani litora deuastaret. Nec fortuna uotis defuit, nactus incustodita Regni litora, multis abductis mortalibus, non mediocre damnum Regno Neapolitano intulit. Et mox Tunetum adnauigans, ciuitatem in Affrica positam, quindecim millibus passuum à ruinis antiquæ Carthaginis distantem, delusis Tunetanis, quibus persuaserat fratrem se Regis aduexisse, regnum Tuneti, nomine Turcæ adiuuantibus qui partes regis sequebantur, expulso rege, qui regno potiebatur occupauit. Quod ubi Cæsar intellexit, quantum que inde damni Christianæ Reipublicæ euenire posset, si Barbarossum in Affrica regnare permitteret, diligenter cogitasset, statuit Christianis principibus periculum indicare, ut communibus armis hosti obuiam irent: & non solum Barbarossum è regno Tuneti depellerẽt, sed etiam contra Turcam bellum susciperent, ciuitatem que Hierosolymitanam, in qua CHRISTVS se pro nobis uictimam obtulit, è manibus Turcarum eriperent. Sed cum præter paucos alios rem Christianam intelligeret negligere, nonnullos etiam Turcas, atque id genus Christiani nominis hostes & consilio, & armis iuuare, decreuit ipse tam præclaram, & Deo gratam expeditionem suscipere, præsensq; rebus omnibus interesse. Itaque per hyemem non solum Genuæ, sed in Sicilia etiam, Neapoli, apud Cantabros, atq; in alijs locis iussit classis apparatum fieri. Et nondum hyeme peracta milites in Germania, Italia, atque Hispanijs conscribere, aliosq; Genuæ, nonnullos Neapoli, atque in Sicilia, multos Barchinonæ, atque in circumuicinis locis naues conscendere, ut quam primum in Africam traijceret. Dum hæc à Cæsarea Maiestate geruntur, Barbarossus à nonnullis, qui se Christianos profitentur certior factus, de apparatu & classis & copiarum, quas Cæsar ad traijciendum in Affricam parabat, discordesq; Christianorum mentes, & nonnullos principes, qui se propterea, quod Christi nomen gerant, Christianos appellant, secum recensens uana omnia, & ad incutiendum sibi metum conficta putabat. Quippe neque Cæsarem id negotij solum susceptum existimabat, & nonnullos principes Christianos, qui Cæsaris nomen, & potentiam perhorrescunt, cœptis obuiam ituros arbitrabatur, neque quod recte constitutum erat facere permissuros: ueritos scilicet, ne eo potentia Cæsaris augeretur, ut multis formidabilis esset. Quapropter non solum huiusmodi apparatum negligebat: sed adeò uanum existimabat, ut regi Turcarum bellum cum Sophenis & Persis in Mesopotamia gerenti scriberet, si quem apparatum Cæsaris ab Christianis, uel per literas uel per nuncios, intelligeret, conficta & uana omnia, atque ad impediendam expeditionem, quam contra Sophenos susceperat existimaret. Nam se pro certo nosse omnia uana esse: & si etiam aliquid paratum erit, id adeò exiguum fore, ut sati superque esset, ad repellendum hostem, quod ipse uirium haberet: atque eo usq; in eadem opinione perstitit, neque quicquam quod aut ad munien dam Tuneti ciuitatem, aut classem reficiendam pertineret egit, donec triremes duæ ex Massilia soluentes, ad eum quosdam rebelles Cæsareæ Maiestatis ex Sicilia, & Regno Neapolitano simul cum quodam Gallo domi-

no de Foresta, die uigesima quarta Aprilis perduxerunt, ex quibus quæ Cæsar parauerat cognouit, prǒque certo intellexit, quod omnino in Affricam traijcere decreuerat. Qua re adeò consternatus fuit, ut de fuga cogitauerit. sed quia classem, qua cum copias à Turca creditas posset Constantinopolim reducere, uix tribus mensibus reficere poterat, conuersus est ad ciuitatem Tuneti, castellum'que Golletæ muniendum, reliquos'que piratas, qui ad Christianorum diuersa loca infestanda perrexerant, euocandos, quo communibus armis, communem piratarum ac latronum ciuitatem à Cæsareo exercitu defenderent. neqp id satis existimans ex omnibus castellis, atqp oppidis, quæ suæ ditioni subiecta habebat, milites Tunetum ad se uenire iussit, belli fortunã qualemcunqp sors tulisset tentaturus. & ne in aliquo sibi deesset ad auxilia, ex Constantinopoli accersenda etiam misit, sed id irritum, atqp inane fuit. quoniam & si non multos triremium alueos in naualibus uetustate collapsos haberent, tamen uix aliquot reficiẽdos curarunt, deductosqp neqp socijs naualibus, neqp remige, neqp milite qui non aderat, complere potuerũt: coactiqp sunt ergastula soluere, & remiges triremibus imponere, uixqp septem triremes confecerunt, quas quum & propter uetustatem alueorum, et propter imperitiam sociorum naualium, inutiles ad longam nauigationem satis perspexissent, domi retinuerunt, Barbarossoqp auxilium uel inuiti denegarunt.

Interea CAESAR omnibus rectè administratis, militibusqp non solum in Hispania, sed etiam qui in Italia diuersis erãt in locis in naues impositis, præparatisqp quibus opus erat ad exercitum in Affricam transmittendum, ipse XXX. Maij sacris optimi Christiani prius rite peractis Barchinonæ triremim conscendit, prouectusqp cum paucis triremibus mille passus in altum, donec onerariæ naues, quæ remis agi non poterant, uela expedirent, cæteræqp triremes, & reliqua classis nauigia tanto itineri se aptarent, stans in anchoris totum sequentem consumpsit diem. Postridie eius diei orto sole sublatis anchoris cum triremibus enauigare cœpit: sed statim non solum uentus, qui secundus erat, flare destitit, sed in contrarium etiam uersus est. Quapropter coactus fuit cæteras naues in alto relinquere, ipse uerò cum triremibus solis uix ad maiorem ex Balearibus fortiter eremigans, cursum tenuit, ciuitatesqp Insulæ donec reliqua classis ad eam appelleret, nonnullas adiuit, inqp eo negotio pauculis diebus consumptis ad portam Mahonis, qui in eadem insula est, contendit, quo loci etiam eadem die naues onerariæ, reliquaqp classis nauigia, quæ aliquantulum in mari tempestate iactata fuerant, illesa peruenerunt: eademqp die Cæsar eo loci moratus postero die ex portu uento adeò remisso cum tota classe recessit, ut in prospectu insulæ usque ad noctem semper manserit: sed noctu uentus inualuit. Itaqp CAESAR totam illam noctem cum posteriori die enauigans, uix tertia die cum triremibus solis ad Goessum peruenerit. Locus hic in Insula sancti Petri nõ longè à Sardinia posita. Et quoniã reliqua pars classis propter tempestatẽ eo loci cursum non tenuerat, sed in mari diutius cõflictata permanserat Cæsar expectandã ratus eo loci cum triremibus in anchoris mansit, arbitratus etiã classem reliquã eò uenturã. Sed cum id minus succederet, existimãs reliquã partem classis beneficio uenti usam, prẹteruexisse insulã sancti Petri, atqp in Sardiniã enauigasse, soluit ex insula, & cum ea parte classis, quæ cũ eo erat diu X Iunij ad Galerũ ciuitatẽ, Sardiniæ Regiã sedẽ peruenit. Quo loci nõ solũ nauigia, quæ cũ illo ex Barchinonẹ soluerãt, in anchoris inuenit, sed etiã q̃ Marchio Vasti à Genua, Neapoli, atqp Sicilia cũ Germanis, Hispanis, atqp Italicis militibus cum ingenti cõmeatu, machinisqp, cæterisqp huiusmodi, quæ bello usui sunt, ante sex dies traduxerat, inqp eo numero Cęs. Maiest. sex triremes Pontificis

tificis & quottuor Hierosolymitanorũ militũ comperit, classemq; recensens, summã quadringentorum nauigiorũ inuenit: septuaginta scilicet triremes, triginta intra biremes celoces, & exploratoria nauigia: onerarias uerò naues inter quas pleraſque maximæ capacitatis, Galeonesq;, & Lusitanorum caruellas, reliquaq; huiusmodi quæ ex Cantabria uenerant, trecenta erant, bombardis reliquoq; machinarum genere, socijs naualibus, militibusq; optimè instructa. Quibus peractis Cæsar ad ciuitatem inuisendam in terram descendit, honorificeq; & cum summo incolarum gaudio uelut à suæ iurisdictionis hominibus exceptus à Caleritanis fuit, deque commeatu & his, quæ & classi, & militibus opus erat abunde prouisum: quod Cæsarem non mediocri affecit lętitia. Itaque quum omnia satis parata ad proficiscendum cerneret, intelligeretq; à quibusdam captiuis Christianorum, qui proxime ex Tuneto profugerant, Barbarossum omnes triremes ad Tunetum, & uicina loca reduxisse, ciuitatemq; Tuneti, & Golletæ castellum, quod in faucibus lacus est, cui Tunetum adiacet, munire, præsidioq; militum firmare, ne qua diuturnior mora noceret, cum omnibus classis nauigijs, Deo Opt. Max. fauente, quem uotis tam præclaris, & Christianæ Reipublicæ summopere necessarijs non defuturum spero, ex Caleritano portu die decimaquarta Iunij soluit, rectaq; ad Tunetum profectus est, uentoq; prospero usus ante lucem postero die cum maiore parte triremium, nauiumq; ad portum Vticę, qui nunc portus Farinę dicitur in Affrica positus cursum tenuit, reliquæ uerò triremes, quæ tardius aliquantulum cum onerarijs nauigauerant eo loci cum reliquis exercitus copijs paulo pòst applicuerunt, eademq; die Cæsar cum tota classe ad locum, quem Saraceni Goephe Tuneti dicunt, transiuit: iussitq; nonnullas triremes, atque biremes propius Golleta accedere, quo & castelli munitiones inspicerent, & locum explorarent, ubi pedites simul cum equitibus in terram tuto exponerent. Itaque triremes tam propè Golletam accesserunt, ut pilæ ex bombardis emissæ ab ijs, qui in præsidio Golletæ erant, ad triremes pertingerent, sine ullo tamen nostrorum periculo, nostriq; eodem modo iactu bombardarum hostium Castellum impeterent. Postero die Cæsar locis bene exploratis, milites in terram descendere iussit. Itaque primi Germani expositi sunt, hos Hispani secuti, deinde Italicus miles postremo Cęsaris maiestas multis comitata principibus, domusq; suæ nobilioribus aulicis, statimq; ad expugnandam quandam turrim, quæ aquis præest, & est in littore maris nõ longe à castello Golletæ distans, ab ea parte, quæ occidentem respicit, posita, & Turris aquæ ab incolis recẽtioribus appellatur milites misit: nec fortuna cœptis defuit. nam & turris illa uirtute militum primo impetu capta est, & nonnulli uici, oppidulaq; in uestigijs antiquæ Carthaginis posita, eadem die à nostris recepta fuerunt. Cęsar uerò eo loci quo in terram descenderat, castra posuit, & qua parte castra littus attingebant, triremibus, reliquisq; nauigijs circumdedit. Sub idem tempus Saraceni quidam cum Turcis capti fuerunt, ex quibus cognitum est, castellum quod Golletam uocant, & munitionibus & bombardis, & præsidio militum, cæterarumq; rerum ad quamuis tolerandam oppugnationem ita Barbarossum munisse, ut uix expugnari queat. quod ubi Cæsar intellexit, ratus id sine maximo suorum periculo à tergo relinquere non posse, quoniam illo Tunetum oppugnante, tam munitum castellum non solum molestias classi adferre poterat, sed etiam ne commeatus ad castra, nisi cum maxima difficultate peruenirent impedire. Ad hæc magni interesse putabat, si antequam Tunetum aggrederetur, Golleta potiretur: quippe castello in potestatem redacto, alueos omnes biremium, triremiũq;,

qui in lacu, & circa Golletam erant, in sua potestate fore certissime existi- A
mabat. Itaque nostri uineas, cuniculosq́, cæteraq́ quæ ad oppugnationem
necessaria putabant, facere cœperunt: & quo minus eruptiones timerent,
dum nostri, quæ ad oppugnationem pertinebant, in opere occupati essent,
aggerem satis munitum, bombardisq́ instructum castello Golletæ oppo-
suerunt, cohortemq́ militum præfecto comite de Sarno munitionibus ab
eruptione hostium tuendis præfecerunt. quod ubi hostes, qui in præsidio
Golletæ erant, conspexerunt, existimantes, si machinis & bombardis, quæ
in aggere tam uicino continebantur, potirentur, perpetuam sibi securita-
tem parituros, eruptione cum hostibus pugnandum statuerunt. Itaque ex
improuiso cum non spernendo numero equitum peditúmque eruperunt,
protinusq́ ad munitiones aggeris accesserunt, ui conati irrumpere: sed no-
stri qui munitionibus pręerant, acriter pugnantes, non solum hostes à mu-
nitionibus reiecerunt, sed indignantes tantum obsessis animorum esse, re-
pulsos persequuti sunt. Id qui in castello erant conspicati, plures suis subsi-
dio miserunt, animosq́ fugientium ita erexerunt, ut non solùm fugam sis-
terent, sed recenti subsidio confisi, nostros iam defatigatos, quos numero mi-
litum ualde superabant, terga dare cogerent: fugientesq́ue persecuti simul
cum ipsis intra munitiones irrumperent. Nec mora Hispanorum accurrit
legio, hostémque loco pellit, & ad castellum retrocedere cogit. In illa pu-
gna ex nostris centum desiderati desunt, inter quos Comes ipse Sarni: plu
resq́ uulnerati, ex quibus Turcica ictus lancea quidam ex Sarni Comitis
consanguineis: hostes uerò ducenti ceciderunt, inter quos ut postea à capti-
uis cognitum est, aliqui non contemnendæ apud suos autoritatis uiri, & B
centum & quinquaginta ex hostibus capti sunt. Sed hac clade minime per-
territi die XXIII Iunij, denuo ex castello maiori impetu prosilientes, agge
ris munitiones adorti sunt: despiciẽtes forsitan nostrorũ paucitatem, qui mu
nitionibus præerant. arbitrabanť quippe interfectis qui ex nostris in statio-
ne erant facile & munitionib. & bombardis posse potiri. Sed longe aliter res
cesit, nostrorum quippe uirtute & agger optime defensus est, & ab eo cum
magno detrimento hostes repulsi: ex quibus triginta cæsi, multoq́ plures ca-
pti, & uulnerati fuerunt: ex nostris quatuor desiderati, & totidem uulnerati
sunt. Et quoniam eadem die non solum hostes ex castello prosilientes in no
stras munitiones impetũ fecerant, sed nostris in alijs rebus occupatis equites
quidam peditesq́ simul Barbarosi nõnullas bombardas inter Golletam &
Tunetum, ut latera exercitus Cęsarei infestarent posuerant, postero die bom
bardis exercitum nostrum ita impetere cœperunt, ut plerique globi usq́ ad ca-
stra peruenirent, idq́ hac de causa euenerat, quoniam Cæsar leuioribus præ
lijs hostem lacessere prohibuerat: sed cum id milites sine summo dedecore
nõ passuros arbitraretur, ut tam uicinus hostium equitatus sibi illuderet, sta-
tuit & equitatum Barbarosi loco pellere, & bombardas, si quo modo pos-
set, hostium intercipere. erat quippe locus quo constiterant hostes, & bom-
bardas posuerant, densis arboribus consitus, pariterq́ fructiferis, nam ficus,
arbores oliuarum, cæterarumq́ huiusmodi quę uicina Tuneto loca pluri-
mas ferunt. Quapropter Cæsar ad hostem ex loco fugandum leuis armatu-
ræ equites emisit, binasq́ peditum legiones. quarum in altera Hispani mili
tes erant, in altera uerò Germani: hos Cæsar cum equitibus ad sui corporis
custodiam deputatis, unáque Sclopetariorum legione sequebatur, quod ubi
hostes conspexerunt, quorum equites erant mille, & peditum non contem-
nendus numerus, relictis bombardis protinus fugere cœperunt: quos nostri
insecuti inter equites, peditesq́ quinquaginta ceciderunt, reliqui fuga salu-
ti con-

A ti consuluerunt, quos eo usq; Cæsaris Maiestas secuta est, donec oculis ciui-
tatem Tuneti subjceret, circumspiceretq;. In eo prælio, ne dicam fuga septẽ
ex nostris cæsi sunt, Marchioq; ex familia Mendoza equitum leuis armatu-
ræ præfectus grauiter uulneratus est: sed medici salutem pollicentur. Eodem
tempore Marchio de Alarcone ad exercitũ uenit, nonnullasq; triremes, &
naues secũ duxit, et plerosq; ex Sicilia, ac Neapoli militares, inlignesq; uiros
q ut tam præclarę, ac necessarię Christianorũ reip. expeditioni interessent,
spõte et nõ accersiti uenerãt: multęq; ex diuersis locis ad exercitũ naues one
rariæ cũ cõmeatu uenerũt, inter quas magna illa nauis quã Cęsar Barchino-
nę cõmendatori Rosę reliquerat, cũ ingẽti bombardarũ copia, rerumq; alia-
rum, quæ bello usui solent esse. Dum hæc gerunt, tres equites Numidarũ ad
Cæsarem uenerunt, binasq; literas attulerunt: quarum alteras Rex Tuneti à
Barbarosso regno et ciuitate spoliatus, alteras uerò ,pceres quidã regni, idẽq;
Regis cõsanguinei scripserant: ex quib. Cæsar percepit, Regem proceresq;
summopere Maiestatẽ suam cõueniendi desiderare, pollicerique quicquid in
his opis esset ad Barbarossum è regno Tuneti pellendum, rogarique ut ad
illos triremes transmitteret, quibus cum ad Maiestatem suam tuto enauiga-
re possent. Qua re intellecta Cæsar lætus non tam quòd auxilio Regis ad
bellum conficiendum indigeret, quod ipse suis uiribus Deo Opt. Max. fa-
uente quàm citissime sperabat conficere, quàm quòd existimaret blanditijs
& humanitate, & regem & proceres omnes tempore procedẽte relicta im-
purissima Mahumeti religione uerè Christianos efficere, Itaq; duos ex Nu-
midis remisit, qui regi nunciarent, gratissimum Cæsari fuisse Regis uolun-
B tatem intelligere, dicerentq; se & triremes, & alia quibus opus esset, ad eum
transmissuros, statimq; XII. triremes ad regem deuehendum misit: nec Rex
diutius moratus est, sed quàm primũ ad eum triremes peruenerunt, illas cen
tum equitibus Numidicis comitatus cõscẽdit, rectaq; ad castra Cæsaris, quæ
propè Golletam erant, enauigauit, dieq; XXVIIII. Iunij eo loci peruenit,
quippe parum interualli præterierat. Nam locus quo triremes conscenderãt
à castris Cæsareis mari nauigantib. per decem milliaria Italica distat. Quod
ubi Cæsar intellexit, classicum canere iussit, copiasq; in aciem, nõ secus ac si
pugnandum esset, deducere, regiq; ut honorifice reciperetur obuiam exire.
Destinauerat etenim tres principes uiros ad excipiendũ hominem, Ducem
scilicet de Alba, Marchionẽ de Alarcone, & Comitem Beneuentanũ: ij Re-
gem satis honorifice exceperunt, atq; ad tabernaculũ Cæsaris deduxerunt,
inuenerũtq; Cæsarẽ in Tabernaculo regis Lusitaniæ fratre, multisq; princi-
pibus uiris comitatũ Regem Tuneti alacriter expectãtem. Quo uiso, atq; ad
se deducto manũ porrexit, & ad osculum inuitauit, genasq; exosculari per-
misit. Deinde non solũ proceres, principesq;, qui cũ Rege Tunetano uene-
rant, sed etiam ipse Rex more Saracenorũ sedentẽ in sella Cęsarẽ humi pro-
strati uenerati sunt: hisq; peractis adhibito inter Cæsarem regemq; inter-
prete, multa de communibus rebus inter se loquuti sunt, dimissoq; à collo-
quio rege ad exercitum uidendum circumduci iussit. Quem sclopetarij, ut
magis honorifice exciperent, non semel sed sæpius more suo accensibili
puluere intra sclopetos incenso, sonitu rerribili sclopetorum salutarunt, mi-
rabaturq; Rex insuetã rem, & tam diuturnum sine aliqua interpolatione in-
star tonitru sclopetorũ sonitum, sed postq; ad bõbardas peruenit cœlũ ruere,
& terrã dehiscere arbitrabat, & pauẽs ac uelut attonitus rerũ nouitate, dedu-
cẽtes se circũspiciebat: perlustratoq; exercitu, & uisis omnib. copijs, taberna-
culo, quod ei Cæsar ,p hospitio parauerat exceptus fuit, & qm̃ prohibẽte reli-
gione Mahumetana, quã Saraceni superstitiosius, q̃ Turcæ obseruãt, neq; ui

num bibere, neque ex animalibus, quæ Saraceni non iugulassent, carnes A
edere uoluit: aqua recens, multaq; alia condita saccaro ad bibendum, eden-
dumq; per ministros apposita fuerunt. Dicuntur regem sequi octingenti
Camelí onusti rebus ad cibum pertinentibus, illumq; uiginti millium Nu-
midarum equitum exercitum habere in Mediteraneis locis, quibus omni-
bus Numidicus est habitus. armaturam nullam habent, quæ corpus ab ictu
protegit. utuntur lanceis à XXXV, usque ad LX. palmas longis utrinque
cuspidem habentibus, gladio incuruo quemadmodum & Turcæ, sed alte-
rum collo suspensum habent, alterum uerò femori alligatum. Ita Rege ex-
cepto Cæsar omnem animum in Golletæ oppugnationem intenderat, cun-
ctaq; per suos, quę ad id negotij pertinebant, quàm diligentissime adminis-
trari iusserat, operaq;, atque munitiones præsens inuisebat, uultuq; atque
alacritate, quam præ se ferebat, militem adeò exhilarabat, ut laborem in o-
pere non sentiret. & quàm lætissimus sese omnibus periculis exponeret, die
quarta Iulij conspicientes hostes indies inimicorum munitiones propius
ad muros accedere, sibique omnia arctiora fieri, eruptionem fecerunt, &
cum magno impetu ad munitiones nostrorum peruenerunt: sed nostri non
solum fortiter impetum sustinuerunt, sed etiam à munitionibus reiectos
usque ad muros persequuti sunt, parumq; abfuit, quin hostibus intermixti
castellum non ingrederentur, & omnium iudicio si aut scalas secum tulis-
sent, quoniam murus castelli à latere nullas munitiones habebat, quibus
prohibere poterat, ne murum conscenderent: aut si plures illis subsidio
uenissent, Golletam eo die capi potuisse inconfesso fuit. sed quum diutius
ibidem morandum non iudicarent, retrocedere, & ad suos se recipere ui- B
sum est, nec impune retrocessernnt: nam quos uicinos muris, neque bom-
abrdæ, neq; alia tela offendere poterant, recedentes lædere cœperunt, trigin
taq; ex nostris interfecti sunt, plures uerò uulnerati, sed ex hostibus, duplo
maior numerus cecidit. Et quoniam pro admouendis muro bombardarum
tormentis necesse erat apertos cuniculos facere, quos recentiores trinceas
uocant, fossæ sunt in obliquum ductæ, uelut Menandri quidam, qui bus mi
lites bombardas muris admouentes ab hostium tormentis reliquisq; telis se
tegunt, cœperunt opus longius quàm par erat, à muris, quæ res effecit, ut
tam cito muris bombardæ admoueri non possent: propterea quod in cuni-
culis faciendis plus temporis impensum erat, oppugnationem aliquãtulum
differre coacti sunt. & iam omnia parata erant, quum subito mare intu-
muit, nec naues, quas Cæsar admouere Castello decreuerat, atq; ex his mu
ros bombardis concutere cõmode ad Golletam accedere poterãt. Itaq; licet
omnib. paratis, donec mare detumesceret expectandum decreuerunt. Die
uerò XIII. Iulij ad noctem declinante die mare quieuit, ratusq; Cæsar satis
commode tam mari, quàm terra postero die oppugnationem confici, & Ca
stellum capi posse, processit ad munitiones inspiciendas, rectęq; omnia ad-
ministrata cernens, uirtutẽ, ac diligentiam militum collaudans, dixit: Multa,
atq; egregia facinora, meis auspicijs quæ nulla unquã posteritas tacebit ab-
sente me milites gessistis, nunc præsens sum dux Imperator, cõmilito uester
nullum militiæ munus detrectans, & si inter primores necesse fuerit ad mu-
ros accedere, uicq; in Castellũ irrumpere admonens, meminerint gestorũ uir
tutisq;, & quæ se absente ducib. auspicijs suis res gerentib. pręstiterunt, Cæsa
remq; præsentẽ, atq; intuentẽ omnia putarent, ignauos pariter, atq; strenuos
conspicientẽ: sed strenuis pręmiũ, ac militaria dona exhibentẽ, ignauis autẽ
turpitudinis notam. Nauarent igit operam egregie, tormentisq; muros qua
terent, diruerentq;, irent denicq; alacriter ac pro fide acriter contra Christi no
minis

minis hostes pugnarent, totq; prælior ũ fœliciter gestorũ, Regumq; ac Principum in his captorum pristinæq; uirtutis, cui nullæ arces, nulla unquam ciuitatum munimenta restitussent, memores, Castellum Golletæ è manibus latronũ eriperent: existimarentq;, eo capto cætera omnia facilia futura. His dictis ad Andream Auriã pergit, hortaturq;, ut mane orto sole maiores naues, Gallionesq; muris Golletæ admoueret, fortiterq; muros tormentis quateret. Diuiserat Cæsar Hispanos, quos ex Italia deduxerat, Italosq; in duas acies, Hispanisq; ex una parte ad concutiendos muros tormentorum XXIIII. curam demandauerat, totidemq; attribuerat Italis. Vtriq; gnauiter operam præstiterunt, sed Hispani paruo tempore, qua parte steterant magnam partẽ muri deiecerunt, nec diutius morati, acie instructa ad conserendas cum hostibus cominus manus læti processerũt. At qui in præsidio Golletæ erãt hinc à mari, hinc à terra uarijs malis sese cõflictari cernentes, nudati præsidio murorum corpora pro muris opposuerũt. Sed quum nostrorum impetum ægre sustinerent, uiderentq; in alijs partibus etiam muros ictos bombardis fundi tus ruere, nec diutius posse resistere retrocesserunt, sesq; ex Golleta partim nauigijs, partim nando ad Tunetum recipere conati sunt. Hispani Golletã ingressi multos tumultuantes cęciderunt, alij dum lacu ad Tunetum ire pergunt, summersi mari perierunt, quod ubi Itali animaduerterunt, per ruinas, quas Hispani fecerant, ipsi quoq; Golletam ingrediuntur: Iamq; ad prędam miles uelut in uacuo Castello discurrebat, cum naute, socijq; nauales predæ cupidi in triremes, biremesq; hostium, quæ in lacu erant, impetum fecerũt, omnibusq; armamentis nauigia spoliarunt. Sed predæ, quod ad milites attineret, parum Golletæ inuentum: cæterùm commeatus aliquantulum, quo refecti sunt, præterea sexcentæ bombardæ præter sclopetos & alia minora tormenta, inter quas æneæ trecentæ, quarum centum quinquaginta ualde magnæ. Interfecti sunt in ea oppugnatione octingenti hostes, cæteri ad Tunetum profugerunt: ex nostris sexaginta desiderati, capti uerò sunt in lacu Golletæ XXX aluei triremium, & XXXII maiorum biremium, & XV biremes minores, celocesq; & exploratoria nauigia plura. Tantulo tam magni momenti uictoria stetit. Lętus tam fælici successu Cæsar, existimans benè cœptam expeditionem Deo Optimo Maximo fauente exitum meliorem habituram, Deo rite sacris persolutis, hostibus immodica clade perculsis nulla interposita mora instandum esse ratus, primores ex suis ad cõsilium uocat: atq; in eo de profectione ad oppugnandam Tuneti ciuitatẽ agit. Variæ principum erãt sententiæ: Nam alij satis negotij gestum existimabant, Golletam captam, classem penè totam Barbarossi in manibus esse, fractas regis Turcarum uires, possessioneq; maris hominem priuatum arbitrabantur, nec ita facilè classem Barbarossum recuperaturum, ut amplius aut Hispanijs, aut Galliæ, aut Italiæ pertimescendus esset: temporeq; procedẽte, putabant cum modica classe hominẽ prohiberi posse, ne piraticã exerceret, tutumq; nauigantibus mare reddere. Præterea dicebãt satis constare, Barbarossum ingentes copias, & non spernendum exercitum peditum, equitumq; confecisse, quo cum ad Tunetum oppugnandam euntibus pugnandum erat. Ad hæc exercitum Cæsareum æstiuo tempore, & ingenti æstu Affricam exurentem, & interuallo loci à Golleta usque ad Tunetum pertinente in agro nimis siticuloso, & sine aquis rebantur difficile sine incommodo maximo militem, qui propter iumentorum necessitatem, & bombardas trahere, & cibaria secum deferre cogeretur, posse conducere, conductumque si locum, quem castris nostri occupare destinauerant, Barabarossus prius occupasset, in arido solo sine aquatione diutius detinere. Postremo dicebant commeatus auxiliaq; quæ rex Tuneti promiserat, aduenisse nulla: quod indicium erat,

alienati

alienati penitus à Rege Tunetano totius Affricæ prouinciæ animi. Itẽ quod A
si Barbaroſſus deſeſſis ęſtu, fatigatiſq; tam incommodo itinere noſtris militibus copiam pugnandi feciſſet, uerebantur ne noſtri facile hoſtibus integris, & nullo labore defatigatis, ac tam in propinquo loco Tuneti iniquo loco prę lium conſererent, detrimentiq; aliquid ab hoſtibus reciperent: hiſq; rationibus conabantur Cæſari perſuadere, ut rebus quas fœliciter geſſerat contentus Affricam relinqueret, atque in Hiſpaniam nauigaret. Alij uerò penitus contraria ſentiebant, perculſiſq; hoſtibus tam ingenti clade omnino inſtandum eſſe iudicabant, exercitumq; uictorem poſtpoſita itinerum, aliarumq; rerum difficultate ad oppugnandam Tunetum ducendum, nec ullo modo uirtuti militum diffidendum, Barbaroſiq; Numidas, & Saracenos ſemi inermem, atq; inexpertẽ pugnandi multitudinẽ ullo modo pertimeſcendam: quippe huiuſmodi generis milites uiſo hoſte ſtatim conſueſſe terga uertere, & effuſos ſine ullis ordinibus profugere. Cæſar aſſentiebat, ratus non poſſe ex Affrica ſine ſummo dedecore, ac totius Chriſtianæ reipublicę pernicie bello penitùs non confecto diſcedere. Arbitrabatur quippe receſſu eius ex Affrica animum Barbaroſſum ita erecturum, ut id, quod reliquum erat in Affrica, facile ſubiugaret: Regemq; Tuneti quem ipſe Cæſar ſub tutela receperat, penitùs profligaret, totaq; Affrica depelleret: opeq; atq; auxilio Regis Turcarum alueis triremium relectis claſſem iterum, qua cum Italiam, atque Hiſpanias peruaſtaret, comparaturum. Ad hæc Cæſarem principem Chriſtianiſsimum plurimum angebat, quod iam pridem compertum habebat, uiginti millia captiuos Chriſtianorum eſſe in manibus Barbaroſi, quos Deo, Opt. Max. fauente, ſi ad oppugnandam Tunetum proceſsiſſet, Chriſtianæ libertati reſtituere poſſe ſperabat. Quod non minus erat Chriſtianæ B
reipublicæ utile, quàm tanto principe dignum. Itaque omnino ad oppugnandam Tuneti ciuitatem proficiſci conſtituit. Dum hæc geruntur ad Golletã, Barbaroſſus ob captum Golletæ caſtellum ingenti clade perculſus, ſæpiusq; præ dolore manu pectus contundens, exclamansq; fundamenta regni ſui iam collapſa eſſe, ultimam ſtatuit experiri fortunam. Itaq; ex gentiũ colluuione, quæ propter metum ex uicinis locis ad Tunetum confugerat, remigibusq;, ac ſocijs naualibus, quos ab alueis triremiũ à Cæſare in Golletæ lacu interceptarũ exemerat, Tunetanisq; ciuibus, cæterisq;, quos ipſe ſecum tum nationis Turcicæ, tum Saracenorũ habebat, exercitũ, quo cũ Cæſari obuiam iret, parat, atq; ad hæc Numidarũ equitũ octodecim millia cõducit, manendumq; Tuneti decernit, donec Cæſar ex Golletæ Caſtello moueat. Interea Cæſar omnibus ad profectionem rite paratis, ratus tanta clade, hoſtibus perteritis mature inſtandum eſſe, iuſsis militibus quinque dierum cibaria deferre, prouiſoq; ut Andreas Aurias præfectus claſsis ſcaphis nauigiorũ per lacum Golletæ, & aquam, & reliqua, quæ ad commeatũ pertinerent, ad exercitum perferret, Ipſe die xx Iulij orto ſole ex caſtris mouit, exercitumque non ſecus, ac ſi præſentem, atq; in conſpectu hoſtem haberet, Tunetum uerſus ducere cœpit. Diuiſerat quippe in tres acies omnes copias: Primamq; Marchioni Vaſti deducendam conceſſerat, quam in duo cornua diuiſerat: leuum Italicus miles, dextrum Hiſpanicus ex Italia uterq; euocatus tenebat: ſed eo modo inter ſe diuiſi, ut bombardis, quas inter duo cornua poſuerant, locus eſſet. Hiſpanos à tergo ſequebantur Germani, Italos uerò omnes Cæſaris aulici, quibus ipſe Cæſar præerat, & hæc erat ſecunda acies. Tertia erat ex Hiſpanis, quos Cæſar ex Hiſpanijs ſecum deduxerat, inter quos duo millia equites, cæteri uerò omnes erant pedites, hosq; in ſubſidijs locauerat atq; his Ducem Albæ præfecerat. Impedimenta uerò omnia ita collocauerat, ut à leua lacum Golletæ pro munimento, dextra uero omnes Cæſareas copias

eo modo,

eo modo, quo superius est dictum, instructas haberet, idq; hac ratione administrauerat, ut quàm tutissime incederent. Itaq; instructo exercitu lento gradu procedebat. Decreuerat quippe eadem die castra in quodam loco ponere, tria millia passus à Tuneto distantem, quo à peritis locorum intellexerat satis commodam exercitui aquationem fore. Sed ubi aliquantulum processit, in itinere miles armis onustus, & æstus ac caloris intemperie quæ Affricæ loca, & presertim æstiuo tempore uehementer infestat, torridisq; à sole arenis exustus, quæ omnia etiam itineris labor, & defatigatio in deducendis Bombardis adauxerat, aquæ puteum inuenit, protinúsque ad puteum relictis ordinibus, ut aqua sitim leuaret accedit. Quod ubi Cæsar animaduertit, quantum'que inde periculi eueniret, si hostis ex improuiso dissipatos, & in aqua haurienda procul à signis occupatos adoriretur cogitasset, statim misit qui milites ab aqua prohiberent, & ad suos ordines, signaq; reducerent, iter'que cœptum confici iuberent: quæ res celeriter administrata nostris salutem peperit. Nam haud lõgius progressi hostem inter oliueta (quod genus arboris frequens in hac regione est) delitescentem conspicati sumus, putauimusq; anteambulones esse, & quos Barbarossus ad copias nostras explorandas miserat, nec sententia nos fefellit: Barbarossus quippe intelligens per exploratores Cæsarẽ cum exercitu ad Tunetum uenire, die XVIII. Iulij copias quas in ciuitate Tuneti habebat, atque undequaque collegerat recensuerat inuenerátque non contemnendum exercitum: sed an omnes idem animi haberent, ut pro domo laribus & Mahumeti impurissima hęresi quæcunq; fors tulisset, æquo animo paterentur, incertus erat. Itaque Numidas equites ad se uocat, iuramentóque uelut milites, quos pecunia conduxerat adigit, ut parato animo ad pugnam cum hostibus conserendam secum ciuitatem exirent: & quicunque ex ciuibus, aut alijs, quos in exercitu conscripserat, idem facere nollent, armis ac ui mandata exequi cogerent. Numidę omnia se facturos et quocunque duceret, ituros iuramento pollicíti sunt, acsi qui essent etiam ex ciuibus qui munus militiæ detrectarent, ut in officio manerent, coacturos. Itaque postero die Barbarossus congregatis omnibus copijs, quas tam diligẽter conquisiuerat, docet Cæsarem ex Golleta propediem cum exercitu moturum, rectáque ad Tunetum uenturum, nititur'que persuadere, ne uires & copias Cæsareas pertimescerent: multo plures in exercitu suo instructioresque & armis & alijs quæ ad pugnandum necessaria essent quàm in Cæsareo esse dicit. Præterea narrat multa incommoda, quæ Cæsarianos in itinere, tam commeatus quàm aquationis, aliarumq; rerum pati necesse erat, tandémque exponit fessos, ac defatigatos æstu, ac itineris labore, sitíque enectos cum recentibus, & sub muris pene ciuitatis pugnaturos: se uerò omnia, quæ exercitui suo necessaria erant, satis abunde prouidisse, commeatum locúmque castrorum ita expedisse, ut hostibus nihil reliqui esset: nulloq; modo neq; aquationis neq; pabulationis facultatẽ haberẽt, hortaturq; ut bono animo sint, & certã sibi uictoriã polliceantur. Itaq; quæ ad custodiã arcis, ciuitatiq; pertinerẽt, rite ordinatis, ipse die XX. Iulij, quàm primũ illuxit, copias extra ciuitatẽ educere cœpit: processitq; ad locũ, quẽ Cæsar castris destinauerat, atq; eodẽ loci, quoniã & à ciuitate non amplius, quàm tria millia passus distabat, & aquationem satis cõmodam habebat, castra posuit, Cæsarisq; prompto ad pugnandum animo expectare exercitũ constituit. Erant quippe in exercitu Barbarossi equitũ Numidarũ octodecim millia, quos paucis ante diebus non negligẽda pecuniarũ summa corruptos à Rege Tunetano abduxerat: prẽterea Turcarũ equites mille, sclopetariorũ uero XV. millia, inter quos Turcæ decẽ millia numerũ explebãt, cæteri uerò Saraceni erant conducti pecunijs. Ad hæc centum & uiginti

millia

millia hominũ partim ex ciuibus Tunetanis, partim ex uicinis locis tumultuariè collecta, ita, quod amplius quàm cẽtum quinquaginta hominum millia in exercitu Barbarosi fuisse dicantur. Quibus copijs confisus, aut exercitum nostrũ ab obsidione Tuneti prohibere posse sperabat, aut propter multitudinem certam, si pugnaret, uictoriam habere. Sed Cæsar instructo (ut suprà dictum est) exercitu procedens, uisis inter oliueta anteambulonibus, hostiumq; exploratoribus, existimans hostem non procul cum omnibus copijs abesse, cœpit cautius progredi, nec diutius in itinere moratus hostem conspicit eo loci, quo ipse decreuerat castrametari, instructa acie pugnam præstolantem. Qui cum Cęsarianos appropinquare uidit, positis ante primam aciẽ duodecim bombardis parumper processit, nostrisq; copiam pugnandi fecit. Lętus Cęsarianus miles pugnam nõ detrectat, res utrinq; eminus prius bombardis agi cœpta, & mox nostri pedem intulerunt, propiusq; hostẽ cum sclopetis accesserunt, idemq; hostes faciunt: et iam eo res deuenerat, ut comminus, & prope cũ hastis pugnaretur, quũ uim impetũ uirtutẽ atq; agilitatẽ nostrorum sclopetariorũ, quorũ ictus more fluminis, uel instar uẽti cõtinue cum ingenti impetu flantis, hostes non ferentes, terga uerterũt: relictisq; tribus bombardis cum aliquot militibus, quas nostri cæsis custodibus receperunt, cæteras bombardas secum non ita effuse fugientes abduxerunt, moxq; constiterunt, atq; iterum ad nostros conuersi aliquod globos ex bombardis proiecerunt. Sed ubi uiderunt nostros pedem inferre denuo terga uerterunt, atq; eodem modo, quo prius fugere cœperunt: quos nostri & itineris labore defatigati, & æstu ac siti confecti, insidiasq; ueriti persequi non sunt ausi. In prælio quàm pauciſsimi utrinque ceciderunt: ex hostibus quippe tercenti desiderati sunt, ex nostris octo tantùm, qui prædæ cupiditate ordines reliquerant. Barbarossus uerò postquam se è conspectu nostrorum esse uidit, collectis ex fuga suis ad proximos montes, qui ab ea parte sunt, qua Orientem Tuneti ciuitas spectat, se recepit. Cæsar autem nactus idoneum castris locum eodem loci quo hostis fugerat mansit, militesq; noctu ne quid à uicino hoste damni reciperent, in armis excubare iussit. At Barbarossus ubi nox aduenit, primores ad consilium uocat, de ratione belli cum ijs acturus: propositisq; hinc atque inde sententijs, tandem iterum fortunam pugnæ tentare decreuit. Sed postquam illuxit nonnulli, quos in præsidio Tunetanæ arcis reliquerat ad eum uenerunt, arcemq; in potestatem captiuorum interfectis pluribus ex his, qui in præsidio erant, deuenisse nunciarunt. Nam quidam ex his, qui in arce erat, et Christi fidem ad Mahumeti hęresim transiens denegauerat, postquam uidit Barbarossum prælio uictum, ad montes confugisse, uenerat ad captiuos, remq; suo ordine narrauerat, certioresq; fecerat, Barbarossum decreuisse omnes captiuos Christianos, siquid grauius cõtigisset, interficere: & propterea uicina loca ergastulo accensibili puluere bombardarum cõplesse, ut igne id momento temporis conficeret. Hortatusq; fuerat homines, ut effractis ergastulis, quæcumq; sors arma dedisset sumerent, atq; in pręsidiũ in arce relictum impetũ facerent. Quod captiui alacriter peregerant, pluresq; ex ijs, qui arci pręerãt, interfecerant, reliqui fuga elapsi ad Barbarossum profugerant: ipsi uerò portas arcis occluserant, uexilisq; et fumo Cęsarianis signũ dederant, arcem in potestate sua esse. Quod ubi Barbarossus intellexit, protinus cum parte copiarũ ad arcẽ adcurrit, multisq; pollicitationibus captiuos onerat: rogatq; ut arcẽ adaperiant, seq; in eam admittant. Sed postq; nihil proficere uidit, captiuosq; arcẽ iam pro Cæsare tenere percepit, ueritus ne Cęsar eum persequereẽ deploratis rebus suis fortunã incusans iterũ ad mõtes se recepit. Interea Cæsar ex castris mouerat, ut copias ciuitati Tunetanę admoueret, signaq; quę ex arce dabãtur cõspicatus, Marchionẽ Vasti ad eam recipien-

A recipiendam cum parte copiarum misit, quem captiui portis apertis alacri ter in arcem introduxerũt. Cæsar uerò interim ad suburbium ciuitatis cum copijs accesserat, substiteratq; parumper, cõsultaturus an Tunetum in prædam militibus daret (clementissimus quippe uir hostibus etiam parcere cupiebat) sed uirtus militum, totq; labores exhausti, operaq; non solũ in expugnando Golletæ castello præstita, sed etiam in profligando Barbarossa nauata, id facere non permittebat. Itaque ut & contumaces ac rebelles puniret, simulq; militum labori satisfaceret, Tunetum prædam militum esse uoluit: sed antequam quidquam faceret, placuit regem Tuneti aduocare, interrogareq; an quenquam haberet in ciuitate, quem conseruare cuperet: promittens Cæsar curaturum se, ut quoscunque uellet conseruarentur. Ad hæc Tuneti Rex respondit, se neminem habere, qui conseruandus esset: rogauitq; que Cæsarem, ut omnes interfici iuberet. Itaq; die XXI. Iulij miles ingressus ciuitatem, ad prædam discurrit, multaq; alia quæ in capta urbe solent fieri, perpetrat: biduoq; que penè toto per ciuitatem discurrẽs, prædam egit: ex Tunetanis multi cæsi sunt, plures capti. tandẽ die XXIII. Iulij miles ex Tuneto præda onustus exire iussus est: sed minor præda, quàm ex tanta ciuitate milites animo cõcœperant, extitit. Nam ex captiuorum uenditione plus prædæ fuit, quàm ex alijs omnibus rebus. At in arce quæcũq; de thesauris Barbarossi post tot impensas in apparatu belli, militibusq; tam Numidis quàm alijs conducendis factas superfuerat, id totum, fama est, in manus Christianorum, qui se ex captiuis effractis ergastulis in libertatem uendicauerant, ante aduẽtum nostrorum peruenisse. Licet Marchio Vasti, ut quidam dicunt, XXV. ut alij uerò, XL millia aureorum, quòd primus arcem ingressus fuerit, pro parte sua dicatur habuisse. Commeatus uerò, aliarumq; rerũ quæ bello usui futura Barbarossus, & diutinæ obsidionis tolerandæ causa in arcem congesserat, abundè repertum est, quod Cęsar conseruare uoluit. Dum hæc geruntur, quidam ex transfugis ad Cæsarem uenerunt, nunciaruntq;, Barbarossum ad Syrtim paruam, quam nunc Cerbas uocant, profugisse: sed ut postea compertum est, eódem non profugerat, ed ad Hipponem, quam nunc Bonam dicunt, se cum quinque milibus ex suis contulerat (distat etenim Hipponis oppidum à Tuneto centum & triginta millia passus) In itinere quippe eadẽ fide qua regem deseruerant amicitiam Barbarossi Numidę secuti, postquam afflictas hominis res, & retro omnia labi uiderunt, non solum ab eo desciuerant, sed etiã postremum agmen adorti, plures ex ijs qui Barbarossum sequebantur, interfecerant: multiq; æstu, siti & labore itineris perierant, pluresq; fuga ad uicos proximos delapsi profugerant. Cæsar autem Andrea Auria ad Hipponem recipiendam cum parte classis, copiarũq; misso, animũ ad regni Tunetani res ordinandas conuertit. Itaque Rege Tuneti ad se uocato, exemplum rarę liberalitatis, nullaq; unquam temporum obliuione delẽdum, uereq; sublimitate Cæsarea dignum edidit, Tunetumq; restituit, atque in Regni possessionem induxit: & quo magis hominem ab hostibus muniret, arcem Tunetanæ ciuitatis, Golletęq; castellum proprio milite muniuit, uectigalq; regem decem millia aureorum annua pendere iussit, quatuorq; equos, decemq; accipitres, qui uulgo Falcones dicuntur. Sed Rex, qui, si uitam proijceret, uix minimam partem beneficiorum à Cęs. Mai. in se collatorum ęquare posse arbitrabatur, uectigalia quotquot sunt tam in Tuneto, quàm uicinis locis Cęsaris esse uoluit: subsidio præsidij militum, qui Golletę, atq; in arce Tunetana relinquũtur, futura. Cęterùm mi Loxane, ne quid te lateat, quoniam sæpius de Golleta, & Tuneto mentionem feci, antequam ad finem ueniam, uisum est, non solum arcem, sed etiam lacum

Golletæ, cætera' que adiacentia simul cũ Tuneti ciuitate describere. Lacus A
igitur est, quo mare succedit longius, fauces q; satis angustas habet, utpote
per quas uix triremium aluei sine remis ingredi possint: nec maiora nauí-
gia admittit. & licet tam angustis faucibus mare succedat, tandem postea
se latissimè pandit, ambitum' que lacus efficit amplius quàm quadragin-
ta millia passus: leuo' que latere ingredientibus, quod orientem aspicit, an-
gustam habet penes littus lacus & arenosam uiam. Cætera mons à septen-
trione in meridiem porrectus, natiua arbore consitus, atque in maiori par-
te asper obtinet. Dextra uerò lacus pars planiciem habet, ficus arbore, oli
uetis, citrijs' que, atque alijs huiusmodi generis arboribus consitã, pulcher-
rimum cernẽtibus exhibet aspectum. quod lacus est in medio, ualde limo-
sum est: cęterùm quo magis ab utraque parte littori appropinquat, eo plus
arenæ, minus' que altitudinis habet. totus' que lacus uadari posset, ni limus,
qui in medio est: homines id conantes facere impediret. augetur hic, minui-
turq;, prout mare ad littus Africanum accedit, uel ab illo recedit: ac plerun
que æstu maris & tempestatibus ita fauces lacus obturantur, ut necesse sit,
quo nauigia possit admittere, illas egerere. Fauces duo cornua habent, al-
terum ab ea parte qua orientem respicit, alterum qua occidentem, utrun-
que planum atque arenosum, sed multo magis in longitudinem, quàm in
latitudinem porrecta. Nam à lacu usque ad illud mare, quod sinum Tuneti
uocant, utriusque cornu latitudo est, quod uix quinquaginta passus habet,
In cornu quod orientem respicit, domus quasdam habet, quæ mercimonia
mercatorum solent recipere. In eo uerò quod ad occidentem est, castellum
est quod Golletam uocant, faucibus lacus appositum, quod Barbarossus
& operibus, & bombardis, & satis ualido præsidio, ut superius dictum est, B
munierat: ab faucibus ad Tunetum recta nauigantibus, à septentrione sci
licet in meridiẽ nouem millia passus sunt. Sed Tunetum aliquantulum à lit
tore lacus recedit, in ipso uerò littore nauale est XIIII triremium capax,
& quædam etiam domus ad recipiẽdas merces aptæ. ipsa uerò ciuitas par
tim in colle est, & partim in plano, ab ortu solis in occidentem porrecta.
Qua' que parte orientem spectat, ex eadem etiam arcem tenet in plano to-
tam positam, atque à cæteris ciuitatis munitionibus muro quodam diui-
sam. eodem' que loci suburbium habet, Rebatum incolæ uocãt, qui à Chri-
stianis incolebatur. ab occidente partim in plano est, & partim in colle le-
uiter accliui. Habet ab ea parte suburbium quoddam angustum aliquãtu-
lum, sed in longitudinem ualde porrectum. Quod uerò muri ad septen-
trionem uergit, totum est in plano: sed quo magis ad meridiem procedit,
eo magis attolitur, donec ad summum collis ascendat, in quo muros meri-
diem spectãtes habet. ambitus totius ciuitatis est, nouem millia passus: sed
pro tanta amplitudine frequentiam incolarum non habet. Sed iam tem-
pus est, ut unde digressus sum, redeam. Cæsar, post inductum in possessio
nem regni Tunetani Regem, nũcios ab Andrea Auria, quem, ut superius
dixi, ad Hipponem recipiendam miserat, de capto oppido, & re bene ge-
sta recepit. Barbarossus quippe, qui se cum suis post fugam ad eum locum
contulerat, & eo modo quo temporis breuitas exigebat, triremium non-
nullos alueos refecerat, quos eo loci in lacum quendam mare succeden-
te longius, late' que postea restagnante antè aduentum Cęsaris in Africam
cõduxerat, duce quodam, quem uulgo Cacciadiabolum uocant, ad Arce-
rium transmiserat: ipse' que eodem loci exploraturus, quo se Cæsar cum e-
xercitu classeq; transferret, præstolabatur. Sed breui tempore, postquàm
duce Caccidiabolo triremes ad Arcerium expediuerat, ad eum uenerũt,
quos in speculis constituerat: retulerunt' que, classem Cæsarianam in mari
uisam,

Auiſam, quæ rectà curſum ad Hipponem direxerat. Quod ubi intellexit, ue
ritus ne etiam hoſtiles copiæ terra uenirent, collectis ſuis relicto oppido
profugit, atque iter uerſus Arcerium, ut ex transfugis captiuiſque poſtea
cognitum eſt, facere cœpit. Sed ut à peritis locorum audio, ſi nullū etiam
impedimentum à Numidis reliquiſque latronibus, qui afflictas homi-
num fortunas prædæ auidi plerūque perſequuntur, receperit, uix cum de-
cima parte ſuorum tum propter itineris æſtusque laborem, cum etiã pro-
pter inopiam commeatus, quem in itinere, hominem alioquin tyrannum,
& toti Africæ exoſum, minimè habere poſſe exiſtimant, ad Arcerium per
uenturum. claſsis uerò Cæſariana poſteaquam ad oppidum Hipponis per
uenit, ſtatim oppido potita eſt. & quoniam Andreas Aurea cum triremi-
bus Cacciadiabolum paulo antè receſsiſſe, atq; uerſus Arcerium nauigaſ-
ſe perceperat, relicto præſidio in oppido, ratus celeritate opus eſſe, ſtatuit
ad Arcerium recta nauigare: idque eo cõſilio fecit, ut & ſi quo modo poſ-
ſet, Cacciadiabolum, cum triremibus aſſequeretur, easque interciperet, an
tequam ad Arcerium peruenirent, quod multum intereſſe arbitrabatur. Et
ut ad Arcerium, priuſquàm Barbaroſſus ueniret, ipſe adnauigaret, quod rei
bene gerendæ occaſionem non minimam præſtare poſſe ſecum conſidera-
bat: putantque homines, & fœlicitatẽ Cæſaris cogitantes, & diligentiam,
celeritatemque Principis Auriæ, quam ſemper in omnibus præſtitit re-
bus, Deo Opt. Max. tam piæ expeditioni fauente, utrũque ex uoto conſe-
cuturum. Nam Arcerium ab Hippone diſtat penè per C C C L millia paſ-
ſus: quod ſpaciũ citius Principem triremibus, & præſertim noctu diuque
proſpero uento in mari nauigantem ſperant, quàm Barbaroſſum, tãtis ca-
loribus exuſto milite, & maxima penuria commeatus uexato, quem ali-
quando quieſcere oportebit, terreſtri itinere confecturum. Cæſar igitur in-
tellectis, quæ ad Hipponem geſta erant, oppidum regi Tunetano conceſ-
ſit: hac conditione, ut ſeptem millia aureorum pro iſs qui in præſidio arcis
Hipponenſis relinquebantur, penderet. His ordinatis, multisq; Hiſpano-
rum domum redeundi conceſſo commeatu, ipſe Panormum in Siciliã cum
Germano atque Italico milite, plurimisq; ex Hiſpania tranſire decreuit, &
mox Neapolim inuiſere, parataq; iam ſunt omnia. Et cras Cæſ. Maie. claſ-
ſem in Siciliam transfretatura conſcendit. ualde enim præclarã, mi Loxane,
& nulla unquam poſteritatis obliuione delendam, Chriſtianæque reipub.
non ſolum utilem, ſed etiam uehementer neceſſariam Cæſar conſecutus eſt
uictoriam. Quippe quæ non ſolum à continuis Turcarum, piratarumq;
incurſionibus perpetuam Hiſpaniis, Galliæq; atque Italiæ, reliquisq; Chri
ſtianæ ditionis prouinciis ſecuritatem pepererit, ſed etiam furorem Chri-
ſti nominis hoſtium ita contuderit, ut non ſolum Barbaroſsi minas, & in
Chriſtianum nomen rabiem repreſſerit, ſed Turcam etiam perpetua ma-
ris poſſeſsione cum maximo detrimẽto rerum Turcicarum detruſerit, rem-
que maritimam ita in libertatẽ aſſeruerit, ut nullo modo Chriſtianis Tur-
ca in mari pertimeſcendus ſit: mare nauigantibus pariter noſtris, aliisque
nationibus liberum reddiderit, iugumque, quod Barbaroſſus Turcæ ſuf-
fultus & claſſe & præſidiis iam palam Chriſtiano nomini minabatur, retu-
derit. Ad hæc X X millia Chriſtianorum, quos perfidiſsimus hoſtis Bar-
baroſſus in carcere & uinculis detinebat, liberauerit, inter quos nonnullos
nauticæ rei peritiſsimos, quorum coacta opera multa damna Chriſtianis
intulerat, eratque illaturus, niſi Cæſar hominis inſolentiam compreſsiſſet,
pleroſque etiam bombardarum faciendarum artifices, qui coacti uelut in
uinculis & ergaſtulo exiſtentes, compellebantur artis ſuæ induſtriam præ
ſtare, & quæ Chriſtiano homine indigna ſunt facere, ſeruitute exemerit.

Non puto etiam reticendum, quòd inter captiuos septuaginta Galli repert A
ti sunt, quos Cæsar oratori Regis Galliæ domum transmittendos tradere
iussit, testes uictoriæ liberalitatis'que Cæsareæ semper futuros. Quapropter
quisquis Christi nomen ex animo & uerè colit, infinitas Deo Opt. Max.
gratias agere debet, quòd tam ingenti metu atque consternatione Chri-
stianam rempub. liberauerit: plurimum 'que sese fateri Cæsari debere, qui
in hac expeditione ita se gesserit, ut & optimi Imperatoris, & fortissimi mi-
litis operam præstiterit, nihil' que quod ad tam magnam, tam 'que sanctam
expeditionem necessarium fuerit, usquam prætermiserit: palamq; omnibus
fecerit, se quibusuis magnis Imperatoribus æquandũ esse, quibus omnium
nostrorũ in se animos non sine magna admiratione conuerterit. Sed ne
te diutius in enumerandis Cæsaris uirtutibus in hac expeditione palàm ex
hibitis detineam, de quibus satius esset tacere, quàm tam pauca dicere, ad
rem uenio. In recensendis bombardis, quas Cæs. Maie. & in arce Tuneta-
na, & in Golletæ castello receperat, quædam tormenta, globi 'que insigni-
bus regis Galliæ notata reperta sunt. Quapropter quidam existimauere,
Regem Gallum & armis & munitionibus & pecunijs etiam Barbarossum
contra Christianos iuuisse: alij tantum scelus in Regem Christianissimum
nullo modo posse cadere reputantes, ut rem indignam & suo nomine, &
Christianitate perpetraret, arbitrabantur, Barbarossum tormẽta illa, & ma-
chinas dedita opera ea nota signasse, quo Tunetanis, reliquis 'que qui cum
eo sentiebant, latronibus, palàm faceret, se in Christianitate etiam magni
nominis Principes amicos habere, qui se & opibus, & omnibus rebus,
quæ ad usum belli pertinerent, re ita exigente, iuuarent, alacriores 'que o-
mnes suos ad defendendum regnum Tuneti redderet: putantes non so- B
lum hæc, sed etiam multo maiora subsidia à tam magno rege, quotiescun-
que ita contigerit, habituros: plerique dicebant, captis aliquando Gallicis
nauibus Barbarossum illa recepisse, atque ad arcem Tuneti & Golletam
aduexisse. Itaque uariæ in hac materia sententiæ dicuntur. Qua de re satis
super 'que dictum sit. Cætera quæ sequentur, ex Italia eadem fide ad te per-
scribam. Intelligo quippe Cæs. Mai. non contentam hac uictoria, Deo fa-
uente opt. max. multo maiora moliri, quæ & Christi nomen ad externas
nationes emanare facient, & perquàm necessaria Christianæ reipub. futura
sunt. Quæ omnia prosperè & fœliciter tam pijs uotis Deo iuuante
cessura unusquisque arbitratur. Vale: & me, ut semper fe-
cisti, ama. Ex Cæsaris fœlicibus castris apud
Golletam. XVII. Calen. Septembr.
M. D. XXXV.

COMMENTARIVM EXPEDITIONIS TVNICEAE, A' CAROLO V. IMP.

Anno M.D.XXXV susceptæ, Ioanne Etrobio autore.

A



Alaasan Tuniceus legitimus Rex (cuius nempe maiores, plus septingentis annis ibi rerum potiti sunt) Barbarica crudelitate præditus, quicquid libuit, licere sibi in suos uoluit: adeò, ut nõ solum fortunas quorumcunque sibi uisum esset, quo iure, quá que iniuria sibi uendi caret: uerùm etiam liberis subditorum suorum, naturæ & pudoris fractis repagulis, contra omne ius atque phas, ad nephãdam etiã Venerem abuteretur: quo factũ est, ut subditi eius non semel ab ipso deficere meditati sint. Quod animaduertens Heredin Aenobarbus, occasionẽ tã obuiã & opportunam nõ amisit. De cuius successu & incremento, paucula ueluti delibare, nõ alienum à nostro instituto fuerit. Fratrem hic habuit maiorẽ natu Horcuh nomine, cognomẽto etiam Aenobarbum, utercp patre Cilice natus fuit, Christianæ religionis illo quidem aliquando cultore: sed qui tandem Christianæ militiæ factus desertor, in castra Turcica turpiter transfugerit. Filij aliquantisper sub Curcotio Imperatoris Turcarũ fratre meruerunt: quo mortuo, natu grandior cuiusdam triremis præfectus, cũ Salim Turcarum Imperator classem nauium quæ in fratris fuerãt potestate recenseret, metuens exauctorari, cum triremi sua fugit in mõtes Barrhicos, ibícp biremem unam & rostratam Syracusanã mercibus uarijs onustam cæpit: collectisch è sinu Tunetensi aliquot piraticis myoparonibus, cũ fratre & sororio suo piraticã facere occœpit: magnoch conatu regnũ Bugiæ adorsus est. sed amisso ibi brachio dextro, à ciuibus & præsidio Hispanorum fortiter repulsus & fugatus fuit. Necp profuit illi rursus eandem belli aleam tentanti, naues omnes igni cõsumere: ut scilicet socijs maiores animos adderet, omnemch spem fugæ præcideret. nam re infecta, non sine iactura & dedecore fugere coactus fuit. Exustis igitur nauibus, ex pirata terræ perturbator factus, Algerico regno, quod Ferdinãdo regi Catholico tributarium fuit, expugnato, Heredin fratrem suũ cum imperio præfecit. Deinde Tenensium regnum aggressus, paruo negotio in potestatem suam redegit: ubi Scander Rais sororium suum cum præsidio satis firmo reliquit. Proinde successu rerum sublatus, maiora, nec infœliciter tentauit. Per Morabitas namque Maurorum sacerdotes, quos tantum non pro semideis habent, facilè persuasit Tremesensibus, ut Regem suum (quia Christianis principibus confœderatus erat) expellerent: nisi iram & uindictã prophetæ sui Mahometi, in se totiusch regni perniciem & exitium prouocare uellent. non enim Mahometo cum Christo cõuenire posse. Exacto igitur Rege, ne ipse per tyrannidem expulsi locum occupare uideretur, uafro quodam stratagemate (si tam subdola fraus stratagema dicendum est) illis imposuit. Suadebat enim, ut nepotem Regis exacti, quem ille in carcere asseruari iusserat, ne hostile quippiam in patruum suum moliretur, liberum dimitterent, atque in fugati patrui locum subrogarent. Placuit consilium Tremesensibus: adolescens eneruis eximitur, spe, fore ut diademate regio ornetur. Sed ò cæca & execrãda regnandi ambitio. Bonus ille (si dijs placet) Horcuh Aenobarbus, iuuenẽ iam regno destinatum, per insidias trucidat, eisdemch artibus Tremesensium regnum occupat: multorum, eorum' que potentissimorũ, & auctoritate apud suos flagrantium, cæde & sanguine uires suas afirmat, omnibus se formidolo-

sum facit. Infœlix adolescens, quid tibi profuit è carcere educi, patrui tui san A
guinolentas manus euadere, cùm iam regno destinatus, in piratæ sicam in
ciderís? Præstiterat certè, squalore & pedore carceris computrescere,
quàm à tanta spe delapsum, tam miserè, tam immaniter, tam crudeliter ma
ctari. Patruus adolescētis, Rex quidem Tremesensium, sed eiectus, tam sce
lerati facinoris atrocitate perculsus, ad Ferdinandum Regem Catholicum
profugit: auxiliares copias contra immanissimum tyrannum, magna sui
commiseratione, apud Regem, omnes'que totius regni satrapas excitata,
implorat, impetrat. Diuersis in locis, uario belli euentu, cum Aenobarbo
confligitur. Tandem ab Hispanis, regis'que Tremesenij exacti copijs, in
oppido Alcala, longa obsidione cinctus, cùm rerum omnium penuria la-
boraret, de fuga clandestina cogitare cœpit. Partem muri, quam qui in ob-
sidione erant, minimè obseruabant, per Christianos captiuos demoliri cu-
rat: facta'que uia, qua equitatum omnem educere posset, Christianos ad
unum omnes occidit. Quicquid uerò auri, argenti, gemmarum, & aliarum
rerum magni precij è templis locis'que prophanis corradere potest, conua
sat: & sub noctem silentem, cum centum equitibus, copiosoq́, quem com
pilauerat, multarum rerum thesauro, fugit. Hispani, expulsi'que Regis equi
tes, re intellecta, diluculo ad quadraginta milia magnis itineribus, ipsum
persequuntur: tandem in umbroso quodã nemore, deprehẽdunt. Vtrinq́
instruitur acies ex solis equitibus: nostri ferè quadringenti fuere. pugnatur
aliquandiu atrocissimè. aduentat denique peditatus Hispanicus: uincitur
Aenobarbus numero, non uirtute militum, nostris'que uictoriam, sed cru-
entam, relinquit. Tyranno caput abscinditur, ac Tremesenium deporta-
tur, ubi magno cùm Maurorum tum Hispanorum gaudio excipitur. Hic B
finis fuit Aenobarbi senioris, piratæ nobilis, & tyranni truculentissimi.
Mortuo fratre, Aenobarbus iunior, cuius causa hæc suscepta fuit profe-
ctio, propter famam & opes, quas piraticam faciendo sibi comparauerat
maximas, Turcici exercitus Imperator primarius creatus, sexaginta trire-
mibus & triginta biremibus, omnem Italiæ, Sardiniæ, Siciliæ, atque Hi-
spaniæ oram legens, adeò sæuis latrocinijs eam ubique spoliauit, ut etiam
mediterraneis ciuitatibus non paruum timorem incuteret, littorales'que
aliquot caperet, ciuibus eorum partim cæsis, partim in perpetuam seruitu-
tem adductis. Videns igitur Aenobarbus magnam & amplam occupandi
regni Tunetensis apertam sibi esse fenestram, simulãs se è Thracia fratrem
regis Tunetensis, iussu Imperatoris Turcarum adducturũ, qui triginta alijs
à Rege crudeliter excæcatis, & deinde interemptis, ætatis fortè beneficio,
tam immani lanienæ substractus fuerat: populo, ut rege suo exacto, fratrẽ
in locum exacti substituerent, suadere cœpit. Quod siue propter odium in
Regem concœptum, siue diuino numine sic beluinam illam immanitatem
punire uolente, facilè persuadet: atque eiuscemodi usus dolo, se Regẽ Tu-
neteorum creat. Quid multa? ut tutior esset ab omnibus insidijs, Tunetum
primariam & principem totius regni ciuitatem, eius'que propugnaculum
Gouletam, fortissimis munitionibus communire: Bonnam, Brisertam, a-
lia'que Barbariæ loca in suam potestatem redigere: Algirẽs, alijs'que suæ
ditionis populis, de triremibus, ducibus, præsidio prospicere: Hispaniã,
Siciliam, Sardiniam, alias'que regiones Cæsareæ ditioni obnoxias, latro-
cinijs infestare: in Gouleta & Tunitio uires suas confirmare, rem'que suam
constabilire, ingentem classem apparare & instruere: ut quamlibet parua
occasione data, Christianorũ fines inuadere, impressionemq́ facere com-
modius & licentius posset. Hæc omnia Imperator semper August. non si-
ne summa animi ægritudine uidens, secum'que non oscitanter expendẽs,
quæ

A quæ & quot mala atque incommoda Respu. Christiana, nisi eius temerarijs ausibus obuiam iretur, accipere posset: quanquam nondum omnino defunctus esset bellis intestinis: (intestina bella uoco, quibus Europę principes eisdem sacris initiati, multos annos pro uetosis & inanibus nonnunquam titulis, inter se digladiantur) uolens tamen prouinciam quam fortitus est, non solùm tueri, uerumetiam adornare, Christianæq; Reipub. tranquillitati & saluti consulere, à cuius finibus impurissimum sacrisque diris execrandum ac deuouendum hostem, cum uniuerso exercitu, tam in Germania quàm Hungaria, exactum, in turpissimam fugam conuerterat: cœpit, uelut diuino admonitus oraculo, de inuadendo tam capitali inimico, nedum resistendo, cogitare. Qua in expeditione non tantũ suos, fortunasq; suas, sed etiã semetipsum tã ancipitis belli aleæ exponere & obiectare statuit. Rebus igitur omnibus accuratè perpẽsis, classem trecentorũ aut quadringẽtorũ nauigiorũ adornare, eãq; sic cùm militibus, tũ rebus omnibus ad bellũ necessarijs, armare, ut nequiret neq; operosius, neque instructius, certò constituit, semelq; decreuit. Eiusq; rei gratia ad omnes insularum, portuum, arcium præfectos, ad Genuenses quoque, eorumque ducem principem Melphiæ, literas describi iussit, nunciarique, ut omni diligentia longas naues, actuarias, onerarias, liburnicas, rostratas, aliasq; nauali prælio idoneas, appararent, nouasque exædificarent. Eiusdemq; ferè argumenti literas ad Beatissimum Patrem Pontificem summum, sacrosanctumque Purpuratorum patrum, atque augustissimum Senatum, Decuriones que Rhodianos, qui nunc Miletam insulam tenent, dari curauit: ut scilicet rebus omnibus diligenter expensis, rationem aliquam inirent, quibus copijs tam sanctum & pium, Reiq; publicæ Christianæ salubrem ac pernecessarium conatum eius, & uoluntatem adiuuare ac promouere uellent, ac possent. Quorum omnium per legatum suum, Vicecomitem de Lombeke, Christianissimum Regem admonendum putauit, ut scilicet longa nauigia sua, & actuaria, subsidio sibi, ad susceptam expeditionẽ perficiendam, mitteret. nõ enim in ullum alium usum, neq; Deo opt. max. gratiorem, neque Christianismi protectioni utiliorem, ea mari uentisq; credere liceat. At ille excusauit, causificatus, inducias sibi cum execrabili illo Aenobarbo intercedere: sed nec alioqui consilium, neque constitutum sibi esse, alium instruere atque armare, seq; destruere & exarmare. Cùm igitur Imperator semper Augustus miro quodam desiderio expungendi notam, ab impurissimo illo omnis religionis hoste, nomini Christianismi inustam, iniuriamq; illatam, quanta posset celeritate maxima, propulsandi flagraret: secumq; statuisset, quamuis clàm & sine teste, eiusq; propositi præcone, tam sanctæ & necessarię expeditionis præcipuã susciperę prouinciam, atque in ea (quod aiunt) prora esse & puppis: ut omnia cõmodiore uia disponeret, & ordine, decreuit Madritio per regnum Castellæ Barcinonẽ proficisci: qua in re ne cessaret, Imperatrici cõiugi suę, omnium regnorum suorum gubernacula commisit. Relictis apud eam uiris aliquot non postremæ nobilitatis, & cùm prudentia, tum autoritate atque existimatione clarissimis, quorum cõsilijs in rebus arduis & dubijs niteretur. Ipse uerò perpendens, quot & quàm uarijs uolubilis fortunæ inexpectatis casibus, uita humana sit exposita & obnoxia, præsertim in tam longinqua, difficili & periculosa profectione: cui nemo mortalis, quamlibet potens, quamlibet nobilis, quamlibet tuto satellitio septus, committere sese potest, nisi eadem opera discrimini, quod à quatuor elementis imminere queat (sicut omnibus qui mare aliquando nauigarunt, perspectum est) se & suos obijciat: uolens quàm minimum iuris instabili illi heræ in

se & sua esse, priusquàm Madritio discederet, omnibus adhibitis (ut uo- A
cant) solennitatibus, testamentum suum cõdidit. Quibus omnibus quàm
accuratissimè prouisis, relicta Madritij coniuge sua longè charissima, iam
tum prole fœminei sexus grauida, (quam non multo pòst exacto parturitio
nis tempore, salua sãluã enixa est) unà cum liberis suis & charissimis pigno
ribus, domino Philippo principe, eiusq; sorore, quem infantem Hispani ap
pellant: post mutuos tum uxoris tum liberorum amplexus, & non multa,
sed nec sicca oscula, quinto nonas Martias illinc profectus est. nec usquam
moratus, per Augustam Cæsaream magnis itineribus Barcinonem perue-
nit: ubi nihil illi fuit deliberatius, quàm quod facere instituerat, sine omni di
latione perficere. Quodquot igitur gẽtilitio nomine & titulo se uẽditabãt,
satellitibus item, sarissophoris, doryphoris, & ijs qui à gesis gestandis no-
men habent, cæteris'que & Cæsarei corporis custodibus & familiæ admi-
nistris, equi, arma, & quæcunque ad se protegendum, hostem'que inuaden-
dum opus essent, edicto publico imperantur. Cui edicto omnes pro suo
quisque officio & munere non grauatim obtemperabant, simul propter
amorem, beneuolentiam & reuerentiã, qua Principẽ, indole & natura opti-
mum, & suorum amantissimum, prosequebantur: simul quòd tam laudabi-
lis conatus, & ad Dei opt. max. gloriam, & Christianismi protectionem,
incrementum atque augmentationem spectare uideretur. Et ecce dum o-
mnes in hoc sunt, ut imperata faciant, Andreas Dauria princeps Melphiæ
è Genua in sinũ Barcinonicum classem uiginti duarum nauium longarum,
rebus omnibus nauali prælio accommodis & necessarijs instructissimè ap
paratarũ, subduxit: inter quas una erat quadriremis, & mole corporis & ar
chitectura præter cæteras insignis, nunquã antea mare experta, utputa ipsi B
Imperatori semper Augusto uehendo destinata, & in hoc recens fabrica-
ta: qua ne Neptunus ipse quidem (de eius generis nauibus loquor) ne-
que operosius, magis'que affabrè ædificatam, neque instructius adorna-
tam, oculis suis, quamlibet tamen nitidè ablutis, in regno suo uidit un-
quam. Cuius quadriremis aplaustria omnia, uexillis Cæsareæ maiesta-
tis insignibus summo artificio effigiatis decorata fuerunt. In puppi uerò
duo signa magnitudine & amplitudine eximia: alterum interstignio Iesu
Christi crucifixi, alterum ingenti aquila, alijs'que Imperatoriæ maiestatis
insignibus graphicè expressa atque depicta, uento huc illuc agitata, corusca
bant. Ex omnibus uerò nauigijs ij qui machinis & tormentis bellicis præ-
fuerunt, tanto impetu & strepitu, globos tum æneos, tum ferreos & mar
moreos eiaculabantur, ut cœlum ipsum mugire & boare diceres. Erat præ-
terea non tam audire iucundum, quàm uidere gratum, cùm tubas, lituos,
buccinas, cornua, classica, tibias, tympana, bellicum quiddam resonantia:
tum pugnas illas umbratiles nauium inter se concurrentium, contrà mu-
tuò sese fugitantium, & harpagonibus manibus'que ferreis se comprehen
dere meditantium. Quæ omnia Imperator semper Augustus ex fene-
stra quadam palatij sui, quæ in portum & mare longè prospectabat, non
sine magno animi gaudio (quanquam tacitis interim curis confuso) per-
spexit. quo pauco pòst tempore, princeps Melphiæ, cum honore & reue
rentia debita, Imperatoriam Maiestatem saluturus ascendit: cuius manu
suppliciter deosculata, benignè & amicè est acceptus ab eo: paucis'que
cum Imperatore collocutus, ad naues suas reuersus est. Erant præterea
in aperto pelago iuxta portum Barcinonicum, duæ & uiginti naues Lu-
sitanicæ, à Rege in subsidium concœptæ & decretæ expeditionis, illuc
missæ, unà cum longa quadam multiremi, cum mole ipsa & robore prę alijs
conspicua: tum bellicis tormentis, omnibusq; requisitis munimentis instru-
ctissima,

A ctissima, quæ in portum subductæ, & aliæ quas diximus fuisse Principis Melphię, sese mutuò, sed militariter, consalutãtes, eiusmodi boatu tormenta sua exonerauerunt, ut cœlum tonitru disrumpi, & fulgure coruscationibusq; ardere diceres. Neq; ita multo pòst pubes Hispanica classem ingentem omne genus nauiũ tam actuariarum quàm onerariarũ & rostratarum in portu Malgæ à latere Granatæ collectam, aptam & paratam in eũdem sinum aduexit. Inter quas naues erant & hippagogæ, quæ equos, & onerariæ frumentariæ, quę uniuersum ferè cõmeatum ueherẽt. Cùm hæc omnia apparata, & ad futurã profectionem ordine suo digesta fuerant, legationibus'que Galliæ, Britannię, Allobrogum, Venetorum, Mediolanensium, Ferrariæ, aliarumq; nationum de nauigijs, ut Cæsareã Maiestatem comitarentur, prospectum erat: edicto Cæsario cautum est, ut equites omnes, tam auxiliarij quàm legionarij, quos antè recenseri & auctorari uiderat (fuerãt autem numero sesquimille) naues ascenderent, eorumq; equi cum pabulo, alijs'que requisitis ab helciarijs in hippagines ad hoc paratas attollerẽtur. Cui edicto summa cum diligẽtia obeditum est. Die Dominico, qui tertius fuit Calendas Iunij, anni tricesimi quinti, Imperator semper Augustus, facta re diuina, posteaquàm se suosq; omnes Dei opt. max. prouidentiæ, protectioni, conseruationiq; (nihil de eius bonitate & fauore hæsitans, sed illum unũ in oculis & corde ferens) quàm potuit religione summa cõmisisset, sub horam ferè decimam antemeridianam, longam illam quadriremem sericis, purpureis & aureis ornamentis tectam conscendit: comitatus fratre regis Portugaliæ, quem infantem appellant: qui illuc ea præcipuè de causa aduenerat, ut Imperatori in barbarica illa profectione indi
B uiduus esset comes. In ipso uerò articulo, cum in nauim reciperetur, tam ex illis nauibus quæ in altum deducebantur quàm quæ in portu & statione pro tuitione ciuitatis in anchoris manserant, tanto fragore, tanta concussione, tam impetuoso strepitu, machinæ & tormenta bellica emissa tonabant, mariaq; cœlo commiscebant, ut montes ipsos, scopulos, & abruptas quæ mari impendent rupes, uelut Iouis fulmine quassatas, terra discedente, in abyssos sese abdere, absorberiq; putares. Audiebantur etiam circumquaque tubæ, buccinę, litui, cornua, tympana, cymbala, & alia semiuocalia signa, quibus milites quid facto opus sit admonentur, & ad prælia ineunda animantur. Margines uerò, littora, ripę, tecta, fenestrę, loca omnia quæ in mare prospiciebant, sic confertim erant stipata, & stipatim conferta ac plena spectantium, ut sese mutuò propemodum nimia compressione enecarent: non abstinentium à gemitibus, suspirijs, lachrymis: sublatisq; ad sidera palmis, Principi suo oram soluenti bene precantium, prosperamq; profectionem & meliorem non sine gloriosa uictoria reditum, nuncupatis uotis exoptantium. Eodẽ die in omnes ferè Europę regiones ueredarij et cursores summa cũ celeritate excurrerũt, qui, quòd antea nemini neq; priuatim, neq; edicto publico, sed ne per literas quidem significatum fuerat, tum apertè nunciarent, scilicet Imperatorem ipsum profectionem in Aphricam, cum ingenti eademq; bene instructa classe fuscepisse, & præcipuum totius exercitus ducem futurũ: eaq; gratia iam nauem cum suis conscendisse, classemq; è portu in altum deductã esse. Quia uerò illo die tanta fuit maris tranquillitas & malacia, ut nulli omnino spirarẽt uenti, uisum fuit ibi commodam nauigãdi opportunitatem expectare. quę cessatio interim profuit nonnullis, ad omnia in tempore perficienda, quibus per negotia prius non fuerat integrũ, se & sua nauibus importare. Proxima die, qui fuit pridie Calendas Iunij, circiter horam octauam pomeridianam, cum nouilunio, uentus cœpit utcunq; flare: quam occasionem non amit-

tendam

tendã esse Imperator ratus, uela facit: iubetq; ut uniuersa classis lintea expli A
cet, pedemq; faciat. Qua in re ne cessaretur quadriremis Imperatoria, cũ ali
quot alijs longis nauigijs, uelut classem inuitans, in apertum mare ad qua-
tuor usque milia promouetur, sequitur expansis uelis reliqua classis. Calen
dis Iunij adeò omni flatu destituũtur, ut nec illo die, nec quarto nonas, ple-
nis uelis sit nauigatum: quin actuaria ipsa cogebãtur tempori & tempesta-
ti parêre, nec nisi remigum labore incitari, ne scilicet onerarias & alias quæ
uento contrario lentius promouentur, præcurrerent. Et ecce in cõspectu
erant Baleares maiores, regni que primaria ciuitas Palma nomine, ad cuius
littora propter uentorum penuriam actuariæ omnes appulsæ sunt. Vbi ui
sum fuit onerarijs, quibus altiori æquore opus est, ut melius uentum colli-
gant, à tergo relictis tempestatem prosperã expectare, totaq; illa nocte ad
diluculum usq; tertij Nonarum Iunij solo remigio usi sunt. Vicerex aũt Ba-
learium maiorũ, quã insulam nunc Mallorcã appellant, admonitus Impe-
ratorẽ præternauigaturum (nã in collibus & rupibus mari cõtiguis specula
tores & exploratores collocauerat, per quos de aduentu classis certior fie-
ret) celocẽ, quãdo omne genus cõmeatu abundè prouisam, ad quadriremẽ
usq; Imperatoriã aduexit, qua de omni genere dulciariorum tragematum,
aliarumq; deliciarum affatim prospecta, nõnullas etiã ex alijs actuarijs via-
tico prosequutus est. Rogauit prẽterea Imper. Maiest. ut in portũ cuiusdam
oppiduli, cui nunc nomen Alcodia est, naues suas subduceret, suaq; prẽsen
tia uehemẽs incolarũ uidendi regis sui desiderij satiaret. Idẽ obnixis precí-
bus magistratus & primarij eius oppidi ciues, à Maiestate impetrare cona
ti sunt, & in certam spem, imò fiduciam adducti, id sese Imperatorem exora
turos, magnum numerũ equorũ & mularum eò adduxerant, ut qui Impera
torem comitarentur, sine ulla molestia in oppidũ, quòd diximus mille pas- B
sibus dissitum à mari, proueherent. sciebant namque eos à mari, sentinæ
profluuio & uectatione nauseabundos & desatigatos esse. Tandem Impe-
rator illorum precibus uictus, nauibus in portu relictis, è sua lõga illa qua
driremi in terram descendit: cum que infante Portugaliæ, alijs que Princi-
pibus, ducibus, comitibus, satrapis, suæ que familiæ gentilitio stemmate
claris, rectà ad ciuitatem illam proficiscitur. Vbi summo cum plausu, & be
ne ominatis acclamationibus, tam prophanorũ quàm sacris initiatorũ, (qui
cum magistratu & senatu ciuitatis, more & ritu supplicationes celebran-
tium, Imperatorem cum suis ad templum usq; deduxerũt: & post nonnul-
lam moram ibi factam, ad suam quadriremem reduxerunt) reuerẽter fuit
exceptus. Multi etiam è uulgo uectorum, cùm ut animum recrearent,
tum ut de recenti annona sibi prospicerent, eôdẽ confluxerunt: qui intelli
gentes, Imperatorem iam suam quadriremem ascendisse, audientes que ca
ni receptui, ad carinas suas se receperunt. & paulo pòst actuariæ omnes
solutis anchoris, inuito Aeolo, remigio undis aduersus obniti cœperunt:
totam que noctem remigantes, tandem ad littora Balearium minorũ per
uenerunt: ibi sub horam prandij à nauigando feriatum est. nonnulli ut se
reficerent, terram occuparunt: quibus in naues reuersis, tam uelis (licet
uento parum propitio) quàm remis, ad nonas usque Iunias, utcunque
promotum est. Sub meridiem nonarũ, in portum ciuitatis cui nomen Ma-
goni, denique peruentum est. Est autem Magon oppidum Balearium mi-
norum, situ ipso & opere munitissimum. nam in rupe quadam aditu difficil
lima ædificatum est: portum habet amplum & insignem, nec minus fidum
ac tutũ, plus quingentarũ nauiũ capacem. quanquam interim introitus ar
ctior sit, & angustior, quod ipsum & ad munitionẽ nõ parũ facit. Nũc lõgè
omnes cũ actuarijs minoribus receptæ sunt, quod simulatq; Viceregi nun
ciatum

Aciatum fuit, ipse & quadringenti milites tam subsidiarij, quàm ex incolis Magontinis, legionarij bene armati, & pulchro ordine digesti, ad crepidinem portus, Imperatoriam Maiestatem salutaturi, & humaniter accepturi, accurrerunt. Imperator in ciuitate illa audito sacro, ad quadriremẽ suam rediit pransum. Vicerex magnam copiam comeatus recentioris in quadriremem Cęsaream, aliasque naues importari curauit. Cõmoratũ est in eo sinu aliquantisper, propter onerarias & alias naues: quas quod uentũ habuerant parũ fauentem, longius abesse putabant. uerũ sic uisum & placitũ fuit superis, ut illæ quoque paulopòst illuc appellerent, quemadmodum ex montibus circumiacentibus exploratum est. Octauo Idus Iunias, Imperator soluens ex portu, cum tota classe sua, pro ratione tempestatis & flamĩnũ, quæ adeò leniter spirabant, ut quãuis uelis uterẽtur & remis, semper tamen in cõspectu essent Baleares minores, uentis uela dedit. Interim in loca sterilia & deserta descendit, sacrisq; operari iussit: confestim'que in nauem rediit, moræ tẽporisq; ad eũ modũ deuorato fastidio. Quinto Idus Iunias, spumantes undosi æquoris uortices superauerat. Sed quoniã mare tum flabrorũ impetuoso turbine, tum fluctuũ & procellarum rabie plus æquo intumuerat, nõ satis tutũ uidebatur, una facta classe, alijs nauibus se cõiungere. Quare in insula sancti Petri, quæ circiter uiginti millia à Sardinia distat, reliquæ commorabantur. Quarto uerò Idus, sub horã undecimam pomeridianã, quadriremis Imperatoria, cum alijs actuarijs in aperto mari primariæ ciuitatis totius Sardiniæ, nomine Calaris, consedit, quò onerariæ cum aliquot actuarijs in insula diui Petri expectatę, prius peruenerant. Erat autem pelagus illud ante portum Calaritanũ omne genus nauigijs nimis pulchrè
B uestitum, & stipatim confertum. Aliquot namque ante diebus illuc aduenerat cum ingenti classe & longarum nauium & onerariarũ & liburnicarum, quæ militem Germanũ & Italum uehebant, Alphonsus Dauola Marchio Histonius. Erant & appulsę naues, quas Neapolis & Sicilia tum ueterano milite Hispanicnsi, tũ uario genere comeatus instruxerant, ducibus Vilingerio Richẽsi, & Petro Neapolitani regni Præsidis filio. Subduxerat etiam in eundem locum sex longas, easq; ingentes, omnibus rebus ad bellum accõmodis instructissimè munitas, à Beatiss. patre Pont. summo missas, cùm genere clarus, tũ factis strenuus, Virgilius Vrsinus, Anguillariæ Comes. Conuenerant eôdem à Decurionibus Rhodijs, nunc Melitensibus, missæ triremes quatuor, cum oblonga una rostrata, aliaq; oneraria, omnes apparatissimè instructæ, ductore Aurelio Buticello, Ticinensis Pisaniq; templi priore. Vt interea præteream, plus sexaginta onerarias, quinque quadriremes, quadraginta biremes, lembos, celoces, catascopia sexdecim, ex Italiæ & Siciliæ oris illuc aduecta. Expectauerat & illic cum quinque longis actuarijs aduentum Imperatoris Anthonius Dauria, adeò ut præter longas septuaginta quatuor triginta'que biremes, & rostratas admirãdæ molis & operis, uidere esset aliam classem promiscuam, onerariarum, liburnicarum, hippaginum, & eius generis plus trecentarum, in quibus erant biremes decem, plurimæq; aliæ naues cùm armis tum militibus instructissimæ. Tertiò Idus Iunias cum prima luce, triremes illæ Marchionis Histonij remis promoueri cœperũt, & prętereuntes, signis & uexillis explicitis, quadriremem Imperatoriã, sublato quàm clarissimè clamore, resonãtibus tubis & buccinis, tympanis & fistulis, demissis & inclinatis uexillis, eũ summa cum reuerentia salutabãt. Eodem ferè momento utrinq; eruperunt tormentorum bombi & tonitrua: neque multo pòst, subductis anchoris quadriremis Cæsarea prouehi cœpit per medium classis militum Germanorum, Italorum & Hispanorum: quam aliæ omnes naues comitabantur.

Illi autem uidentes ſigna & uexilla quadriremis Cæſareæ, huc illuc uento A
agitata & fluitantia, unà omnes eodem ferè temporis puncto, primùm mi-
nores machinas ſuas, deinde & ingentes illas quibus naues munitæ erant,
tanto numero exonerarunt, ut crederes uniuerſum mare fulgure & coru-
ſcationibus illuſtrari, ac deinde denſiſsimo fumo obnubilari. Quid multa?
Diceres claſſem illam nauium, uelis nudatarum, ſyluam quandam eſſe mi-
ræ magnitudinis, ſub aduentum brumæ frondibus & foliis ſuis ſpoliatam.
Actuaria uerò littori admota, è fluuio quodam leni murmure in mare dela
benti, de recenti aqua ſibi & cunctæ claſsi abundè proſpexerunt: in cuius
margine & ripis, plericq; inſulæ illius propolæ & inſtitores conſederant,
uariamq; annonam eò adportauerant: de qua plerique per occaſionem li-
bi prouidebant. Quadriremis Cæſarea, aliæq; triremes & biremes, cæteris
nauibus in aperto mari relictis, remigum nixu & labore, in portum Cala-
ritanum, quam diximus totius Sardiniæ primariam eſſe ciuitatem, pride l-
dus Iunij ſub horam quartam matutinam inuectę ſunt: quibus procul per-
ceptis, ciues uolentes etiam eminus Imperatori aduentum ſuum gratulari,
multa & magna tormẽta quibus ciuitas bene munita eſt, eiaculati ſunt. Ex-
tra portam uerò (quæ eam partem ſpectabat) pons erat à muris oppidi ad
mare uſque longitudine quinquaginta paſſuum porrectus, aulæis, tapetis
& panno partim rubri coloris, partim gilui adornatus, qui ſic & ſtructura
& altitudine puppi quadriremis Cæſareę reſpõdebat, ut commodiſsimus
& facilimus ex ea in põtem eſſet tranſitus. Circiter horam nonam eiuſdem
diei ante meridiem, Archiepiſcopus Calaritanus cum Canonicis & uniuer
ſo clero, ritu ſupplicationes ſtatas aut indictas facientium, ſimul & Vicerex
cũ magiſtratu & Cõſulibus, primarijſq; ciuibus pulchrè digeſto ordine, ad B
pontem illum uſque egreſsi ſunt, ut Imperatorem quo decuit honore & re
uerentia exciperent. Qui ex ſua quadriremi, unà cum ſororio ſuo infante
Luſitaniæ, alijſq; Principibus, Ducibus, Comitibus, ſuæq; aulę nobilibus,
per pontem illum ad portam proximã deductus eſt, ubi acceptis clauibus,
confirmatis prerogatiuis, aut uerius prędeceſſorum ſuorũ indultis, illis da-
tis & conceſsis, pręſtito iuramento, promiſit ea ſe pro more conſueto ſarta
tecta ſeruaturum. Illinc recta ad baſilicam cathedralem progreſſus eſt, ſa-
croq; perfecto in quadriremem ſuam pranſum uenit: in platea, qua illi ad
naues iter erat, erecti fuerant uarij arcus triumphales inauraturis, picturis,
& grauibus, ſed non illepidis ſentẽtijs & apophthegmatibus, tum in ipſius
tum in expeditionis quam ſuſceperat, honorem & gloriam adornati, affa-
breq; conſtructi: compita omnia, triuia, angiportus, domus, tecta, fene-
ſtrę, imbrices, umbracula ueluti ueſtita & tecta fuerunt matronis puellis,
pueris, & innumera populi turba, qui ſummo deſiderio principem ſuũ ſpe
ctare in uotis habebant. In coronis autem portarum ac murorũ infixa fue-
rant ampla & oblonga uexilla aquilis, alijſq; Cæſaris & Sardiniæ inſigni-
bus graphicè expreſſa & depicta. Audiebantur & horrendi machinarum
è munitionibus uarijs emiſſarum bombi & tonitrua, quibus Principi iam
abeunti bene precabantur. Taceo hic nomina multorum Principum, pri-
morum haſtatorum, primipilarium, centurionum, decurionum, magiſtro-
rum cohortium, præfectorum legionum, tribunorum militum, ducum &
exercituum imperatorum, qui ſua uirtute laudem & gloriam ſibi parauе-
runt nunquam intermorituram: plurimorum item nobilium, qui domi reli
ctis uxoribus & liberis, ſuis ſtipendijs merêre, uitamq; pro laude paciſci
non dubitauerunt. Inter quos Ferdinandus Sanſeuerinus princeps Saler-
nitanus, uelut ſol inter minora lucet aſtra: qui non ſolum fortunas & opes
uniuerſas, ſed omnem etiam poſteritatis ſpem (nullos namque ex uxore
ſuſceperat.

A ſuſceperat liberos) ſemel incertæ ancipitis belli aleæ expoſuit: adeò ducimur, imò trahimur omnes cùm boni principis in re laude digna præeuntis amore, tum gloriæ cupiditate, eiuſmodi præſertim, quæ cum honeſtate & Reip. Chriſtianæ protectione & ſalute ſit coniũncta. Imperator igitur ubi commeatum omnem à Vicerege Calaritano procuratum in naues inferri iuſſiſſet, ſingulaſque ac omnia quæ rates ipſas & milites ſpectabant, diligenter curaſſet, præcepit ſigno dato, omnes ad ſuas quaſq; conuocari carinas, actuariasq; uela explicare & in altum deduci, ut facta nauigãdi opportunitate, nihil eos remorari poſſet. Idibus Iunij facto ſacro & prandio, uerederios & curſores in omnes prouincias & regiones, ad eos qui illis cum imperio præfuerũt, aut legatos agebãt, mitti iuſsit, qui nunciarent Imperatorem cum tota claſſe ſua ex portu Calaritano ſoluere, & rectà Tunicium petere: Quod eo fecit conſilio, ut re ipſa doceret, quàm meminiſſet ſuorum, & quo illos affectu pro ſequeretur: tum ut amantiſsimos ſui, pleniore ſibi demereretur obſequio, cum intelligerent ſuum principem tam periculoſam difficilimæ profectionis prouinciam, ob ſalutem & conſeruationem orthodoxiæ ſuſcepiſſe: ſerioq; gauderent & lætarentur de tam fœlici & fauſto hactenus rerum omnium ſucceſſu. Poſtridie Iduum, qui calendarum menſis Iulij decimus octauus eſt, claſsis Cæſarea nauigationi ſe dedit, ut cum Deo bene uolente Tunetum proficiſceretur, eiusq; fauore & gratia quæ Chriſtianæ Reip. maximè eſſent conducibilia, in ea profectione ſtrenuè contra Aenobarbum, capitalem Chriſtianorũ hoſtem, moliretur. Qui Aenobarbus, ſicut Imperator à quibuſdam Chriſticolis à Tuneto profugis præmonitus fuerat, Gouletam, Tunicium, locaq; omnia uicina, fortiſsimè obmunierat, actuariasq; ſuas partim in portu Gouletano, partim in canalibus, la
B cubus & paludibus, qua à Gouleta ad Tunetum iter eſt, aliiſq; locis adiacentibus diſtribuerat, collapſa inſtaurarat, integra munitionibus firmis ſeperat, ut Imperatoris aduẽtum intrepidè ſummaq; cum alacritate expectaret, eumq; aditu & expugnatione ſuarum munitionum arceret, ac prohiberet. Et ecce tanta tum cœli tum tempeſtatis commoditas ſeſe obtulit, ut tota claſsis ſecundis nauigaret uentis: qui adeò eam non deſeruerunt, ut decimo ſeptimo Calendas Iulias anni triceſimiquinti ante diluculum ad Carthaginis promontorium applicita ſit: legẽtesq; oras & littora Barbarica, ui derunt plurimas turres & caſtella in præruptis & celſis rupibus more architectationis ipſius regionis conſtructa, è quibus Barbari in noſtros tormenta eiaculabantur, ſed fruſtra. In nonnullarum uerò arcium & rupium faſtigijs & capitellis, faces & ignes accenderunt, quibus aliis Barbariæ incolis, Imperatorem cum ſuis appulſum eſſe ſignificabant. Imperator autem circiter horam diei ſecundam, longas ſuas naues, minores'que actuarias, in portum quendam, quadraginta ferè milibus à Goleta diſtantem, cui nomen Farma (illud enim primum ab ingreſſu Sardiniæ inuenerant) ſubduxit. Vbi in anchoris morati ſunt alias naues, quas non adeò procul à tergo reliquerant: quibus poſt horas minimum tres, in eundem portum applicitis, nulla facta mora, ſimulatq; naues turgentibus linteis uentum concepiſſent, uorticoſis Aphrici maris gurgitibus ſuperatis, non longius tribus milibus ab arce Gouletana, reciprocis undoſi maris æſtibus fluctuabant. Velificantes igitur nunc huc, nunc illuc, ſemperq; propius, tametſi per ambages, Gouletæ accedentes milites, omnesq; omnium nauigiorum nautæ, nauicularij, uectores, arma quibus & ſe tueantur & hoſtes inuadant capere, locum ſibi quiſq; pro ſua functione deligere, ut ſi fortè ex inſidijs Barbari eos adorirentur (quæ quorundam fuit ſuſpicio & formido, ſed uana: nihil namq; tale deprehenſum eſt) non eſſent

imparati & inermes. Dū hęc fiūt, deprehēsa sunt duo ingentia nauigia Massi-
siliensia, à Christianissimo scilicet rege, ad Mahometicæ sectę principem,
Christianæq; religionis hostem plus quàm capitalem, Heredin Aenobar-
bum missa: quibus ad quadriremem Cæsaream deductis, uectores eorum
quæ habuissent mandata interrogati, non secus quàm ab angue aut scor-
pione tacti, uel ad aram Lugdunensem dicturi, primò obstupuerunt: dein
de recepto spiritu, responderunt quidem, sed parum cohærentia: tandem
tamen confessi sunt, se ex Tuneto & arce Gouletæ soluisse, Massiliamq;
rectà petere: quam profectionem non fuisse in rem atq; usum Tuniceæ ex-
peditionis à Cæsarianis susceptæ paratam & adornatam, nemo non intelli-
gebat. Alterius nauigij dux, natione Francus, pro certo narrauit, quendam
Christianissimi Regis à secretis, cui cognomen esse dicebat du Foreſt, ab
Aenobarbo ad Selimannum Turcarum Imperatorem, cum certis manda-
tis legatum fuisse, nimirum ut illum de aduentu Imperatoris totiusq; exer-
citus præmoneret. Venerat namque aliquot antè diebus cum legatis Seli-
manni & Aenobarbi è Gallia in Aphricam, poteratq; tum esse Constanti-
nopoli apud Selimannum, sicut certis authoribus postea nobis nunciatum
fuit. Aenobarbus autem secretarij illius hortatu, consilio & industria arcem
Gouletanam uarijs munitionibus communierat, multisq; tormentis belli-
cis eandē locupletauerat: quemadmodū arce à nobis capta & expugnata,
facile fuit animaduertere. Quid nō facit dominandi ambitio, & alienę glo
riæ crescentis inuidia? Imperator cùm uideret classem semper propius ad-
moueri Gouletæ, per celocem misit qui ediceret, ut acies ordine per cor-
nua disponeretur: ut si fortè collatis signis depugnandum esset, omnes es-
sent parati & accincti. Cui edicto magno omnium consensu & summa cum
alacritate obtemperatum est. Nihil enim tam ardentibus uotis desidera-
bant, quàm cum hoste manus conserere. Multi Aphri Mauriq; per agrum
Gouletanū discurrere, contos & hastas oblongas uibrare, qui Gouletanos,
Tunetenses, alios q; Aphros & Mauros de applicatione classis Cæsareæ
certiores facerēt. Classis tota sic ordine militari distributa, paulatim ad duo
usq; à Gouleta milia uentis ferentibus promouit, & in conspectu arcis quæ
instar turris quadratæ est immensę molis & uastitatis, sed humilis & sine ca
pitello, quæ utiq; in mare prominet, consedit. Priusquam tamen propius ac
cederent, uisum fuit actuariam unam cum prosumia præmittere, ut explora
rent quid hostes ferrent animo, quibusq; præsidijs & munitionibus arx il-
la esset uallata. In cuius fluuijs & paludibus omnis classis Aenobarbi sic
fuit collocata, ut difficulter à nostris tormentis uerberari: ipsi uerò nobis
quacunque ipsorum munitiones oppugnare, aut nostras tueri conaremur,
multum negotij facessere, nosq; & nostra machinis suis quassare pos-
sent: quam classem licet malis & carchesijs suis destitutam, alba ta-
men quædam uexilla nostris prodiderant. Exploratoribus autem no-
stris sesquimiliario à Gouleta ab hostibus perceptis, eueſtigiò machi-
nas quasdam bellicas ex suis castellis eiaculabantur, quarum globi per
mare ad morem murmurantis tonitrui reboantes, facilè indicarunt ex
immanibus & magnæ molis tormentis emissos fuisse. Nostri contrà
suis tormentis hostium munitiones obturbarunt. Sed audito signo quo re-
uocabantur (id strepitus fuit ænei tormenti, ex prætoria naui exturbati)
ad suos integri & illæsi reuersi sunt. Qui cum Imperatori quæcunque de
munitionibus, præsidijs, situ ipsius arcis didicerant, & qua parte commo-
dissimè oppugnari, & ubi minimo negotio & periculo tam equi quàm mi
lites, aliaq; ad bellum necessaria è nauibus in terram asportari possent, bo-
na fide nuntiassent: Imperator omnes duces, præfectos & capitaneos in
suam

A ſuam quadriremem acciri iuſsit, omnibuſq; cum ipſis maturo conſilio deliberatis, conſtitutum fuit, ut poſtridie (nam tunc appetebat ueſpera, quare illo die non eſt lōgius progreſſum) milites omnes Germani, Itali, Hiſpani, Burgundi, tam legionarij quàm auxiliarij, exponerentur. Eodem die duæ turres, quæ ſpacio miliaris unius inter ſe diſtabant, tormentis ſtrenuè impetitæ fuerunt. Quarum defenſores, machinas, ſed minuſculas, in noſtros exonerabant: altera tamen à ſuis protectoribus deſtituta, facilè in Chriſtianorum uenit poteſtatem. Dicebatur autem turris Salis, aut Salinaria, à ſtagno quodam propinquo, in quod mare exundans influit, quæ aquæ poſtea ſolis ardore in ſalem concreſcunt & ueluti congelantur. Decimoſexto Calendas Iulij iuxta conſtitutum ueſpere diei præcedentis, biremes aliquot & celoces aliæq; minores naues quæ remis promouerentur, ad actuarias, onerarias, roſtratas, hippagogas, liburnicas molis grauioris aduectæ ſunt, receptoſq; milites in littus proximum prouexerunt. Nimis quàm iucundum ſpectaculum fuit uidere Hiſpanos, & præcipuè Germanos, cùm non procul eſſent à ripis, haſtis ſuis nixos, omniſq; moræ impatientes, in mare deſilire, ut citius terram contingerent, non ſuſtinentes expectare donec humeris nautarum ſubcollati, è nauibus in terram deferrentur: qua potiti, hac illac circuncurſare, tormenta ſua minora exturbare, cum equitibus Turcis & Mauris, qui agros proximos obequitabant, nunc eminus, nunc cominus dimicare. Imperator cuius prudentia & præſentia ſalus & momentum totius exercitus nitebatur, cum infante Portugalliæ aliiſq; Ducibus, Comitibus, Principib. & ſuæ familiæ titulosa & grandi nomenclatura illuſtribus, iam terra receptus, conſcenſo equo, cum ſuis huc illuc equitare, militem palantem in ordinem cogere, qua ratione digeri, quomodo ſe exercere deberet, præſcribere, omnibuſq; boni Imperatoris, imò & ſtrenui militis, fungi munijs. Reliquum interim exercitū, qui ad terram cōueheba

B tur, commorari. Diluculo eiuſdem diei, altera turrium, quarum antè meminimus, immenſæ craſsitudinis, figuræ quadratæ, non longè à littore maris ſita, ſtrenuè tormentis & machinis uerberabatur: fuit illi nomen ab aquis, quòd Gouletani & uicini illorum illuc uenirent aquatum: præternauigantes item illinc, ſibi de aqua recentiori proſpicere ſolebant. Verùm poſt multam uerberationem, Mauris & Turcis qui in præſidio fuerāt, quāuis nondum conclamatis uaſis fugientibus, paruo negotio à noſtris ſimul cum tormentis omnibus bellicis, capta & expugnata fuit. Eadem opera oppidula quædam & arces, uici item & caſtella (Romanorum deſtructa Carthagine reliquiæ) euerſa fuerunt. Sed quia in illo rerum ſucceſſu nonnulli milites ſubſidiarij & etiam legionarij eò deuenere licentiæ, dicam an improbitatis & malitiæ, ut pagos, uillas, ſtrues & aceruos, tam frumenti & ordei, quàm fœni & palearum, iniecto igni perderent. Imperator pœna capitali cauit, ne quiſquam exinde ſimile quiddam auderet deſignare. Iuſsit præterea, ut pedites omnes & ſubſidiarij milites, quamuis nomina dediſſent, militariq; ſacramento ſe obſtrinxiſſent, ſcirent tamen ſub quibus ducibus & ſignis mererentur ſtipendia, teſſeramq; militarem in promptu haberent, nihilq; niſi cum ducum ſuorum conſenſu attentarent. Eos uerò qui in longis nauigijs aliiſq; actuarijs aliquo fungerentur officio, omnesq; milites legionarios, & qui perpetuis militant ſtipendijs, ne unguem quidem latum uoluit quoquam è triremibus diſcedere, ſine cōmeatu ſuorum ducū & actuarijs præfectorum: qui ſecus facerent, capitale illis fore, ne ſcilicet per liberam illam diuagationem ordine exercitus turbato, ſi fortè aperto Marte depugnandum eſſet, incauti & improuiſi à Mauris inſilirentur, & paſsim cæderentur. Dies igitur ille & proximus qui decimuſquintus fuit

calendarum Iulij, eiusmodi uelitationibus edictis & mãdatis tributi sunt. A
Exercitus uerò in modum aciei instructæ per cornua, alas, frontem & ter-
gum discretus, ad duos pagos non procul à ueteris Carthaginis ruinis si-
tos, ubi Imperator consederat, tentoria, papiliones, & alia quæ castris po-
nendis sunt necessaria expectans, promouebat. Ducibus interim hoc stu-
dio fuit, ut alios in excubijs, alios in statione, nonnullos in speculis explo-
randi gratia collocarent, & omni ex parte uigilanti diligẽtia sibi cauerent:
id'que propter subitas & inexpectatas hostium incursiones, quas & ex in
sidijs (utpote quibus compendia uiarum, & loca eius regionis abdita pro-
bè fuerant explorata) Turci & Mauri, tam pedites quàm equites, plerun-
que faciunt impressiones. Est autem ager omnis à mari porrectus su-
pra modum fertilis, & uitium, ficuum, olearum, aliarum & arborum fe-
rax. erat & tum milio grandiusculo satus, quod in pleris & locis iam ematu-
ruerat, erat in eodẽ agro ueteris Carthaginis magnus modus fœniculi grã-
dioris admodũ, anisi dulcis & gustu suauis. Decimoquarto Calendas Iulij
ante crepusculũ matutinũ, nauis quædã instituria plenis uelis acta in portũ
Gouletanũ, rectà cursum dirigebat, quę classe Imperatoria percepta, uersis
uelis cursum retroagere meditabatur: sed nõnullę triremes Cęsareę, ac præ
sertim lõga illa, cuius insigne fuit aquila, quæ Dominũ ditionis de Granuel
le (uirũ, siue eruditionẽ spectes, siue in rebus agundis raram quandam pru-
dentiam & dexteritatem, siue in difficilimis etiam negotijs obeundis mi-
ram industriam & indefatigatum laborem, omnibus omnium calculis com
probandum) cum aliquot Cæsareæ Maiestatis Consiliarijs & Secretarijs
uehebat, omni ex parte eo impetu & celeritate sese in eam incitarũt, ut de-
sperato effugio, uelis & remis acta, non sine summo discrimine & periculo
in terram impegerit, nimirum ut uectores expositos seruaret, qui per con-B
uallia salutem pedibus quærere conati sunt, uerùm nonnulli legionarij ex
nostris, qui spectaculum hocce uiderant, spe prædæ illecti, per compendia
montium fugitiuos illos assequuti spoliarunt, & quicquid ferre potuerunt,
abstulerunt. Nauis uerò cum mercibus quæ ferè fuerant aromaticæ & ab
ubsque Constantinopoli periculo cuiusdam Iudæi aduectæ, exactis præda
toribus, iussu domini Antonij Dauria, in usum patrui sui Andreæ princi-
pis Melphiæ (penes quem summa imperij maritimi fuerat) fisco est con-
demnata: cuius prædæ precium paulo minus triginta milibus ducatorum
æstimatum fuit, quę pecunia ad principem Melphiæ, penes quem diximus
maritimorum negotiorum summam fuisse, redibat. Plurimi Christianorum
ad castra Cæsarea transfugerunt: eodem & plerique Turcæ & Mauri addu
cebantur captiui: qui interrogati, quid'nam certi haberent de Aenobarbo,
uariarunt: alijs illum Gouletæ, alijs Tuneti esse dicentibus. Cùm uerò Im-
perator partim ex Maurís Turcis & captiuis, partim Christianis, qui effra-
ctis ergastulis ad nos transfugerant, intellexisset, Gouletam sic esse tum mu
nitionibus, propugnaculis & tormentis bellicis, tum copioso & firmo præ
sidio communitam, ut eius expugnatio sine magna cæde & sanguine dif-
ficilis esset, atque adeò desperanda: deliberari & consultari cœptum
est, præstaret'ne relicta Gouleta recto cursu Tunetum contendere?
sed hic alius restabat scrupulus, non fore scilicet consultum, sed nec
tutum, tam copiosum, tam bene prouisum, tam exercitatum hostem à
tergo relinquere, suos & ab illis munitionibus longius abstrahere, quæ
recipiendæ & suppeditandæ annonæ & commeatui, præter cætera essent
idoneæ. Quare communi omnium consiliariorum decreto constitutum
fuit, arcem Gouletanam ante omnia oppugnare, & constituto citius Impe-
rator omnem exercitum propius admouit: ac mille quingentis passibus à
con-

A conſpectu arcis caſtra metatus eſt, eademq; milites ſumma cum diligentia & feſtinatiõe fortiter munire, aggeres extruere, uallas figere, foſſam circun ducere, caſtella aggeribus imponere, quo tormenta quæ grandia & multa è nauibus illuc pertracta fuerant, applicarentur: ut turris illa quadrata, quam diximus Gouletæ fuiſſe fortiſsimum propugnaculum, magno conatu machinis uerberaretur, & ſi qua fieri poſſet, uaſtaretur. Quinq; dies operi faciundo impenſi ſunt. Nono calendas Iulij aggeres ad iuſtam altitudinem & craſsitudinem extructi fuerunt, caſtellaq; imponi cœpta ſunt, pro cuſtodia & tuitione caſtrorum, tam contra tormentorum globos qui in noſtros è Gouleta mittebantur, quàm leuia quædam & inopinata prælia, qui bus Mauri Cæſarianos adoriebantur: ſi domino Anthonio Pio Conſentino, qui dicit ſe uiſa, non audita ſcribere, fides eſt adhibenda: in leuibus illis uelitationibus plericq; Cæſarianorum, fraude, dolis, uafricia & aſtutia Maurorum intercepti fuerunt. Idem commemorat, Italorum & Hiſpanorum ſuperbiã & genuinã quandã inter ipſos inuidiã, (eſt enim utraq; natio ſupra modum laudis auida, in cauſa fuiſſe, quod hoſtes ſæpenumero in conflictibus ſuperiores fuerunt: dum aut ducum iuſsis non obedientes, locum aſsignatum deſerunt: aut non contenti ſuas munitiones tueri, iniuſſu præfectorum ex uallo deſiliunt, atq; in aperta pericula ſeſe conijciunt: aut uidentes ſocios laborare, eis in tempore non ſuccurrunt: quos Imperator ſemper Auguſtus (qui, eodem authore, quamlibet etiam leuibus dimicationibus interfuit, nec tormentorum ictus, nec baliſtarum tela, nec uenenata Maurorum iacula metuens, fœlicius quàm tutius, præſentiſsima pericula non ſine periculo uicit) cùm uerbis, tum minis acriter caſtigatos, eò redegit uerecundiæ, ut omnes ſuimet ipſorum pœniteret: paratiq; eſſent potius uiui diſcerpi, quàm quidpiam animaduerſione aut reprehenſione dignum deſignare: quæ caſtigatio tantum profuit, ut in reliquis conflictationibus B ac prælijs & cautius ſe tuerentur, & impigrius hoſtes inuaderent, nimirum ut ſic labem ignominiæ nomini ſuo aſperſam detergerẽt, notãq; turpiter inuſtam inducerent atq; abraderent. Et ecce priuſquam ſic ab Imperatore caſtigati eſſent, euenit fortè, ut propugnaculis aliquot erectis, uni, quod longius arcem Gouletanam uerſus excurrebat, neque multo plus quingentis paſsibus ab ea aberat, D. Hieronymus Totauilla dux Sarni cum cohortibus aliquot Italorum præficeretur: à quo cum ipſo priuilegio Diui Ioannis Baptiſtæ, hoſtem impreſsionem facientem, magna ui & conatu fortiter repuliſſent, eo facinore glorioſo certè, & præmijs digno, non contenti, præter imperata, maiora auſi, ſed infœliciter, relicto propugnaculo, cuius protegendi data illis fuit prouincia, hoſtes fugam ſimulantes proſequuti ſunt: qui artium ſuarum non immemores, coniungentes ſe ſocijs ſuis è Gouleta in ſubſidiũ ipſis progreſsis, in Cæſarianos cùm numero pauciores, tũ ex lõgis excubijs operisq; fatigatos cõuerſi, ſimul cũ ipſis in noſtras munitiones inſilierũt: quos tamẽ iuuẽtus Hiſpanica, quę nõ procul aberat, confeſtim exturbauit, & in fugã cõuertit. In eo cõflictu præter ducẽ ipſum Hieronymũ Totauillã Sarni principẽ (qui ictu tormẽti ænei pro uallo percuſſus, multisq; uulneribus confoſſus, fortiter cecidit) eiusq; nepotem, qui grauiter ſaucius, à ſocijs ſuis in propugnaculum receptus fuit, non plures octo Cæſariani deſiderati ſunt: hoſtium uerò plus quinquaginta, præter leſos & mutilos, malè perierunt. tandemq; ex captiuis, & quodam qui ad Cæſariana caſtra profugerat, cognitum eſt, tres clari nominis magniq; penſi & momenti, duces Barbaros, in illa conflictatione cæſos fuiſſe: quorum corpora equites quidam Turci ad ſua caſtra reportare conati, pedem citò retraxerunt, non audentes tam præſenti diſcrimini ſe committere, neq; ex-

ponere. Mortem Ducis à Sarno grauius quàm credi par sit, optimus & suo A
rum amantissimus Imperator tulit. Tum quòd uir fuerat magnæ diligen-
tię, & multę in rebus bellicis experientiæ, tum plurimis alijs dotibus clarus:
sed hoc omnibus in confesso est, Martem esse communem, belliq; aleam
nobilibus iuxtà atq; ignotis, principibus & sine nomine uulgo, strenuis ac
inertibus uariè cadere. Consentinus longè diuersa scribit, & propemodum
ex diametro dissidentia, quem non proposui mihi in hoc diario per omnia
sequendum: sed solùm quando consentanea describit exemplari Gallico,
quod bona fide transtuli: cuius author, quæcunq; scripsit, uel dictauit, aut
ipse suis uidit oculis, aut ab illis audiuit, qui res gestas omnes ad Impera-
torem detulerunt. Scribit Consentinus, transfugam quendam abiurato
Christianismo, paganismum professum fuisse: uerùm cum transfugeret, fa-
cti pœnituisse, & resipuisse, ac salutem suam, omniaq; bona (attulerat nan-
que secum multa ducatorum milia) clementiæ Maiestatis Imperat. cõmi
sisse. Cui Imperator remissa culpa uitã indulsit, & aurũ omne q̃d obtulerat,
in eius utilitatẽ asseruari iussit: ne scilicet in uita hominis, q; auro, cõtinẽtior
fuisse uideꝰ. Pollicebaꝰ præterea, cũ Neapolim uenisset (fuit nanq; trãsfuga
ille Neapolitanus) maiora se in ipsum collaturũ beneficia: adiecitq; Impera
toriũ esse, eiusmodi elargiri, non accipere. Sed redeamus unde digressi su-
mus. Septimo Calẽdas Iulias, hostes aliud quoddã propugnaculũ adorti,
magna cũ suorum strage ab Hispanis, quibus, reiectis Italis, tum primæ par
tes cum hostibus congrediendi ab Imperatore datæ sunt, fortiter sunt repul
si. Multum diuq; dimicatum est, ferè Andabatarum more. nam subita quæ
dam, eademq; uehemens ferentium uentorum tempestas oborta, tantum
excitauit, & in cœlũ usq; sustulit pulueris & arenæ, ut uixdum socios ab ho
stibus discernere possent. Quę tempestas tentoria, tuguria, tabernacula &
papiliones militum uariè deiecit: quibus instaurandis & refigendis, plus
credito ob omnibus sudatum est. Nono Calendas Iulij (ut illud quoque, B
quanquam non suo loco inseram) Maurus quidam à rege Tunissęæ mis-
sus, in castra Cæsarea peruenit, qui dicebat tesseram fidei à Rege acceptam
sibi in itinere perijsse: quem Imperator postridie, qui dies fuit natali diui Io-
annis Baptistæ sacer, ad se adductum, per interpretem quendam Hispa-
num, Arabicæ linguæ callentissimum, quæ mandata ad se haberet, rogauit.
ea ferè fuerant eiusmodi: Regem & dominum suum certiorem factum,
Imperatorem cum exercitu numeroso, omnibusq; rebus quæ bello tum na
uali, tum terrestri necessaria essent, abundè instructo, in Barbariam appul-
sum esse, ut maritimũ illum ac terrenum prædonem ac piratam Aenobar-
bum, Turcicumq; exercitum, qui magnam cladem regnis, insulis, arci-
bus & munitionibus Cæs. Maiestati subditis attulisset, internecioni daret.
In Regem uerò, qui se illi in fidem dedisset, nihil hostile cogitare: se autem,
ut explorarent an omnia ita se haberent, à Rege suo missum esse. Cui Impe
rator per eundem interpretem paucis respondit, ita rem esse: quin plerosq;
Mauros utriusq; sexus promiscuæ ætatis & ordinis, à suis captos, se dimi-
sisse liberos: edictoq; publico cauisse, ne cuiquam Maurorum qui regem
Tunetensium dominum agnoscerent, detrimenti quidpiam aut iniuriæ fie
ret. Quòd si Rex cum suis Alarbibus & confœderatis Aenobarbo resiste-
re decreuisset, per se non staturũ, quin ex Barbaria cũ suis complicibus bre-
ui exigeretur. Atqui festinatione & reipsa opus esse, non multis uerbis &
uanis promissis. non enim expedire suis rationibus, ut tantæ copiæ ocio
torpescerent, & ab opere feriarẽtur. qui Maurus, ut illi imperatum fuerat,
intra dies quatuor se responsum domini & regis sui reportaturum polli-
citus, quatuor milibus ducatorum, uestibusq; auro intertextis, & sericeis
exli-

A ex liberalitate & munificentia Cæsareæ Maiestatis donatus, cum mandatis ipsi commissis, dimissus est. Et ecce uix illo digresso, septimo Calendas Iulias, tres equites Mauri in eadem uenerunt castra, duo subalbi, qualis ferè est color fuligineus, tertius planè ater: erant autem Maurorum ritu pellibus lauatis phœniceí coloris uestíti: humeris uerò oblonga iacula, machęras uerò suas & acinaces à summitate brachij dextri è latere siniſtro altrinsecus pendentes gestabāt: læuo autem brachio pugiones habebant affixos. Hi Cæsareæ Maiestatí literas alteras à Rege, alteras eiusdem ferè exemplí à quibusdam Alarbibus, præcipuis belli ducibus, Regióq; cognatis & consanguineis missas, obtulerunt. Quarum ex Arabica in Castellanam linguam translatarum, is fuit tenor. Laus misericordibus: Nos filij Ceduaaz, exercitui Christianorum significamus, quòd non procul à uestris castris absumus. Vos cõtrà nunciate nobis, ubi commodissimè commentari uobiscum possimus. Qui has istuc pertulerunt literas, ingenuè uobis exponent, quis dudùm fuerit, & nunc sit rerum nostrarum status. Mauri ad unũ omnes concordes sunt, & nobis beneuolunt, unaq; in re consentiunt. Qua de re coràm diffusius agemus. Erant autem literæ Regis signo ipsius signatæ, nullo impresso sigillo, neq; superscriptione inscripta. Negabant enim id se pro more habere: quæ uerò iussu Regis mandata afferebant, hæc erant. Ha laasan Regem & dominum suum, simul atque certior factus esset de aduentu Imperatoris, classisq; eius in Aphricam, noluisse committere, quin ilico legationem ad eius Maiestatem mitteret: ut nimirum cognosceret, ubi & quando eum adire & colloquí posset, ut eius auxílio pulso Aenobarbo, in regnum auitum aliquando reponeretur: paratum item se esse, auxiliares copias mittere, commeatumq; suppeditare: & ubicunq; Maiestatí

B eius uisum esset, cum potentissimis & proximis sibi cùm sanguine tum affinitate Alarbibus, ut liberius de omnibus commentarí possent, in colloquium uenire. Quod ut commodius & minori cum discrimine fiat, rogare, ut Imperator triremes aliquot ad se mittat, quib. è mõtuosis locis, ubi delitescebat, per mare ad castra Cæsarea tutò proueheretur. Quibus intellectis, Imperator duos ex legatis, multis precíosis muneribus donatos, seruato apud se tertío, quem etiam plurimis donis cumulauit, cum eiusmodi mandatis ad Regem remisit. Placere sibi, ut Rex cum aliquot suis cognatis & affinib. ad se ueniat, quo uoluntatẽ animióq; ipsius sensa plenius intelligat, actuariáq; à Rege postulata missurũ, id q; paucis pòst dieb. effecit. Nam per quẽdã ducẽ nõ postremi nominis, neq; æstimatiõis, duodecim triremes apparari, & ad regẽ mittí curauit. Quo responso accepto, legati ad Regẽ suũ redierunt. Inter Tunetũ & Gouletam erant quædã oliueta, ficeta, locaq; alijs arboribus consita: ex latere castrorum Cæsareanorum, illic Aenobarbus tormenta non pœnitendæ magnitudinis, cohortesq; nonnullas equitũ & manipulos peditum collocauerat, unde magnos & frequentes globos in nostros iaciebant: excursionibusq; factis, magnis animis & robore castra Cæsariana exturbabant. Imperator considerans, hoc in fraudem & perniciem suarum legionum & copiarum factum esse, magnoq; sibi dedecori assignatum iri, si permitteret hostes sic impunè diutius suos ludificarí: quanquam edicto, eoq; capitalí cauerat, ne quis extra ordinem in hostem incursaret, illorum puta stratagematis, imò dolis & fraudibus iam probè exploratis, ut qui pedem pede, manum manu cum nostris conserere non auderent: sed contenti crebris, magis quàm uehementibus uelitationibus dimicare, leniterq; per causam in Cæsarianos insilire, sicubi nostri globo facto per alas & cornua se dirigebant, ut iusto bello contenderent, non au-

si reſiſtere, ſubitò terga uerterent, ſtatuit tamen eos illinc deturbare. Sexto A
igitur Calendas Iulias, claſsicum cani, & equites Hiſpanos duce Marchio
ne Mondeſaris, duasq; legiones peditum, alteram ex Germano, alteram
ex Hiſpano milite conſcriptas, antecedere iuſsit: ipſe uerò cum ſuis equiti-
bus & peditibus, manipuloq; uno, ex altero eorum qui ex minoribus tor-
mentis glandes, plumbos, aliaq; tela iaculabantur, ſequutus eſt: eoq; ordi-
ne ad locum ubi hoſtes inter arboreta & plantaria in inſidijs erant, profe-
cti, eo impetu, tamq; ardentibus animis eos adorti ſunt, ut quamuis plus
mille eſſent equites, plures q; pedites, tamen Cæſarianorum impreſsiones
non ſuſtinerent: ſed relictis machinis, reliquisq; impedimentis, in fugam
ſeſe conuerterent. quos Imperator longius perſequi noluit: tum quòd Tu-
nitium in conſpectu eſſet (non plus enim miliario illinc aberat) tum quòd
non temerè, ſed nec infœliciter, illam ſuſcepiſſet expeditionem. Ceciderũt
in eo conflictu ex hoſtibus partim equites, partim pedites quinquaginta:
ex noſtris uerò, cùm faucij, tum occiſi, deſiderati ſunt ſeptẽ. Marchio Mon-
deſaris dux ordinis equeſtris, ex ictu lanceæ Turcicæ in compendice uul-
nus accepit. Quod tamen non multo pòſt induſtria chirurgorum obducta
cicatrice, pulchrè curatum fuit. Dum hæc fiunt, & caſtra uarijs munitioni-
bur omni ex parte muniuntur, plurima militibus, & commeatu bene inſtru
cta nauigia, alia poſt alia appellebantur. Aduenerant quoq; ex Sicilia, Nea
poli, Italia, alijsq; regionib. plerique ſtrenui, & in re militari exercitatiſsimi
uiri: atq; inter alios Marchio Alarconenſis, uir magnæ prudentiæ, & mul-
tæ in re bellica experientiæ, cum mille ducentis uiris Martijs, & gentilitio
ſtemmate claris, ex Neapoli & Sicilia oriundis: qui partim longis actua-
rijs, partim onerarijs & roſtratis in Aphricã aduecti ſunt. appulſus eſt etiam
eódẽ pulchrè comitatus dominus Ferdinãdus Gonzaga, uir rari & pruden
tis conſilij, & in ijs quæ ad rem militarem pertinent, oppidò quàm exerci-
tatus. Tertio Calendas Iulij, Halaaſan Tunetenſium rex, ex ſaltibus illis
quò pulſus ab Aenobarbo confugerat, per mare proximum triremibus ab B
Imperatore impetratis, quàm proximè caſtra Cæſarea aduectus eſt: præ-
miſſoq; ſororis ſuæ filio, qui illum appulſum eſſe nunciaret, cum ducentis
equitibus Mauris ad caſtra Cæſarea contendit. Imperator illum aduenta-
re præmonitus, ſigno dari iuſſo, ut turmæ aliquot equitum ordine diſpone
rentur, Ducem ab Alua, Marchionem Alarconenſem, & comitem Bene-
uentanum, cum multis alijs nobilibus & gentilitio titulo inſignibus, præ-
ter equites, addita una atq; altera peditum phalange, illi obuiam miſit: qui
reuerenter illum (ut puta regem) excíperent, atq; ad tentorium Cæſareum
deducerent. Imperator cum infante Portugaliæ, alijsq; tum ducibus tum
comitibus principibusq; uiris, regem expectabat: quem appropinquan-
tem data dextera ſalutauit. Ille contrà ſumma cum reuerentia ſeſe inclinans
& demittens, obſeruato tamen ſemper decoro regio, Imperatorem tantùm
non adorauit, & more patrio ſuper tapeto ibi in hoc ſtrato cum ſuis alar-
bibus humi procubuit. Imperator uerò è ſuo ſolio deſcendit. Tum per in-
terpretem Caſtellanæ & Arabicæ linguæ iuxtà peritum, multis de re-
bus longum diu'que collocuti ſunt. Deinde ad militum ſtationem,
ut legiones ſuo ordine digeſtas, totius'que exercitus faciem, formam
& robur uideret (qui illo aduenìente tam maiora quàm minora tormenta
magno murmure & ſtrepitu exonerabãt) deductus eſt. illinc ad tentorium
domini Ludouici à Flandria, domini ditionis de Praet, equitis Chryſomal
li, & ſecũdi Imperatorię Maieſtatis cubicularij peruenit: ubi uarijs omne
genus bellarijs, aquiſq; cũ ſaccaro & cinamomo decoctis, (abſtinent enim
uino & carnibus, niſi ritu patrio coctæ & apparatæ ſint) refectus & recrea-
tus

atus est. Dixit autem, circiter octingentos camelos commeatu & alijs rebus onustos, se à tergo cõsequi, habereq; se in montibus illis unde uenerat, plus sedecim equorum milia, quorum omnium ne musca quidem neque camelus, neque equus usquam comparuit. Erant autem omnes eius milites Mauritanico more uestiti, habentes acinaces suas altrinsecus, ab humero dextro in læuum dependulas, & pugiones latos, eosq; ancipites siniſtro brachio alligatos: equitatus ferè ex equabus equisq; castratis constabat. Iacula autem quæ gestabant, longitudinis erant trigintasex aut quadraginta palmarum. Imperator autem magis miseratione & misericordia (quam cum summa clementia habet coniunctam) commotus, quàm quod multum auxilij putabat à Rege, humanissimè acceptum, regio affecit honore. Hoc enim erat omnibus exploratissimum, Regem sine ulla spe recuperandi regni sui, fuisse ab Aenobarbo exactum. Huc accessit, Imperatoris copias, quas terra mariq; habebat, tales fuisse & tantas, ut cum Deo bene uolente (à quo omnis uictoria est) non solum sufficerent Aenobarbo cum suis opprimendo, sed etiam uniuersæ Barbariæ subiugandæ. Verùm magis expediens uisum fuit, regem in regnum reponere: ut tanto beneficio Maurorum animos sibi deuinciret: intelligerentq; sanctam illam expeditionem in hoc solum Imperatori susceptam esse, ut Aenobarbum Turcicumq; exercitum è Tunetensium regno expelleret, tranquillitatiq; Reip. Christianæ consuleret. Præterea, ut fidem regis eius que successorum magno commodo & securitate Christianissimi, & præsertim regionum & ditionum maritimarum Cæsareo Imperio obnoxiarum, contra uniuersam Barbariam tam immensi beneficij uinculo, in perpetuum sibi obligaret: quibus regionibus quàm fuerit opus & necessarium, ut primo quoque tempore prospiceretur, nemo ne sanctè quidem deieranti credat, nisi oculorum cognitione didicisset, quemadmodum in profectione ista sole meridiano clarius fuit uidere. Sub initium mensis Iulij, in opere cœpto perficiendo continuis aliquot diebus nemo non strenuam & accuratam adhibuit operam, ut scilicet tormentis omnib. suis locis dispositis, ad demolitionẽ arcis Gouletanę procederetur. Erant circum castra Cæsariana colliculi quidam, quos uisum fuit aggestis aggeribus, defixis uallis, extructisq; propugnaculis & castellis munire, militesq; cum machinis ad castra ipsa, legionumq; cornua protegenda, hostemq; ab irruptionibus arcendum imponere. Quia uerò arx Gouletana in planicie quadam sita erat, & ex utroque latere firmis munitionibus circumclusa, non fuit nostris integrum semel locum castris metandis deligere, sed necesse fuit subinde mutare, & paulatim proximius Gouletæ admouere, quod non sine magno labore & molestia militum fieri potuit: tum quòd tentoria, papiliones, tuguria, diuersoria, sarcinæ, impedimenta omnia transportanda essent: tum quòd ab illis locis longius abstraherentur, ubi plurima quotidiano usui accommoda partim reperierant, partim sibi procurauerant: & præsertim puteos aquarum dulcium, quarum propter mare uicinum, mira erat illic raritas, ne dicam penuria. Nam illi à quibus diximus turrim quandam nomen sortitam fuisse, propter immodicam aquationem partim exhausti, partim uitiati limo è fundo excitato fuerunt. Lacus uerò & stagna, propter uicini æquoris exundationem, aqua salsa infecta fuerũt. Huc accessit, q; ex uasis terra repletis, pellib. aliſq; munimẽtis coopertis, ppugnacula sibi cõstruere debebãt, quę oppo nebãt tormentorũ ictib. dũ nocturno tẽpore, ppius sensim adrepũt. Cũq; ad hũc modũ castra semel atq; iterũ loco mouent, pximiusq; arci admouent, ut sic cõmodiore uia expugnaret: nõ rarò nocte intẽpesta ad arma cõclamat, atq; interdũ utrinq; eruptiõib. factis dimicat. Quarto nonas Iulias,

hostes

hostes per exploratores edocti, turmas aliquot equitum, manipulosq; pe- A
ditum è castris Cæsareis profectos esse, ut magnum numerum cùm pedi-
tum, tum equitum ex miscellanea & promiscua, equisonum, mulionum, sta
bulariorum, lixarum, cacularum, eiusmodiq; hominum colluuie, qui in ui-
cos proximos pabulatum & prædatum excurrerant, conflatum, tuerentur
& protegerent: arbitrati occasionem nostras munitiones expugnandi sibi
datam esse, statim à prandio magno clamore & impetu uelut œstro quo-
dam perciti, totis uiribus in eas incubuerunt, eodemq; ferè temporis
puncto, turbo quidam ferentium & debacchantium flaminum, tantum ex-
citauit puluerís, ut conspectum hinc castrorum, isthinc hostium intercepe-
rit: hoc tamen nonnihil in tenebris dimicantibus profuit, quod æther cre-
bris ignibus, quanquam non sine fragore tonitruum micuerit, pluuia subi-
tò consequuta uentorum rabiem sedauit. Nihil tamen interim tam subita
cœli mutatio cõflictationem remorata est: quinimo ijs animis utrinque &
uiribus certatum est, ut Cæsariani exercitus duces, metuentes ne Turcici
equites ex insidijs suo more intergiductores nostri exercitus insultarent,
omnibus legionibus ordine distributis, facta acie cum hoste congredien-
dum putarint: sed nostri diuino freti auxilio, magna tùm Imperatorum,
Decurionum, & Centurionum, tum militum uigilãtia, alacritate & diligen
tia, hostes à castris prohibuerunt, & terga dare coegerunt: quos tanta cele-
ritate sunt consecuti, ut multis ante munitiones ipsorum trucidatis, propu-
gnacula & castella nonnulla occuparint, uexilla diripuerint, & magnum
timorem spectantibus incusserint, cruenta ea in concertatione facta fuit ho
stium strages: pauci ex nostris desiderati sunt. Nulla quies, nullum ocium
fuit militibus. Nam nulla ferè dies sine dimicatiõe abijt. Ex arce uerò Gou-
letana triremibusq; qui in sinu Tunetensi fuerũt, quotidie ex machinis in-
gentis magnitudinis, ferrei & ænei globi in castra Cæsarea militumq; tugu
ria iaciebantur, quorum nonnulli & illi quidem grandiusculi interlignio B
liliorum insigniti fuerunt, ita ut non difficile esset conijcere & colligere, è
quo miropolio eiusmodi catapoꝛcia, quibusue ex officinis tales prodie-
rant merces, tandemq; plurima quæ antea incerto rumore siue authore
passim missitabantur, tum denique credi & pro certis haberi cœpta sunt.
Ex altero latere Gouletæ, qua Tuniceum respicit, stagnum est nauigabile,
per quod ex Tuneto commeatus, & quæcunque obsidione cinctis opus
erant, facilè aduehebantur: quod, ut nostri impedirent, constitutum fuit è
nauibus n onnulla nauigia in stagnum illud pertrahere, eademq; militibus,
tormentis alijsq; armamentis armare. Id quod absque mora, quamuis non
sine molestia, factum fuit. Verùm quia stagnum illud non erat tantæ altitu
dinis, ut naues sic onustas ferre posset, necesse fuit eas in mare magno, cer-
tè militum sudore retrahere. Sexto Idus Iulias Imperator ex altero pede
grauissimè laborauit: cuius doloris causam fuisse, medici asseuerabant, con
tinuam & indefessam in omnibus boni Imperatoris obeundis muneri-
bus curam, laborem & diligentiam. Nec defuerunt qui putarent diuinæ
id fuisse prouidentiæ & uoluntatis, ut scilicet illo cruciatu admonitus, non
tam temerè præsentissimis se obiectaret periculis: satisq; crederet suo se
fungi officio, si quod in opere faciundo collocaret operæ, alijs exercen-
dis & instituendis insumeret. Atque plurima quæ ipse faceret, primarijs
exercitus ducibus, legionum præfectis, primi pilaribusq; antesignanis ad-
ministranda committeret. Hostium namque incursitationes, assiduæq; il-
læ dimicationes nõ fiebant sine telorum, iaculorũ, balistarũ ictib. & tormen
torum maiorum & minorum iactibus: quorũ impetus sine discrimine no-
bilibus cũ ignotis, summis cũ infimis, si fortè cõtingantur, æque lethalis est
& no-

A & noxius. Quarto Idus Iulias, tentoria, & militum tuguria denuò suo loco mota sunt, & propius Gouletam deportata, quo tamen die propter incredibilem flabrorum tempestatem, puluerulentamq; harenarum nubem, ad sidera usque iactatam, non adeò promptum, neque procliue fuit ea figere: munitionibus tamen, uallis & fossis circundatis, propugnaculis & castellis aggeribus impositis, machinisq; ad iaculandum apparatis, Imperator arcem Gouletanam primùm tormentis uerberare, deinde postridiè, qui tertius fuit Idus Iulias, conscensis muris, expugnare & capere constituit. Quare cautum est edicto publico, ut omnes tam duces quàm milites, ad suam quisque cui destinatus fuerat functionem, parati & accincti essent: sed quia uentorum uis & rabies fuerat uehementior, pelagusq; altioribus undis efferbuerat, in diem sequentem qui pridiè fuit Idus Iulias, res tota dilata & procrastinata est. Erat fortè turris quædam in uertice montis, non amplius mille passus à Cæsarianis castris dissita, quam decem stationarij milites expulsis Barbaris occupauerant: eam facto agmine Turcę Mauriq; adorsi sunt: quorum insultum decem illi Cæsariani principiò strenuè repulerunt, sed destituti subsidio, cœperunt impressionibus Barbarorum esse longè impares. Quibus confestim à nostris, tum equitibus tum peditibus suppetię datę sunt. quare ab hostibus animaduersa, non expectato nostrorum aduentu, sese uerterunt: qui ferè Barbarorum mos est. sua namque agilitate (ferentariorum enim & uelitum more, leui utuntur armatura) equorumq; uelocitate freti, frequentioribus quàm uehementioribus excursionibus hostes suos solicitant. quòd si seriò conserendas esse manus uidetint, uersis tergis, fuga sibi saluti suę consulunt. Imperator nondum commodam expugnandæ arcis Gouletanæ nactus occasionem, exploratis summa
B cura omnibus munitionibus, ut magis hostibus incommodaret, fortiusq; sua castra muniret, iussit alium aggerem cæteris astrui, quod imperato citius, summa cum diligentia factum est: ut si fortè offerret sese occasio, nihil esset quod oppugnationem remoraretur. Castris igitur sic munitis, & acie, quæ numerum triginta milium militum, eorumq; selectorum excedebat, per cornua, alas frontes & terga, legiones, turmas, cohortes, & manipulos, instructa, (præter classem ingentem, quæ in portu Gouletæ omnibus rebus ad nauale bellum necessarijs apparata, anchoris fundatis detinebatur) cunctisq; & quæ ad castrorum tuitionem, & inimicorum oppressionem spectare uidebantur, diligenti solicitudine procuratis, machinæ & tormenta suis quæque locis collocabantur. Imperatori præter cætera hoc studio fuit, frequenter omnem exercitum lustrare, legiones omnes circumire: duces & antesignanos, ut cautè sibi prospicerent, nec temerè se periculis obijcerent, admonere. Omnes summa cum humanitate compellare, præmia ampla pollíceri, ardentes & inflammatos laudare, dubios & meticulosos animare & confirmare, ignauos & inertes impellere, urgere ac stimulare, ignominiosisq; uerbis, nonnunquam & uerberibus castigare: omnes hortari, breuibusq; concionibus inflammare: non dubitare se, quin qui sæpe absente ipso rem præclarè gessissent, hostesq; eisdem secum sacris initiatos, captis regibus & principibus uiris, castris exuissent, uictoriamq; illis ueluti è manibus tum in Italia, tum alijs regionibus non secus ac clauam è manu Herculis extorsissent, nunc se præsente, cum hoste sacro atque deuoto, fortiter & strenuè essent pugnaturi: præsertim cùm in hoc bello Deo optimo maximo, eiusque filio Domino & Seruatori nostro militarent, se quidē officiorum sibi præstitorum non fore immemorem: sed unumquemque pro ratione rerum gestarum, liberaliter remuneraturum. Quibus exhortationib. animi militū, alioqui sua spōte feruentes & incitati,

sic

sic sunt inflammati, ut ansam pugnandi sibi non præberi dolerent. Actua- A
riæ proinde, aliæq; classes, quàm proximè sine certo discrimine poterant, applicabantur: malisq; & antemnis summotis, ne si fortè hostium tormentis concuterentur, id nauibus fraudi & detrimento esset, ad oppugnationem apparabantur. Euenit fortè, ut pridiè quàm decretum esset arcem tormentis lacessere, mare sic intumuerit, ut in tentoria, quę littoribus proxima erant, exundaret: metusq; esset, ne iuxta constitutum arx oppugnari non quiret. sed pridie Idus Iulias tanta fuit & æquoris & flatuum tranquillitas, is q; superni numinis fauor, ut cum prima luce acie suo ordine instructa, omnibusq; & singulis suis functionib. præscriptis, ea diligentia, industria, studio & dexteritate, terra mariq; arx uerberaretur, diuexaretur, & quassaretur, ut & turres opere situq; pene inexpugnabiles, & cæteræ munitiones, quas ex trabib. malis, antemnis, triremium remis, emeritarumq; nauium tabulis, proris & puppibus, clauis & caritijs construxerant, ac pilis, pellibus, boumq; tergoribus stipauerant, multaq; terra cooperuerant, diuerbe-
tioni & impetui nostrorum tormentorum cederent, collapsæq; & conuulsæ neq; onus impositum sustinerent, neq; Turcis satis tutum nec firmum cõsistendi atq; resistendi locum, machinasq; suas eijciendi potestatem face
rent. Quin plurimæ hostium machinæ nostrorum tormentorum ictibus diruptæ, magnaq; pars muri turris illius quadratæ solo æquata, nonnullæq; quadriremes & triremes, aliæq; naues tam rostratæ quàm onerariæ, pertusæ & dilaceratæ fuerunt: quæ cùm hostes non sine dolore & indignatione uiderent, secumq; expenderent suas munitiones peius fuisse labefactatas, quàm ut ulla instaurandi spes supereſſet, considerarentq; quàm potens & inuictus, & ab exercitu & omnibus bellicis maritimis iuxtà ac terrestribus B
munitionibus Imperator esset, in sola fuga suo more spem omnem collocauerunt. Imperator, qui hactenus omnibus in rebus summa cum diligentia, cura, strenuitate & magnanimitate uelut Hector quidam, aut monstrorum domitor Hercules, omnia boni Imperatoris, imò & militis munia obiuerat, & quæcunq; factu fuerant necessaria, admonuerat & præceperat, ne quid in ipso deliderarentur, dum arx Gouletana tormentis concutiebatur, in aggeribus ipsis & propugnaculis constitit, nimirum ut à uerberatione, donec magna ex parte demolita esset, non desisteretur: factaq; commoda ascendendi uia, militum saluti in expugnatione eius consuleretur. Tam enim uita militum illi chara fuit, ut nollet uel unius periculo centum Barbaros obtruncari. Contrà milites eo flagrabant expugnandæ arcis ardore dicam, an furore, ut nisi prudentissimus Imperator eos remoratus fuisset, nulla sibi munita uia magno suo periculo eam oppugnassent. Id quod tamen eodem die sub horam secundam pomeridianam, ea animorum uiriumq; alacritate & robore factum est, ut quamuis iter ipsum quod sibi munierant, non esset satis aptum, aditusq; impeditior quàm ut commodè eam inuadere possent: tamen scalis muris admotis, facile mœnia superarint, uictoresq; in arce uictatriumpharint. Quadriremes uerò Aenobarbi, aliæ que naues quæ in stagnis & sinu Gouletano iacebant, paruo negocio in nostrorum uenerunt potestatẽ, unà cũ machinis bellicis, quę numero, magnitudine & artificio erãt cõmẽdabiles. Inuẽta etiã fuit magna globorũ, puluerís tormẽtarij, & salnitri copia: ita ut abundè facta fuerit cõpensatio damni & detrimẽti, quod nostri acceperant, quoniã nonnullę naues ipsorũ aduersariorũ machinis partim depressę, partim laceratę & diruptę fuerũt. Hostes, qui alioqui in defendenda arce strenuos sese, & rei militaris experientissimos exhibuerant, omni spe recuperandi ea quæ amiserant abiecta, fugæ se dederũt. quamlibet enim nihilominus fuerant agiles & ueloces, nõ tamen sic præ-

Apræcurrere potuerunt, quin plurimi & terra & per stagna in ipsa fuga à nostris anteuerterentur. Vbi magna cædes hostium, quamuis fortiter repugnatium, facta est. Quantum doloris, indignationis, animiq; impotentiæ, atq; egritudinis impurissima illa bellua, ac Christianismi pestis maxima, Heredin Aenobarbus ex strage suorum, rumoribusq; amaris & iniucundis qui ad eum de detrimento accepto, factaq; iactura perferebantur, concœperit, facile est unicuique coniectura consequi. quin plurimi captiuorum qui in triremibus Cæsaris uincti asseruabantur, propter fugam comilitorum suorum, & rem malè gestam, eò deuenere furoris & desperationis, ut sibi manus intulerint, precioso q; iugulo mortem sibi cõsciuerint. Dũ hæc ante Gouletam geruntur, Halaasan Tunetensium rex, cũ aliquot Mauris, cognatis suis & affinib. in castris Imperatoris regio more tractabatur: assignatis illi ministris, qui eidem inseruirent & administrarent. Decumbebat autẽ in tapetis humi stratis, ibidẽq; prandebat & cœnabat: eo corporis habitu, ut manus & pedes iuxta mappæ essent propinquæ: atq; inter agendũ, alterũ pedẽ manu tractabat. Quod nostratib. uisum fuit nouũ. sed is mos est illis patrius & gentilitius. Similes erãt gestus & mores Maurorũ, qui circum regem suum sine ullo discrimine iacebant semilaceri & nudi: qui nonnunquã rupto silẽtio, clarius ipso Rege simul omnes uociferanbaẽ. In rege uerò maiestas quædam & seueritas, quam reuerearis, non formides, semper relucebat. Ac ne tum quidem ulla extitere indicia, satrapas regni Tunetei eo esse animo, ut regi suo ferre uellent suppetias: licet ipse interim dissimularet, diceretq; se à quibusdam Alarbium suorum accepisse literas, quibus pollicebantur se illi auxilio adfuturos, atq; adeò tunc fuisse in itinere. Imperatori non uidebatur consultum, eiusmodi arundineo baculo, ficulneoq; præsidio niti: uerùm quod res erat suspicabatur, satrapas puta & Alarbas illos expectaturos, quò oppugnatio arcis Gouletanæ euaderet. At B qui ne expugnata ea quidem ullum argumentum fauoris bonæq; uoluntatis, ab illis erga Regem ostensum est. Cui regi pro miraculo quodam & ostento fuit, uidere prosperum successum & glorioſam Imperatoris uictoriam. Quibus gaudijs, iubilis, acclamationibus, milites Cæsariani tam insignem, tam inauditam uictoriam concelebrarint, malo unicuiq; suo cum animo reputandum relinquere, quàm pauca scribendo rem ipsam eleuare. Vbi iam tutus in arcem pateret accessus, uidisses plurimos agminatim illò adcurrere, tum ut arcem ipsam, tum ut munitionum ruinas & reliquias dãnaq; data uiderẽt. Est aũt arx Gouletana turris quædã quadrata, admirãdæ crassitudinis, altitudinis aũt duarũ cõtignationũ, ambitu interiori cõplectens passus quadraginta: exteriori uerò & in frõtispicio circiter quinquaginta. Intus est cisterna quędã insignis, quæ totius ędificij aquas pluuias excipit: sunt & fornices quidã cõcamerati, in modũ prõptuariorũ, penui & annonæ conseruandę extructi: è quib. quicquid auferri potuit, à stipendiarijs quibusdam & legionarijs compilatum, & conuasatum fuit. Erat in eadem arce magnus numerus arcuum & iaculorum (nam in dimicando ferè arcubus utebantur) è quibus iaculabantur tela oblonga, ferro peracuto in extremitate armata, quod in uulnere quod fecerant extractis telis permanebat. Inuẽta sunt quoq; tormẽta cùm minuscula tũ maiuscula, circiter quadraginta: inter quæ unũ fuit prędargi orificij, qd eijciebat globos ferreos amplitudinis latissimi pilei: fuerũt & ex præcipuis nõ pauca alia, passim liliijs, alia salamandrę figura, & duplici digammate Aeolico ff insignita. quib. in altero latere insculptum fuit, aut infusum, hoc elogium literis Romanis: Nutrisco & extinguo. In altero latere, alterum elogium literis Arabicis. Nõ arbitror neque alitis uolatu, neque sinistro cantu oscinis, neque tripudijs solistimis,

opus esse, ut augureris & diuines, unde tormenta illa eiusmodi notis & e- A
logijs notata, allata, aut cuius iussu & impensis illic fuerint fusa. In confesso
est omnibus, bellicas expeditiones, castrorum & arcium oppugnationes,
militares congressus, conflictationes, incursiones & inuasiones, non fie-
ri sine reciproca utriusq; partis iactura: fereq; usuuenire, ut periculum non
sine periculo uitetur. quo factum est, ut ex militibus Cæsarianis multi fue-
rint desiderati, pleriq; grauiter uulnerati & saucij, & alij puluere torm enta-
rio temerè accenso, alij eminus iaculis, & minorum tormentorum glandi-
bus, alij cominus gladijs, gesis, contis, & lanceis: nonnulli maiorum tor-
mentorum iaculationibus, partim manus, brachia, pedes & crura, partim
coxas & femora reportabant, aut planè rupta, aut saltem luxata. Nec de-
fuerunt, quibus certæ corporis portiones fuerunt machinarum iactibus
ademptæ. Inter quos Hispanus quidam (ut scribit Consentinus) humilis
fortunæ, sed animo, Thebano illo tantopere multorum historijs concele-
brato, non inferior: dum fortè cruribus simul cum femoribus globo æneo
è tormento emisso truncatur, simulq; tormentum minusculum, quo utebā-
tur, è manibus illi excutitur, plus sollicitus de suo tormento, quàm uita, un
diq; circunspectat tristis, uisumq; (manibus reliquoq; corpore sese illuc
ut potuit aduoluens) hilaris brachiorum sinu uelut deosculabundus com-
plectitur, & quasi re salua uitam expirat. I nunc, & mirare Epiminundam il-
lum, qui rogauit moriens, an clypeus esset saluus, & an pro patria staret ui-
ctoria? Habes Hispania, unde (quamuis alioqui satis laudis auida) gloriari,
& cristas tollere queas. Pleriscq; certa membra sic erant concisa, ut solùm à
neruo aut particula cutis dependerent. quibus industria chirurgorum id
quod dependebat, nec spes erat fore ut alteri membro coalescere aut con-
ferruminari posset, præcidebatur: reliqua parte ferro ignito, ne sanguis im
modicè efflueret, adusta: adeò ut miserum & iniucūdum esset spectaculum,
illorum uidere calamitates, ac audire quiritationes. Et quamuis in castris B
plurima essent loca recipiendis saucijs, truncis & luxatis, aut alioqui uulne-
ratis destinata, eisq; præfecti medici, chirurgi, myropolæ & administri: ta-
men fieri non potuit, quin pleriq; uitam cum morte commutarent. fœlices
sanè & fortunati, qui puta ea gratia morti sese obiecerant, ut Domino Iesu
Christo Seruatori & Redemptori suo litarent, quorum corpora in glarea
& arena condita & sepulta fuerunt, animæ Dei opt. max. misericordia ui-
uunt in æuum. Imperator optata potitus uictoria, Gouletam præsidio sex-
centorum militum legionariorum munit: cadauera hostium cæsorum, quę
plurima inuenta sunt, equorum item & camelorum, in altissimis scrobibus
infodi iubet: ne fortè ex fœtore corrupto & infecto aere, lues aliqua in e-
xercitu suborire tur. Christianorū autem qui in ea expugnatione desidera-
ti sunt, corpora, religiosè condita fuerunt, crucibus in tumulis eorum infi-
xis. Idibus Iulijs, qui dies proximus fuit à uictoria, Imperator conuocato
concilio ducum, antesignanorum, primipilorum, decurionum, centurionū,
& eorum qui illi tam in publicis quàm priuatis negocijs à consilijs sunt,
cum illis consultat & deliberat, quid potissimum facto opus sit: ut non so-
lùm uicerit, uerumetiam uictoria utatur. Ibi sentētijs uariatum est: alijs sua-
dentibus, ut quasi re perfecta in Hispaniam redeat: alijs contrà reclamanti-
bus, operam illi & impensas perijsse, nisi Tunetum etiam capiat, & ni om-
nes insulas propinquas, à quib. periculum immineret, in potestatem suam
redigat. Vicit posterior, & quidem sanior sententia, quare signo dato impe-
ratum est, ut omnes Tunetensium expugnationi sese accingerent. Decimo
sexto Calendas Augusti manipuli aliquot, & cohortes peditum Germano
rum & Hispanorum, Tunitium uersus progredi cœperunt, trahētes secum
duode-

A duodecim tormenta bellica, quos Imperator cum reliquo exercitu sequi decreuerat: sed quia ab itinerum peritis postea illi renunciatum fuerat, uiam quæ ab illo latere Tunetum ducebat, impeditiorem magisq; salebrosam esse, quàm ut commodè illac exercitum suum traducere posset, eandemq; insidijs, alijsq; mille periculis aptiorem esse, quàm alterã: iussit eos qui præcesserant reuocari, qui sine ullo detrimento machinas in castra retraxerunt. Decimoquinto Calendas Augusti, & die proximo, plurima tormenta maiuscula cum globis & puluere tormentario, alijs'que rebus ad expugnationem arcis Gouletanæ è nauibus exportata, rursus in easdem exportata sunt. Cum hæc aguntur, Imperator cum suis, uarijs curis angitur: profectioq; Tunetensis mirè ipsum sollicitat. Principiò uidet quæcumq; Halaasan de Alarbijũ, propinquorum, suburbanorum atq; oppidanorum auxilijs magnificè iactitasset, uana esse omnia, & mera somnia: cum nemo illorum signa ulla fauoris subsidij'ue in illum usq; diem erga regem suum præ se tulisset: neq; pro ipso, quamuis summa oblata fuisset opportunitas, contra Aenobarbum arma sumpsisset. Proinde non oscitanter secum expendens quàm grauis & difficilis subeunda esset prouincia, tum quòd longius à mari abstractis, periculum esset ne satis commodè commeatus asportari posset, ac quòd in tota illa regione rari admodum essent putei, à quorũ aditu hostes ipsos facilè prohibere, aut eosdẽ saltẽ inficere possent, & uiciare, dulcium aquarũ laborarẽt inopia: tũ quòd machinę bellicę propter iumentorum sarcinariorum penuriam, manibus militum terrestri itinere pertrahi debuerant: contra, cum illi in mentem ueniret, Aenobarbo, nisi ex Barbaria exturbaretur, maximam relinqui opportunitatem in fines Christianorum, orasq; maritimas, Cæsareæ ditioni subiectas incursandi, omniaq; peius quàm prius (utpote qui damno accepto esset irritatus) perturbandi: misereturq; fortunam Christianorum, qui Tuneti pædore & B squalore obsiti, in carcere & uinculis degebãt: misereturq; ipsum regis qui è regno exactus, omnibusq; fortunis spoliatus, ab unius Imperatoris penderet misericordia & auxilio: consultissimum uisum fuit, capto Tuneto, Aenobarbum opprimere aut expellere, regemq; restituere, ut tanto beneficio deuinctus & obligatus, Reip. Christianæ, Imperatori, eiusq; successo rib. socijs & amicis, perpetuò confœderatus, neq; unquam benefactorum à Cæsarea Maiestate acceptorum obreperet illi obliuio. His omnib. æqua lance expensis, constitutum fuit aciem ordine instructam, per alterũ Gouletæ latus, quòd illud iter magis esset peruium, neq; tam multis periculis expositum, Tunetum uersus deducere: principe Melphiæ cum cuncta classe, Gouletæ relicto, cui hoc præcipuè curæ esset, exercitum cõmeatu & annona prosequi, & de recentibus aquis alijsq; requisitis, per stagnũ quod Tunetũ ducebat prospicere, omniaq; munimẽta quæ pro arcis Gouletanæ diuerberatione & excidio è nauibus elata fuerant, cum tormentis quæ in ipsa arce deuicta inuenta fuerant, eisdem ut inferrentur, operam dare. Decimo tertio igitur Calendas Augusti, Imperator classicum cani, totumq; exercitũ in formã iustæ aciei instrui iussit, qui per omnes suas partes digestus, pro gredi cœpit, sex tormentis maioribus, totidemq; mediocribus, brachijs & robore militum pertractis. commeatuq; quinq; dierum secum allato, Imperator, cui præter cæteros res cordi fuit, a summo capite ad imum usq; calcaneum armatus, per singulas turmas, cohortes & legiones non sine summo spectantium gaudio obequitare, manipulos concenturiare, phalanges concenturiare, omnesq; bono animo esse, certamq; sibi cum Dei adiutorio uictoriam polliceri. Iubere deinde ad cataphractos redire, & unumquemq;

A

sui muneris & functionis admonere. In progressu autem, ipse sublimi con-
spiciendus in equo, uexillum primarium, quod Domini nostri Iesu Christi
crucifixi habebat effigiem, antecedebat: quem quicunq; conspicabatur, im
mensa perfundebatur lætitia, feruentissimoq; inflammabatur ardore & de
siderio, ad extremum usq; halitum pro Christianismo, ueluti pro focis & a-
ris præliandi. Cumq; eo ordine ad duo processissent milliaria, ecce Turcæ
& Mauri, ex oliuetis ubi delituerant emergentes, & hac illac per uiam cur-
sitantes, nostris sese prodiderunt. Erat non procul illinc in eodem itinere
Aenobarbus cum sex millibus Turcarum: Maurorum uerò & aliorum par
tim equitum, partim peditum, millibus centum. Imò relatu quorundam
Christianorum, qui Tuneto in Christianorum castra profugerant, cogni-
tum fuit, Aenobarbum habuisse plus cẽtum quinquaginta millia militum:
Equites scilicet ad millia uiginti, reliquos pedites. Quod tanto credere pro
cliuius fuerat, quod ipse Aenobarbus duobus diebus proximis omnes co-
pias suas recensuerat, & Alarbas Maurosq; omnes militari sacramento au-
ctorauerat, seq; consequi coegerat, acieq; instructa cum Imperatore confli
gere, imò & castris exuere decreuerat. in eum namq; finem castra sua ual-
lis, fossis, aggeribus, & turribus munierat, machinasq; in propugnaculis
collocauerat, eo loco nostros expectans, quò illis, uellent nollẽt, iter facien
dum esset. Imperator per quosdam exploratores curauit agmini suo prospi
ci de loco ubi pernoctaret, accommodo multum & apto: tum quòd ibi tu-
tior fuisset ab hostium incursitationibus, tum quòd multos dulcium aqua-
rum puteos illic inuenisset. Verùm hostes re animaduersa, quia nostri len-
tius promouebant, quòd tormenta sua robore brachiorum trahere debue
rant, facilè locum illũ præoccuparunt. Imperator uidens in celeritate spem
uictoriæ consistere, magnis itinerib. multo conatu pertractis machinis, ad
locum pugnæ accelerabat. quo cùm uentum est, principiò bombis & toni-
tru tormentorum eiaculatorum se mutuò salutarunt: deinde signo dato, B
magnis utrinq; animis & uiribus eminus tormentis, telis, iaculis, fundis, co
minus hastis, gæsis, malleolis, sicis, & uersis gladijs, acriter pugnatum est.
Quo in conflictu, tanta animorum alacritate Cæsariani rem gesserunt, ut
quanquam ex continuo itinere lassi & opere fatigati, cum integris, nihilq;
quod non (absit uerbo inuidia) fortissimos & strenuissimos milites facere
deceret, molientibus, dimicarent: tamen ruptis ordinibus cedere, magnoq;
tormentorum numero amisso, terga uertere compellerent. qui quanquam
ad tali iactum abacti, sese colligerent, & uelut bellum redintegraturi, tor-
menta quæ reliqua habebant exonerarent: robur tamen & alacritatem ani
morum, disciplinamq; militarẽ Cæsariani exercitus considerantes, mutata
sententia, fugerunt: relictisq; impedimentis, & proiectis hastis, cesserunt
arenæ. Milites Cæsariani quamlibet ex itinere æstuq; intolerabili prope-
modum enecati, ea tamen alacritate cum hostibus congressi sunt, ut pluri-
mos occiderint, reliquos in fugam conuerterint: multo maiorẽ facturi stra-
gem, nisi præ siti & calore immodico tantum non exanimati, ab hostib. per
sequendis sibi temperare, & reficiendis corporibus nonnihil sibi dare de-
buissent, cuius rei gratia ibi pernoctarunt. In prima illa dimicatiõe ex Chri
stianis non plures octo desiderati sunt, neq; ij milites, sed uiri & mulieres
qui sarcinas adferebant, & à uia militari aberrauerant. Fuit autem illis in lo-
cis tanta dulcium aquarum penuria, ut exhaustis fontibus & puteis quos
repererant, limum ipsum bibere sustinuerint. Imò pleriq; militum quibus
ad puteos patebat aditus, sudariola & induuiorum extrema terræ ex aqua,
quæ ex situlis alijsq; uasis haustorijs aufugerat, humectatæ, impresserunt,
oriq; admota suxerunt. alij haustum aquę frigidę, aut citreum, arancinum-

ue ma-

A ue malum, aut simile quiddam, quo sitim leuare possent, precio multorum ducatorum redimere uolentes, uenditorem non inuenerunt. Vidisses animosos milites illos, qui paulo antè inuicti, copiosum illum Aenobarbi exercitum conuerterunt & profligauerunt, nũc siti, fame & æstu intolerabiliuictos, eò deuenisse impotentiæ animi, ut nõ temperarent à conuicijs, maledictis, & miseris complorationibus. Audiuisses eos caput Regis Tunetensis mille diris deuouere, quòd promissa non præstaret, Cæsareumq; exercitum annona & commeatu non adiuuaret. O miseram naturæ humanæ conditionem, quæ eiusmodi necessitatibus sit obnoxia, quas uicisse Herculis cuiusdam, aut Sampsonis sit uirtus. Sed conspecto Imperatore, abstinuerunt à querelis, fuitq; inter tot murmurantium millia silentium plusquam Pythagoricum: tantum potuit unius capitis præsentia. Duodecimo Calendas Augusti, Imperator iam cœlo albescente, copias suas eo ordine, quo die superiori, Tunetum uersus produxit, nec sine causa ordinatim incessit. Metuebat enim, ne qui profugerant, collectis uiribus, alicubi in itinere ex insidijs existerent, sibi'que negocium facesserent. Sed nil eiusmodi accidit. Fugerant namq;, non redituri: cumq; non amplius miliario à Tuneto Cæsar abesset, à quibusdam Christianis, qui ad ipsum confugerant, certior factus est, Aenobarbum cum suis ducibus, alarbibus, & militibus fugitiuis, plurimisq; equis & camelis, uarijs rebus onustis, uespere diei præcedentis in montes proximos sese recepisse: primoq; diluculo ad arcem ciuitatis reuersum, conatũ fuisse irrumpere, omnemq; thesaurum auferre, & multa quæ ad defensionem arcis pertinebant, igni perdere. Sed Christiani qui illic in neruis & compedibus detinebantur, plus minus uiginti millia, metuentes ne uiui comburerentur, quod Aenobarbus sese facturum minitatus fuerat, præsidio diuino, in quo spem omnem collocauerant, freti
B & adiuti, fractis manicis & pedicis, occlusisq; castri ualuis, Aenobarbum ab ingressu arcis prohibuerũt: applicitisq; tormẽtis suis locis, acceptisq; armis quæ ibi inuenerant, arcem ualidè fortiterq; tutari cœperunt. Aenobarbus uidens se frustratum sua spe, metuensq; ne fortè in manus illorum incideret, aut à Cesarianis militibus opprimeretur, incautus cum primarijs suis ducibus, Iudæo & Cassi diabolo, alijsq; tũ Turcis tũ Mauris aufugit quàm potuit celerimè. Quæ omnia Imperatori per Christianos bona fide renũcia ta sunt: neq; multo pòst Imperator, uiso signo, q; Christiani ex editissimo loco ostentabant (erat autem uexillum candidum, quo significabãt tutum in urbem patêre accessum) exercitum suum eo ordine quo diebus superioribus, antecedere iubet, rectaq; cum eis ciuitatem ingreditur: dataq; Christianis omnibus libertate, faustis, gratulatorijsq; omnium acclamationibus excipitur: & turba Christianorũ emancipatorũ, tũ manus eius tũ pedes pro beneficio maximo ab ipso accepto exosculantiũ, tantũ nõ premitur. Neq; iniuria: nã sine gloriosa illa uictoria, nullã omnino salutẽ sperabãt: unica illis erat salus. in captiuis illis fuerunt nõnulli, qui multis ducatorũ millib. libertatẽ ab Aenobarbo redimere uoluerant, sed nõdum cum tyranno sic redierãt in gratiam, quin mallet illos squalore & pœdore cõtabescere, quàm ullis cum eis transigere conditionibus: milleq; crucibus & mortibus excarnificari, quàm semel quamlibet crudeli morte trucidare. Inuenti sunt inter illos Franci octoginta unus, qui partim cum actuarijs ducis Petrondo, partim multo antè & pòst capti fuerãt: quos omnes libertati restitutos, ad Dominum de Vely, qui tum nomine Regis sui apud Imperatorem legationẽ obibat, misit, ut prima quaque opportunitate in patriam ablegarentur. Inter mancipia fuerunt plerique opifices & artifices Christiani, quorum opera, arte & industria in cõstruendis & armandis nauibus, alijsq; rebus

faciundis Aenobarbus utebatur. Repertę sunt in arce plurimæ machinæ A
bellicæ, uela item, & copiosa materia ad noua conficienda, multaq; armo-
rum genera, non huius seculi, cassides, manicæ, brachialia, thoraces, tibia-
lia dicteriis & elogiis auratis insignita: arcus, tela, baliſtæ, iacula, quæ à tem
pore sancti Ludouici, qui in conatu expugnationis ipsius urbis dysenteria
obiit, ibidem conseruata fuerant. Quæ omnia non sine stupore & admira-
tione Cæsariani uidebant, & manibus tractabant. Post introitum Impera-
toris in urbem, ecce tibi miles Hispanus, aliquotq; alij stationarij, passim
in ædes magno impetu irruunt, ostia, feneſtras, promptuaria, arcas, merca-
torumq; officinas & tabernas effringunt. Mauros resistentes occidunt, spo
liant, compilant, euerrunt omnia cum puluere. In profundissimis cauernis,
pœnarijs, cellis, imò cisternis & puteis, scrutationem faciunt argentariam.
Quid multa? ne à templis quidem & lararijs Maurorum manus abstinent:
Sed libros omnes clauſtris aureis & argenteis nudatos, cõscindunt: signa
ex marmore, ex iaspide subnigro exsculpta, multaq; toreumata precioſa au
ferunt: nihil intentatum, nihil intactum (ut est natio auri auida) relinquũt:
præter ædiculam quandam precibus & sacris Christianorum, qui negocia
tionum gratia Regi uectigales erant, consecratam. Mauros item cuiuscun
que ordinis, sexus & ætatis, qui claudi supererant, ad tria in circuitu millia
conquisitos in ciuitatem adducunt, & sicut aliam prædam parentes in con
spectu liberorum, & contrà maritos seorsum ab uxoribus uendunt. Fuit au
tem numerus mancipiorum precio distractorum, decem ferè milium. Mul
ti stipendiariorũ à Christianis de thesauris absconditis admoniti, loca sub-
terranea diligenter perscrutantes, multum auri & argenti effoderunt. Sed
nec ipsi Christiani recens libertate donati, sibi defuerunt, uerùm magnum
auri modum sibi conuasarunt: sic tamẽ moderatè, ut ex immẽso illo opum B
aceruo, quæ in arce repertæ sunt, pręcipui aliquot duces & centuriones, ad
multa milia ditati sint. Fuit autem illa compilatio facta consensu Regis,
qui sic suos ultus est, quòd fidem fefellerant, neque cùm successum Impera
toris cognouissent, contra Aenobarbum pro Rege suo arma sumpserant.
Eodem die Rex ipse urbem ingressus est, multos que Mauros utriusque
sexus, qui illi dum regnaret, familiares & necessarij fuerant, curauit redimi.
Conuasatio illa nil profuit Germanis, quibus solùm permissum fuit, escu-
lenta & poculenta rapere. quare malè & incommodè cum illis agebatur,
quòd non inuenerant plurimas cellas generoso uino refertas: repererunt
nihilominus multas cisternas aquarum dulcium, quarum copia compensa
re potuerunt, quam in dimicando passi fuerant inopiam. Postridie edicto
capitali cautũ fuit, ne quis exinde cõpilare auderet, sed unusquisq; ad sua si
gna rediret, ne nimia illa quiduis audendi licentia, in grauius aliquod ma-
lum exiret. Imperator quàm diu commoratus est in urbe, de omnibus quæ
mari, quæ terra geri conueniret, quemadmodum maximè pro loco & tem
pore expedire putabat, matura deliberatione decreuit & prosperit. Necra
rò Regem ad se accersi iussit, deq; eiusmodi rebus quæ Reipublicæ Chri-
stianæ & nunc & olim utiles & salutares forent, cum eo commentatus est.
Sexto Calendas Augusti, relicto Tunitio, omnes copias suas in uicum
quendam nomine Ludam, duobus milibus à Gouleta dissitum reduxit,
à quo non procul labebatur riuus quidam aquarum dulcium, qui exerci-
tui Cæsareo magno usui & solatio fuit: eo autem consilio accelerabat
ab urbe abitum, ut ciuibus, incolis & inquilinis, qui aufugerant, dis-
persiq; per agros, montes & conualles, uelut oues sine pastore palantes,
huc illuc diuagabantur, patêret reditus. Calendis Augusti, cum acie omni-
bus

bus ſuis ordinibus & partibus egregiè inſtructa, in locum ubi ante Gouletæ expugnationem caſtra fixerat, iuxta turrim illam quæ ab aquis uicinis nomen ſortita eſt, rediit. In itinere inuenta ſunt plurima cadauera Maurorum à noſtris occiſorum, aut quòd uidebantur illis inutilia quædam eſſe telluris pondera, ex quibus nullum fructum ſperabant: aut ut ſic de hoſtibus, quorũ cauſa famẽ, ſitim, æſtũ intolerabilẽ toleraſſent, milleq; mortis periculis expoſiti fuiſſent, ſeſe ulciſcerentur: atq; inter illa fuerunt quædam mulierum corpora adeò pinguium & carnoſarũ, ut hubera illis ad coxendices uſq; propenderent, tibiæq; perinde eſſent craſſæ, atq; noſtræ regionis eſſent robuſtiſsimorum uirorum fœmora. res certè quæ fidẽ ſcriptori meritò abroget, niſi oculorum cognitione conteſtata confirmataq; foret. Imperator ut ea quæ in naues importari & exportari ad Gouletæ defenſionem neceſſe eſſet, commodius deferrẽtur, iuſſerat dici cauponibus, cupediariis, ſalſamentariis, œnopolis, & cuiuſcunq; generis mercatoribus & inſtitoribus, ut amotis tugurijs & tabernis ſuis, omnes merces ſuas in nauigia ad hoc deſtinata, inferrent. Verùm cum ſegnius imperata facerent, tertio nonas Auguſti edicto cautum eſt, ut niſi ante ueſperam diei ſequentis iuſsis obedirent, impunè omnia illis expilari, & inuitis auferri poſſent. Qua occaſione milites nonnulli inſolentiores, & ad rapinam plus æquo propenſi (utpote quibus hoc uehementer dolebat, quòd non licuerat ipſis, quemadmodum Hiſpanis, Tunetenſium opes deprædari) commoti & incitati, eò peruenêre audaciæ & temeritatis, ut poſtridie cum prima luce in tabernas & officinas negociatorum & propolarum irrumperent, & quicquid eſſet obuium conuaſarent. Qua re cognita Imperator illorum petulantiam indignè ferens, conſcenſo equo, Gouletam magna cum celeritate peruenit: & malo illi, credito citius, obuiam iuit. authores mali, ne impunitas aliis ad ſimilia aut maiora deſignanda animos adderet, ac in poſterum documentum ſtatueretur, ne quis talem imitaretur amentiam, grauiſſimas ſuæ temeritatis dederunt pœnas. Duces quoque, centuriones, decuriones, tribuni & decani, ſub quibus militabant, ſeueris & acribus uerbis ab Imperatore caſtigati fuerunt. Imperator omnibus pacatis, in caſtra ſua reuerſus eſt. Octauo Idus Auguſti, Halaaſan Tunetenſis rex in caſtra Imperatoris uenit, ut quæ prius Tuneti cum Rege, deinde in caſtris Cæſareis cum aliquot Regis conſiliariis pacta, acta & tranſacta fuerant, iureiurando confirmaret ac corroboraret: cuius pacti hæc ſumma eſt & tenor.

Principiò Halaaſan Tunetenſium rex, ſe ab Heredin Aenobarbo, genere & natione Turca, regnis ſuis exutum, & ſine ulla ſpe eadẽ recipiendi per uim, fraudem & tyrãnicam inuaſionem ex illis exactum fuiſſe ingenuè fatetor: numinisq; beneuolentia, ac Caroli quinti Imperatoris ſemper Auguſti armis, ad quem uelut ad aſylum quoddam omnibus diuitijs, opibus, uiribus, preſidio, conſilio deſtitutus, confugerat, & in cuius fidem atq; tutelam ſe ſalutemq; ſuam dederat: qui que Gouletam firmiſsimo Turcarum, aliarumq; gentium præſidio munitam, omniq; apparatu bellico inſtructiſsimè armatam, bello excîdit, impuriſsimumq; Aenobarbum cum cuncto exercitu caſtris exuit, tergaq; uertere cõpulit: deinde Tunitium cepit: in regna ſua ſe reſtitutũ & repoſitũ agnoſcito, tãtiq; beneficij à Deo opt. max. eiuſdẽq; fidei atq; religiõis propugnatore ſtrenuiſsimo, Imperatore ſemper Auguſto accepti memor, orthodoxiæ aſſertores omnes, cuiuſcunq; ſexus, ordinis, nationis, ætatis, conditionis, quamlibetq; enormis ac nefandi criminis, facinoris, aut flagitij reos, quos hactenus in regnis & puincijs ſuis

pro ſeruis & mancipijs aut uſurpauit, aut uinctos ſeruauit, gratis ſine ullo A
redemptionis precio, citra omnem fraudem dolumq; malum, liberos atque
emancipatos dimittito: atq; ut tuti ad ſuos ſe recipere poſsint, præſidio &
uiatico eoſdem proſequitor. proinde, ne idem Rex, aut qui in regnũ ſucce-
dent, quempiam eorum qui ditionis Imperatoris, aut fratris eius germani,
Domini Ferdinandi Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regis, nunc
ſunt, aut quauis occaſione in poſterum erunt, aut etiam eorundem ſucceſſo
rum, uiri ſint an mulieres, ſacri an prophani, iuuenes an ſenes, exinde pro
ſeruitijs & mancipijs abutuntor, nec in neruis & compedibus uinctos de-
tinento. Idemq; Imperator de regis Tunetei, eiuſdemq; ſucceſſorum ſub-
iectis, ſe facturum pollicetur.

Idem Rex, & quotquot poſt eum regno Tunetenſi præerunt, quoſuis
Chriſtianos in uniuerſo Tunetenſium regno habitare, conuerſari, negocia
ri, ſuo ritu & religione uiuere, templa, ſacella, oratoria, ſiue monachorum &
cœnobitarum, ſiue uulgi promiſcui, manere intacta & inuiolata: nouaq; æ-
dificari & dedicari in locis, ubi præfati Chriſtiani domos aut poſſeſsiones
habebunt, ſine ullo obſtaculo, aperto aut clandeſtino permittunto. Nullos
item Mauros, Chriſtianæ religioni initiatos, ſiue Valentinæ, ſiue Beticæ
ſint regionis, ſiue ex alijs regnis Cæſareæ Maieſtati ſubiectis oriundi, ad
ſuaq; regna admittunto, neque profugos recipiunto: quin potius quocun
que prætextu illuc transfugerint aut uenerint, exigunto, ac tanquam hoſtes
& capitales inimicos, quoties eos ibi aut latitãtes, aut negocia & commer-
cia exercentes deprehenderint, perſequuntor: niſi forte diplomata ſincera
& legitima, nõ inducta, raſa, aut ullo modo uitiata, indulti Cæſarei, aut Vi-
ceregum, Vicariorum, uel Præfectorum prædictorum locorum, oſtende-
re poſsint. Quia uerò ter ille execrandus Aenobarbus plurima adhuc loca B
regno Tuneteo & terris Cæſareę Maieſtatis confinia, cuiuſmodi ſunt A-
phrica, Bonna, Briſerta, & nonnulla alia, per uim occupat, unde paruo ne
gocio in regnum Tunetenſe prouincias ac inſulas Cæſareę Maieſtati ſub
ditas, ſuo more incurrere, omniaq; piraticis prædationibus infeſtare poſ-
ſet: quod certè tum Imperatori, tum Regi, luculento damno eſſet, neque ſit
penes Regẽ, ppter incõmoda ab Aenobarbo accepta, (qui puta theſaurũ
omne tantũ nõ expilauit, omniaq; fœdè & nefariè uaſtauit) prædicta loca
etiamnũ tyrannidi Turcarũ obnoxia, recipere & recuperare. Rex, eiuſdem
que ſucceſſores quicquid iuris in ea habent, aut olim habere potuerũt, etiã
nunc cùm in manu & poteſtate Aenobarbi ſunt, Imperatoriæ Maieſtati
eiusq; poſteris Hiſpaniæ regibus, pro tuitione regni Tunetenſis, & pro-
tectione regnorũ & prouinciarum Reipub. Chriſtianæ danto, concedun-
to, & in eos transferunto. Quòd ſi Imperator ea loca aut bello aut alio quo
uis modo in ſuam ditionem redegerit, eundem & ſucceſſores tanquam ſua
cum omnibus prouentibus & emolumentis ſine ulla oppoſitione poſsi-
dere ſinunto, neque aperto Marte aut tectis & doloſis inſidijs obuiam
eunto, atque impediunto.

Sed quoniam res ipſa docuit plurimum conferre, non ſolùm ad cuſto-
diam regni Tuneteſis, uerumetiam pacem & tranquillitatem totius Rei-
pub. Chriſtianæ, & præſertim tutelam inſularum, ciuitatumq; maritimarũ
imperio Cæſareæ Maieſtatis ſubiectarũ, ut Gouleta firmis præſidijs & inui
ctis munitionib. cõmuniatur: ne rurſus detur anſa impuriſsimo piratæ illi
Aenobarbo ea recepta, & ut prius fecerat, inſtructiſsimè munita, regnum
Tuneteum denuò inuadendi, locaq; omnia circumiacentia piraticis popu-
pulationibus uexandi. Cumq; non ſit promptum Regi, propter cladem &
damnum acceptum id facere, liceat' que Imperatori eam non ſine ſuorum
diſcri-

A discrimine & strage, ac incredibili sumptu expugnatam iure belli sibi uendicare: Rex eiusq; posteri quicquid iuris in eam habent, aut olim habere se iactitare possent, abneganto, & in Cęsaream Maiestatem, eiusdemq; successores iam nunc transferunto, ac bona fide cedunto: oppidulumq; ipsum simul cum arce & agro, quaquà uersus ad duo patet miliaria, unà cum turri quæ ab aquis nomen habet, sine ulla contradictione manifesta aut clanculania habere & possidere permittunto: ea tamen lege, ut liceat Mauris uicinis, & qui ruinas ueteris Carthaginis incolũt, illuc libere uenire aquatum. Sit præterea integrum Imperatori, & quotquot futuris retrò seculis in demortui locum surrogabuntur, eadem loca prout illis libitum erit munire. Qui uerò Gouletæ & in locis uicinis in præsidio erunt, liberam & ab omni uectigali ac tributo immunem, quotiescunque uolent, Tunetum & pagos adiacentes usque, nauigationem habento. Eodemq; liber illis aditus & habitus, conuersatio & negotiatio, quidlibet iusto precio absq; omni exactione emendi, auehendi, secumq; exportandi, sine ulla prohibitione, facultas esto. Sed si præsidiarij arcis Gouletanæ, & qui loca uicina habitant, merces aliquas siue Tunitij, siue in alijs regni ciuitatibus, uicis aut arcibus uendere uoluerint, quod iure & more loci numerari receptum, & à præfecto arcis Gouletanæ constitutum fuerit, sine omni dolo & fraude soluant & numerent. Quod si facere recusauerint, aut impostura aliquam in contractibus & pactis fecerint, aut alioqui facinora punitione digna designauerint, is qui tum arci Gouletanæ præfectus erit, simili animaduersione, qua in Mauros regnique Tunetensis subiectos à Rege aut illius uicarijs animaduerteretur, in illos animaduertito, eademq; pœna mulctato. Præfectus arcis Gouletanæ, se hæc omnia sarta tecta seruaturum pollicetor, & sacramento atq; iureiurando sese obstringito. Placuit præterea Cæsareæ Maiestati, ut

B contractus & commercia Gouletæ & in locis uicinis fieri solita, deinceps more consueto fiant: & quicquid commodi Regi illinc accedere consueuit, omne id in lucrum eiusdem, & successorum eius in æuum cadat. Neque quisquam Cæsareæ Maiestati subiectorum, cuiuscunq; sit dignitatis, conditionis, uel authoritatis, ausit intercedere aut impedire, quo minus prædictus Rex uectigalia omnia, tributa & portoria, pẽsitationes itẽ omnes tam mari quàm terra per suos coactores fiscatorios cogi & recipi iubeat: quin potius eidem ut omnia exacta ei persoluantur, consilio, ope, opibus, assistant, & suppetias ferant. Ex quib. pensitationib. summa duodecim milliũ ducatorum singulis annis præfecto arcis Gouletanæ numerabitur: sex, puta, millia octauo Calendas Augusti, qui dies diuo Iacobo sacer est: sex uerò alia octauo Calendas Februarij, quo die sunt feriæ cõuersiõis sancti Pauli. Quorũ prior terminus cedet octauo Calẽdas Augusti anni tricesimi sexti, alter octauo Calendas Februarij anni tricesimi septimi, idq; calculo Romano, & sic deinceps in perpetuum. Publicani uerò & redemptores, quib. addicta erunt prædicta uectigalia, portoria, & pensitationes, aut coactores & quæstores, quib. ea cogendi & recipiẽdi à Rege data erit prouincia, singulis annis, terminis assignatis, loco ad hoc destinato, his quibus eandem summam recipere, & illis acceptam ferre, iniunctũ fuerit, liberaliter soluunto. Quòd si in persoluendo cessatores aut reliquatores deprehensi fuerint, illis qui Gouletæ & arci præerunt, rem'que publicam ibi gubernabunt, officium publicanorum, redemptorum, ac coactorum administrandi, prædicta'que uectigalia & tributa ad plenam persolutionem prænominatæ summæ recipiendi, eos'que qui soluere debent, ad id compellendi ius & fas esto. Proinde Maiestas Imperatoria, omnem negociationẽ commercium & cõtractum coralium, quę in locis iuxta Tunetũ & Gouletam,

& alijs totius Regni uendebantur, permutabantur, aut alio quouis modo A
alienabantur, sibi suisq; successoribus in perpetuum seruauit & retinuit,
omneq; compendium & commodum quod ex illa negociatione promana
bit, ad suam & successorum suorum utilitatem uult deriuari. Quare nulli
mortalium, sit Christianæ, sit Mahometanæ religionis & sectæ, commercia
eiusmodi & negociationes exercendi, præter eos quibus ab Imperatoria
Maiestate, eiusq; successoribus prouincia illa tradita fuerit, facultas aut po-
testas esto. Placuit insuper Cæsareæ Maiestati, & cum Rege ea de re conue
nit, ut exinde Gouletæ senatus & consilium, iudexq; summæ potestatis cõ
stituatur: cui nomine Maiestatis Imperatoriæ, de controuersijs omnium
qui regnis & terris eiusdem maiestatis subiecti sunt, in quacunq; parte aut
regione regni Tunetensis, negociandi aut contrahendi causa fuerint, iudi-
candi, pronunciandi, atq; in eosdem ob facinora admissa animaduertendi,
sine omni appellatione ac prouocatione, plenum & summum ius esto. Re-
gi autem, illiusq; successoribus quo minus suo fungantur officio, neq; aper
tè neq; dissimulanter impedire, aut quouis modo prohibere, sed neq; ullos
ad ipsos confugientes tueri & patrocinari liceto. Atq; adeò ut Rex Tune-
tensis, honoris gratia sæpe nuncupatus, eiusq; posteri, quotquot illi in re-
gnum succedent, non solùm animo, uerùm etiam re ipsa immensa benefi-
cia ab Imperatore accepta agnoscant, eundemq; uelut patronum & pro-
tectorem suum, regnorumq; suorum, honorent, colant, & uenerentur: Cæ-
sareæ Maiestati eiusq; successoribus Hispaniæ Regibus, singulis annis in
æuum, sex equos Mauros, eosq; exquisitissimos, ac duodecim eximios fal
cones in æuiternam beneficiorum ab eius Maiestate acceptorum memo-
riam danto, & offerunto. Quæ munera, qui Gouletæ præfectus erit, annua
tim octauo Calendas Augusti, ferijs diuo Iacobo sacris, nomine Cæsareæ
Maiestatis, & successorum eius recipiet. Quòd si præfatus Rex, aut eius suc
cessores, dona illa dare neglexerint, quinquaginta milium ducatorum mul B
cta damnator: qui ducati in rem & utilitatem Imperatoris, & posterorum
eius Hispaniarum regum cedent. Sin uerò ad eundem offenderint la pi-
dem, & prædictos equos falconesq; tempore constituto dare contemp se-
rint ac refutauerint, summa centum miliũ ducatorum mulctantor. Quòd si
fortè tertiò in peruicacia sua & pertinacia obstinauerint, Imperatori eiusq;
successoribus regnum Tunetense, omniaq; eius territoria, terras, insulas &
continentes, occupare, & tanquam sua possidere ius fasq; esto. Præterea
idem Rex, nulla fœdera, pacta, neq; ullam societatem aut sua aut succesſo-
rum suorum gratia, cum ullis regibus, principibus, aut rebuspublicis, siue
Christianæ, siue Mahometanæ religionis cultores sint, in detrimentum &
præiudicium Cæs. Ma. eiusdemq; successorum, neq; icturum se, neq; initu-
rum promittito. Sed contrà omnibus in rebus Ma. eius, & auctoritatem co
miter colito ac obseruato, ac quæ profutura aut obfutura eidem nouerit,
syncerè & bona fide Imperatorẽ præmoneto. idemq; Imperator regi se fa-
cturum pollicetur. Proinde inter Imperat. & regẽ ex fœdere & pacto con-
uenit, ut inter ipsos, successores, hæredesq; ipsorũ, eorundemq; regna, ciui
tates, prouincias, terras, tã cõtinentes quàm insulas, perpetua indefinituraq;
coeat & perduret amicitia, iura' que sint & leges uicinitatis & affinitatis:
liceatq; utrisq;, mari & terra, quascunque merces licitas, ac non prohibi-
tas, inuehere & euehere, importare & exportare, emere, uendere, di-
strahere, commutare, quauis' ue alia ratione alienare, & securè citraq; om-
ne discrimen in utriusque regnis, terris & oppidis negociandi causa mora-
ri, diuersari, egredi & ingredi, sine omni oppositione obstaculo atque
impedimento. Postremò rex Tunetensis, eiusq; successores nullis piratis,
neq;

à neq; prædonibus, qui myoparonibus prædatoriisq; nauibus mare infestare consueuerunt, nec commeatu, nec aliis quibusuis rebus assistunto: ac ne in portum quidem, sed nec alios cuiuscunq; religionis, nationis, aut regionis fuerint, Cæs. Ma. aut sociorũ confœderatorũq; eius inimicos & hostes, qui quacũq; uia aut artib. regnis, & terris, aut socijs aut cõfœderatis, eidẽq; subiectis incõmodare, depopulari, uastare, aut quoquo alio modo nocere studẽt, admittũto. Quin cõtrà magnis uirib. totoq; conatu eosdẽ expellunto, & exturbanto & malè perdunto. Quib. omnibus inter ipsos pactis, Imperator & rex Tunetensis iureiurãdo se & suos successores obstrinxerũt, fideq; Regia, bonorumq; omnium tam mobilium quàm immobilium oppignoratione ac obligatione promiserunt, quòd omnia & singula in conuentione & pacto præscripto comprehensa, integrè, inuiolatè, infractè, in æuum firma, rata, sarta tecta, sine omni fraude & dolo malo obseruarent: nihil causæ esse dicentes, quin si quispiam illorum per se aut per alios apertè, aut tectè & clandestinè quidpiam prædictorum uiolauerit, aut uiolari & infringi conniuenter permiserit, nomini & famæ illius nota ignominiæ indelebilis inuratur, sacerq; & execrabilis in perpetuũ habeatur. In quorum omnium fidem, robur & testimonium, pariterq; ut in sempiternum firma sint & rata, Imperator & Rex Tunetensis, duo exemplaria, lingua Castellana, totidemq; idiomate Arabico descripta, suis chirographis, propriis manibus consignarunt, quibus sigillum suum uterque appendi iussit: quorum exemplariorum duo, alterum Castellana, alterum Arabica lingua scriptum, apud Cæsaream Maiestatem: altera uerò duo, illud Arabico, hoc Castellano sermone perscripta, penes Regẽ ipsũ, successoresq; eius in perpetuũ cõseruabuntur. Acta fuerũt ista, in tentorio Maiestatis Imperatoriæ, octauo Idus Augusti, anno à Domino nostro Iesu Christo nato, millesimo quingentesimo tricesimoquinto, idq; calculo Christianorum: Maurorum uerò & Turcarum Luna sexta, mensis Casa, anno Mahometi ipsorũ prophetæ nongentesimo quadragesimosecundo, præsentibus ibidem, & protestibus accitis & uocatis, simul & semel, Domino Nicolao Perrenot, decurione & ditionis de Grantuelle Domino, primarij & intimi cõsilij Cæsareæ Maiestatis consiliario, eiusdemq; sigilli custode, ac libellorũ primo præfecto: Domino itẽ Doctore Fernando de Guenera, etiã cõsilij primarij cõsiliario, & magistro Anthonio Perrenys Cæsareę Maiest. secretario & capitaneo, Aluargomes de Orosco elzagal & Mahomettantẽ, Hamete Gamazam & Abederehem Maioris, clientib. & officiarijs regis Tunetensis. Tandẽ denicq; ut sententia utriusq; tũ Imperatoris, tũ Regis dilucidius intelligatur, cõuentũ & transactũ est inter ipsos, quòd deinceps neq; Imperatori, neq; eius successoribus licebit, siue per uim, siue alio quouis modo & ratione, ullas urbes, insulas, arces, uicos, pagos, neq; ulla loca regni Tunetensis, quæ nunc in manu Regis sunt, & alijs post eum regib. succedent, capere, expugnare, aut quauis alia uia occupare: ea tamẽ lege atq; cõditiõe, si Rex & eius successores oẽs & singulas clausulas prescripti pacti inuiolatè obseruauerint. Placitũ etiã fuit Regi, ut si qñ seu bello, seu alijs artibus ciuitas cui nomen Aphrica, in cõspectu Siciliæ sita, quã nũc Turcæ cõtra omne ius & fas, præsidio & bellico apparatu bene munitã tenẽt, in potestatem & ditionem Regis, aut eius successorum uenerit, liberum sit Imperatori eiusq; successoribus Hispaniæ regibus, de ea statuere, quod animis ipsorum lubitũ erit: adeò ut si sic expedire illius Maiestati uisum fuerit, eandẽ sibi & ijs qui illi in regnis Hispaniç sint Reges, aut Reginæ succedẽt, assignare & seruare bono iure possit. Acta sunt hęc anno, mẽse, die, loco, & testib. suprà nominatis, sic aũt signata, Yo el Rey. chirographo regis Tunetẽsis adscripto.

Quo

Quo fœdere & pacto clarè coram Imperatore & rege, ac utriuſque ſatrapis & conſiliarijs, tam Arabica quàm Caſtellana lingua recitato, Rex annuit cuncta ſibi placere: eductoq; nonnihil è uagina gladio, quem altrinſecus ab humero pendentem geſtabat, admota manu chalybi, per Deum ſuum Mahometum, perq; Alcoranum deierabat, ſe omnia bona fide & inuiolatè obſeruaturum. quæ ubi interpres Imperatori declaraſſet, ipſe deoſculata dextera ſua, eademq; interſignio crucis, (quod Decurio quidam, ordinis Diui Iacobi, pallio aſſutum attextum'ue habebat) appoſita, per crucem illam aſſeuerabat & iurabat, per ſe non ſtaturum, quo minus fœdus inter ipſos ictum, conditionesq; præſcriptæ, ſine fraude & omni dolo malo ſeruarentur. Quibus peractis, Rex ingentes agere gratias Imperatori, pro beneficijs in ſe collatis: ſeq; multis nominibus eidem deuinctum eſſe cùm uerbis, tum geſtu oſtendere: tandemq; omni cum reuerentia & honore præfatus abeundi ueniam, Imperatori eiusq; nobilibus & conſiliarijs uale dicto, Tunetum reuerſus eſt. quem omnes ſatrapæ Mauriq;, qui illum eò deduxerant, (prius tamen manu Imperatoris reuerenter deoſculata, aſſiſtentibusq; ualere iuſsis) comitati ſunt, & domum reduxerunt. Poſt abitũ Regis, Imperator nihil prius, nihil ſibi duxit antiquius, quàm cũ primarijs ducibus & conſiliarijs ſuis deliberare & decernere ea, quæ pro ratione loci, temporis, naturæ'que rerum facienda eſſent, præſertim quo ad ea quæ pro conſeruatione Reipubl. Chriſtianæ, & defenſione regnorum, regionum'que maritimarum, eius imperio ſubiectarum incidere poſſent: conſiderata'que glorioſa uictoria, qua, fauore, gratia, & beneficio numinis potitus erat: turpiq; immaniſsimi tyranni fuga, detrimento'que quod magno ſuo cum incommodo & ignominia acceperat: nihil tam habuit in uotis, quàm iacente inimico, eius'que fractis uiribus, regnum Algrenſe, quod per tyrannidem annos iam multos occupat, bello uexare, & ſi qua poſſet, in poteſtatem ſuam redigere. Sed contrà uigilanter & ſtudioſè ſecum expendens, quàm difficilem ſubiret prouinciam, partim quòd tempus appeteret, cum maria clauduntur: partim quòd pleriq; omnes militum exanimio æſtu, rerum'que omnium penuria, alij alijs laborarent morbis: bona uerò pars dyſenteria, quam ex aquis corruptis & rore nocturno, ſic copioſo, ut in corpora militum etiam armatorum, & ſub pellibus agentium, penetraret, contraxerant: tempori, & qua prohibebatur ſuo ſatisfacere deſiderio, neceſsitati parens, conſtituit adornata claſſe, Sardiniã, Siciliam, Neapolim, Italiam, & loca uicina uiſere, ac quæ in illis negligentia adminiſtrorum nutabant, fulcire: quæ collapſa fuerant, erigere, omnia'que in priſtinum ſtatum reponere. Gouletæ uerò, fratrem Marchionis Mondeiaris, dominum Bernardinum de Mendoza, cum præſidio mille Hiſpanorum militum ueteranorum, ad labores belli impigrorum, ad pericula fortium, ad uſum & diſciplinam expertorum, præfecit, adiecitq; eximios quoſdam uiros, in munitionibus extruendis peritiſsimos: præter alios milites legionarios, quos poſtea illuc miſſos curauit. Reliquit etiam ibi Anthonium Doria, nepotem principis Melphiæ, cum decem longis triremibus bene inſtructis, & apparatis. Aenobarbus clade accepta, Bonnam ſe cum ſuis recepit. Sed cum nunciatum illi eſſet, principem Melphiæ cum quadraginta triremibus circum littora & oras illorum locorum nauigare, omnemq; regionem illam perluſtrare: non expectato illius aduentu, aufugit. quo factum eſt, ut ciuitas ſimul cum arce & propugnaculis, ſine magno conflictu & negocio, in poteſtatem Imperatoris uenerit. Vbi præter alia multa rei bellicæ apta inſtrumenta, magnum quoq; numerum tormentorum recepe-

runt. Arci uerò & munitionibus cæteris, Imperator de duce & firmo præſidio

A sidio prospexit. Cum rege uerò Tunetensi, certis conditionibus (non obstante contractu, cum eodem in castris iuxta Gouletam facto) de ciuitate conuenit: arbitratus fore, ut sic minore negocio ciuitas in fide permaneret, castrumq; cum propugnaculis, ab hostiũ incursionibus tutiora essent. Conuentio fuit talis, ut arx & castella in potestate Imperatoris manerent, oppidum redderetur Regi: cui tamen pro conseruatione arcis, octo milia ducatorum annuè persoluenda imperantur: reliquijs annuorum prouentuum & reddituum, quæ summã sexdecim milium ducatorũ excedere dicebantur, eidem relictis. His omnibus absolutis, Imperator cogitare cœpit de remittenda classe Lusitanica, unà cum sororio suo infante Portugaliæ, qui in expeditione & expugnatione Gouletana & Tunetensi, egregium specimen sui ostenderat, neque unquam latum unguentum ab Imperatoris latere discesserat: cui è diuerso Imperator omnia humanitatis officia, nõ secus atq; si frater eius fuisset germanus, exhibuerat & præstiterat: uisum præterea fuit partiri exercitum, bonamq; eius partem cum tyrocinio Hispanico, leuisq; armaturæ equitatu, duce Marchione Mondeiaris in Hispaniam remittere: Gouleta interim, arceq; & propugnaculis Bonnæ, firmis præsidijs, tormentis, commeatu, cęterisq; rebus quibus opus esset, abundè prouisis, & diligenter communitis. Proinde cum Imperatori pro certo nunciatum esset, Aenobarbum per Iudæum & Casisdiabolum, primarios suos duces & antesignanos, quindecim actuaria longa in portum Algrensem præmisisse, ubi præter undecim alia, & duo quæ in Gerbis quiescebant in anchoris, habebat rostratas, onerarias, & celoces plurimas, quæ omnia cũ illi lubitum esset, armare, & ad excursiones, pyraticam' que faciendam adB ornare poterat. Imperator uolens regno Tunetensi, oppidis, arcibus & portubus conterminis, tranquillitati' que Reipub. Christianæ bene prospectum esse, quindecim triremes Hispanicas, decem' que alias ex portu Gouletę, Bonnam misit. Ipse uerò, dum reliquię exercitus se profectioni accingunt, classis' que longarum nauium, cui Princeps Melphiæ præfuit, quasq; Itali, Neapolitani Siculiq; miserãt, instruitur: duas illas turres, quarum alteram diximus à sale, alteram ab aquis nomen habere, à fundamentis demoliri, ueredariosq; & cursores, qui illum parta uictoria à Tuneto redire nuncient, in omnes regiones ditioni suæ subiectas, excurrere iussit & imperauit. Decimosexto Calendas Septembres, summo mane cũcta classis facit uela, & prospero uento in portum quendã, cui à croco nomen fuit, triginta milibus à Gouleta distantem, recto cursu defertur. Vbi iactis anchoris, ex fonte quodam uicino aquas recentes in naues omnes conuehunt, reliquasq; quas à tergo reliquerant, commorantur. Quibus decimo quarto Calẽdas Septembris appulsis, Imperator profectionem susceptam prosequitur: rectaq;, sicut constitutum fuerat, ad oppidũ cui nomen Aphrica, cursum dirigit. Quod oppidum licet firmo Turcarũ præsidio munitum: quia tamẽ regnis Siculo & Neapolitano formidolosum fuerat, eadem opera, utpote data opportunitate, pro commoditate utriusque regni oppugnare, & si qua posset, in potestatem suã redigere statuit. Cumq; ad duodecim milia promouissent, quia uenti contrarij in puppim feriebant, nauigare desitum est. & quamuis longæ naues, minoraq; actuaria, remis prouehi poterant: quia tamẽ id alijs, quibus flamine ferente & secundo opus est, negatum fuit, uisum est ea quæ adhuc à tergo erãt, ibi expectare. Quibus duo decimo Calendas Septembris applicitis, ad castrum quoddam Calinea nomine, remigatum est. Sub uesperam uerò, turbo quidam & tempestas uentorum, sic impetuosorũ erumpere cœpit, ut onerariæ, hippagines, frumentariæ, cæteræ' que eiusdem generis cogerentur uel inuitæ uela uentis dare,

& uorticosos Siculi maris gurgites traijcere. Imperator uidens se sine naui- A
bus illis quæ militem, tormenta, cõmeatum, reliquaque quibus ad bellum
gerendum opus est, uehebant, non posse uoti compotem fieri, ex pansis ue
lis, illa sequutus est: superatisque gurgitosi maris contortis uorticibus, un-
decimo Calendas Septembres in portum Drepani, quæ Siciliæ ciuitas est
insularis, cum cunctis longis suis nauibus, alijsque actuarijs peruenit: ubi
nonnullas onerarias & liburnicas reperit: ex reliquis, aliæ Panormum, aliæ
Neapolim, tempestate uentorum detrusæ sunt. Erant à tergo & aliæ naues,
quibus legiones aliquot militum uehebantur, quæ uento obtemperantes
pleniore mari uectæ, & in apertum pelagus non procul ab oppido Aphri
ca depulsæ, quatuor diebus illic iacebant in anchoris, donec per celocem
quandam ea gratia missam, nunciatum est, illis Imperatorem cum reliqua
classe portum Drepani occupasse. Quò, uelis factis, non multo pòst saluæ
applicitæ sunt. Imperator dum in arce Drepani cum ducibus & consiliarijs
deliberat, quid præterea factu esset optimum, secumque perpendens iam
in foribus esse autumnum, magnoque constiturum, si tantum exercitum
in hybernis continere uellet, consilio principis Melphiæ, aliorumque ducum
& consiliariorũ, iubet militibus sua numerari salaria: adiecto unicuique pro-
fectionis gratia, non pœnitendo auctario; & omnes in suã quamque, sine ra-
pina & cõcussione, redire regionem: seruatis apud se duntaxat aliquot ue-
teranorũ Hispanorũ manipulis & cohortibus, ac duobus milibus Germa-
norum, sed selectissimorũ. Imperator quãuis exundãtis æquoris, furẽtiũque
uentorũ intẽperie & importunitate ab Aphricæ urbis oppugnatione pro-
hibitus esset, cõsiderans tamẽ situm illius ciuitatis, summamque quoquo tem B
pore ex ea in regna sua incursandi opportunitatem, uolens regiones illas o-
mnes maritimas tam præsenti malo & periculo liberare, decreuit eã bello
lacessere: cõfidensque cũ cœli tẽporisque occasione, tum diuini nũmis fauore,
fieri posse ut expugnari posset, Andreæ Dauriæ eam tradidit prouinciam:
traditis illi præter lõgas naues, quibus Drepanum aduenerat (nã aliæ quas
Pontifex miserat, in Italiã redierãt: aliæ uerò recẽs ædificatæ, partim remi-
gibus erant destitutæ, partim reficiendæ & instaurandæ) decem onerarijs,
militibus, machinis, conuecta annona, alijsque rebus ad eiusmodi expeditio
nem accommodis, instructis & onustis. Quibus cõstitutis, relicto ibi Prin-
cipe Melphiæ, cum Domino Ferdinando Gonzaga, alijsque rei militaris ex
perietissimis, exercitatissimisque & ducibus & militibus, pridie Calendas
Septembres soluit Drepano, & octodecim milia progressus in insula cu-
iusdam uici, cui nomen Innichiũ, pernoctauit. Inde in oppidum Alcanium.
Tertio uerò Nonas Septẽbres, in locũ quendã longè amœnissimum, Mon
tregalem appellant, traiecit. Est autẽ locus ille in editiore colle situs, mul-
tisque limpidissimis fontibus irriguus, unde facilis in ciuitatem Panormum
prospectus est: adeò ut naues, & quæ in portu sunt, & quæ aliunde inue-
huntur, paruo negotio illinc uideri queant: licet interim Panormus ipsa sit
sublimibus mõtibus & rupibus circummunita, multisque uiridarijs & plan
tarijs ex oleis, uineis, malis arancinis, alijsque arboribus nimis quàm pul-
chrè uestita. Sed præcipuum amœnissimi loci illius decus & ornamentum
est sedes Archiepiscopalis, cuius annuus redditus est ualoris triginta milium
ducatorum: templum cùm ipso opere, tum uetustate (nam & ætas ipsa qui-
busdam rebus addit precium) nobile & suspiciendum. plus namque trecenti
quinquaginta anni sunt, cum primùm ædificatum fuit. Tota templi moles
nititur columnis aliquot oblongis, non structilibus, sed uno scopo à basi ad
capitulum usque constantibus: parietes & pauimenta, opere musaico & uer
miculato mirè sunt depicta. columellas uerò illas quarũ antè meminimus,
emblemata

emblemata iaspidibus, chrysolithis, sardonychibus, & id genus preciosis lapidibus, tum marmore uiuo & lapide Pario expressa, columnisq; sic insecta, ut natiua esse putes, eximiè & magnificè exornant. Res utiq; magno æstimanda, & spectatu admirationeq; dignissima. Libet hîc Drepani descriptionem inserere, quòd locus sit multorũ cùm poetarum, tum historiographorum & geographorum monimẽtis cõmendatus. Ciuitas est elegantissimo portu insignis, qui in modum falcis curuatus est: unde nomen habere magis est uerisimile, quàm à Saturni falce. Nam totũ illud poeticum est: aut ut illis est solenne & translaticiũ, physicũ quiddam morale iucundo fabulæ inuolucro, ab amusorũ oculis & intellectu abditũ. Indigni enim sunt, qui illotis manibus tam sacra tractent mysteria. Habet pro propugnaculo turrim quandã rotundã, & uastæ molis non longè à portu è rupe quadã imani excisa, unde ex omni parte possis quamlibet ingentes tormentorum globos in mare eijcere. Qua uerò terrestri itinere Panormum itur, arcẽ habet turribus, munitionibus, armis omne genus, tormẽtis, puluereq; tormentario bene munitã. Quadringẽtis passibus ab urbe mons est arduus, olim Erix dictus: nunc à Diuo Iuliano, qui illic ædem habet, nomen sortitus est. Eodem in monte ciuitas illius cognominis, Veneris templo quondam nobilis, unde poetis Erycina dicitur. Non procul ab eodem monte arx est in prærupta rupe extructa, dubium an excauata: inaccessa illa quidem, nisi per ponticulum concameratum, qua ex ciuitate Drepano in eam arcem unicus ille patet aditus. Sunt qui certissimũ esse putent, illic habitasse Aeneam. Ego potius crediderim, à Troia profugum, ibi ab Aceste acceptum fuisse hospitio. Ex monte illo, consueuit Drepanum usq; fons quidã, per aquæductus defluere: quẽ triginta castella, quadraginta aut ad summum quinquaginta passibus à se inuicem distantia, opere arenato & lapide cocti li constructa, excipiebant: ut impetus aquarum per angustas illas fistulas ebullientiũ, laxis castellorum receptaculis exceptus frangeretur, & rursus per riuos & tubos euomebãt. Proximè Drepanum in agro qui respicit orientem, ubi mare tranquillius est, quàm ex aduersa parte, uisuntur stagna quædam altitudinis ut summum quatuor pedum, alia magnitudine unius iugeris, alia minora aut maiora, quas Salinas uocãt: in quæ stagna aqua marina per ductus latentes & abditos influit, qui lacubus repletis claudũtur, aqua autem ardore solis concrescit, ducitq; crustam salsam, in formam crystalli, crassitudinis trium aut quatuor digitorum: quę crustæ iussu Domino rum, quorum sunt salinæ, excinduntur, & in terra proxima per aceruos & altos cumulos constipãtur: sal ipsum obducta crusta ad quindecim annos plerunq; nec læsum nec uitiatũ conseruatur. Est aũt illis in locis tanta salis abundantia, ut plus illinc auferas quadraginta, aut quinquaginta, quàm ex Burgũdia aut aliunde ubi sal cõficitur, quingentis aut sexcentis ducatis. Est aũt Drepani ager siue territorium, sicut & totius Siciliæ, armentis & gregibus perabũdãs, opimiq; frumẽti feracissimũ. Imperator pridie nonas Septẽbres usq; Montregali cõmoratus, eodem die magno gaudio & plausu tam sacrorum quàm prophanorũ, Panormi fuit acceptus, aduentum sui principis multo sibi gratissimum & iucundissimum esse, multis argumẽtis, ut bonos subditos decet, ostendentium, gloriosamq; illi uictoriam ex animo gratulantium: quam nimirum toti Siciliæ, cuius Panormus ciuitas est primaria, multum utilitatis & securitatis allaturam esse probè intelligebãt. Statim ab Imperatoris ingressu, totius Siciliæ conuentus illic habiti sunt: ubi communi consensu, præter canones, oblationes & indictiones soluí solitas, Imperatori pro munere honorario, ducenta quinquaginta ducatorum millia obtulerunt: & intra quadrimestre sine fœnore & usura numeraturos polli

citi sunt. Qua re facilè & pspicuè docuerũt, quo animo & affectu erga prin A
cipem suum essent animati & affecti. Imperatori, donec Panormi esset, hoc
præcipuè studio fuit & curæ, ut statum totius regni, negligẽtia dubiumam
auaritia gubernatorum labefactatũ, & propemodũ collapsum, fulciret ac
restitueret. Quia uerò sensérat, & ipsa experientia didicerat, indulgenti se-
natorum ac magistratuum conniuentia, eò licentiæ uentum esse, ut passim
tam intra quàm extra ciuitatis pomœria, grassationes, latrocinia, cædes fie-
rent, uisq; uiolẽta matronis seu puellis innuptis impunè inferretur, aliaq;
magis abominanda committerentur ac designarẽtur, quanta potuit pru-
dentia & moderatione malo illi occurrit: plurimosq; tum nobiles & genti-
les, tum ex uulgo promiscuo ignotos & uillanos comprehendi, ac in non-
nullos eorũ capitaliter animaduerti iussit. Posteaquàm uerò Dominũ Fer-
dinandum de Gonzaga, comitem Bassecanium, uirum multa prudentia &
rerum experientia præditum, cuius fidẽ, fortitudinem, & salutaria consilia
in expugnatione illa Tunetensi expertus fuerat, Viceregẽ Sicilię creasset,
statuit per Messanam, pridie Idus Octobres Neapolim proficisci. Verùm
ea profectio propter negocia alia super alia quotidie emergentia, in duode
cimum Calẽdas Nouembres comperendinata est. Scripsimus suprà ex de-
creto Cæsareæ Maiestatis, principẽ Melphiæ, cum aliis aliquot insignibus
belli ducibus, triremibus & onerariis militibus, machinis bellicis, cõmea-
tu instructis, Drepani relictum ut: si qua uia posset, portum & oppidum A-
phricam nomine, expugnaret. uerùm quia hyems instabat, & ab Impera-
toris discessu semper reflauerãt uenti, neq; ulla esset statio satis fida, ne lon
gis quidem & actuariis aliis, sed nec lintribus, celocibus & phaselis: cõsul B
tius uisum est potius illa tẽpestate nihil tẽtare, quàm cũ dedecore & magno
fortasis detrimento, operam & impensam re infecta ludere. Placuit con
siliũ illud quoq; Cæsareæ Ma. quare decreuit, ut pedites Germani, qui ea
gratia remãserant, exauctorarẽtur, & numeratis illis stipẽdiis cũ uiatico do
mũ ablegarentur. Hispaniaũt in Siciliã & Calabriã ad sua redirent præsidia,
expeditioq; illa in aliud tempus differretur. Princeps Melphiæ imperatis
Cæsaris expletis, terra ad eundẽ Panormũ est profectus, quo etiã triremes
suas curauit aduectas: eodẽ Anth. Dauria sex lõgas naues, quibus ex Gou-
leta soluerat, traiecit. Cũ quo Imperat. nõnihil collocutus, cõuocato consi-
lio, deliberauit quid pro cõseruatione & tutela Gouletæ, Bonnæ, aliarũq;
munitionũ, quæ Barbariæ sunt conterminæ, faciundum esset. Nunciatum
namq; fuit authoribus satis certis, Iudæũ Aenobarbi ducẽ primariũ, decem
longis aliisq; nauibus, prædationibus, expilationibus, incursationibus,
loca illa infestare. Constitutũ itaq; fuit, ut princeps Melphiç, & nepos eius
Antonius Dauria, cum longis suis, aliisq; actuariis & rostratis numero tri-
ginta militibus, omniq; bellico apparatu bene instructis, à Panormo in
Barbariam pergerent: ut scilicet Gouletã, Bonnam, aliasq; munitiones ab
hostium impressionibus arcerent, omnesq; Mauros sua prẽsentia in fide re-
tinerent: simul ut Iudæũ illum cum sua classe, si fortè haberent obuiũ, eum
suis castris piraticis exuerent: aut maiori parte classis depressa, terga uerte-
re cogerent. Huc accessit, quòd Aenobarbus absentia Imperatoris fretus,
cuius classem è Barbaria soluisse, & in Siciliam traiecisse per exploratores
suos didicerat, unà cum filio suo, prẽcipuisq; exercitus sui ducibus, Iudæo
& Cassidiabolo, in Balearibus minoribus oppidulũ quoddam, cui nomen
Maho, in suam redegerat potestatem: à quo tamẽ, cum intellexisset, in Hi-
spaniis, Sicilia & Calabria fieri delectum, & cõscribi exercitum, aufugit: re
licto, ut diximus, Iudęo, cum triremibus suis, ut maritima loca omnia bello
lacesseret. Quibus omnibus semel statutis, princeps Melphiæ cum nepo
te suo

Arè ſuo, & claſſe tam longarũ & actuariarum, quàm onerariarum & liburnicarum, in quemlibet euentum permiſit uela uentis, eiuſmodi accepta prouincia, ut quemadmodum maximè expedire putaret, caſtra & arces quę in fide manere uellent, præſidijs firmaret, petulantiamq; & temeritatẽ Aenobarbi cohiberet, atq; compeſceret. His abſolutis, Imperator per fines Politiæ, Nicotiæ, Trachinæ, Momachi, Rẽdachi & Thorominæ, unde in conſpectu eſt mons Aetna, qui ſuperioribus ſeculis fauillas ardentes conſueuit euomere: mons inquam ille, multorum nobiliſsimorum ſcriptorũ monimentis celebratus, Meſſanam uenit. Vbi duodecimo Calendas Nouembres tam à ſacerdotibus & clero, quàm ſenatoribus, ciuibus, & uulgo promiſcuo, ſummo cum gaudij & genuini erga Principem ſuum affectus indicio & argumento, exceptus fuit. Vidiſſes plurimis in locis extructos inſignes arcus triũphales, uarijs picturis, emblematis, & uenerãdæ uetuſtatis ſignis decoratos. Inter quos unus præ cæteris imaginibus Scipionis & Hannibalis, ſummo artificio ad uiuum in marmore inciſis, ſpectabilis emicuit. Ad Nonum Calendas Nouembres, conſules & ſenatores patricijq; Meſſani, ſub horam illam qua Imperator templum erat aditurus, ad palatium, in quo hoſpitabatur, accedunt: atque intrò admiſsi, Maieſtatem eius ſumma cum ueneratione ſalutant: expeditionemq; ſuſceptam, partamq; uictoriã, oratione Latina ei gratulantur: immortalesq; agunt gratias pro innumeris beneficijs, per eam uictoriã ſibi, totiq; Siciliæ collatis. Proinde in duabus peluibus argenteis deauratis, pro munere honorario, decem milia ducatorum offerunt, obſecrantes, ut boni æquiq; conſuleret: neque tam donum ipſum, modicum quidem illud & exiguum, quàm animum & affectum clientum ſuorum perpenderet. Quibus tanta cum humanitate & affabilitate paucis quidem, ſuo more, ſed efficacibus uerbis reſpondit, ut eos uelut uoti ſui compotes à ſe dimiſerit, multoq; uehementiore amore ſui animos illorum inflammauerit. Dum Imperator adhuc Panormi ageret, poſtquam eiuſdem abitum, plurimi nobiles cùm Hiſpani tum aliarum nationum, quo tum equi onerarijs tranſuecti fuerant, conſcenſis nauigijs eôdem proficiſci conſtituerunt, Imperatoriam Maieſtatem illic expectaturi: uerùm nauibus uixdum in altum deductis, maxima cùm undarum & procellarũ, tum uentorum & nymborum oborta tempeſtas, eas in uarias regiones diſiecit. Gubernatores, unuſquiſque in ea maris regione in quam detruſus fuerat, proximum portum capere coacti ſunt: uectores, periculorum, quibus dum nauigarent fuerant expoſiti, memores, neque ſatis tutum putantes, denuò ſeſe tam infido elemẽto credere, terreno itinere profecti, Imperatorem Meſſanæ inuenerunt: quẽ illinc Neapolim uſque comitati ſunt. Imperator donec Meſſanæ fuit, ſingulis diebus conuocato concilio, hoc præſertim curæ habuit, ut quæ Panormi, quantum ad negocia Siciliæ pertineret, ſtatuere cœperat, Meſſanæ abſolueret. Quem Dominus Ferdinandus Gonzaga, eadem cauſa Meſſanam uſq; ſecutus fuerat: nimirum ut Imperatoris uoluntatem, animiq; ſenſum, quoad Siciliæ adminiſtrationem, plenius & liquidius cognoſceret. Octauo die quàm Imperator Meſſanam uenerat, appulſus eſt illuc quidam ciuis Romanus Iuan Pedro Cafarello, qui à Domino Petro Ludouico Farnezio in mãdatis habebat, ut certior fieret, quónam illi ueniendum eſſet, aut ubi manendum, ut mandata Pontificis maximi Pauli tertij patris ſui, cuius nomine legationem ſuſceperat, Cæſareæ Maieſtati exponeret. Rumore namq; authore didicerat, Imperatorem breui relicta Meſſana, Neapolim uenturum eſſe. Non abs re fuerit, portum, ſitum, munitiones, aliasq; ciuitatis Meſſanæ cõmoditates deſcribere, cuius deſcriptionis illum, cuius exemplar ferè uſque ſecuti ſumus, authorem habemus, pe-

nes quem fidem quoque rei esse uolumus. Est igitur Messana siue Messenia A
ciuitas in extrema parte Siciliæ, qua Neapolim spectat sita, ad cuius muros
suas procellosas undas & furiosos æstus, mare allidit & frangit. portum ha
bet plus trecentarum maximarum nauium capacem. In portu ipso insulam
habes lætissimis pascuis uberrimã, latitudinis fermè trecentorum passuum.
In cuius crepidine, qua fauces portus patẽt, propugnaculum est situ & ope
re munitissimum, cuius dorso arx quædam impendet, è quibus cum res ita
fert, omnem in partem tormenta eiaculantur. Est autem portus adeò fidus
& tutus, ut quamlibet magnæ & ingentes naues, possint in eo quacunque
etiam oborta tempestate sine discrimine naufragij, in anchoris quiescere.
Est præterea tantæ altitudinis & profunditatis, ut ubique minus quinqua-
ginta passibus à muris ciuitatis, quantumuis ingentia & stipatim onerata
nauigia, sine ulla iactura, imò periculo, appelli, expleri & impleri queant.
Cui non inuenias similem ne in uniuersa quidem Europa. Adeò ut non na
turæ, sed diuini indulti opus esse, sit credibile. Habet quoque Messana in
editiore quadam sua regione arcem, unde machinæ & tormenta cuiusuis
generis, cùm in urbẽ ipsam, si tempus ita ferret, tum in mare ad portus pro-
tectionem, emitti ualeant. Non procul à sinu Mesinensi, sunt angustię fre-
ti Siculi. Abest autem Calabria ab illo freto quinq; milia, quod Iustinus tor
rere scribit: nec solum citato impetu, uerùmetiam sæuo: nec experientibus
modò terribile esse, uerùm etiam procul uisentibus. Vndarum porrò inter
se concurrentium tantam esse pugnam, ut aliàs uelut terga dantes uortici-
bus in imum decidere, aliàs quasi uictrices in sublime ferri uideas: nũc hic
fremitum feruentis æstus, nunc illic gemitum in uoragine desidentis exau-
dias. Quæ omnia quia ferè concordant cum descriptione authoris quem se
quor, uisum fuit hic de uerbo ad uerbum inserere: neq; metuo ne plagij cri-
men mihi quisquam impingat, cùm nuncupatum nomen authoris citauc-
rim. Duodecim milibus à Messana occidentem uersus horrendùm latrat
Scylla scopulus præruptus, multorum naufragio infamis: ad orientem au-
tem, Charybdis, uorago multarum nauium ab sorptu nobilitata. Imperator
Siculum illud fretum ad quartum Nonas Nouembres emensus, ad oppidu
lum quoddam, cui nomen Flumen de More in celsissimo loco cõstructum
peruenit. Postridie Monsleonem (quæ ciuitas arcem habet in excelsa rupe,
sed peramœna & fertili sitã) ingressus est: à quo loco quatuor milibus Do-
minus Petrus Ludouicus Farnezius, legatus summi Pontificis Pauli tertij,
centum quinquaginta comitatus equitibus, Imperatorem reperit, Maiesta-
tem eius qua decuit ueneratione salutat: prosperum & uictoriosum è Bar-
baria reditum eidem gratulatur: tandẽ mandata patris exponit, eandemq;
Maiestatem Imperatoriam, cum suis equitibus Neapolim usque comita-
tur. Octauo Idus Nouembres, magno cum triumpho, omniumq; tam sacro
rum quàm prophanorum summo applausu, in ciuitatem Cusaucam rece-
ptus fuit. Vbi ad quintum Idus eiusdem mensis moratus, tria ducatorũ mi-
lia in pelui argentea deaurata, pro munere honorario à senatu & primarijs
ciuitatis capitibus accepit. Proinde per principatum Besignanum, in duca
tum Castrouillanum cõtendit. Princeps Besignanus Imperatorem, omnes-
que eius satrapas, heroas, prætorios, patricios, imò & aulæ cunctos admi-
nistros, humanissimè acceptos, ac Pontificali modo tractatos, uenatu, au-
cupio, aliisq; exercitijs, quibus temporis itineriscq; fastidium fallitur, recrea
uit. Castrouillani etiam indicto die festo, & pompis uarijs magnificè appa-
ratis & instructis, ostentarunt, quàm ipsis Imperatoris aduẽtus gratus esset
& iucundus. Sita est autem Castrouilla, in agro feraci & peramœno: ubi in-
ter alia peculiaria prouenit xylon, quod uulgò Cotton appellamus: unde
& fustanea

& fustanea tela, Xylina uocatur. Nascitur in eodem agro exquisitissimum & preciosissimum manna. A' Messana Salernum usque uia est impeditior, quòd nunc editissimi montes superandi, nunc in profundissimas ualles præcipitandum sit. Quam tamen molestiam, cœli clementia & amœnitas facilè compensauit ac leniit, ut quæ talis ibi tunc temporis sub finem autumni fuerat, qualis alibi mensibus uernis esse consueuit. Excepit ergo Maiestatem Imperatoriam cũ suo comitatu, summa cum ueneratione & admiratione Salernum, decimo tertio Calendas Decembres. Est autem Salernum ciuitas maritima, olim insigni studiorum academia nobilis & insignis. Inter cætera admiranda, templum habet reliquijs diui Mathiæ celebre: è quibus distillat liquor quem Manna miraculosum uocant, plurimis morbis & languoribus præsentissimum antidotum & remedium. Septimo Calendas Decembres Imperator Neapolim ingressus est, ubi passim fornices triumphales operosissimè extructi cernebantur, statuis & imaginibus multorum Imperatorum, Regum, Principum, Satraparum, cùm in ære tum marmore uiuo inciforum exornati: quæ omnia faciebant ad præclaram & nũquam intermorituram uictoriam contra Mauros & Turcas habitã. Sed qua pompa, quo apparatu, quibus cæremonijs exceptus fuerit, qua hominum frequentia sacris initiatorum, nobilium, ciuium, uulgi' que promiscui, eidem acclamatum & congratulatum sit, ne credi quidem, adeò non scribi aut dici queat. Cùm Imperator appropinquasset Castro nouo, quæ arx in margine ipso maris constructa, eius Maiestati pro hospitio destinata & præparata fuerat, auditus est spacio semihoræ horrendus bombus & tonitrus machinarum ex arce emissarum: est namque in eo castro magna bellicorũ tormentorum copia. Longæ uerò naues, minoresq; actuariæ & onerariæ quæ in portu erant, horribili impetu & stridore sua tormenta eiaculabantur. Sexto Calendas Decembres, Andreas Dauria omnes longas & triremes, aliasq; naues è Barbaria, quò, ut dictum est, Panormo fuerat profectus, in portum Neapolitanum saluas reduxit: qui in ea expeditione Bisertam Barbariæ oppidum simul cum arce ab Aenobarbo in Regis Tunesii expulsione captam, & Turcarum præsidio munitam receperat, & in potestatem filij regis Tunetensis traditam & relictã, Cæs. Maiest. tributariam & uectigalem fecerat. Tertiò Nonarum Decembrium, Cardinalis Caracciola, pridie earundem Hercules Estensis, Dux Ferrariæ, Neapolim uenit: cui filius Pontificis cum Principibus aliquot, & clarissimis gentilitio stemmate uiris, obuiam se honoris causa dedit, & in arcem ut Cæsaream Maiestatem salutaret, deduxit, qui Idibus Decembribus ab Imperatore dimissus, Romam se recepit. Dux Ferrariæ negociorum ergò, usque ad decimũ tertium Calendas Ianuarias ibi mansit. Posteaquam uerò Modenam, Regium, Ruberam & Carpum mancipio ab Imperatore, tanquam patrono accepisset, acceptaq; clientela, in fidem ipsius se contulisset, ac sacramento obligasset, iusta se obsequia Maiestati Imperatoriæ præstiturum atque exhibiturum, domum reuersus est. Post cuius discessionem, quatuor legati Veneti, uiri ætate, prudentia, scientia & seueritate quadam, quam reueritus fuisses, non reformidasses, uenerandi, cum insigni comitatu eódẽ appulsi sunt. gratulati uerò nomine Reipub. suæ, Cæsareæ Maiestati, prosperũ à Barbaria reditum, uictoriamq; nouis dignam annalibus, domum profecti sunt. Atqui intra dies quindecim Neapolim reuersi, singuli Maiest. Imperatorię torquem aureum mille ducatis æstimatum, pro dono obtulerunt. Eodẽ die certis authoribus diuulgatum est, Aenobarbum cum sua classe ex Algris Cõstantinopolim traiecisse. Duodecimo Calẽdas Ianuarias Cardinalis Senensis & Cæsarinus, nomine Pauli Tertij, Pontificis Maximi, legationem

obeuntes, à prandio cœlo multum pluuio, Neapolim ingressi sunt: quibus A
Imperator cum Cardinali Caraciola, plurimisq; ducibus, satrapis & princi-
pibus uiris, ad portam ciuitatis obuiam processit, & in arcum Castrinoui
introduxit. Ferijs natalitijs Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, Cardi
nalis Senensis cum magna religione, & cæremoniarũ iusta obseruatione,
in templo ciuitatis primario, sacris operatus est: cui celebritati Imperator
cum proceribus suis interfuit. Sub idem tempus Alexãder Medices, Dux
Florentiæ, Neapolim etiam appulsus est (non tam spe nuptiarum Domi-
næ Margaretæ Austriæ, filiæ Imperatoris illegitimę, quàm causa dissensio-
nis & controuersiæ cuiusdam, quæ illi intercesit cũ Floricidis: cuius fami-
liæ princeps Dominus Philippus Stroza) cum duobus purpurati cœtus
heroibus, de Saluiatis, & de Rodolphis, eódem uenerat, ut Imperatore
iudice & disceptatore, lis omnis aut dirimeretur, aut saltem componeretur.
Adfuit etiam Dux Vrbinas, tũ ut pro more Cæsareæ Maiestati reditum &
uictoriam suam gratularetur, tum ut quòd pro Ducatu Camarinensi con-
trouersum fuit, transigeretur. qui usus est hospitio principis Melphiæ. nam
ille terrestri itinere Genuam profectus fuerat, partim ut mandata Impera-
toris illis significaret, ac quæ opus facto essent, diligenter curaret: partim
priuatorum suorum negociorum causa & gratia. Octauo Idus Ianuarias, an
no milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto, calculo Romano, Dominus
ditionis de Granduelle (de cuius uiri tum naturæ tum industriæ dotibus,
præstat tacere, quàm pauca dicere) comitatus Domino præside de Sommai
re, & Domino Iacobo de Mendoza & secretario Cæsareæ Maiestatis, Ma
gistro Anthonio Perrenyns, alijsq; aliquot nõ obscuri nominis uiris, Pu- B
teolos, quod oppidum à Neapoli octo milibus abest, ut antiqua quædam
& admirãda naturę miracula, quæ & in ipso itinere, & ultra Puteolos pas-
sim reperiri feruntur, uideret ac cognosceret, est profectus. Atq; adeò duo
bus à Parthenope miliaribus, occurrit oculis eorum specus quędam mon-
tana, scrobem putares esse Charoneam, quę exhalabat spiritum feruidum,
& sic pestilentem atque mortiferum, ut si uiuum quidpiam, siue id homo
esset, siue animans rationis expers, ad tres aut summum quatuor passus in-
trogrederetur, & modico tempore illic maneret, statim uitam cum morte
commutaret: nisi fortè illico retraheretur, & in lacum quendam qui paulo
minus triginta passibus abest, proijceretur: sic scilicet natura beneficio il-
lius aquæ palustris, pensante & resarciente damnum, quod in scrobe illa
Charonea dedit. Libuit facere periculum eius rei, sed in cane (ut aiunt) ca
ne puta quodam grandiusculo, quem reste ligatum in spiraculum illud le
thale abegerunt: qui uixdum ingressus, concidit, mortuo non absimilis, ne
que tam celeriter retrahi, atq; in lacum illum inijci potuit, quin ab omnibus
pro suffocato & exanimi relinqueretur. Postridie tamẽ Neapolim reuersi,
eundem canem uiuum & saluum in hospitio Domini de Granuelle (erat
enim ex eius familia) repererũt: multęq; similes experientiæ ab alijs factæ
sunt, quare illud inter miracula & portenta eius loci ponendũ est. Stagnum
cuius meminimus, nullos habet pisces, sed ranas plurimas & anates. paulo
ulterius uisuntur aluminaria, ubi aluminis tanta fit copia, ut princeps loci
ex illa terrę salsugine, recipat singulis annis prouentum octogínta fermè
milium ducatorum. Proximè Puteolos habes sulphurariam, quæ humilis
& dimissa planicies est, interrupes uelut compressa. Est in plano illo hia-
tus in latum & rotundum quindecim patens passus, exundans aqua perpe
tuò, undisq; calidis sic ebullięte, ut si iniecerisbeluam quamlibet duro corio
armatam, quantaq; libet industria loricatam, nequeas tã subitò extrahere,
quin planè exeat excoriata. In circuitu illius hiatus & spiraculi, inuenias
plurima

A plurima foramina, alia maiuscula, alia minuscula: quæ exhalant aerem adeō calidum, quem manus quamlibet gelidæ sustinere nequeāt. Illinc colligitur magna uis & modus sulphuris, quod in diuersas procul̄q; disitas regiones transmittitur. Apud Puteolos à littore in mare ipsum exiſtunt reliquiæ pontis miræ uetustatis, in pelago ipso fundati & extructi magnis certè sumptibus, & incredibili opere atque artificio architectationis, ad duo, tria, imò & quatuor usq; milia, ultra Puteolos, pas im plurimorum ædificiorum à Romanis olim illic constructorum ruinæ, adhuc conspiciuntur: quin & nonnullorum parietes ac fundamenta, tum circa littora, tum in ipso mari etiamnum extant. à quo loco non procul in montibus & rupibus quibusdā ædificium uisitur subterraneum, uulgò admirāda & stupenda Sibyllæ piscina appellatum, super multis pilis & columnis structilibus miræ altitudinis & crassitudinis operosè, nec minus sumptuosè ædificatum: ubi Sibylla quædam, quæcunq; illa fuit, magnum modum dulciū aquarum, quas per aquæductus & castella distribuit nauibus, quæ in portum subducebantur, accuratè conseruabat. Non longè ab illo ædificio in medio æquore assurgit ingens rupes, pertusa prorsus & perforata, atq; instar fornicis testudinati mal leis & cœlis in hoc excauata, ut per limbos & phaselos per mediā rupem in alterū maris littus compendiosior sit transitus. Nam priusquam aditus ille siue meatus esset patefactus, per longas circuitiones, fastidiosa diuerticula, & molestos ambitus, magno tædio, tum nautarum proretarum ac gubernatorum, tum etiam uectorum, diutius & periculosius fuerat nauigandū. Reperias in eodem mari & alteram rupem altissimè excauatam, & summo artificio exsculptam, ubi antra quædam horrorē introspicientibus incutientia uidentur: unde Sibylla illa oracula consulentibus eam, reddidisse dicitur. Quòd si fortè triclinia, cœnationes, cōclauia, quæ intus expolitè excisa sunt, uidere uoles, opus est facibus & tædis ardētibus. Inter cætera quæ ibi non sine stupore uidere licet, est cœnatio quædam amplissima, eadem'que quadrata, magna arte in rupe illa excisa, cuius omnia latera partim preciosis emblematis, opere musino & uermiculato sunt exornata, partim opere tectorio marmorato lobricata. Proinde reperias in alia rupe iuxta littus maris cubicula & antra, quæ sudatoria hypocausta & thermas appellāt, è quibus calor natiuus & genuinus aliubi intensior, aliubi remissior: ubiq; tamē sic ardens & feruens expirat, ut difficulter ferre & tolerari queat: quo lautum & sudatum mitti ac deduci cōsueuerant, qui grauioribus & ueluti deploratis morbis laborabant. In eodem itinere Puteolano, & locis uicinis, licet uidere plurima uenerandæ uetustatis ædificia, tum subterranea, tum subdialia nonnulla, ex solido & uiuo marmore, alia ex lapide coctili opere arenato cōstructa. Sunt & theatra & spectacula ampla, ubi ludi, comœdię & tragœdiæ saltabantur, & spectabantur. Templa item, & alia loca, ubi fiebāt sacrificia: monumenta præterea, sepulchra & cōditoria, ad modū triclinio-rum testudinatorū camerata. In quibus uideas plurima semirotunda promptuaria, exquisitè exsculpta, ubi seculi illius homines maiorū suorum cineres, quos corporibus patrio ritu cōbustis colligebāt, in ollis fictilibus studio se asseruabāt. Exiſtūt quoq;, & adhuc extāt quamplurimarum ædium & arcium ruinæ: etiam nunc nomina ducum, principū, patrum & consularium Romanorum, quorū sumptibus ædificata fuerant, retinentium. Ex quo facilè colligi queat, quæ fuerint olim diuitiæ, fortunæ, opes, maiestas, magnificentia & potentia Romanorum: quando etiam nostro æuo, post tot reuoluta secula, eiusmodi extent illorum operum reliquiæ.

FINIS.

IOANNIS

IOANNIS CRISPI AEGEI MARIS NA-
XIQVE DVCIS, BYZANTINI IMPERATORIS
tributarij, ad Pont. Rom. & Christianos principes Epistola.

QVANTA animi consternatione, quanto cũ dolore ac cruciatu me, ac mea omnia Byzantino tyranno dediderim, non ignorat Deus, ille unicus humani cordis, humanique consilij perscrutator & inspector, arcanorumq; omniũ cognitor. Ne autem uos etiam fallat, qua id de causa factum sit, quò breuius potero, explicabo. Siquidem cum uestra in primis haud dubiè interesset, uehementer opto, non tam excusandi mei studio, quàm uestra ipsorum salute, ne Christiano desim officio, idẽ quoq; particulatim nostris literis uobis innotescere. Proinde attentis auribus & animis rem omnem, ut sese habet, quæso accipite. Cũ proximo itaq; Maio, & Iunio, è Põto & Propõtide maximus Solimanus centũ & quinquaginta triremes, ac biremes octoginta, & præter has hippagines, ac onerarias & actuarias naues centũ & septuaginta, cẽtumq; simul alia nõ unius generis nauigia, eodẽ tempore primo in Aegeũ mare, ac subinde in Ioniũ, & in Hadriaticũ, demum ad Epiri littora emisisset, ipse itinere terrestri cũ centũ & aliquot ultra millibus partim equitibus, partim peditibus, nullo non armorũ ac telorũ genere instructis (quę omnia procul dubio ad aures uestras peruenere) Apolloniã rectà cõtendit, Italicũ bellũ siue solus spõte sua, seu cũ socijs Principibus (ut fama erat) excõdicto primo quoq; tẽpore suscepturus. Vt igitur illuc appulit, maiorẽ & meliorẽ classis partem, in qua decẽ mille pedites lectos, & duos mille equites robustissimos imposuerat, in Apuliã præmisit. Quæ copię, ut in cõtinentẽ fuerũt expositæ, oppida & urbes aliquot, breui tẽpore deditione ab incolis ultrò facta, partim barbaricę classis, barbaricíq; terrore exercitus, quẽ maius indies incrementũ accepturũ ferebatur, partim etiã opera reguli Vxenti aliquot ante annos regno pulsi, et fœdere idcirco atq; societate cũ aliquot alijs Imp. Mahumetano iũcti, in potestatẽ perfacile redegere. Cũ aũt ad castra Apollonica ex Cilicia fuisset allatũ, Sophi Persarũ regẽ (siue id simulatè ageretur uulgareturq;, seu ita esse uerè cõstaret) iam bellũ parare, ac paulò pòst in Mesopotamiã descensurũ: tyrannus Byzãtinus animaduertens sociorũ uires & apparatus opinione infirmiores ac tardiores, ueritus etiã si solus bellũ id sumeret, ne res ex animi sentẽtia parũ procederet, flexo aliorsum cõsilio, ex Appulia copias & classem cũ ingẽti uirorũ & militũ, ac preciosæ supellectilis prẽda, quã improbus Mahumetanus ab ijs qui se dediderãt antea cæperat, in Epirũ præter cõmunẽ omniũ fermè spẽ reuocauit. Simulato igitur in Thraciã reditu quẽ præmisso rumore de Persico bello fucauerat, dũ Corcyreũ fretũ classis innocua præternauigatura à pleríq; existimaꝛ, quod proximis diebus præstiterat, cũ Apolloniã peteret insulã, circũquaq; ea nauigijs bellicis ꝓpè septa, animo intercipiẽdi quadraginta triremes, ac totidẽ fermè alia minora nauigia, aliquot itẽ naues uestrorũ firmissimũ robur, uestramq; certiss. tutelã Venetorum: quę in quã illic (ut notissimum est) in anchoris stabãt, callidus Barbarus occupari mandat. Corcyrei nihil tale suspicantes, non ignari pacis quę plures quidem ante annos confecta, proximè inter Solimanum, uosq; Venetos firmata fuerat, ubi uestras triremes oram soluere, ac uela uentis dare, paulòq; pòst Turcicam classem appellere, & ârmatos milites inexpectatò in littus emitti cernũt, pauefacti subito hostium aduentu, sese illico in fugam conuertunt. Alij deuia nemora, recõditas specus: alij præruptos excelsosq; montes petiere, pars circa urbis mœnia rupi asperrimę impositę se recepere. Complures igitur utriusque sexus mortales principiò à Turcis in suburbio intercepti, cæsi sunt. Quãuis (ut postea compertum est) multo plures etiam in insula passim abditi inuenti, quę

A ti: qui ad primũ hostiũ descensum diffugerãt, capti ac interfecti sint. Cum autem præter priores milites ex Bathroto, locisq; finitimis quadraginta mille milites trãsportati in insulã fuissent, Corcyra urbs admotis tormẽtis, & alijs machinis bellicis tertiò nonas Septẽbris à Barbaro obsideri cœpta est. Verũ cum perdifficilis impẽdio munitę, arduoq; in loco sitę urbis expugnatio uideretur, largissimis præsertim per eos dies de cœlo imbribus assiduè decidentibus, cœptã obsidionẽ (id opt. maximoq; Deo in animũ illi suggerente, tũ Corcyreorũ iã fame frigoreq; pereuntiũ, cum uestro omniũ beneficio: nam eò propiorẽ, magisq; in cõspectu, atq; eo infestiorẽ hostem haberetis, si urbe potius fuisset) decimo die penitus soluit, incensis interea suburbanis ædibus amplissimis & penè innumerabilibus: sacellis item, ac templis, alijsq; locis cũ sacris tũ prophanis, ex quibus geminæ permagnæ ciuitates erigi ac cõstrui potuissent: deuastatisq; prius agris, uillis, prouincijsq; aspectu iucũdissimis, & uerè Alcinoijs. Insulaq; plurima sui ex parte cõsumpta, præda ex his deniq; quàm maxima hominũ, auri & argẽti, aliorumq; bonorum abducta, & nauibus imposita. Quæ omnia rapacissimus & alieni appetentiss. miles Mahumetanus duodeuiginti dierũ spacio, ut Corcyrã inuaserat, passim depopulatus fuerat. Hæc cũ Solimanus ita egisset, aduocatum ad se classis præfectũ, in Hellespontũ redire iubet. Id se cũ terrestribus copijs, misso interim ad uos Venetos nũcio, qui propensum & beneuolũ eius animũ testaretur, & integrũ ad mutuã reconciliationẽ utrinq; reditũ superesse proponeret: Hadrianopolim uia Cãdania regredi quàmprimum cõstituit. Cum aũt propter Zazynthũ classis ea præterueheretur, nautici milites B nocturno tempore luporum more, quibus peramica nox est, in insulam descendere: ac centũ & ultra miseros agrestes, quos ex diurno labore defatigatos, & propterea dormientes inuenerãt, captiuos (imò seruos) reddidere. Illinc digressus præfectus, cũ Zazynthiorũ urbẽ magno uirorũ præsidio firmatã intelligeret, & iam ad resistendũ paratam, ad Cytherã cursum tenuit: tentataq; arcis illius loci expugnatione, cũ res ea parũ ex uoto procederet, octingentis & ultra utriusq; sexus hominibus captis, abacto insuper omni Cythereorũ pecore cum dominis, & succensis domibus, quę circa oppidũ, & in insula frequenti uirorum & mulierũ copia habitata, passim constructę erãt, inde in Aegeũ reuertit. Illatisq; damnis & malis permagnis, & innumeris in eo cursu maritimo tã Monembasiensibus, quàm Neapolitanis, ad Aeginã non ignobilẽ insulã maritimis fortissimis uiris frequentem, ac satis opulentã contendit. A' qua cum non procul abesset, præmissis nũcijs ad urbis prætorem, & ciues ad deditionẽ cùm promissis, tum minis solicitat: recusantibus autem ijs, & iam palàm resistẽtibus, signo dato pugnã infert. Aeginetæ pugnam nõ detrectant, & audacter sese cõtrà offerunt. cõmittitur præliũm atrocissimũ, plurimi ex hostibus primo congressu cæduntur: demum cum Barbarus cæde suorum admodum indignatus, immisso recenti supplemento militũ pugnam redintegrasset, cum parua manus, & iam ex acri longaq; dimicatione fessa, tot Mahumetanorum millia sustinere haud posset, Aeginetas retrocedere, ac intra urbem sese recipere compulit. Itaque ulturus audaciam Aeginetarum, è nauibus tormẽta & missilia nõ pauca extrahi, & uno atq; altero in loco apponi mandat. Diruta igitur maiore memorũ parte, quò patentior militibus aditus foret, quàm maximo datur impetu & conatu urbẽ adortus, extẽplò capit, & eodẽ tempore expugnat. Aequatis autẽ mœnibus solo, deprædatisq; ciuium bonis, ac domibus cõbustis, uiros Aeginetas omnes ad unũ obtruncari iubet. Fœminas uerò tum nobiles, tum ignobiles, ne ullus sæuitię locus reliqui fieret, ad stuprũ nautis & militibus promiscuè concedit. Quas inquam postmodum, unà cum infantibus

& pueris

& pueris nauibus oneratas, quæ iam ex ingenti multiplicique præda fatisce A
bant, & in Atticam electas, Byzantium ad durissimam & perpetuam serui
tutẽ trahi imperat. Deletis penitus Aeginetis: pari propemodũ impetu ac
immanitate Parios, & proximos, atq; aliorũ locorum incolas aggreditur.
Quos omnes momento fermè superatos debellauit, depopulatusq; est, re-
sistentibus & aduersantibus, senibusq; pariter interfectis: arreptis ad hęc iu
uenibus, qui cædi superfuerãt, & remigio addictis: adolescentibus uerò cõ
stupratis, & ablegatis ad claustrum illud percelebre Constantinopolitanũ,
unde sanè pueri illuc introducti, puberes iã effecti, & militarẽ iam disciplí-
nam edocti, nullo non die in perniciem Christianorum postmodũ educun
tur. Hæc atq; alia id genus atrocissima & nefandissima cũ sub oculis propè
nostris fierẽt, uix uno aut altero die interiectis, ecce classis ad nos haud præ
ter opinionẽ & expectationem remis uelisq; simul acta repẽtè adnauigat,
imò aduolat. Accurrunt ad urbẽ pauidi trepidiq; ciues, & agrestes, mares
fœminæq;, desertis totius insulæ locis, desertis domibus, relictaq; supelle-
ctili maiori ex parte. Fitingẽs turba, coeũt, lachrymãtur omnes, ac uociferã
tur: it clamor cœlo. Quæ inquã in extremis periculis plerunq; contingunt,
haud namq; ignorabatur, quid ad Naxũ classis adferret. Vt igitur ad nostra
littora est appulsum, & in ipsis descensum, infidi & inhumani hostes Mahu
metani in turrim & domos proximas irruunt: neminemq; illic reperto, cellas
frumẽtarias & uinarias atq; olearias effodiũt, exhauriũt, euertũt, domosq;
ac turrim demoliũtur. Interim aũt à præfecto classis nũcius ad nos ascende
re & aduenire adfertur, mãdata quædã expositurus, proinde fandi copiam
petere. Id cũ nobis significatũ fuisset, etsi ægrè, attamẽ ita sentientibus &
uolẽtibus plerisq; concessimus. Vt in oppidum & in Ducariũ subinde no- B
strũ impius nuncius introductus fuit, in hæc uerba sine ulla præfatione pro
rumpit: Si te, ac insulas locaq; tua Cõstantinopolitano Imperatori (imò ue-
rò iã totius Asię, atq; breui totius Europę domino futuro) spõte subiecceris,
ipsius gratiã facilè ꝓmerueris: si effeceris secus, ipsius odiũ, indignationẽq;
tibi denũcio. His quædã alia in eandẽ fermè sententiã subdit, fatus: Si te de
dideris, integra saluaq; omnia tua erunt: alioquí si recusaueris, gratiæ locus
nullus supererit: quin imò te, ac uxorẽ & liberos, ciuesq; ac subditos omnes
propediẽ unà pessundabimus. adest classis potẽtissima: robustissimus, ui-
ctorq; miles: adsunt armamẽta omnia expugnationi idonea. ab Aeginen-
sibus, Parijs, atq; alijs Cycladũ Regulis exemplũ & consiliũ sume: præcla-
ra est fortuna tua, ni desipis: cũ ex alienis malis ualeas, tuo mederi nolis, &
cũ liceat esse incolumi, spõte detrectes. His auditis, nunciũ Christianũ homi
nẽ aliquãtisper secedere mãdauimus, ut interim cõsuleremus ac decerne-
mus quid facto opus esset. Itaq; eo amoto, pauidi omnes, et mœrore ipso pe
nè cõfecti, cõsiliũ inimus: & cũ non pauca in utranq; partẽ strictim, ut ratio
tẽporis ferebat, exposita fuissent, cũ nec opes ad repugnandũ, nec uires ad
resistendum tanto furori nobis suppeterẽt, nec uestrũm aliquis (ut par fuis-
set) auxiliator accederet: nec aliunde subsidiarius miles, subdiariaue classis
expectaretur, intuiti omnia plena timoris & miseriarum, cogitantesq; nos
impendenti periculo prædæ ac cædis iã obnoxios, cũ inter omnes ita cõsti-
tisset, necessitate coacti, cui aduersari nemo sanè potest, re iã desperata & cõ
clamata, conditiones demũ perindignas & periniquas accepimus: rati ma-
gis è re ac usu Christiano esse, atq; futurum, si mortales penè innumerabiles,
quos habebat nostra Insula, clarorũ olim uirorũ ingenijs & monumẽtis assa
tim celebres, ad fœliciora tempora seruarem (quæ utinam me superstite cõ-
tingant) quàm si in nullum usum & commodum me atq; illos seruituti atq;
neci obijcerem: & in commune reliquorum detrimentum, cõmunemq; ia
cturam

A curam unà omnes perditum irem. His igitur causis compulsus, quæ fortissimũ quenq; uestrũm ad idem meritò compulissent, Mahumetano tyranno tertio Idus Nouembris deditionem feci, ita illius iugum simul & imperiũ subij. Pollicitus ad hæc, & annuatim quinq; aureorũ millia tributi nomine, ijs etiam ante tẽpus persolutis, quò placatiorẽ dominũ mihi redderem. Quæ summa tametsi maior & grauior à nobis, atque à ciuibus nostris æstimetur, quàm Duci pauperi, & regno pertenui cõueniat, integrè tamen quotannis à nobis enumerabitur: id quod declinandi euitandiq; magis aduersi & atrocioris infortunij gratia perfecturum me planè profiteor. Quanquam haud ignoro, aliquot post annos idem mihi quoq; proculdubio euenturum, (nisi ipse Christus redemptor noster suppetias attulerit, uestrisq; sedatis & pacatis controuersiis atque dissidijs, uos in unum cõposuerit, & ad sumendum bellum aduersus potentissimum, & penè inuictum hostem compulerit) quod octogesimo abhinc anno Constantino Palæologo nouissimo Græcorum Imperatori euenit, qui bello fatigatus, fractusq;, cum ab Amurata Turcarũ rege pacem ea conditione impetrasset, ut ei ac successoribus perpetuò annuum tributum penderet, id quod etiam quotannis fideliter præstitit: contra omnia humana diuinaq; iura, à Mahumeto ipsius Amurati filio & successore, octauo anno post initum & percussum cum patre fœdus, de Imperio Constantinopolitano exturbatus & eiectus fuit, ac pariter occisus. Arrigite proinde aures et oculos, animosq; intẽdite Principes, dum res uestra integra & incolumis est: ac dũ uobis aliena uecordia, alienaq;

B pericula & mala prodesse possunt, nolite uobis ipsis deesse, imò uerius obesse: ne si communis hostis uos sigillatim inuaserit, quod habet in animo, & sibi de uobis, utpote semper discordibus perfacilè pollicetur, eandem & aleam & fortunã subeatis, quam equidem proximè subij, & plures ante me Principes indignè subierũt: præsertim cum ea hoc tempore Solimano auri argentiq; uis sit, ea imperij magnitudo, is militum exercitatissimorum numerus, id robur & obsequium ac fides, & ea terra mariq; potentia assiduis Christianorum concertationibus quæsita, & maximum ac incredibilem propè in modũ aucta, ut non solum uobis, tametsi concordibus, & in unum coactis (quod difficilimum est ad fidem) palam resistere, uerùm etiam molestiam & uim quàm maximam inferre ualeat. quod re ipsa certissimum intelligetis, ubi ferocissimus Barbarus felici rerum suarum successu meritò elatus, ac plurimis iam uictorijs efferuescẽs, sequenti anno (id quod die noctuq; meditatur, et undequaq; molitur) uos omnes terrestri maritimoq; bello fuerit adortus. Quare interea date operam quæso (uestra omnium salute, non odio dictum arbitremini) ne post tot bellorũ ciuilium turbines, tantasq; tempestates, quot quantisq; hactenus ultrò citroq; iactati estis, uos denique, ubi discordes præoccupauerit (ut ueteris instituti morisq; uestri est, ac immitissimus ac fallacissimus Barbarus maximopere cupit, & clam nititur, dum uni callidè arridet ac blanditur, ut alium intercipiat & opprimat) uniuersos postmodum more maiorum suorum breui tempore perdat ac deleat. unde conuersis oraculis Prophetarum, unum in toto orbe terrarũ ouile, Mahumetanũ scilicet, unusq; omnium pastor Mahumet nostra culpa fiat. Quod ne cui uestrũm mirum uideatur, aut impossibile putetur, laudatissimũ & comprobatissimũ illud nostri generis autoris testimonium in medium proferam: qui inquam, paruas res cõcordia crescere, maximas discordia dilabi ac interire censuit, memoriaq; prodidit. Verùm ne plus æquo Crispo nostro tribuere me ducatis, accipite oracu

lum ab ore Christi prophetarũ minutissimi olim emissum, qui (ut testan- A
tur quatuor diuini illi Euangelici præcones) regno dissidẽti interitum
& desolationem interminatus est. An obscurum est, ducentorũ & qua-
tuor, siue (ut alij malunt) ducentorum et triginta annorum spacio Otho
mani familiam Christianorũ principum odijs & cõtentionibus mutuis
adductã & pellectã, cum à primordio sui priuata & pertenuis esset, mul
to ampliora & opulentiora, firmioraq; imperia passim in orbe terrarum
sibi comparasse (pace uestra dictum uelim) quàm uos, licet omnibus re-
gnis uestris in unum positis, & cum illis regnis collatis, cuncti teneatis
& possideatis? Expergiscimini quapropter, & deposito antiquo ueter-
no, aliquando (imò quàm primum) resipiscite, reualescite, rerum uestra
rum euentum prospicite, calamitates ac infortunia uestra, si non præsen
tia (utinam equidem mentiar) at saltem impendẽtia & futura ex alienis
miserijs cogitate, perpendite, metimini, omniq; sublata mora, ut ueros
Christianos re ipsa, haud solo nomine decet, dum Persico bello distrahi-
tur noster hostis, unanimiter (quamuis serò propemodum id fiet) arma
parate, arma capessite, Mahumetanas prouincias magnanimiter inuadi
te: immanem beluam terra mariq; primi fortiter impetite, uexate, & in-
festate. Quo auspice & fauente Deo opt. max. cuius omnipotentiæ plu-
rimum dare ac fidere uestrarum partium est, ereptis uobis locis & regio
nibus, ereptoq; sanctissimo sepulchro seruatoris nostri Iesu Christi, illũ
exuere ac denudare possitis. Vocat uos beata immensa illa Trina maie-
stas cœlestis ad hoc laudatissimum certamen & bellum, ad hunc glorio
sissimũ triumphũ inuitat Christiana pietas, cœtusq; reliquus Christia-
nus. Hortatur uestrum munus & officiũ, admonent promissa ipsi Chri- B
sto duci & imperatori nostro à uobis facta. Excitant propinqui & finiti
mi Turcorum imperio populi, ut nonnullis uestrũm subiecti, ita ipsorũ
ignauia simul & auaritia ex parte aliqua neglecti, & aliorum quorũ non
interest nequitia & iniquitate penitus destituti, ac prædæ crudeliter in-
dubitatò expositi. Extimulat infinitus numerus captiuorũ Christiano-
rum compedibus ferreis, catheneisq; uinctus, reliquo gregi libero non
impar, qui inquã Mahumetano tyranno durissimè ac dolentiss. seruit.
Arctat uestra ipsorum tutela & salus, urget miserandũ & flebile pluri-
morum principũ exitium & excidiũ. Cogit, aut cogere decet imminens
discrimen, ne cum regnis & imperijs uestris libertatẽ & uitam pariter a-
mittatis, atq; ita erroris et delicti admissi pœnas, tum superstites sub hoc
cœlo, tum breui defuncti sub alio ut grauissimas, sic etiam meritiss. lua-
tis. Haud sanè pauca supersunt, quæ hoc in loco aptè accomodateq; me-
morare possem, cùm de natura & moribus, tum de armis, armamentis,
ordinibus, & uaframentis, ac de militari disciplina Turcarũ: demumq;
de genere ac forma belli, ut scilicet, et quà inferri ac geri debeat. Verùm
cum huiusmodi, aliaq; id genus, utpote hinc aut aliunde ad uos sæpius
allata, exactissimè tenere, uos uerisimilimũ sit, & armorũ peritia, atq; a-
nimorũ & corporũ robore Byzantinũ Imperatorẽ, eiusq; Duces ac Præ
fectos superetis, ex industria omiserim, ne longiore oratione apparatus
uestros bellicos diutius remorer: in primis cum intelligam, ab Othoma-
no ex Thracia fœcialẽ iam istuc missum properare, indicẽdi uobis pro-
pediem belli causa. Itaq; cum iam haud dicto, sed facto opus sit, quo ap-
paratiores, magisq; accinctos, cum illuc accesserit, uos offendat, epistò-
læ (atq; utinam ita lachrymis et luctui daretur) finem imponam. Valete,

ex Naxo, Datæ Cal. Decemb. Anno ab enixu & puerperio
uirgineo M. D. XXXVII.

CAROLI

CAROLI V. IMP. EXPEDITIO IN AFRICAM AD ARGIERAM: PER NICOLAUM VILLOGAGNONEM Eq. Rhodium Gallum descripta.

A QVVM æstas anteacta me in Galliam ad domestica quædam negotia reuocasset, de reditu Cæsaris in Italiã, & transmissu exercitus eius in Africam, literis amicorũ certior factus sum: qui cõsilio Cæsaris proposito, me ad tam nobilem expeditionem accersebant. Ego uerò & intelligebam religione me obstringi ad inimicos fidei (quantũ in me fuisset) bello persequendos: & uerebar, ne corpus meum diuturna iam armorum exercitatione labori assuetum, otio ad laborem remollesceret, si apud amicos diutius commorarer. Itaq; negotia in aliud tempus reijcienda mihi esse duxi, ne honori meo necessario tempore deesse existimarer. Consiliũ autem Cæsaris esse hoc significabãt, quòd quum se ad componendas Germanorũ de fide controuersias, in Germaniam contulisset, reperit Ferdinandum fratrem, & filium Ioannis, qui proximè regnum in Pannonia obtinuerat, ardere inter se discordijs, ac de iure regni uehementissimè contendere. Is, quòd sibi à Ferdinando metueret, Turcas in suum asciuerat auxilium. Quorũ aduentũ ut Ferdinandus anteuerteret, Budã obsidione cinxerat, ac expugnare totis uiribus adnitebatur. Quibus cognitis rebus, Cæsar prospiciens, quàm magni esset momenti, Turcas finibus nostris prohibere: ut eis ueniendi occasionẽ præriperet, partẽ copiarũ fratri misit auxilio, quibus expugnationẽ acceleraret. Qui tamen munitionibus & præsidio urbis impeditus, Turcarũ aduentum expectare coactus est.

B Quamobrẽ Cęsar, omissis fidei disceptationibus, animũ potius ad bellũ adijciendũ putauit. Et quoniã magni rem esse periculi perspexerat, bellum in ea regione duci: priusquã illic hostes inueterascerent, hoc in Turchicũ solũ transferre cõstituit, & procul finibus nostris propellere. Qua propter copijs, quas ad fratrẽ miserat, ei subsidio relictis, quũ iam instante hyeme non ita multũ temporis supereesset, quo bellum commodè geri posset, Ferdinando belli curã in se interim recipiente, magnis itineribus in Italiã ad exercitũ contendit. Quò simulac peruenisset, exercitum summa diligentia cogi, & militũ nouas manus cõscribi iussit, magnumq; nauium numerũ Ianuæ atq; Neapoli instrui, quibus in Africã exercitũ traduceret. Africa uerò ei necessariò tentãda uidebatur, ne in Turchiã proficiscens, inimicũ à tergo relinqueret, de quo metuere sibi possent Hispani, quorum opera & numis ad bellum Turchicum uti decreuerat. Coacto exercitu, & nauibus ad nauigandum paratis, dum res frumentaria expeditur, & in naues exercitus imponitur, Lucę summũ Pontificẽ conuenit, ut cum eo consilia belli communicaret. Pontifex, quòd Africa minimè portuosa sit, hyemis nauigationem non esse subeundam existimabat, atq; Cæsarem à uia deterrebat. Quæ quamuis magna causa esset, ne ipse alieno anni tempore, in tam periculosa loca exercitum transmitteret: maioribus tamen rationibus impellebatur, ut in sententia permaneret. Videbat enim quantoperè ab hostibus nostri in Pannonia urgerentur: & quanti reip. Christianæ interesset, bellum illic non trahi. quod ut auferretur, & hostes in suis finibus bellum sustinere cogerentur, rem in celeritate positam esse perspiciebat. Sed quia tantum apparatum exposcit Turcarum amplitudo, ut eum non posset Cæsar citius quàm ineunte æstate uniuersum comparare: interim dum ei rei dat operã, Africanũ bellũ suscipiendũ sibi esse putauit, ut Hispanos Afrorum metu liberaret,

quo facilius ad Turchicam expeditionem incitarentur. Solebant enim A
quum ab eis ad eam rem numi exigerentur, uicinum hostem opponere,
suumq; metum excusare. Quibus rationibus permotus Pontifex, uehe-
menter Cæsaris consilium probauit: eiusq; laudata animi magnitudine,
eum dimittit. His ita constitutis rebus, Cæsar naues onerarias, Baleares
insulas petere iubet, ac eo loco aduentum suum operiri: ipse uerò nauí-
bus longis sex & triginta ex portu Veneris soluit, & ad Corsicam insu-
lam contendit. Qui quum secundo uento in altum prouectus esset, subi
ta coorta tempestate, classis cursum tenere non potuit, sed in diuersas
partes disiecta est: at ille remis contendit. quem septem aliæ secutæ na-
ues, eam insulæ partem cæperunt, quæ Italiã spectat: ubi eum uenti duos
dies tenuerunt. Sedato mari, quæ aberrauerant naues à cursu reuertun-
tur. quibus appulsis, Cæsar in Bonifaciũ oppidum profectus est: quod
in monte tribus ex partibus, circunciso, aspero & difficili est situm: ad a-
liam partẽ est aditus, ab imo anfractu, qui oppido pro fossa positus est.
Hoc autem nulla re alia est quàm portu memorabile. Cæsar idoneã tem-
pestatem nactus, in Largheram, nobilem Sardiniæ urbem, secundis uen
tis appulit. ubi res insolita contigit. Qua enim nocte eò accessimus,
bos uitulum bicipitem peperit: quem mulier, cuius bos erat, uidendum
Cæsari obtulit. Hæc urbs natura & opere bene satis munita est. omnib,
enim ferè partibus alluitur mari minimè portuoso, & scopulis subter a-
quam latentibus referto: aliam partẽ, quæ in insulam mittit, claudit mu-
rus: quem duæ turres ad utrunq; latus positæ, ab externa ui facilè tutan-
tur. et quũ in planicie hæc posita sit, nullus omnino mons, aut collis pro-
minet, è quibus uis in eam inferri possit. Cæsar duos dies illic commo-
ratus, soluit, & ad Baleares insulas direxit iter: qui biduò uelificatione B
cõtinuata, leni uento in conspectũ minoris insulæ delatus est. sed quum
ei insulæ iam appropinquaret, aduersis & reflantibus uentis, parum ab-
fuit quin in contrariã partẽ reiiceretur: remorũ tamen tanta contentio-
ne naues impulsæ sunt, ut tandem multa nocte ad terrã promotæ sint. In
quo ita sudatũ est, ut septẽ horis, non intermisso remigandi labore, uix
totidẽ milia ꝓcesserimus. Reliqua noctis parte quieti data, diẽ in anche
ris expectauimus: quo tempore, quum paruo spacio ab eo quò appulli
eramus loco, Mahon portus abesset, eò profecti sumus. Hic portus, om-
nium quos uidere memini, est pulcherrimus, & optimus, nisi hanc diffi-
cultatem haberet. Tota insulæ ora maritima montibus ingentibus septa
est: sed quà est ad portũ aditus, radices montiũ in planicie extrahuntur,
donec tam angusto interuallo ad alterã littoris partẽ accesserint, ut non
nisi leni uento intromittantur naues: cæterũ rebus alijs omnibus est faci
lis & opportunus. excurrit enim in quatuor ferè millium longitudinẽ,
uarijs & frequentibus insinuationibus, quæ facilè naues à maris sæui-
tia tegunt. Huic perpetui mõtes prominent, è quibus immensa ligni co-
pia peti potest. Ad extremã eius partẽ in montiũ altitudine urbs extru-
cta est, quæ si opere tam esset munita quàm natura, nõ ita facilè ab Aeno
barbo, qui uulgò Barbarossa nuncupatur, expilata fuisset. Quum duos
dies tempestas classem detinuisset, summã tranquillitatẽ adepti, ad maio
rem insulã cursum intendimus. Quò aduectus Cæsar, comperit ab Italia
naues onerarias centũ & quinquaginta cõuenisse, & Ferrandũ Gonza-
gam Proregẽ Siciliæ septẽ triremibus adueniisse: quæ cum his, quas secũ
Cæsar adduxerat, coniunctæ, quinquaginta numerũ expleuerunt. Præ-
ter has ab Hispania quindecim longæ, & magnus nauium onerariarum
numerus desiderabantur: quas quum triduò expectassemus, nunciauit
triremis

A triremis una, reliquas iam Africam attigisse, & naues onerarias eôdem cõtendere. Quo allato nuncio, Cæsar protinus milites naues cõscendere, & classem se in uiam dare iussit. Maior insula est, & urbs nobilis: insula contrà minoris insulæ naturã, habet oram maritimã, planam & fertilẽ, montes uerò in mediterraneis regionibus altissimos, & magna parte steriles: quæ quoniam meridiem propius quàm Hispania spectat, hyeme temperatior est, & frigoribus remissioribus, omniumq; ferè fructuũ copiam habet, quibus abũdat Africa. Vrbs autem est ampla, & pulchris ædificijs ornata, quam ferè mediã influit riuulus, è montibus decurrẽs, qui ad lanificiũ plurimùm ualet. Huius incolæ Tarraconensiũ parent legibus, & lingua ac moribus ualde cum eis cõueniunt. Ad ædificandum utuntur maximè terra calculis permixtis, qua materia muri oppidi effecti sunt: Tapie uulgò nominantur. Nauibus ad nauigandũ rebus omnibus instructis, Cæsar ad Argieram urbem Africæ maritimã iter direxit: quò biduí nauigatione prouectus, cõperit triremes, uti acceperat, aduẽtum suum anteuertisse: atq; terram ab eo latere tenuisse, quod ad solem occidentẽ pertinet, decem ferè millibus procul ab urbe. quæ ubi classem nostram conspexere, nobis obuiã processerũt. sed eis continuò eò unde fuerant egressæ, remissis ad eam littoris partem seruandã: Cæsar aliquot millia progressus, in aliam urbis partẽ duodecim naues præmisit exploratum, an illic tutior esset à tempestate receptus. Quibus opportuniorẽ esse significantibus, urbẽ remis præteruectus, eò contendit, & iactis anchoris naues onerarias præstolatus est. Ab eo loco urbs tota sub aspectũ nostrum cadebat, seq; regio latè nostris oculis ostendebat. Postridie mari paulatim intumescente, soluimus: atq; locum cępimus, quem uenti minus urgerẽt. Eum Matafuz nominant. Dum eò properatur, naues specu B latoriæ duæ Turcicæ in nos incidũt imprudentes, quæ errore cognito, conuersa uelificatione, maxima remorum contentione in altum se referunt. Eas nostri persequuti, altera unius ex nauibus nostris cõcursu depressa est, altera ad terram euasit. Cognitũ est ex captiuis eas missas fuisse, ut de aduentu & apparatu nostro aliquid percunctando intelligerẽt. Reliquam diei partem ad anchoras expectando triuimus, dum uniuersæ naues coëunt, & quiescit mare. Interea Ferrando Gonzagę & Iacobo Bosso, uiris prudentibus & rei militaris peritis, prę scripsit Cęsar, ut conscensa nauicula piscatoria, littus præterlegentes percurrerent, ac renunciarent, quà optimus esset egressus, ac commodissimè exercitus exponi posset. Ii exploratis locis omnibus, quid perspexissent reuersi indicarũt. Sequẽs dies maximã trãquillitatẽ attulit: qua Cęsar propius urbẽ accessit, atq; in locũ omniũ opportunissimũ milites exposuit: idq; nullis hostibus resistentib. effecit. Summa autẽ exercitus hæc erat. Peditatus omnis numerũ duorum & uiginti milliũ explebat, è quibus Hispanorũ septem millia è Sicilia atq; Neapoli aduenerant: Germanorũ sex millia in Germania Cęsar conscripserat: Itali, qui omni ex Italia coacti fuerũt, pari numero Germanos æquabãt: prę terea uoluntarij, qui honoris causa Cæsarem sequuti erant, triũ milliũ numerũ excedere dicebantur, præter Cæsaris domesticos. huc accedebãt quadringenti promiscui generis milites, quos Equites Rhodij promiscui item generis numero centũ & triginta Melita suis nauibus aduexerãt. Equitũ uerò Cęsareanorũ CCCC, naues Neapoli conscenderant, & ab Hispania septingenti euocati. Vbi primũ terrã pedites attigerunt (equites enim pauci eo die nauibus emissi sunt) generatim summa coëunt alacritate, seseq; expediũt ad excipiendos hostes, qui crebris incursionibus copias nostras adequitabãt. Hos, si se ag-

gregarent,& propius admouerent,bombardis noſtri repellebant, ita ut A
rari diſperſiq; incurrere cogerentur. Qua ratione nullum incommodum
accepimus. Hoſtibus in proximos montes reiectis, ad urbem iter facit e-
xercitus: & Hiſpanis, quos Ferrandus Gonzaga ducebat in acie prima
conſtitutis, Cæſar mediam aciem, quã Germanis crediderat, dirigebat:
Italos autem, quibus immixti erant equites Rhodij, præibat Camillus
Columna. Eo die circiter mille paſſus progreſsi conſtitimus, atq; ibi no-
ctem penè inſomnẽ tranſegimus. Numidæ enim, qui montiũ iuga tenc-
bant, ſe in planitiẽ demittebãt, atq; telis ea maximè parte, quà Cæſar ten-
toria poſuerat, nos laceſſebãt: in quos ſigna Hiſpanorũ tria à Cæſare im
miſſa ſunt, qui illos reprimerent, aut audacius progredientes tardarent.
Hi, noſtris impreſsionem facientibus ſe in montes referebant, & ſylue-
ſtribus locis occultabãt, atq; noſtros aſcenſu prohibebãt: uirtute tamen
tantum noſtri potuere, ut in montes euaſerint, hoſtesq; loco pepulerint,
ſed creſcente hoſtiũ multitudine, noſtri ſpacio pugnæ defatigati, recen-
tes & integros non facilè ſuſtinebãt. Itaq; quum à prima uigilia uſq; ad
primã lucem pugnã protraxiſſent, eis puluere, quo ſpherulas plumbeas
in hoſtes emittebant, deficiente, paucis acceptis uulneribus, ad agmen
ſe receperunt. Tota regio, quà uiam fecimus, plana eſt, ſed impedita, &
dumis atq; herbis ſylueſtribus conſita. hanc ſubluit mare, ab eo promon
torio, quò ſæuiente uento naues noſtras prouectas fuiſſe diximus, do-
nec urbi mille ferè paſſus appropinquauerit: quo loco ſaxa & tumuli,
mari oppoſiti, planitiem interrumpunt: urbs duodecim ferè media du-
cta linea millibus abeſt à promõtorio. ſin autem pedibus eatur, propter
littoris obliquitatẽ, uiginti millia erũt facienda. Planitiem radices mon-
tium impendentiũ efficiunt: & quemadmodũ ora maritima ſinuoſa eſt, B
ita planitiei uidentur mõtes impoſiti fuiſſe, littoris q; naturã ſequi. Nam
ubi littoris ſinuatio mollius inflectitur, et diffunditur latius, maiori etiã
interuallo à littore montes intermittunt, & effuſior planities intercedit:
ubi uerò ſinus deſinit, & uelut angulo terminatur, littus q; iam nõ ſinuo
ſe, ſed magis directò procedit, eodẽ quoq; loco è planitie colles & tumu
li enaſcuntur. qui montibus cõiuncti, eam confundunt. quẽ locum mille
paſſus abeſſe ab urbe demonſtrauimus. Cæſar reductis ex monte militi-
bus, propius urbẽ mouit exercitũ: cui ſuperata planitie, erant colles &
tumuli, in quos montes deſinere ſignificauimus, ſubeundi, ac deinde ad
montes tentandũ iter. Nam cõſtabat iuga montiũ in maximã longitudi-
nem à latere exercitus protendi. quibus à tergo hoſtes relicti, rurſus ad-
uerſus nos prouolabant, agmenq; morabantur. Illi, ſi in cõtentione du-
rius quicquã accidiſſet, quoniã ad montes facilem receptũ habebant, no
ſtros ſine ſuo magno periculo premebãt: hos montes ſi noſtri tenerent,
perfacilè erat hoſtes tranſitu intercludere, & liberius, minoreq; pericu-
lo in oppugnationem incumbere. Qua de re peropportunũ eſt uiſum,
Numidas è montibus depellere, ac ibi primam aciem collocare. Quæta-
metſi res erat magnę operæ & laboris propter montiũ altitudinẽ & aſpe
ritatem: uirtute tamen tantũ Hiſpani præſtiterũt, Ferrãdo Gonzaga du
ce, ut expulſis hoſtib. in montiũ faſtigiũ euaſerint. Occupatis mõtibus,
ſecunda acies cõſedit in collibus, quos mõtibus ſubeſſe diximus: & pau
lo infrà ſecundũ littus acies tertia cõſtituta eſt. Exercitu in hunc modũ
diſpoſito, urbs eum uelut angulus reſpiciebat. quæ ab uno latere mari
concluſa, ab alijs duobus obducto exercitu, triãguli ſpeciem effecerat:
quumq; penè exercitu circumuallata eſſet, nõ magnã in externis copijs
ſpem habebat. Quæ quamuis à tergo noſtras acies è planitie adoriri po-
tuiſſent,

A tuissent, tamen quia loco superiores eramus, facilè uenientibus restitisse mus. Ad hanc nostrã commoditatẽ accedebat, quòd inter planitiẽ & tumulos, quos Cęsar castris delegerat, crebri anfractus intercedebant, qui pro fossa hostibus obiecti, eorũ impetũ tardare potuissent. Ita cõpulsis in urbem hostibus, & rebus omnibus quæ humano ingenio prouideri possunt, à Cæsare procuratis, inclinata in noctem die, uigilijs dispositis, se lætitiæ dabat exercitus: quum repentina calamitas incidit, quæ uitari omnino non potuit. Imbriũ enim uis uehementissima, prima uigilia coorta, nullam noctis horam intermissa est: quæ quãuis iniquitate sua molesta satis esset, eam tamen longè molestiorem par uentorũ uis reddiderat. Nam militibus qui sine impedimentis è nauibus educti fuerant, nec amictus erat ullus, quo pluuiæ iniuriam à se propulsarent: nec tentoria, quò profugere possent. Hinc factum est, quum ipsi imbribus toti madefierent, ac uentis exagitarentur, ut uires eos atq; animi deficerent. Eodem tempore suprà quàm cuiquam credibile sit, intumuerat mare, ac ita effer buerat, ut multę naues, quę sęuitiam ferre non poterant, fractis funibus anchorarijs ad terram allideren̄t: alię uerò fluctibus completę deprimerentur. quarum naufragio magna hominum, cibariorumq; iactura facta est. Quam calamitatẽ magno auxit cumulo diei interuentus. Tum enim uenti atq; imbres in tantam rabiem creuerant, ut uix quisquam pedibus consisteret. Hanc impugnandi nostri occasionem hostes prætermittendam non putarunt. Tum enim magno numero ac summo silẽtio egressi, aduentu suo nostras uigilias oppressere: quibus interfectis, ad munitiones nostras prouolãt, nosq; telis lacessunt. Nos omnibus rebus subitò perterriti, imbribus et uentis aduersum os feriẽtibus, arma tamen expedimus: et ut quisq; primùm occurrerat, ita quàm maximo potuit impetu in hostes cõtendit. Hostes autẽ ad primũ nostrũ impetum pedẽ retulerunt, ut nos elicerent in insidias, quas idoneo loco dispositas: in quas eos persequuti incurrimus. Eramus autẽ numero superiores, & uirtute pares: sed ipsi & loco & armorũ genere longè præstabant. Ii enim de loco superiore pugnabãt, & balistis, arcubus, lapidibus, ac omni telorũ genere nos ascẽsu prohibebãt: nobis uerò imbres sclopetarũ usum ademerant, nullumq; omnino telũ reliquũ fecerant, quo hostem impeteremus: ut hastilibus, et ipso penè corporũ cõcursu, nobis gerenda res esset: quũ interim et iniquitas loci ab ea re nos inimicorumq; uelocitas retardaret, qui nobis procurrẽtibus cedebãt, & eminus tela & lapides conijciebãt. Genus hoc pugnæ nostris erat insuetũ. nam hostiũ in uniuersum ita fert cõsuetudo, ut nunquam conferti manus nobiscum cõserant, & summis copijs prælientur: sed rari nos equis prætercurrentes, telis & sagittis lacessunt, ut nos ab ordinibus eliciãt. Qui, ubi ex ordinibus excesserimus, & impetũ fecerimus, consultò cedunt, atq; se fugæ mandant. quòd si studiosius nos insequentes, ab ordinibus longius progressi fuerimus, illi conuerso cursu, plures paucos circunsistunt ac interficiunt. Eo die equites urbe egressi, totidem ferè numero pedites delegerant: qui inter eos tanta uelocitate uersabantur, ut equorũ cursum adæquarent. Hoc genere pugnæ nostri eluśi sunt. qui in fugam compulsos hostes arbitrati, eos temerè incertis ordinibus insequuti, non prius sequendi finem fecerũt, quàm sub muros & portas oppidi successerint: quo tẽpore hostes quàm primum in urbem se receperunt, et bombardis, telis, sagittis, ac omni tormentorum genere uno impetu emissis, nostrorum magnam stragem ediderunt, atque ex Italis eos dederunt in fugam, quibus non magnus esset usus militiæ. Quorũ fugę Rhodij equites soli ad portas ciuitatis re

A ſtiterunt, aliquot Italis uiris fortibus adiunctis, quos uirtus à turpi fuga dehortabatur: ſocijsq; fugientibus, ſe ad ſignũ noſtrum cõuerterãt. Nos id quod accidit poſtea, euenire poſſe ſuſpicati, ut hoſtes noſtrorũ fugam conſpicati, in eos irruptionem facerẽt, in anguſtum intra colles & tumulos locum, ubi pauci multos morari poſſent, ſignum noſtrum retulimus. Loci autem natura hęc erat. Tota circum oppidũ regio tumulis frequentius referta eſt, intra quos uia poſita, obliquis orbibus (ut tumulorum fert ſitus) ducit ad urbem. quæ ubi tumuli coeunt, patet anguſtius: ubi uerò latiori ſpacio ſe retrahunt, illic etiam uia latius intenditur. Non fefellit nos ſuſpicio. non enim prius in anguſtias peruenimus, quàm hoſtes ex oppido eruperũt, ac effuſo curſu in nos impetũ fecerunt: quumq; ſe propius intuliſſent, more ſuo retrocedebant, ut ab anguſto nos loco in patentiorem allicerent, ac circumuentos occiderent. Vt autem ſenihil proficere uiderunt, in colles & tumulos, qui nobis prominebant, peditęs immiſerunt: ut inde lapides & tela iacularentur: quæ, qui ex noſtris, armis tecti non eſſent, uitare non poterant. unde accidit, ut plures pugna excederent, & numero plurimum minueremur. Quum tamen nihil quod nobis indignum eſſet cõmitteremus, hoſtes indignati tam paruam manũ, tantas ſuas copias diſtinere, comminus rem gerere cõſtituunt: & protinus equis incitatis nos haſtilibus aggrediuntur, ad quę uitanda plurimũ arma noſtra ualuẽre. Quum uerò uideremus ſalutis noſtrę ſubſidium in uirtute poſitũ eſſe, potius eſſe duximus, uirtutis noſtræ dimicando memoriam relinquere, & ſi moriendũ eſſet, damnũ aliquod hoſtibus inferre, quàm turpiter in fugã uerſos ab illis concîdi. Hoc noſtrũ inſtitutum adiuuabat, quòd breui nobis Cæſarem affore ſubſidio ſperabamus. qua ſpe erecti, & hoſtes irruẽtes haſtilibus ſuſtinebamus: & quum B ſe nobis inſinuarent, nõ dato regrediendi ſpacio, confodiebamus: cui iniuriæ eo erant opportuniores, quòd nudi in prælio uerſarentur. Quare animaduerſa, tanto illi ſpacio pedem retulerũt, quantum haſtilia noſtra patêrent in longitudinem: quo ex loco tela & haſtas, qua parte corpus noſtrum apertum erat, inijciebãt: & baliſtis, quibus arma transfodi poſſe putabant, nos appetebant. ea quum à confertis uitari non potuiſſent, & uirtuti locus relictus non eſſet, aliquot eorum qui in primo ordine pugnabant, grauiter uulneratis, ordines noſtros perturbarũt, ac loco ſummouerunt. Quo temporis momento Cæſar cum omnibus Germanorũ copijs nobis adfuit ſubſidio. quem hoſtes conſpicati, parumper conſtiterunt, ac nobis colligendi noſtri poteſtatem fecerũt. Cęſar, quo loco maiore interuallo tumulos intermitti demonſtrauimus, agmen conſtituerat: quod quantum eſſet, hoſtes dijudicare non poterant ob itineris anguſtias, quæ inter eos & agmen erant interpoſitæ. Quamobrem cognoſcendi cauſa, ſe propius incitarunt. at quum uiderẽt profici nihil poſſe, ueriti ne, ſi nobiſcũ prælio contenderent, & ſibi neceſſariò in oppidum refugiendũ eſſet, noſtri unà immixti introirent: opportuno tempore ſe receperũt, ac in agmen bombardas emiſerunt. Ibi Cæſar nõ ita longè abfuit à periculo. ipſe enim quum in primis ordinibus milites adhortaretẽ, bombardæ aliquot eorum quibus cum uerba faciebat, extulerunt: ita tamen, ut ipſe neq; ullam timoris ſignificationem ediderit, neque orationem ſuam interruperit, neq; uultum mutauerit: ſed ea fortitudine & animi præſentia ſubſtiterit, qua in maxima tranquillitate eſſe ſolet. His geſtis rebus, quum id quod uolebat Cæſar eſſet conſequutus, ut nos laborantes periculo eximeret: compulſis in oppidum hoſtibus, paucis Germanorum deſideratis, in caſtra ſuos reduxit. Ex equitibus

uerò

A uerò Rhodijs, qui uix centum numerum implebant, ad muros urbis o-
cto bombardis extincti sunt: ex cõflictu autem saucij triginta euaserũt.
ex Italis qui se nobis aggregauerant, mortuorum numerum non teneo,
neq; quot ex pugna uulnerati sint elapsi. Nam quũ grauissimè saucius
ereptus essem, & uehementer ex uulneribus laborare, adire potui nemi-
nem, qui uulneratorũ aut mortuorũ mihi numerum explicaret. Interea
dum uenti, hostes, & pluuia terra nos duriter exagitãt, mari naues lon-
gè durius afflictantur. ita enim uis uentorũ mare commouerat, ut quum
naues incuteret, neq; anchoræ neq; funes obstarent, quo minus in terrã
ejicerentur: quòd si quæ funium multitudine retinerentur, tanto impe-
tu cõcutiebantur, ut stuppis quibus tabularum rimæ & commissuræ im
pleri solent, euulsis, aqua complerentur & obruerentur. Rem in tantam
infœlicitatẽ proclinatã adaugebant Numidæ: qui uiso naufragio, ad lit
tus magno numero conuenerant, ut quos fortuna in terram exportaret,
eos transfoderẽt. adeò utrum in terram elabi, an submergi præstaret, ne-
sciret. His rebus permotus Cæsar, ad duo millia Hispanorũ immisit, qui
repulsis hostibus, nostris essent præsidio: quorũ aduentus quàm pluri-
mis salutem attulit. sed hoc consiliũ quamuis reprehendi non possit, eue
nit incõmodè. Nam cum nautæ tutos se esse cognoscerẽt, si ad terram ap-
plicarent, minori cõtentione uim tempestatis ferebant, & procliuius in
terram nauem impingebãt: ex quo naufragiũ effectũ est insignius. Hac
tempestate centum & triginta naues desideratæ sunt: è quibus triremes
quatuordecim, longo maris cõflictu collabefactæ, in terram eiectę sunt.
Quem casum tanta animorũ cõsternatione et desperatione excepit exer
citus, ut nulla unq; maior extiterit. quũ enim milites in terrã fuerũt ex-
positi, quo essent ad uiam expeditiores, sine impedimẽtis emissi fuerãt,
& duorũ tantum dierum cibaria secum tulerant, eaq; superioribus die-
bus cõsumpserant. Vnde magna nauiũ parte amissa uerebãtur, ne si reli-
quæ quoq; naufragiũ facerent, tum esset mors oppetenda, quòd nullas
haberent naues alias quibus reportari possent: nullaq; res adesset, qua
inediam tolerarẽt, qua' ue se ab imbribus defenderent, quum etiam de-
essent tormenta & machinæ, quæ usui essent obsidendæ urbi, nec aliun-
de cõmeatus peti posset: de urbis expugnatione desperabant. Hæc per-
turbatio totũ illum diem & sequentem noctem tenuit exercitũ. Triduò
pòst mare paululũ de sæuitia remisit, sed quũ adhuc remis arari non pos-
set ad cõmeatum ex nauibus importandũ, Cæsar equis, quos nauibus e-
duxerat, interfectis, tribus diebus milites refecit. Quæ calamitas eo in-
cõmodius obtigit, quòd unà cum nauibus magna copia frumenti, fari-
næ, panis bis cocti, leguminũ, uini, olei, carniumq; sale conditarũ, ac re-
rum omniũ ad uictum exercitus spectantiũ amissa est: equorum item ma
gnus numerus interijt. quò accessere omnium generũ tormenta, quæ ad
nauium tutelam, & alia quæ ad urbium oppugnationem comparata fue
rant: quorum magnam partem hostes tranquillitatẽ nacti, piscari & ex-
trahere poterunt. Denicq; tanta rei frumentariæ iactura facta est, ut an-
guste superfuerit ad milites reportãdos. Tot incommodis acceptis, Cæ-
sar urbis oppugnationẽ in æstatem reijcere instituit, & milites reducere.
Itaque iussit eam littoris partem petere, qua naues commodè conscendi
possent. Hoc uerò fuit omnium miserrimum, quòd milites inedia atque
imbribus, quibus triduò perpetuò maduerãt, tam fracti & exhausti fue-
rant uiribus, ut plerique eorum, quum uiam ingrederentur, exanimati
collaberentur: & terra usque eò erat cœnosa, ut nec in eam recumbi, nec
commodè incedi posset. ut si uellent milites quiescere, hastili altè in ter-
ram defixo

ram defixo niterentur, ac eo modo se quieti darent. Tot tamen tantasq; A
difficultates singulari animi magnitudine præsentiaq; uicerunt mili-
tes nostri: ac tribus fluminibus uado transmissis, etsi interim solis hume
ris aqua extarent, totidē diebus iter cōfecerunt. Eò profecti, unde naues
cōscendi oporteret, dum Itali & Germani imponūtur, Cæsar Hispanos,
de quibus maximā uirtutis habebat opinionē, contra hostes in armis es-
se iussit: & operā dedit, ut quàm posset fieri celerrimè, illi ad naues defer-
rentur, ne si mare intumesceret, impediretur scapharū nauigatio. quarū,
quoniā magnum numerū tempestas absorbuerat, transportatio militū
tardius processit: nec citius quàm bidui spacio naues instrui, ac militib.
cōpleri potuerūt. Triduò pòst, quū dimidiā ferè Hispanorū partē naues
accepissent, uentis paulatim crescentibus, inflato mari ægerrimè reliqua
pars ad naues transferri potuit. quod præsentientes nautæ, ut quæq; pri-
mùm nauis onusta fuit, ita prima cursum cæpit. Vnde salus eorū secuta
est, qui primùm naues cōscenderant: quæ anteq; egredi tempestate pro-
hiberētur, soluerāt, ac uela expanderāt: reliquas uerò, quæ tardius onus
acceperāt, tempestas morata est: ut una Rhodiarū nauiū fractis funibus
anchorariis, parū abfuerit quin in scopulos torqueret: sed tantū remis
cōtenderunt remiges, ut eam in altū paulùm promouerint. quę ut ex sco
pulis erepta est, nautæ & gubernatores satius esse iudicarūt, se mari com
mittere, quàm fluctibus frustra reluctari. Hanc tres aliæ secutæ, in Bu-
giam, eò uentis aspirantibus euaserūt: quod nō nisi magno labore & pe-
riculo effectū est. Vna enim nauis amisso temone, fluctibus ferè obruta
est. Cæsar autē expectabat, ut remisso uentorū impetu, in altū naues re-
mulco attraheret, ac demum cursum teneret. Quod ubi aliquandiu fru- B
stra tentasset, ueritus ne ingrauescente tempestate tandē ad scopulos adi
geretur, quatuor triremibus, quæ omniū tutissimum locū cæperant, cæ-
teris nauibus auxilio relictis, soluit, ac naues Rhodias sequutus est. Po-
stridie quàm Bugiā appulit, triremes ad Argierā cæteris nauibus subsi-
dio relictæ, nunciarūt eas, quū tempestatē ferre non possent, fractas fuis-
se, & ad litus proiectas: militū magnū numerū fluctibus demersum, reli
quos in terrā eiectos, in orbē pugnandi gratia coiuisse, ac desperatione
debilitatos, in deditione spem uitæ collocasse: eos deniq; ad urbem pro
perātes, à Numidis ad unum omnes interfectos fuisse. Hunc exitum ha-
buit bellum Africanum. Tempus & laborum diuturnitas nos Bugiam
appulsos ad quietem uocabant, sed locus id minimè patiebatur. Portus
enim Bugiæ, quum nullum terræ habeat obiectum, ad coercendam uim
uentorum ab Europa spirantium, nostris nauibus stationem infidā præ-
buit. Mare enim uentis incitatum tanta ui naues quatiebat, ut non mul
to minore periculo quàm ad Argierā substiterint. Bona fors eò nauem
unam inuexerat, frumēto reliquoq; commeatu onustam: sed eadem ex-
cepta tempestatibus, in conspectu nostro paulo pòst depressa est. Quæ
tempestates, quamuis nulla nos alia insigniori affecerint calamitate, nō
ab re tamen mihi uisum est narrare, quam nobis metus occasionem de-
derint. Vbi plures dies intolerantius mare nos solicitasset, nocte ineun-
te, maiore erupit iacundia: & quo altius nocte tegeretur, eo se magis
exasperabat, donec in tantam creuisset insaniam, ut nos multas horas
omni spe reconciliationis destituerit. quod tandem aduenīente die,
quum iam omne ferè uirus euomuisset, suæ incontinentiæ puduit, at-
que erubuit se tam fœdo uultu soli inspiciendum ingerere. tanta ta-
men eius fuit inciuilitas, ut etsi scirem me gratum ei minimè factu-
rum, eam non reticerem. Principem triremium Sicularum tanta ui in la-
tus

A tus impulit, ut malũ & antennas extra nauim deiecerit. Aliam præterea ex nauibus Siculis tanta animi offensione afflictauit, ut ipsam ingrediens nauem, remige uno apprehenso, ei tibia quæ catena reuincta fuerat, euulsa ex corpore, truncũ extra nauim emiserit. Rhodijs nauibus nõ minus fuit iniuriũ. nam erepta ab una naui scapha, dum eam præter nauim uicinam inueheret, tam altè extulit, ut nullo ferè labore in summam triremẽ inciderit, ac ipso casu scamno fracto, remiges duos eliserit. Deniq; ut in omnes qui ad Argierã integri relicti erant, suam sæuitiã experiretur. Comitem Anguilarium ab iniuria noluit immunẽ esse: atq; ita ei fuit infestum, ut interim à sanctis non abstinuerit. tanto enim furore in puppim inuolauit, ut & ipsam puppim euerterit, & sanctum Andream qui puppi in signum erat appositus, præcipitẽ egerit. A' cæteris quos ad Argierã ultus erat, manus continuit. Vna res tum nobis salutem attulit, quæ aliàs exitio esse solet. Quo loco Oceanus in mediterraneas regiones influit, Africã ab Europa ualde angusto interuallo diuidit: quibus coactus angustijs rapidius fertur, donec locũ patentiorẽ nactus sit, quo se liberius effundat. & quo tempore æstum patitur, quod bis in die contingit: quanto' ue propius angustias accurrit, eo maior est nauigantibus ineunda rapiditas, ex quo Occidẽtales regiones æstus iniuriæ magis patent. Præterea quo propius ad lunam plenam acceditur, eo magis redundat Oceanus; & fiunt æstus eius maiores, inq; mare nostrũ introit incitatior: qui luna decrescente similiter decrescũt, unde uentorum tempestatumq; cõmutationes proueniũt. Hæc ergo rapiditas, siue ut nautę dicũt, aqua currẽs, æstu maris incitata, excurrit, quousq; terrarũ obiectu retorqueatur. quod ferè usu uenit, quum Oceanus cõmutationem æstus pati B tur, & ab Europa in cõtrariam partẽ recedit. Itaq; cum Bugiæ essemus, ut dixi, erat mare turbulentissimũ, tantaq; leuitate ferebatur, quanta uis uentorũ impelleret. Sed quoniam luna tum plena esset, & propterea æstus Oceani maiores, currens aqua uelocius incurrebat: cuius uentorũ cõiuncta magnam rapiditatẽ addiderat: ob eamq; causam, mare quantũuis cõmotũ longo spacio antecurrebat, atq; ad terrã citius perueniebat. itaq; quanto maiore impetu delata esset, eo maiore ui reflectebatur: atque in mare conuersa, eius reprimebat & tardabat impetũ, ita ut minore ui mare naues incuteret. quod nisi ita euenisset, nauiũ firmissima quæq; sex horas fluctus maris sustinere nequiuisset. Post eam tempestatem no biscum mare mitius egit, quũ se tamen innauigabile præberet, nos inediæ cõficiẽdos tradiderat, à quo periculo nõ procul abfuimus. Bugia enim quamuis nostra esset, ea tamen est natura loci, ut exiguè nos iuuare posset. Est enim oppidũ situm in montiũ altissimorũ decliuitate, cuius fines tam latè patent, quantum in circuitu ipsum oppidum occupat soli. Nam Mauri, quibuscũ nostri continẽter bellũ gerunt, imperant toti finitimæ regioni: proinde quicquid nostris frumẽti est, ab Hispania importatum habent. In illius oppidi propugnaculũ tres turres institutæ sunt: quas unà cum oppido ducẽti milites custodiunt. Ad eos iam multo tempore naues ab Hispania non uenerãt: tantaq; multitudine uno tempore eò cõfluximus, ut nostri iuuãdi non magnã habuerint facultatẽ. His in angustijs Cæsar cõstitutus, trium dierum supplicatione decreta, triduò post expiatis confessione peccatis, panem sacrum religiose edit, quem omnes aulici imitati, iram Dei deprecati sunt. Senescente luna, uenti rabie sua ceciderunt, & mare paulò placidius effectum est: quo tempore, ne hanc discedendi oblatam occasionem è nauibus amitteremus, Dux equitum Rhodiorum Imperatorẽ adijt, atque abeundi commeatum

um petijt: quo impetrato, proficiscente etiam Ferrando Gonzaga, unà A
ex eo loco soluimus, & iter Tunetum uersus tenuimus, quò quatriduò
remis peruenimus. Cæsar uerò, quum Andreæ Doriæ classis præfecto
non uideretur nauigationi tempus esse idoneum, eo loco commodio-
rem tempestatẽ expectabat. Tuneti uerò omnib. rebus ab eius urbis Re
ge refecta classe nostra, nacti tempus opportunum, Drepanum Siciliæ
oppidum cõtendimus: ubi biduò uotis diuæ Marię, quæ ab Annuncia-
tione nomen habet, persoluendis insumpto, Panormum deuenimus.
Quo loco Siculis nauibus relictis, Rhodiæ Messanam delatæ sunt. Vn-
de quum me subijsset negociorum recordatio, quæ in meum ab Africa
reditum distuleram, ad ea me recipere constitui: et conscensa naui specu
latoria, Neapolim, ac inde Romam multis tempestatibus delatus sum.
Vbi quoniã uulnera difficultate & magnitudine uiarum recruduerant,
ita intermittere tantisper coactus sum, dum me de uia fessum, & uulne-
ribus afflictatum colligerẽ. Interim ne omnino essem ociosus, hanc ex-
peditionis Africanæ narrationem exaraui, in qua multorum illustrium
uirorum casus, & rei familiaris iacturas consultò prætermisi. eas enim,
quòd immensæ sint, neq; accuratè explicare, neq; etiam omnia memoria
tenere potuissem.

IOANNIS MARTINI STELLAE LL.
DOCT. DE TVRCARVM IN REGNO HVNGARIAE,

Anni 1543, & 44. successibus, ad fratres Gulielmum & Michaelem Martinum Stellam Epistola.



EXISTIMAVI etiam me hoc uobis debere, ne quic B
quam eorũ quæ hic uel gerunt̃, uel pro certis à fide di-
gnis dicunt̃, ignoraretis. Principiò nemo opinor Chri
stianorum est, qui non uideat, in quo periculo uniuer-
si simus: nos tamen quo propiores, & quo minus in
longinquis spei & subsidij uidemus, tanto sanè animis
sumus, aut, ut in rebus propè deploratis, cõsternatio-
res: aut quod in extremis fieri solet, ex desperatione pertinaciores, eoq;
ipso fortasis fortiores. Ab eo igitur tempore, quo per anni tempestatẽ
Turcæ bellum gerere potuerũt, arcem Vualpo, quæ in confinibus Bos-
niæ, Croatiæ & Hungariæ sita est, ferè tres totos menses frustra obsede-
runt: neq; audire quicquam potui, quod à nostris pro illorum subsidio
aut alleuiatione sit gestum, præter castrorũ inquietationes. Cum autem
ipse Solymannus expeditionem contra nos totis uiribus moliretur, sen-
tiens quanti interesit, nihil à tergo malè pacati relinquere, maiores eò co
pias destinauit, per se extrema tentaturus, nisi obsessi aut expugnari,
aut ad deditionem cogi possent. Deditio igitur facta est: sed perfidia mi-
litum, qui suum præfectum omnia potius experiri, quàm sese dedere uo
lentem, comprehendêre, Tureisq; tradidêre. In quem Turca non solùm
nõ immanis, sed etiã munificus fuit, & benignus. Cæterùm milites om-
nes, quanquã dedititi, fœdè interfecti. Non quidẽ ipsius Turcæ, uti au
dio, imperio, aut studio gloriæ, exemplo´ue in proditores memorando:
sed auaritia & spe prædæ, quam apud illos inueniri posse rebantur. In-
terea pontes supra Sauum & Drauum instituti, per quos copias & exer
citum traij ceret. Erant iam proximi Quinqueclesienses, qui superiori-
bus bellis steterant inconcussi, et hoc anno uisi fuerant non malè anima
ti, ex legatione, qua hinc publicè bombardas, puluerẽ, ac globos, & pe-
tierunt

A tierunt, & impetrarũt. Verùm tantũ pauoris illis & amissum Vualpo, & magnitudo exercitus Turcici incussit, ut Episcopus & reliqui optimates, plus præsidij in fuga, quàm in urbis munitionibus putarint: reliqua plebs quæ aut circumuenta ab antecursoribus Turchicis, aut propter inopiã fugere nequiuerat, missis legatis deditionẽ fecere. quibus quæ fides seruata sit, certè ignoro: hoc unum tamen hic constanti fama relatum est, neminẽ Turcarũ toto triduo urbem ingredi ausum fuisse. Proxima fuit (de locis loquor, in quorũ munimentis ulla spes fuit resistendi) Soclosia: oppidulũ primo impetu captũ, direptũ & incẽsum fuit. Qui uerò in arcem confugerãt, principio obsidionis pacti sunt inducias quatuordecim dierum, intra quos dispicerẽt, quid sperare deberent subsidij, aut quibus conditionibus sese dederent. Termino elapso, confisi munitionibus (sita enim est loco, natura & opere munitissimo) uim repellere sunt conati. Ac primis aliquot diebus se ualde strenuos gesserunt, præsertim cùm se à cuniculis Turcarũ, quos xij milibus fossorum aggere instituerant, tutos & satis firmos esse intelligerent. Postq; tamen adductæ machinæ, ac ex contiguis arci ædificiorũ prius exustorũ ruinis, multã muro rum partẽ humi prostratã uiderunt, diffisi se posse ulterius tam uiolento hosti resistere, etiam ipsi deditionẽ fecerunt: ea conditione, ut libera corpora & res suas secum saluas auferre liceret: quæ res pauperibus saluti, ditioribus omnibus exitio fuit: tenuioribus enim omissis, reliqui ob suspicionẽ prædæ & diuitiarũ interfecti, pœnas ignauiæ soluerunt. Nam si in animũ induxissent, sola uictoria, neq; pactione pacẽ pariendã esse, & locũ & uitã & res suas proculdubio conseruassent. Fuerunt itaq; reliquis omnibus exemplo, quantũ fidei Turcharũ promissis aut pactis sit B adhibendũ. Vt enim neq; Rhodios neq; Taurinũ referã, taceã etiã Budensiũ & Pesthensiũ magistratus eo prætextu interfectos, quòd cũ Christianis commercia habuissent, ac boues ad nos adduci passi essent: item quod alijs, si qui reliqui in patria permanserint, nõ ut mancipijs interdicto armorũ usu, sed ut uespillonibus, ad sepeliẽda extra urbẽ cadauera, plateas & cloacas aliaq; curanda, quanq; de illis optimè meriti sint, abutantur: nemo posset sine summo mœrore referre, quod secundo adhinc anno, cum nostri cladẽ apud Budã accepissent, in duas cohortes, quæ uiæ in potestatẽ hostiũ uenerũt, est patratũ. Quibus quasi uitam dono cõcessurus edixit, ut depositò squalore, arma ac uestitũ solitũ reciperent, ac se in aciẽ & ordinẽ, uti Christiani solent, redigerẽt. Quod cùm alacriter, nihil suspicantes mali, nostri factitassent, ipseq; ordines aliquandiu obequitasset & circunlustrasset: tandẽ iussit rursus arma abijcere. ordinibus tamẽ seruatis, selegit ex numero aliquot præstantissimos uiribus et corpore: reliquos omnes à tergo circumuentos, gladijs à suis iussit concidi. eorum uerò quos selegerat, alios iaculatoribus opposuit pro scopo, alios duob. filijs suis proposuit, in quibus sese, suas q; uires, inter profundiora uulnera, formosiores q; & conspectiores plagas ederet, plus q; sanguinis è corporibus Caurorũ (sic appellãt Christianos) hauriret, ostẽtarent. Illud uerò quod superioribus diebus gestũ esse, constantissima hic fama est, multũ interesse puto, ne quis Christianorũ ignoret. Nam si qui tam uecordes sunt, qui cum eo ad pacisc endũ descendũt: illi hoc spectare uidentur, quod qualemcunq; uitã, etiã si turpem, tamẽ cum uiuere liceat, chariorẽ illã existimẽt, quàm si pro patria certãtes, glorioſam et honestã mortẽ oppeterẽt: qui si cõsiderarent illam ipsam ignominiosam uitam, quam honestissimæ morti præferunt, sibi ne cõcedi quidẽ: sed quoniam non utri imperent, sed uri sint, nobiscũ bellũ geritur, pariter & ui-

ctos & deditos eodem loco haberi: potius cõpararent se ut strenuè bel- A
lando occumberent, quàm dum animos spe longioris uitæ demittunt,
deditionem paciscuntur. Cùm & illam ipsam conditionem quam prius
habebant, honestè scilicet pro patria moriendi, amplius non sint habitu
ri: quando illi qui paulò antè propter abiecta arma salutẽ sperabãt, nunc
instar pecudũ iugulãtur, mactanturq;. Cum igitur alterutro de duobus,
aut per ignauiã, aut uti fortes decet, prorsus mori necesse sit, certe ut est
exoptabilius, & cum minori sensu iniuriæ: sic gloriosius & laudabilius,
hoc modo miserijs calamitatibusq; defungi: cui hoc accedit, ut sæpe sit
minus periculi, cùm & ipsa desperatio salutis, imbelles armare, & timi-
dos excitare soleat. Dum igitur arcẽ Soclosiã obsidet, dediderũt se loca
uicina: ac uti imperatũ erat, omne genus cõmeatuũ in castra detulerunt.
Principiò, iubet omnes iudices pagorũ sibi præsto adesse, statim paretur:
obedientibus deinde imperat, ut postridie singuli, cum sibi subditis, rur
sus adsint: cùm & hoc pro imperio sedulò factitatũ esset, ille nescio sanè
quã opinionẽ de se relinquere uolens, iussit inspiciente exercitu ad unũ
omnes trucidari. hoc facto, puto nobis plus roboris ex eius immanitate
& inclemẽtia, quàm illis bonæ famæ aut potẽtiæ accessisse. Ex hoc loco
castra mouit, ac Budã ingressus est, xi. Cal. Augusti. Hinc uarij sparsi ru
mores, in quã partẽ primùm ducturus esset: & quo nos incertiores consi
liorum redderet, tripartito uisus est instituisse. Pars nanq; incẽdijs & rui
nis omnia uastabat circa lacũ Balathoniũ, qua iter est in Steiriã, & pro-
uinciã Vuãdalicã. Alij, quo scilicet nobis omnẽ suspicionẽ de Strigonio
adimerent, cuncta usq; ad portas Albæ Regalis sunt depopulati, quod
nobis nõ mediocrẽ metũ incusserat. Præsidia enim quę submittebantur, B
adhuc Taurini confederant: & uix beneficio noctis effectũ est, ut intra
urbẽ M.D. pedites partim Itali, partim Germani reciperentẽ. Erã ego tũc
Altemburgi, & in uicinis locis, cum bombardæ, quas itineri cõmittere
ausi nõ erant, retro in arcẽ, uti tutiorẽ locũ, reducerentẽ. Postremò paulu
lum infra Budã pontẽ supra Danubiũ facere instituit: quæ res mihi ma-
gnã sollicitudinẽ adfert, ne in ciuitatulas montanas, ac in uniuersum pa
trimoniũ Serenis. Reginæ Mariæ irruat, quod fama est, pro magnitudi
ne periculi nõ satis firmo præsidio custoditũ esse. quã rem certè mihi nõ
uidẽ neglecturus: nam neq; sui interea, dum Strigoniũ obsidẽt, pontis
curã abiecerunt. Sitũ est aũt Strigoniũ quinto milliario supra Budã, ere-
gione ubi in Danubiũ influit fluuius Granus, à mõtibus Carpathijs, &
oppidulis quas nunc mõtanas appellamus. Atq; adeò uetus illi nomẽ e-
rat Istrogranũ, quasi circa cõfluẽtia Istri et Grani sitũ. Cœpit igit Strigo-
niũ obsideri ix. Cal. Augusti, non sine magna nostrũm omniũ perculsio-
ne, quòd nullos adhuc milites præter consuetũ præsidium eò submissse-
mus: neq; ulla potestas succurrendi uidebaẽ, quòd Turcæ omnẽ Danu-
bium proflígata nostra classe in potestate sua habere crederentẽ. Duo ta
men adhuc restabãt, in quibus aliquantulũ spei reliquũ erat: quòd Vuil
zigradũ (est hoc mediũ inter Strigoniũ & Budã, quà se Danubius à re-
cto itinere terrestri nõnihil sinuat) uidebatur interdiu facile prohibitu-
rum, ne cõmeatus, aut etiã bombardæ aduerso flumine castris subuche-
rẽtur: quæ spes nõ fefellit. nam plus minus duodecim naues, inter quas
duæ puluere & bõbardis onustæ erãt, à nostris submersę. Deinde quòd
trans Danubiũ omnia adhuc nostra, id est, Christianorũ essent. Archiepi
scopus igit Strigoniẽsis per Barptholomæũ Croacũ, statim ducẽtos bo-
ues sub ipsa arce obsessis trãsmisit: & nostris Comaroni indicat, tam ar-
ctè obsessam nõ esse, quin facilè eadẽ uia, aut etiã secundo flumine subsi-
dium

A dium ſubmitti poſſet. Redierat per eos dies uexillifer cohortis præſidia
riæ, & Hiſpanus quidã Sancius Cotta, qui ad Regem pro ſtipẽdio miſsi
erant. hi intelligẽtes obſidionẽ, Viennę pecuniã publicam reliquerunt:
ac ſi ullo modo ſe ad ſuos recipere poſſent, tentauerunt. ipſi quidẽ ſerius
uenerũt: ſunt tamen milites propè ſexcẽti, & cum his annona & puluis
tormẽtarius in arcem recepti: qui cum retuliſſent qua cauſa ſtipendium
deuectum nõ fuiſſet, militũ animis ſatisfecerũt, ut ad rem fortiter geren
dam nihilominus animati eſſent. Reſcripſerũt igitur ducibus Regijs, ſe
de fide et liberalitate Regia nihil dubitare, neq; ſtipendiũ aut pecuniam
eo tempore contra hoſtes, ſed milites, quos ad ſe miſſos gaudebant, for-
tius poſſe pugnare. His contrà à Senatoribus Regijs ita reſponſum eſt,
ne quicquã de ſtipẽdijs dubitarẽt, omnia illis ſatisfactũ iri: & ſi quis in-
terea caſus ullos iactaret, hęredibus ea omnia integra & ſalua, quę uiuis
debita fuiſſent permanſura: quæ reſponſio (uti huc relatũ eſt) mirũ quã-
tum animi obſeſsis addiderit ad pericula cõtemnenda. Dum iam claſsis
noſtra, quę ſubſidiũ ſubuexerat, reuertit, uiſa eſt ſibi occaſionẽ rei felici
ter gerendę nacta eſſe. Cùm enim (uti ibi fit, ubi nullus hoſtis formidat)
Turcæ liberius caſtrametati eſſent, noſtri circa extrema caſtra quæ in ri-
pa erant, irruẽtes, ſubito tumultu omnia turbarũt, & quinquaginta ferè
interfecerũt, ac inter hos unũ ex principibus: ut ex ſigno galeę, quo nul
lis niſi ex familia Otthomanica prognatis uti conceditur, eſt deprehẽſum.
Principio obſidionis Turcę Martinũ Laſcanũ, natione etiam Hiſpanũ,
præfectũ præſidij, ad colloquiũ ſuper deditione inuitarũt. Eſt eregione
arcis alius colliculus eiuſdẽ ferè altitudinis. Hinc Turchæ bombardas,
interea dum colloquuntur, cõtra noſtros erexerũt: pluteis & multa mate-
B ria muniuerũt, diſsimulante id [illegible] fecto, ac ſuos clam admonente. Cùm
Turcę ſe nemine prohibẽte, or[illegible] quę eò pertinebãt, ꝓcurare turò cre-
dunt: noſtri repẽtè omnib. mach[illegible] in eam partẽ collatis, munimẽta &
cuſtodias deturbauerunt, ac magi[illegible] acommodũ fractis bombardis, ſiue
cõminutis rotis, intulerũt. quare e[illegible] ã nunc à iaculatione dicunt ceſſare,
creduntur ꝙ hoc conari, ut eam cuniculis ſubuertãt: quæ res quẽ euentũ
habitura ſit, non poſſumus diuinare. unum ſperamus, quòd propter aſsi
duas ab hoc nouilunio pluuias, is conatus non nimis fœliciter ſit ceſſu-
rus. Præterquàm quòd à longinquo, & multis in locis per rupes ſit inſti
tuẽdus. Cõtra etiã huiuſmodi caſus, præfectus arcis, iam ad aliquot mẽ-
ſes, plus minus quinquaginta milites aluit, exercitos in aurifodinis: ita
ut ſpes ſit, uel irritũ fore hunc conatũ: uel obuiã iri, & hoſtẽ in cuniculis
obrui, non difficulter poſſe. Reliquũ noſtri exercitus, q̃d poſt diſtributa
undiquaq; præſidia ſupererat, ducib. Ioãne Vngnad, Otthone à Diſcha,
& Comite Philippo Torniellio, ſubſedit Comaroni. Sita eſt hæc arx in
inſula Danubij, quam Germani Schutte uocãt. Inſula hæc totius Danu-
bij, ꝑpè nobiliſsima eſt. incipit ſub Poſonio, bipartito fluẽte Danubio:
ac deſinit decimo deinde miliari, fluuio rurſus coeũte: poſteaq; à læua &
ſeptentrione, Polonia ſcilicet & montibus Carpathijs, flumẽ Vagã in ſe
accepit. Colonorũ habet ſupra duodecim millia, ac fuit ſuperioribus bel
lis ſemper intacta. In fine huius inſulæ, ubi rurſus Danubius in unũ coit,
eſt uetuſta arx Comarõ, quã noſtri nunc opere & aggere terreo circun-
dederunt: & ne hoſtes poſſent aduerſo flumine nauigare, utrumq; flu-
minis alueũ tribus ordinibus trabiũ obſepiuerũt, tanto interuallo diſtã-
tibus, ut nulla nauis, niſi ſub arce, ubi ſpaciũ relictũ eſt, pertranſiret. hoc
loco noſtræ copiæ, quæ ſanè quàm exiguæ adhuc ſunt, conſederũt: quid
aũt acceſſurũ ſit, malo uos ex re ipſa aliquãdo, quàm ex noſtra ſpe cogno

scere. Viennæ tamẽ omnia præparantur, quæ ad obsidionẽ tolerandã opportuna ducũtur. uallũ, fossæ, turres reficiuntur. præter alia iampridẽ cogitata munimẽta, ante portã quæ in Carinthiã ducit, & alterã qua in Hungariam itur, quæ omniũ hostiũ ictibus apertè patebãt, propugnacula ex trabibus, lignis, & terra figura triãgulari suscitãtur. Ciues uxoribus & liberis quoquò uersus ablegatis, quàm multi è suo corpore arma ferrẽt, numerũ iniuerũt. Conscripserũt adhæc unum uexillum militũ, qui nunc unà cum ipsis pro portis & turribus excubant. Mauritij Saxonis ducis, Reipub. Nurembergensis, & Antonij Fuggeri cohortes singulæ, in suburbijs collocatæ sunt. præter has, tres aliæ paulò superius, in ripa Danubij, unde statim in urbẽ recipi possint: aliorũ sociorũ auxilia indies expectantur. Item Italorũ adhuc quatuor millia. Postridie Cal. Augusti, equites quingenti lustrati sunt, qui nescio an urbi præsidio mansuri, an adreliquum exercitum exituri sunt. Maiores naues hic instruũtur decẽ: sex sunt biremes, reliquæ myoparones. Sunt Camaroni minores nauiculæ, siue celoces, numero xl. Hic est apparatus noster naualis, contrà triplo maiores copias hostiles: reliquæ naues quæ nõ exiguo numero hic uel in nauali, uel in Danubio sunt, nisi instruãtur, aut submergẽdæ erũt, aut igne cõsumendæ. In summa, omnia hic feruẽt. uideas tota urbe arma expediri, festinari, ingẽtes trabes, quæ de solutis ratibus in ripa Danubij iacẽt (unde etiam, si necessitas postularet, uel quantũ totius muri ambitus cõtinet, rursus uallũ consepiri posset) cõuehi: ligna item & fasces in pluteos, frumẽta, farinã, & aliam annonã, deniq; nihil nõ intra urbem & mœnia deportari, quemq; pro se sedulò niti. inæqualia & fossas, quæ olim suburbijs circũdatæ erant, adæquari & cõplanari. Ex alia parte, rustici iam præscriptũ est, quò quisq; debeat aut fugere, aut ad resistendum A cõuenire. In agris duntaxat messem triturãt, uel serũt rursus, ne post hostium discessum inopia laboret. reliqua quæ in loca munita cõuecta non erũt, à nostris corrumpẽtur. sic sunt qudẽ in agris rustici, sed sine ullo instrumento, quod nõ sit necessariũ usui quotidiano. signa itaq; & ignes è speculis & mõtibus obseruãt, ad quæ, uti edictũ est, in tutiorã fugere, & sese seruare possint. Dicit Turca ducenta uiginti millia in armis habere: in quib. etiã Tartarorũ xxiiij millia, homines truces & feri: nulli tamen generi pugnæ, nisi ad uastandũ agros, idonei. horum nostri qui Albę in præsidio sunt, mille, dum incautius prædãtur, interfecerũt. Rex uerò Ferdinandus iam cœpit ex Bohemia uersus Dirnauiã mouere. est id apud Vagam fluuiũ, post Morauiã primum oppidũ Hungariæ. dicitur q; magnum exercitum trahere. Certè si Turcæ (quod nunc creditur) segnius oppugnẽt (fama enim est, eos peste, dysenteria & fame, quoniã omnia circa Strigoniũ & Budã uastata, deserta & inculta sint, laborare) neq; huc ueniãt, nostri obuiã prodibũt. Quæ tamẽ omnia ex euentu pendent. parua enim momẽta, etiã maxima cõsilia in bellis mutare solẽt. Missi erant centũ fossores aurifodinarũ, ut Strigoniũ nauigarẽt. His nunc alij ducẽti accesserũt. uerùm cum serius uenissent, neq; Strigoniũ tenere possent, hic retẽti loco huius urbis suspectissimo, post monasteriũ fratrũ Minorum, ab interiori parte fodere cœperunt. hoc opus uel ad descensum in imam fossam, uel ad erigendũ propugnaculũ, uel quod magis credo, ad cuniculũ eiaciẽdo igni, instituit: ut scilicet tota illa pars, qua maximè deoppugnatiõe dubitat, extra muros in aggere, cuniculo sit suffossa, unde oppugnaturi, ignibus, malè mulctati à mœnibus deturbent. Hæc hactenus. quę uerò sequent, si nõ tam fama cõstabũt, q; oculis uidebũtur, non cõmittam ut minus curiosè ad uos perferantur. Valete, Viennæ Nonis Augusti, An. 1553.

IOAN.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO ET *Michaeli fratribus S.*

ETſi ſciam non iucundiſsimum nuncium me uobis eſſe allaturum, tamen cum fortuna, quam nemo effugere poteſt: & ſuperi, qui cuncta præuiderunt, in omnibus dominantur: uiſum eſt, quoquo modo iſta ſeſe haberent, eorum uos quàm ueriſsimè poſſem, certiores reddere. Au diſtis igitur ex ſuperioribus literis meis, non ſolùm obſidionem, ſed & oppugnationẽ Strigoniȷ̄: nunc uerò (tanto miſerius & indignius, quãto minus timebatur) uel expugnationẽ, uel deditionem, uel etiam ſi uultis, deſertionẽ audietis. Quid enim aliud dicam? aut quid cõquerar? aut quem incuſem? Sed malo ut uos culpam dīiudicetis: ego quæ hic dicuntur, & quæ acta ſunt, ut potero deſcribã. Principiò cum cœptũ eſſet obſideri Strigoniũ, nunciabat non ſolùm in uulgus, ſed mãdato regiminis, ſenatus q̄ Regiȷ̄, etiã in cõcione dicebat Epiſcopus Fridericus Nauſea, uir et pius et eloquẽs, q̄ fortiter, q̄ ſtrenuè, q̄ uiriliter ſe gererẽt obſeſsi: nõ ſolum primam illam oppugnationẽ, in qua noſtrorũ ſoli decem obierant, de qua prius, illam concionẽ ſecutus, ſcripſi: ſed pręter illam tres alias uiolentiſsimè repuliſſent: multa millia Turcarũ, duos etiã Baſſas occidiſſent, de reliquis benè ſperarẽt: obſidionẽ ab hoſtibus deſperatione obtinẽdi loci, uel nunc deſeri, uel mox deſertum iri: bombardas iam ſecũdo flumine (ut alia taceã) remitti. Hæc inquã in cõcione die Dominico, qui erat pridie Iduũ Auguſti, prædicabant: preces, laudes, hymni & cantus, ac modò nõ triumphus agebat. Iam ciuiũ uxores & liberi reuerebantur, à multis quotidie quoquo uerſus literæ rei feliciter geſtæ ſcribebant. Quin etiã inſtituta iam opera ſegnius adminiſtrari, ruſtici in agros cum inſtrumentis & ſupellectile reuerti cœperũt. In ſumma, omni metu ac hoſtium pauore amoto, priſtina urbis facies reddita, decor q̄ et ſplendor reſtitutus uidebat. Sed ecce, uix erat dimiſſa cõcio, primũ mœſtum ſilentiũ totã urbẽ inuaſerat: murmur deinde ac rumor incerto authore, poſtremò aperta fama ac deploratio perditi amiſsiq̄ Strigoniȷ̄. Et quod miſerrimũ erat, neq̄ quo modo noſtri perīſſent, neq̄ quid hoſtis ageret, quàm mox nos oppugnaturus eſſet, aut quẽ modũ uictoriæ ſtatueret, ſciebatur. Et cùm die mercuriȷ̄, qui erat quinto Idus Auguſti, deditio facta eſſet, nos hic die Dominico ſequente, Te Deum laudamus, p lo triũphe cãtabamus. Mirũ ſi hoc primores ignorabãt, in tãta uicinitate loci: ſolũ enim abſumus xxv miliarib. Hungaricis, ac poteſt totũ hoc iter uehiculo ciſio intra xx horas cõfici. Si ſciebãt, neſcio quo cõſilio populũ uana alacritate & ſpe falſa erigebant. At quid dixi ignorabãt? cum acrẽ illã oppugnationẽ in diem Iouis conferrent, quo die noſtri armis exuti, & ſub iugũ miſsi erãt. Reliqua erãt multo atrociora, cum aliȷ̄ præfectos proditionis, aliȷ̄ primores urbis malę conſcientiæ, plurimi magiſtratus ignauiæ, uelut cauſam omniũ malorũ, accuſarẽt: neq̄ mihi quicquã à ſeditione, præter auctores, abeſſe uidebat. toto deinde triduò, ita incertis rumoribus, tota urbe atrociſsima & dicta et credita ſunt, ut etiã referre mihi ipſi ſit moleſtũ. Cęterùm quod ad amiſsionẽ ipſam pertinet, ego pro eo atq̄ in talibus ſum curioſus, à Germanis & Hiſpanis, qui ad nos reuerſi ſunt, diligenter & ſedulò edoctus, rem omnẽ ita ſeſe habere credo. Cum iam Turcas Budam appuliſſe conſtaret, omnes ciues Strigonienſes deſerto oppidulo, aliȷ̄ aliò aufugêre, equites trecẽti trans flumẽ in pacata abiere. Itali uerò, qui ſub Franciſco Salamãca Hiſpano militabant, numero quidẽ ſexcẽti, ſed inter quos uix quingẽti, ætatẽ & animũ haberent militarem, difficulter tandem perſuaſi, in arcem ſunt ingreſsi:

quæ res non mediocriter animos Turcarũ auxit, cum neq; oppidulũ ſi- A
ne bombardis, quæ adhuc retro erant, uti aliqui putabant obtineri, neq;
ſine illo arx obſideri potuiſſet: deinde ſi illinc aliquãdiu uim repuliſſent,
potuiſſent interea noſtris ſecundo flumine plura auxilia ſubmitti, neq;
claſsis noſtra quæ ibi portum & firmã ſtationẽ habebat, Turcis cõceſsil-
ſet. per hanc enim ſemper potuiſſent, præſidio obiacentis inſulæ, ſeſe in
arcem tutò recipere. noſtri ergo oppidulũ, cuius nullã ſpem retinẽdi ha-
bebant, exuſſerunt & diruerũt. Turcæ aduentantes, in ruinis & uicinis
locis, intra iactum unius bombardæ tendebãt, nullo noſtrorũ impedien
te: ne ſi ulla ſubſidia in itinere eſſent, bombardarũ ſonitu percellerẽtur,
auerterenturq;. Hoc enim Iuliano Salazario pro teſſera dederãt, ſe maio
ribus machinis ante aduentũ claſsis Turcicæ nõ uſuros. Congredieban
tur nihilominus quotidie leuibus prælijs, cum equitibus & lixis: qui,
cùm noſtri otioſe ſeſe obſideri paterẽtur, incautius liberiusq; caſtra me-
tabantur. Tertio demum die, circiter trecenti milites Germani, duabus
onerarijs nauibus, unà cum puluere, & reliquis ad obſidionẽ neceſſarijs
ſunt recepti. Id Turcę obſeruantes, etiã fluminis ripas, ne auxilia ſubmit
rentur, obſederũt. Erãt igitur noſtri iam omnes in unũ coacti, paulo plus
minus mille trecenti, qui ne pro paucitate ſua pluribus quàm opus erat,
locis diſtinerent, quædã uelut arcis ſuburbia, exuſſerunt. Erant etiã cum
noſtris ferè quadraginta Heydones (ſic appellãt Hungari ſuos bubul-
cos, hominũ genus ferox, rapinis & latrocinijs aſſuetũ: qui quòd ſemper
ſub dio, niuibus & imbribus poſt armenta aſſueuerunt, optimi milites
exiſtimantur) hos præfectus arcis, paulò ante obſidionẽ trans flumen
uſq; Maruſiũ, quod è regione Vuizigradi eſt, miſerat. Vnde per notos
tramites recurrerẽt, ac aduentũ claſsis Turcicæ nunciarẽt: ne, ſi auxilia à B
noſtris in itinere eſſent, errore teſſeræ ab hoſtibus interciperentur. Verũ
illi, neſcitur ſanè dolóne an timore, aliò ſunt auerſi. Noſtri cum iam nihil
ſubſidij amplius ſperarent, omnia extrema experiri ſtatuerũt. Principiò
Turcas, qui liberius, uti dixi, caſtra metati erant, bombardis & ſclopis
tanta iactura affecêre, ut tentoria & prius occupata loca, deſerere ac re-
tro cedere fuerint coacti. Quare ex longinquo uineas agere, aggeres &
moles iacere, operaq; quę ad bombardas neceſſaria, prę parare, ac totũ il
lum tractũ orientalẽ, à mole ſiue caſtello aquæductuũ uſq; ad colliculũ,
quadraginta magnis bombardis æneis, ac munitioribus ferè trecentis,
quatere cœperũt: & ne ullum noſtris tempus reſpirandi daretur, ita ſibi
inuicem per uices ſuccedebãt, ut quæ modicè ſparſim & crebris ictibus,
à minoribus labefactabantur, ea maiores uno eodẽ tempore emiſſæ, fun-
ditùs cõuellerent. Habebant etiã aliquot bombardas, quas à ſimilitudi-
ne mortaria appellãt: his multã ædificiorũ ruinã & ſtragẽ ediderũt. Tem
plum, quod etiam pro munimẽto erat, ita cõminutum, ut fornix & tota
moles corrueret: ac areã arcis, cui obiacebat, ita denudaret, ut eam plane
ſub conſpectũ hoſtiũ, è colliculo proximo, quẽ diui Thomę appellabãt,
daret. Alias præterea partes continuis diebus & noctibus ita concuſſe-
runt, ut nõ ſolum propugnacula ſolo æquarent, illorumq; ruina foſſam
propè implerent, uerùm etiã murum interiorẽ ita cõplanarent, ut nemo
ſe ex ulla parte auderet oſtendere: ſed quo ſe ab ictibus tutarentur in ui
cinis locis, pars humi proſtrati, pars ſub tabulatis quę in muris hærebãt,
hoſtis aſcenſum expectabãt. Interea dum nemo noſtrorũ in muris ab illa
parte conſpicitur, Zenitzari (quod genus militũ Turcarum ſelectiſs. ma-
ximamq; uirtutis opinionẽ habet) tranſuerſis tramitibus contra mon-
tem, aut uineas agebant, aut ſibi iter ad oppugnationem per foſſas, quas

trabibus

trabibus & tabulatis, instratis storijs, contra saxa et ignes nostrorum co
operiebantur, præparabāt, quo ad muris & penitus sub ipsa munimenta
subierūt. Hinc contis, marrhis & roncis, nostrorū pluteos, & iam recens
in locū diruti muri extructa opera reuellebant, terramq; uelut subter fu-
rabant. Cùm hoc modo per dies aliquot, hostes se & ea quæ ad oppugna
tionem necessaria præparassent, octauo Idus Augusti ante exortū solis,
signū oppugnaturis datur, concurrit undiquaq; alij per anfractus & se-
cretò extructos tramites: alij, quia nostros multitudine opprimere posse
sperabant, etiā apertis uijs & plenis campis, magno (qui mos est gentis)
ululatu et truci clamore omnia cōplentes, accurrerūt, summisq; uiribus
quisq; pro se primus inuadere nitebatur. Adsunt spectatores & hortato-
res duces, quibus quisq; suam uirtutē quàm testatissimā uolebat esse. no
stri contrà se omni genere telorū defendere, neq; ullū in tanta multitudi
ne, etiā temerè iactum, irritū cadere, sclopis iaculari, hastis, contis de lo-
co protrudere. Erat nostris præparata magna uis globorum, ex pice, sul
phure & puluere tormentario, quē ignē artificialē milites appellāt: hoc
genere teli immensa uis hostiū interfecta & cōsumpta est. quicquid em
uel solo attactu corripuerit, ad uiuum planè amburit: ac si quis à se decu
tiat, ipsa agitatiōe magis accēsam pestē in proximū reijcit, cōtagioneq;
corrumpit. & est hoc malū Turcis multo formidabilius quàm alijs, quod
pauci galeis, plericq; lineis in capite tegminibus utantur. mulieres etiā et
pueri, pro defensione malleis & uectibus saxa sepulchrorū reuellere, ac
trans murum in hostes, ex superiori loco deorsum per decliuia montis
proijcere: hi pro salute, illi pro uictoria cūcta conari. Hoc pacto summo
ardore, octo totas horas, cum interea ab hostibus septies fessis recentes
submitterent, contra nostros, qui pro paucitate sua, corona & in orbem
propè pugnabāt, certabatur. tandē hostes, ut conatū suum irritū esse ui-
dent, suos cum maximo damno à muris receperūt: nostri uerò uictoria
recreati, ut ex captiuis rescirēt, quantæ copiæ, & an ne ipse Solymannus
in castris esset, per castellū aquæductuū eruperūt. hoc loco ipsa nouitate
audaciæ hosti terrorē incutientes, alios ad naues, alios aliò fugarunt: re-
liqui deinde de muris, bombardis, sclopis & saxis insecuti, per decliuia
montis in præcipitia deturbarūt: credūturq; in sola ea fuga propè quin-
genti perijsse. præter hæc, copiarū naualiū, quæ eodē pars oppugnatū ue
nerant, pars bombardas in insulam detulerāt, multi cæsi, & xiij celoces
submersæ: neq; magni negotij fuisset, earū pluribus potiri, si nostri pro
paucitate sua, longius insequi fuissent ausi. ita tamen hoc die uarijs in lo
cis pugnatū est, ut tria millia hostiū occubuisse crederentur, præter sau-
ciorum infinitā multitudinē: quos noctu in castra, cum nostri pugnā ex-
tra munimenta cōmittere non audebant, camelis & equis reuexere. no-
strorum uerò tam ex pugna quàm incendio, propè ducenti uel uulnera-
ti, uel occisi. in medio nanq; feruore pugnæ, nescitur dolo an casu ab ho
stibus iniecto igne, cōflagrauit turris una, ubi multū pulueris, picis et a-
liarum rerū uelut condo reposuerāt. Sed neq; hoc labefactabat eorū ani
mos, quin posteaquā iam paululum laxamenti ad respirandum, corpo-
raq; curanda datum esset, intus collapsa repararent, instaurarentq;: taci-
ta tamen quædam indignatio, mixta suspicione & metu, animos occupa
rat, quod paucis antè diebus adolescens quidam, qui iam primùm arma
gestare incipiebat, ex Taurinis, non adeò magnæ experientiæ in re mili
tari: post hunc uerò Italus quidam senex, cui inter milites nomen erat
Presbyter, Italicè el misser, natiōe Calaber, uir spectatæ fortudinis, & de
cuius fide nemo unquam dubitasset, transfugerunt. senis huius cōsilio

milites credere, priores cuniculos institutos, & turrim illam incensam A
fuisse. erat tamen omnibus una sententia, extrema experiundi. Sub no-
ctem huius diei, ac postridie quo pugnatum fuit, Turcæ rursus uelut de
nouo iaculari: ea omnia quæ inter oppugnandũ obstetisse uisa erant, pe
tere. ex insula etiã molẽ illam siue castellũ aquæductuũ, summis uiribus
oppugnabant: idq; adeò erat, quod fama ad nos retulerat, bombardas se
cundo flumine rursus ablegari. nostri illo die castellũ fortiter defende-
runt, ita tamẽ ut mandatũ esset, quòd ægri, infirmi, & mulieres se in supe
riorẽ arcem reciperẽt: ne, si rursus pari pertinacia oppugnatũ hostes ue-
nirent, aliquid periculi ex illorũ tarditate acciperetur. Tertio deinde ab
hac oppugnatione die, quę erat, uti antè dixi, quinto Idus Augusti, cùm
undiquaq; iaculationes fierẽt, hostes iã sub ipso muro tutò starẽt (quòd
nullis propugnaculis collateralibus arx extructa esset) neq; iã quicquã
auxilij sperarẽt, multũ de animi fortitudine ferociaq; pristina remiserũt.
omnibus tamẽ propositũ erat, pugnãdo potius mori, quàm indignis cõ-
ditionibus locum deserere. Cùm hoc statu rerum castellum aquęductuũ
acerrimè oppugnaretur, alijs uel magnitudine periculi torpentibus, uel
desperatione rerum omniũ mortem pro alleuiatione expectãtibus, Ita-
lus quidã Cisenas agri Romani, quẽ sui cõmilitões presbyterũ à massa
appellabant, uexillifer cohortis quæ sub Ioanne Baptista Marsso stipen
dia faciebat: cum uideret suos in tam arctum cogi, ut munimenta contis
subtrahi rentur, et sentiret omnia undiquaq; cuniculis peti, ratus totam
arcem suffossam esse, cõmilitonibus suis, nescio sanè an fraude, an quia
aliter nostris cõsuli posse non putabat, edixit, ut à iaculatione cessarent,
ipse duobus comitatus, de muro se in castra hostium demisit. perductus B
ad proximũ Bassam, petijt ut deditionẽ omniũ nomine, saluis rebus &
armis facere, deq; ea publica fide paciscí liceret. Qua cõditione data &
accepta, duobus Turchis comitatus, in arcẽ redit: & Francisco Salaman
cę suo præfecto, Turchę mandata, et quę cum illo egisset, exponit. Quę
omnia quanquam perfidè fortassis ab ipso uexillifero acta non sint, sed
cum locum retineri posse diffideret, atq; tot fortium uirorum interitum
absq; ulla utilitate, uidere nollet, sua sponte prodijsset, idq; egisset, quod
necessitas cogebat: tamen cum ea inconsultis rèliquis tractasset, nõ de-
sunt qui Salamancam reprehendunt, cur non statim, quòd nemo iniussu
ducis de præsidio exire, neq; de priuata, aut cõmuni salute, nisi imperio
ducis aut consensu omniũ statui debeat, ad stabiliendã disciplinam mi-
litarem, exempla in eum ediderit. Dum iam cum duobus Turchis agi-
tur, interea per totos muros torpor quidã mixtus pauore omniũ mentes
inuaserat. Lascanus (quem iam post hoc infortunium calumniantur no
men familię, quam ex matre solum attingit, assumpsisse, ex domo Mori
carum aliàs prognatus) tametsi saucius, alia tamẽ alijs in locis procura-
bat: et cum ueteranis, quos uarijs locis dispertiuerat, colloqui studebat.
ut cum sciret omnibus mortẽ chariorẽ, quàm ulla cõditione locũ desere-
re, cui diu assueuerãt, & ubi fortunas omnes habebãt (multi nanq; erãt,
qui hanc alteram Turcarũ obsidionẽ pertulerant) per illos posset alios
animatiores reddere. sed cum plericq; militum animos deiecissent, neque
ipse neq; Salamanca quidquam salubris monere potuerunt. metuebant
enim, ne si quicquã in uexilliferũ statuissent, reliquos omnes Italos in
se cõcitarent: præsertim cùm nescirẽt, quàm latè hoc malum serperet, &
salutem singulorũ: in cõcordia uniuersorũ positã uiderẽt. Nihilo tamen
minus, ex altera parte Turcæ ab oppugnatione inferioris castelli cessa-
bant. Accurrit igitur eò nescio quis, qui & nostris & Turcis, silentio
facto,

A facto, ceſſationem ab armis indicit: clamitans, illa eſſe contra iam pactas cõditiones, & datam fidem. Noſtri, qui adhuc incolumes ſupererant, ſe in ſuperiorem arcem, uti iuſſi erant, recipiebant. Turchæ, nulla pacta curantes, quaſi uictis noſtris, caſtellũ inuadunt. Quæ res obſeſſis nõ multo arctiorem obſidionem, ſed deſperationem auxiliorũ, ſubſidiorumq; adferebat. diſtento tamen hic hoſte, Salamanca de conſenſu aliorũ, de prędio egreſſus, ad Turchã eſt adductus. ubi quid aliud actum ſit, neq; ſciebant noſtri milites, qui reuerſi ſunt, neq; aliud fama ferebat. Cęterũ cùm prohibitus ab hoſtibus in arcẽ redire, apud eos in caſtris pernoctaſſet, poſtridie, qui erat dies Iouis, quarto Idus Auguſti, miſit diploma Turchicum, quo pacta illa ſuperiora, ac obſeſſis liber abitus, cum rebus omnibus & armis, permittebatur. Iuſſus eſt etiã Laſcanus, ad Turcã claues arcis deferre. cõcurritur itaq;, ac cuſtodijs murisq; relictis, diſpicit unuſquiſq;, quid potiſsimũ inter multa impedimenta ſecum auferret. Erant prętera multa illic à mercatoribus, exercitus noſtros ſuperioríb. annis in Hungariã ſecutis, depoſita: quę primũ noſtris, deinde Turcis, in prædam conceſſere. Dum igitur omnia per arcem cõuaſantur, ac ſeſe agmen uelut ad profectionem componit, Turcæ undiquaq; ad diripiendum, munitiones ſuperantes, noſtros circumſtetere: qui mœſti in terram demiſſo uultu, ſibi mutuò ualedicebant, modò arma, quæ mox tradituri erant, modò loca quæ relicturi, extremum aſpiciebant: neq; amplius ullã uitæ ſuæ, aut honeſtæ mortis conditionẽ expectabãt. occurrebãt animis exẽpla Socloſię & Vualpo, quantũ pactis huiuſmodi credere deberent. Sperabãt tamen adhuc, neq; diffidebant, quin cum primi in eos non irruiſſent, etiam in reliquis fides ſeruaretur. Vbi uerò adſunt, qui iubent B ſclopos, haſtas & bipennes, in proximã foſſam, qua noſtri contrarium cuniculũ inſtituerant, abijcere: omniũ uultus nõ aliter, quàm ad præſentem mortem, mutabantur. Cùm uerò portam egreſsis alij adſunt, qui gladios adimunt: poſtremò ubi in uicum peruentũ eſt, cætera illis arma, galeas, caſsides, thoraces, & quod ſupererat detrahunt: nullum uulgare genus mortis, ſed exquiſitæ cuiuſdam crudelitatis expectabant. Attamen tandem cum diu ſecum Solymannus deliberaſſet, præter omniũ opinionem, ac ſuam conſuetudinẽ, ut ſcilicet fama clementiæ alijs præſidijs parimodo potiretur, uitam illis incolumem ſeruare decreuit: ſed priuſquã dimitteret, ad ludibrium nominis Chriſtiani, omnium iniurijs contumelijsq; expoſitos, poſtridie nudos & inermes turmatim, rurſus in arcẽ, additis Turcis, qui fuſtibus latera detunderent, imbelliamq; exprobrarent, ad cadauera ſepelienda, foſſas rurſus curandas, ruderaq; mœnibus decuſſa, in arcẽ referenda, denicq; omnia purganda, duxit & reduxit. Poſtremò, per interpretẽ interrogauit, ecqui ſecũ militare, præmia, equos, & arma accipere uellent? quã conditionẽ nõ pauci acceperũt, metu fortaſsis mortis nõ aliter euadendæ: alij ne minis quidem ad hoc, neq; terrore mortis adduci potuerũt. quorum nonnulli, dum pertinacius renuũt, interfecti: pars non ſine noua iniuria, trans flumen uecti. horũ alijs uxores abductæ, alijs coram per uim ſtupratæ: alijs, qui uim uiolentius ferebant, in fluuium abiectæ & ſubmerſæ. pueruli etiã, quorum ætas iniuriæ adhuc obnoxia non erat, neq; aliàs idonea ut inter Zenitzaros tyrones deſcriberẽtur, in flumẽ pręcipitati. Vidi ego hic unam mulierẽ, cui cum tricis etiã crines euulſerunt, dum ſe in Danubium deiecit, ac ſingulari in maritum fide & amore ad nauem adnatauit. Poſtquam traiecisſet miſerabile & inerme agmen Germani, Hiſpani & Itali permixti, laboribus, fame, uigilijs, itinere & ſuſpirijs cõſumpti, Schindam proficiſcebantur.

Vbi

Vbi autẽ res hæc uti gesta erat, clarius Viennæ rescita est, indignatio & A metus simul omnium corda cogitationesq; occupauere. alij negabãt tectis aut mœnibus recipiẽdos, tam imbelles, siue infidos socios: alij etiã laudabãt, quòd se melioribus temporibus, cum suã mortẽ nulli utilẽ fore cognoscerẽt, cõseruassent, præsertim cùm tam pauci, tam amplo castello tutando, cõtra tam potentẽ hostem impares fuissent. Vtut sit, ipsi Duces, cùm reliquias semilaceri exercitus Posoniũ usq; deduxissent, in uincula, facti sui rationem reddituri, sunt coniecti. Turca hac uictoria lætus, ad Comaronem usq; processit: ac castellũ Thata, quod e regione est, in suam potestatẽ etiam deditione redegit. Dicebatur quidem hic facta proditio: cumq; Cancellarius regius mihi dixisset, se rem omnem uti gesta erat, narraturũ, quia eadẽ nocte eius uxor obijt, nolui ad mœrorem molestias addere. Cæterùm Turca eam demolitus, retro iter Albam remigalem flexit: quòd sibi ad nos, propter paludes circa Altemburgũ, esset iter minus expeditum. Illa etiam fama indies magis magisq; cõfirmatur, quòd parte copiarũ Albã, reliquo exercitu nos sit oppugnaturus: quæ qualia erunt, si ante obsidionem alias literas mittere potero, curabo ne ignoretis. Rex iam ex Bohemia uersus Morauiã mouet: quanto aũt exercitu, & quibus copijs, adhuc ignoramus. Nos hic sedulò urbẽ munimus: in quo Leonardus à Felz Regius legatus, omnem operam industriamq; diligenter nauat. Valete, Viennæ: octauo Calend. septemb.

IOAN. MARTINVS STELLA GVILELMO ET *Michaeli fratribus.*

VVlgò dicũt, mala nuncia semper satis maturè nunciari: adeò ut nõ debeam uereri, ne uobis uidear tardior aut negligentior, dum curiose studeo, ut quæcunq; hic agũtur uel dicunt, quàm uerissimè referre: præsertim cum nihil tale nunciare possim, ubi debeã metuere, ne uos alius gaudio præoccupet. Ego tamen in alia sum atq; uulgus opinione, qui qualiacunq; sint, quàm primũ cupiã rescire: ut si bona, tanto gaudeã diutius: sin mala, possim maturius prospicere, meq; aduersus ea præmunire. Vt igitur intelligatis, quàm nulla hic sit à malis respiratio, alleuiatioq; miseriarũ, statui uobis ea scribere, quæ hactenus post fœdã illã Strigonij amissionẽ successere. Inter dedendũ itaq; & tradẽda arma, cum nostrorũ militũ sclopi in locũ unũ conijcerent, temerè factũ est, ut funes fomentarij, quibus ignẽ seruãt, & lagenulæ sclopetariorũ eodem congerentur. sic malè extinctus ignis, in cõminutã fortè ipso casu thecã incidẽs, omnẽ uicinã sulphureã materiã corripuit: ut ea res Turcis multis exitio, nostris summo pauori fuerit. Cum igit pars nostrorũ portis emissa, pars adhuc incõposito staret agmine: plurimi, metu ne casus huiusmodi alsignaret illorũ culpę, quo præsentẽ mortẽ euaderẽt, inter tumultuandũ alius aliò per arcẽ diffugêre. Horũ nonnulli his dieb. postliminio reuersi, unà cum Hispanis aliquot, qui quarto abhinc anno in sinu Patrẽsi apud Præuisam, uti dicebãt, fuerãt intercepti: inter quos erat nobilis quidã filius N. Figaroæ, q tam liberaliter seruierat, ut patrem, cũ quo captus fuerat, singulari pietatis exemplo, seruitio liberarit. Ex his sanè intellectũ est, quanta peritia esset rei militaris apud hostes, et q̃ longè nos et scientia & patiẽtia, laborumq; tolerantia, superarẽt. Ne eñ referã quib. artibus, & qua fortitudine arcẽ munitissimã, intra xvij dies, quã nostri uix intra annũ expugnari posse sperabãt, obtinuerint, cuniculisq; in loca arcis etiam nostris incognita peruenerint, ea solũ quæ subsecuta sunt, describã. Cùm igit spe sua & omniũ opiniõe celerius, loco munitissimo potiti essent, nõ cessandũ rati, sed uictoria pro instrumẽto ad debellationẽ uicinorum

A uicinorũ usi, ad Tatha & loca circa Comaronem exercitũ duxere. Erat Tathę præsidium nostrorum satis firmum, partim Germanorum, partim Italorum. Italis præerat Annibal Tasso Bononiensis, ductor cohortis, quæ sub nobili adolescẽte N. Goniadino, equite Bononiense militabat. Cui Philippus Torniellius hunc honorem tribuerat, propter egregium uirtutis specimen, editum superiori anno in oppugnatione Pesthi. Erat autem Annibal cæterà quidem uir multæ experientiæ in rebus bellicis, sed uitæ corruptissimæ, & in Deum ac diuos omnes blasphemus maximus. Ne illa tamen dicam, nostri nõ expectata oppugnatione, hostibus arcem tradidere: qua fide, quibus'ue conditionibus, nondũ potui intelligere, quàm tamen fortiter, hinc scire potest, quòd eum Torniellius supplicio capitis affecerit. Turcæ demoliti arcem, retrò iter flectentes, Albam obsederũt: quæ ideo cognomẽ regalis habet, quòd ibi Reges Hungariæ inaugurari & sepulchris condi solent. Ego Albæ nunquã fui, eius tamen situs mihi talis describit. Vrbecula ipsa exigua, undequaq; cincta altissima & latissima palude, præter unam atq; alterã, aut ad summũ tres uias: quæ per eminẽtiores uel natura uel opere excitatos aggeres, in oppidum ducebãt. per has solas facultas dabat oppugnãdi: & erant hæ uiæ quàm ipsa urbs, ædificijs frequẽtiores. nostri, quæ sibi obfutura opinati erant, prius fuerant demoliti. unũ suburbiũ operibus, de ipso oppidulo parùm soliciti, fossis & uallo ualidissimè muniuerãt. erat adhæc eo loco monasteriũ quoddã, cuius templũ & turrim pro arce in ipsis munimẽtis cõstituerãt. Vnde hostib. multa incõmoda, magnamq; cladẽ intulerunt. Principio obsidionis simulabãt se extra has munitiones ædiculã quandam sacrã, uelut frontẽ retinere uelle. eam Turcæ nõ ignari quantũ sibi B allatura esset utilitatis, summis uiribus oppugnabãt. nostri quasi inuiti locum deserentes, diu restitere: & tandẽ tanquã frustra repugnassent, se ad suos recepere. Hunc hostes uelut cuneũ habituri, cõtra nostros etiam munire, & bombardas eò adducere cœperũt. Interim ignis sub materia ac alijs uelut temerè desertis, subitò accẽsus, & ædem illam sacrã discussit, et hostes multa clade malè mulctauit. Nostri in hanc occasionẽ intenti erumpẽtes, omnia longè lateq; turbauere: & post multa damna illata, uictores in oppidum rediere. ceciderũt in pugna illa tumultuaria multi nobiles ex Turcis, ac inter eos maximæ existimatiõis Bassa quidã eunuchus. captus etiã est unus ex bombardarijs, ut uerbo militari utar, quos Rex Galliæ illi transmississe dicebatur. Verùm hostes nihil eo animis remissiores, omnia quæ ad obtinendũ locum opportuna putabãt, administrare: cõtra illud monasteriũ, quod dixi, etiam ipsi altam molem, lignis & terra congerere: pontonibus & tabulatis, per paludes iter instituere. Erat uicinũ nemus quoddã: hinc sexcẽtis quotidie curribus, tantum cæsæ materiæ cõuehere, ut paludẽ, quam nostri hactenus nisi hyemis rigore duratã, inuiam et insuperabilẽ putauerũt, minori spacio q̃ duodecim dierũ, plurimis locis sibi peruiam effecerint. Hinc effossis transuersim semitis, ad fossas sub ipsum uallũ accesserũt. cumq; iniecta terra & materia, sibi ad nostras munitiones iter strauissent, quater conati sunt, si per uim irrũpere & locum expugnare possent. uerùm & opportunitate operum, & nostris fortissimè contrà resistentibus, cum conatus suos supra uires esse uidẽt, intermisere. Erat enim inter alios cum nostris Octauianus Scruzatus Mediolanensis, uir ualde industrius, qui breui tempore ex terra & lignis, cõmodissima à lateribus propugnacula, quibus hostiũ adscensus impediretur, excitarat. Turca uolebat excitata alia in contrarium mole, multo quàm nostrę erãt altiori, istas defensiones nostris adimere

mere: sed neq; sic efficere potuit, ut munitiones desererentur. Talis erat A
rerum status usq; ad Calend. Septembr. Postridie uerò cum dies sereno
& claro sole illuxisset, repentè excitata (ut hic uulgus fert, arte magica,
ut mihi uerò uidetur, naturalis, utpote loco palustri, & ubi magna homi
num pecudumq; multitudo in angustũ coacta erat) nebula & densa cali
go, omnia circa urbem occupauerat, cum alijs locis mira serenitate sol
fulgeret. hostes hanc occasionẽ nõ negligentes, quàm occultissimè pos
sunt, per uineas & opera sua, ad nostras munitiones accedunt: ac propè
prius quàm ad arma conclamaretur, in propugnaculũ quod milites Ger
mani seruabãt, euadunt. oritur, ut in re inopinata & perdita, miserrimus
clamor: concurritur undiquaq;, crudissima pugna, qualis in extremis
fieri solet, committitur. hi pro obtinendo loco, in quo omnem uictoriæ
spem: illi pro defendendo, in quo suam uitam & incolumitatem positam
uidebant, omnibus & extremis uiribus cõtendebant. Sed superatis no
stris, & multitudine & uirtute hostiũ impetũ diutius sustinere nequiue
runt. alij etiã, qui longius ab ipso periculo aberãt, minus pertinaciter (uti
fit, ubi adhuc alia refugia supereſſe putantur) succurrebãt, & quomodo
se in interiorẽ urbem reciperẽt, dispiciebãt. Ab his igitur fugæ initio fa
cto, etiam reliquos secum traxerũt, & hostibus faciliorẽ expugnationẽ,
uictoriamq; minus cruentam præbuerunt. Erat ingressus in urbẽ angu
sto inter paludes aggere, in quo ostium ex clathris instar rastri, modico
ante portã interuallo, pro obice obiectũ, & tunc nescio an alicuius impe
rio, an temerè occlusum erat. Nostri igitur ex utraq; aggeris parte se in
aquã deiecere. quorũ multi alto cœno & aquis, sese mutuò demergẽtes,
absorpti: multi, in hac turba & angustijs, ab hostibus à tergo, cum nemo
ad resistendũ uel uires uel animũ haberet, cõcisi, pauci uado aut natãdo B
in urbem recepti. Neq; tamẽ ibi sese res aut melius aut sanius habebãt. oc
cupatis nanq; præsenti periculo & terrore omnium animis, nihil uideri
uel audiri potuit, quod in medium pro cõmuni salute consuleret. Amis
sis enim ducibus, qui omnes, ac fortissimus quisq;, ceciderãt: è Germanis
Erasmus Vuitzenberger, iuuenis omnibus liberalibus artibus ornatis
simè institutus, & de quo magna spes uirtutis habebatur, ab Italis: Scru
zatus, Ioannes Dominicus Torniellius, Carolus Secius Mediolanen
ses, & Oscasallus Cremonẽsis: his inquã occisis, nemo erat qui uel mul
titudini imperare, uel alteri cõmode parêre sciret. nihil tamẽ æquè ciues
deiecit, atque mors ipsius præfecti Georgij Barchoth, uiri integerrimi,
& qui regiæ corporis custodiæ multis annis fidelissimè præfuisset. In
hunc Turchæ etiã mortuũ, suum odiũ & sæuitiã exercuere: amputatũ ca
put, & dextrũ brachiũ, in fortunę contumeliã, pro spectaculo circuntule
runt. Varij igitur intra urbem motus animorũ: alijs sese dedere, alijs po
tius omnia tentare, ac uim ulterius repellere uolentibus. tandẽ magistra
tus ciuiũ, ut quorũ post hanc cladẽ maior proculdubio, quàm militũ, &
numerus et auctoritas erat, maluerunt paciscendo clementiam uictoris,
quàm irati hostis immanitatẽ experiri. Iudex igitur eodẽ die ad hostes
egressus, deditionẽ omniũ nomine, retenta rerũ suarũ uniuscuiusq; cum
libertate pristina possessione, paciscitur. milites etiã quocunq; uellent, li
berè profecturi, ex oppido ademptis armis dimittũtur: qui ex quatuor
uexillis nominis Italici, & mille Germanis, (Heydones enim, quorũ ab
initio numerus supra millenariũ fuerat, peritia locorũ freti, alij aliò, nul
lius expectato imperio, sibi per paludes cõsuluerũt) ad trecẽtos redacti,
ex equitatu satis copioso uix ducẽti supererãt. his ex itinere Tartari, spe
prædę insidiati, totũ agmẽ turbauere: ita ut quisq; quà sibi cõmodissimè
poterat,

A poterat, fuga per paludes & syluas, salutem quęrere cogeretur: qui ignari lo
corum & uiæ, uel inedia in solitudine, uel ab ipsis Hungaris interfecti, ple-
riq; periere: pauci ad nos nudi, inermes, tetri, squalidi, umbræ potius quàm
homines, ac solum non confecti fame, rediere. Turcha principi ò uelut cle-
menter, cum deditis acturus, in urbem admissus, sepulchra regum uisitauit.
proponit deinde edictum, ne quid durius de se timeatur. non enim Hunga-
ros debellatum, sed à seruitute Germanorum uenisse liberatum, quo posset
regnum uero regi, legitimoq; hæredi, Stephano scilicet filio regis Ioannis,
pacatum & integrum restituere. Tribus deinde uel quatuor interiectis die-
bus principes ciues, uelut solenne ab ijs fidei iuramentũ accepturus, in cam-
pũ non procul ab oppido, quò corpora damnatorũ deferri solent, euocauit.
Quò cum omnes, quam poterant ornatissimè, uelut ad solenne festum in-
structi, conuenissent: Turcha nullius pacti aut conuentionis religione mo-
tus, ad unum omnes interfecit. Hunc exitum habuit præclara illa & nobi-
lissima totius regni ciuitas, omnisq; Germaniæ uelut alumna, & uilla pe-
cuaria: certè multo minoribus impensis potuisset seruari, quàm unquam po
terit recuperari, nisi à nobis omnia adhuc imparatiora fuissent. Interea uerò
temporis dum adhuc circa obsidionem hærebat, quo uicinorum animos ab
omni cogitatione subsidij mittendi auerteret, equitatũ Tartarorum, cuius
aliàs inter obsidẽdum modicus usus erat, ad populandum proxima loca di-
mittit. hi studio rapiendi incautius uagãtes, ab Hungaris circunuenti, amis-
sis suorum plus minus tribus millibus, malè mulctati, in castra rediere. fuit
insignis in hoc certamine, opera comitis Nicolai Yzrinij Croaci, qui cum
principibus aliquot Hungariæ, Nicolao scilicet Kadouuith, duobus Bar-
tholemæis Horuuath, Emerico Vuerbecio, & Andrea Bathori, uiris olim
B summæ inter Hungaros potentiæ & nobilitatis, pro patriæ recuperatione,
omnes fortunæ casus subeundi, fœdus percusserat. Cæterùm uulnus ipsius
Nicolai obstetisse dicitur, quo minus nobilem de se uictoriam Tartari præ-
berent. Conuertit hoc loco omnium oculos in se, captiui unius tetra & im-
manis barbaries, cui in pera annotina dimidia pars infantis bimuli, adhuc
de obsonio, nondum commesta supererat. Alio loco æquè infeliciter Fran-
ciscus Capolnaij, dum hostium excursiones, agrorumq; uastationes, septin
gentis equitibus prohibere conatur, cum pluribus congressus, unà cum e-
quo in terram collapsus, indignè, & summo multorum, propter egregiam
uirtutem, mœrore est interfectus. Turchæ hac uictoria læti, castra uersus Co
maronem mouisse creduntur. est in itinere arx quædam Pappa, ubi noster
equitatus se antea continebat: hanc, nunc uel expugnarunt, uel certè oppu-
gnabunt. Ego superioribus literis meis uobis situ Comaronis descripsi. Nos
ibi in præsidio habemus reliquias Italorũ, quos Philippus Torniellius ad-
duxerat: qui interea nihil omisit quod ad loci munitionem, ulla ratione fa-
cere posset. Misimus etiam suppetias, reliquias scilicet Germanorum, qui à
clade Strigoniensi in unum colligi potuerunt. Nam Italos exauthoratos, u-
ti intellexisti, & stipendio frustratos, nisi quod singulis aureum pro uiatico
numerarint, quò uellent, abire permiserunt. Illos uerò eo meliores milites
fore sumus arbitrati, quo minus clementię ab hoste, contra quem iam secun
dò arma ferunt, sperare possunt. Hęc ferè hactenus in Hungaria gesta sunt:
contra quæ à nobis nescio sanè quàm salutaria, certè sera præsidia compa-
rantur. Rex nondum exercitum in unum locum cõtraxit: neq; quãdo huc
sit uenturus, certò scimus. Circa hanc urbem habemus militum Germano-
rum ferè septem milia, Italorum quatuor: quos Pont. Max. ductu Ioannis
Baptistæ Sabelli, nobis subsidio misit. Et quanquam sit uir ille summa inte-
gritate & iusticia, ut qui unum è suis militibus propter furtum duorum pa-

num, unà cum ipsis panibus, ad exemplum, suspenderit: tamen nescio quo A
modo illis & nostris adeò malè conueniat. Alij Strigonij proditionem,
alij illis cum Turchis omnia conuenire, criminantur. Hoc sanè hic pro certo rumoribus relatum est, cum Caradinus Aenobarbus, siue Barbarossa, obsessurus Niceam, Massilienſium Hostiam præternauigaret, quòd neq; pontificios læserit, neq; suos rursus: ab illis aut læsos aut malè habitos, sed commeatu adiutos fuisse. Verùm enimuero quoquo modo ista sint: Pontificij sibi pacem, cum essent ad resistendum imparatiores, redemerint: mihi tamen nondū de Pontifice suspicio incidere potuit tanta, ut eum de repub. Christiana malè sentire credam. Extant etiam uetera exempla, tam Periclis apud Athenienses, quàm Fabij Maximi apud Romanos: quorum agri ab hostibus intacti, quo illis apud suos suspicionē crearent, relinquebantur. Quid enim aliud credam, quàm hæc hostium consilio gesta esse, quo maiorem inter nos seditionem concitarent? Principum tamen consilio & authoritate temperatur, ne odium in apertam seditionem erumpat. Quòd haud scio an difficillimum sit, eorum quæ toto hoc bello uidere potui. nam reliqua fortasis, æquioribus animis Germani paterentur. Illud uerò indignè eos ac sanè malè habet, quòd nullius pudicitiam ab illorum libidine satis tuta arbitrantur. Ecce enim, quid nudius quartus hic sit actum. Redibat forte ciuis quidam ex uicina uilla: sequebatur famula canistro portans nuces. Socij aliquot nauales, quorum ferè trecentis in illo suburbio, hospitia assignata sunt, satis lasciuè à puella nuces extorserunt. ea ad uim inclamabat herum: qui credens uirginis pudicitiam attētari, ciuibus suis & militibus, qui ad portam in statione erant, ad uim arcendam acclamat. Adsunt & Itali, ac suis è propinquo subueniunt. Quid dicam? multis hinc atq; inde concurren
tibus, atrox prælium committitur, saxis, hastis, gladijs & sclopis res geri, B
tur. multi utrinq; uulnerantur. tandem socij nauales multitudine superati, (ex tota enim urbe eò accurrebatur) tribus aut quatuor occisis, plurimis uulneratis, retrocessere: neq; fuisset dies illa sine magna transacta calamitate, nisi nox pugnam diremisset. Iam enim Itali suos trans flumen, intra unum miliare castra metatos, ad opem ferendam accersebant. Hinc uides, quo statu & conditione rerum hic uiuatur. sanè ni superi nos respiciant, metuo quē exitum tam multæ calamitates sint habituræ. Spero tamen, quod in nos benigniores erunt, quàm ipsi promereamur. Vale, Viennæ: sexto Idus Septemb. M. D. XLIII.

IOAN. MARTINVS STELLA, GVILIELMO *& Michaeli fratribus* S.

ETsi uos mihi fratres credere certò sciam, inter has molestias peregrinationis, nihil mihi grauius accidere potuisse, quàm quòd uos mei uidendi desiderio ualde angi scriberetis: tamen in maximo amore & pietate erga uos, alia omnia tolerabiliora fuerunt: hoc certè tenerius tuli, quòd superioribus mensibus, tunc cum maximè cuperem, propter caussam captiuorum Lascani & Salamancæ, quorum (ne indicta caussa captiui detinerētur, condemnarentur ue) etiam ego patrocinium mādato regio suscipere cogebar, uenire non possem. Quare etiam nunc, cum in caussa ita à nobis pro illorū innocentia laboratum sit, ut procuratores fisci, quartum iam mensem nihil porrò agant, neq; cōtra nos (uti loquimur) triplicent, impetrato publicè cōmeatu, ut uos uiderem, itineri me accinxi. Veni itaque Speirā pridie Nonas Maij. Vbi certè cùm ab omnibus fuissem humanissimè exceptus, tum meā ipsius expectationem superauit humanitas patroni, domini Granuellani, & filij eius Episcopi Atrebatensis. De literis uerò, non est quòd sitis solliciti:

Aciti, ſaluæ ſunt apud me omnes. Et quanquam cuncta à me uobis commodius coràm narrari quàm ſcribi potuerant, tamen cum neſcirem, quando hi me dimiſſuri eſſent, noluí tempus hoc ſine ſcriptione aliqua ad uos, tranſigere. Mitto igitur expugnationem Albæ Regalis, quam requirebatis. De reliquis uerò anni illius geſtis, in hunc uſq; diem, breuiter ita habete. Dum Turchæ Albam expugnant, iam noſtræ copiæ circa Poſonium conuenerũt. erant eæ peditum Germanorum VIII millium: Italorum quatuor, qui circa Viennam retenti fuerant, ut ſubitò in urbẽ, ſi hoſtis eam tentare uoluiſſet, reciperentur. Bohemorũ & Morauorum erant circiter XX millia. quicq; accedebat ordinarius equitatus Hungarorum, cum Auſtriacis: quorum ego numerum uix puto octo millia exceſsiſſe. Cum his copijs Rex Poſonij ex utraq; parte Danubij caſtra metatus, triduum in conſtruendo trans fluuium ponte conſumpſit. Erat illius pontis eadem ratio, atq; ſecundo ſuprà proximo anno, ad obſidionem Peſthi, uſi fueramus. Vehebantur ſingulis carris, ſingulæ ſcaphæ, cum binis pontonibus ex trabibus & tabulatis. Principio ergo, ſcaphæ in aquam demittebantur. Hæ anchoris & rudentibus ex ſuperiori loco, contra uim fluminis reuinctæ, & inter ſe arctiſsimis uinculis colligatæ, pontonibus inſternebantur. Quod opus certè ualde ſolidum erat, & ſatis latum, qua pedites quini, equites terni, ſine offenſione per tranſirent: adeò ut tantus fluuius à maximo exercitu, intra unum diem tranſijci potuerit. Cum ita inſtructa & parata omnia eſſent à parte noſtra, neque difficile pleriſque uideretur, quin eodem anno, nõ ſolum Alba, ſed etiam Strigonium recuperari potuiſſent: inſuper etiam pro certo ad nos allatum eſſet, Solymanum dimiſſo exercitu retroceſsiſſe: ſciremusq; exercitum hoſtium ſemel ſolutum, quoniam non uoluntarijs, ſed pleriſque coactis conſtaret, difficulter ad officium reuocari potuiſſe: uide quæ malignitas temBpeſtatis & auræ fuerit, adeò ut ipſi ſuperi noſtrum progreſſum impediuiſſe uideri poſſent. tanti imbres continuis diebus de cœlo lapſi ſunt, ut uix locus editior metandis caſtris ibidem reperiri potuerit. fuit ea uentorum & procellarum uis, ut nec tabernacula erigi, nec ignes in caſtris potuerint excitari. Hęc ſanè cauſſam præbuerunt, ut Bohemi, qui ſe ſolum ſuos fines tutari uelle dixerant, difficulter mouerentur. metuebant enim, ne ſi ſemel pontem tranſiſſent, illo interrupto, quo nollent, inuiti ducerentur. Populariter ergo Regem adeunt: orant ne ſumma hyeme, inuitis ſuperis, in hoſtem pergat ducere: ſeſe primo uere omnes prẹſto adfuturos, quocunq; etiam moueret uellet. Rex itaq; partim illorum uoluntatem, partim neceſsitatem ſecutus, quod uideret ſub dio & pellibus militem contineri non poſſe, exercitum dimiſit. Et cum tam ingentia fuiſſent frigora, ut multi noſtrorũ militum, dum auſcultatorias ſiue ſentinellas, ſiue ut Germani eas uocant, ſcutarias uigilias obeunt, frigoribus obriguerint: tanta tamẽ poſt ſolutum exercitum ſecuta eſt ad aliquot hebdomadas aeris temperies, ut omnibus res admirationi fuerit. Rex igitur Viennam reuerſus, omni conſilio in curam ſequentis anni, quibus artibus & uiribus bellum geri poſſet, intendere cœpit. Conuentus regni Hungariæ, alios Bohemiæ habere inſtituit. Ab Hungaris qui adhuc in officio erant, multa ſedulò promiſſa. Quin & frater Georgius Epiſcopus Vuaradinenſis, qui nomine pueruli Stephani, filij Regis Ioannis, Proregem in Tranſiluania agit, pro magno habuit Gaſparem Horuuath, de concordia, & neſcio qua ratione, qua nõ partibus, ſed ipſi regno conſuleretur, conuenire. Gaſpar etiam, quanquam eſſet ualetudine propè deſperata, tamen omnia pro nihilo duxit, dum per intenſiſsima frigora, magnis itineribus, ad regem Pragam uſq; contendit, ut inclinanti fortunæ aliquid opis adferre poſſet. Quę tamen omnia, qualia futura ſint, ma-

gis ex euentis, quàm consilijs iudicabuntur. Fuit hæc hyems satis quieta, A
nisi Turchæ per concretum frigoribus fluuium trajcientes, nostris plus ter
roris quàm periculi creassent. Erat præter hæc oppidulũ quoddam Hun-
gariæ, Regibus nihil tributi aut uectigalis pendere solitum, nisi quod ianí-
tores aulæ regiæ suis stipendijs esse cogerentur. Isti sese frequenter Tur-
chis dediderant, etiam superioribus annis. Accolæ autẽ & uicini, ut uiderũt
illis ad hanc diem fidem seruatam, multi ad illos in tantis periculis commi-
grarunt, ita ut ex minimo oppidulo, urbs fieret & frequens & populosa.
Hos Turchæ ab omni suspicione remotos, circunuenientes, partim occide
runt, partim captiuos adduxerunt. Vnde statim ad dubia etiamnum signa
ueris, circum omnia uagari, & cum à nostris nullos obuios haberent, retro
conuersi à Vuizigrado, quod ex superioribus literis inter Strigonium &
Budam esse intellexistis, initium belli gerendi facere cœperunt. Arx hæc
etiam duplex est, altera ad ripam Danubij, altera in editissima & inaccessa
rupe: ita tamen ut superior, nisi siti premerentur obsessi, inferioris nihil in-
digeret. Hanc Turchæ iam aliquot dies, priusquam ego Vienna exirem,
obsederant. A nostris hæc contrà præparabantur. Viennã per otium mu-
nire uolebant, in quo pleraque eorum quæ ego de illius munitione scripsi,
obseruare decreuerant. Fossas anno superiore ita dilatare cœperant, ut in
imo fundo spacium patêret perticarum decem. Nunc duobus angulis, uno
scilicet post monasterium Dominicanorum, altero post Franciscanorum,
non procul à porta quæ extra arcem ducit, duo ualidissima propugnacula
instituunt. Alio loco Leonardus à Felsz equitatum nostrum ex præsidijs
colligebat, ad obsidionem impediendam. De cuius conatu, uti huc rumori-
bus & literis est perlatum, fortuna ita indicauit. Turchæ multos dies Vuizi
gradum obsederant, ita tamen ut obsessis parum fuerit timendum propter B
loci naturam. priusquam tamen succurri posset, sic sunt ad extrema omnia re
dacti, ut constet uniuersum præsidium totos quatuor dies non bibisse: tan-
dem itaq; siti coacti, sese dedidere, solam uitam & liberam abitionem pacti.
Porrò Turchæ nullis pactis stantes, ad unum omnes, præter Petrum Aman
dum præsidij præfectum, interfecere. Bassa enim qui obsederat, eum sua ma
nu multitudini subduxerat. Erat Petrus Amandus uir magno ingenio, &
singularibus moribus, natura abstemius: quod illi caussam excolendi inge-
nij, inter corruptos aliorum mores, fuisse credendum est. Hostes hac arce
potiti sese accingere dicuntur, ut duorum Bassarum exercitibus, quæ quin-
quaginta millia hominum excedunt, priusquam nos parati simus, Comaro
nem oppugnatum ueniant. Tormenta & bombardas Budæ ea gratia in na
ues imposuerunt. Comaronem ego alijs meis literis descripsi. Sita enim est,
ubi Danubius rursus coit, cum in se fluuium Vagam accepit. Hanc nostri to
to biennio muniuerunt, & fossas ita duxerunt, ut eam à continenti abscide-
rint. Propugnacula ex terra & lignis opportunissima duxerunt, quibus ue-
terem arcem uelut incluserunt. Cumq; munitiones has extrinsecus muro
circundare uellent, atq; ad id operis fabros & qui lateres coquerent, ex su-
periori Austria coegissent, quia semel ad arma conclamatum fuerat, homi-
nes insolentes talium turbarum, in officio retineri nequiuerunt: ita opera il-
la adhuc solum terrea sunt: circundata tamẽ, uti audiuistis, duobus fluuijs la
tissimis & altissimis, & fossa manuducta: loco tam opportuno & commo-
do, ut nisi illa retineri à nostris potuerit, nihil uideam in illis regionibus mu
nitionum, quod tam potenti hosti obijci possit. Deus optimus maximus à
populo suo timorem auferat: & contra hostes nominis sui, fortitu-
dinem tribuat, & uirtutem. Valete, Spęiræ: sexto Idus
Maij. M. D. XLIIII. DE-

DESCRIPTIO ET MVNITIONES ALTEMBVRGI, ARCIS DOTALIS SERENISSIMÆ REGINÆ MARIÆ, &c. Per Ioannem Martinum Stellam, missa ad Amplissimos uiros, N. N. &c.

A CONgratularer mihi pro eo sanè atque deberem, amplissimi uiri, quòd tantum in me iudicij contulistis, ut crederetis mea industria atque ingenio, aliquid roboris, ad munimenta ueteris arcis, quàm Germani Altemburg, Hungari Ouuuar appellant, posse accedere: nisi ex altera parte me sollicitudo maxima, difficultasq; torqueret, opinionem, quam (utinam ne fallacibus argumentis) de me concœpistis, in tanta iudiciorum diuersitate, sustinendi. Cum tamen cogitem, neminem ad ea quæ præstari nequeunt, cogi posse: confisus de uestra beneuolentia & humanitate, conatum meum in meliorem partem acceptum iri, ut potero describam, quæ mihi ad munitionem arcis & uici pertinere uidentur. Altemburgum igitur, siue Vetus arx, uti omnes nouistis, sita est ad ripam ramuli cuiusdam ex Danubio, ut illa à Septentrione, inter alueum fluminis & fossam arcis media, aggerem efficiat: è diuersa parte, scilicet meridionali, ita eam fluuius Litha hinc atque illinc propè alluit, ut insulam constituat. circundata præter fluuios istos fossa lata & tam profunda, ut fluuiorum altitudinem superet: ita ut nullum periculum sit, ne aquæ deriuari ac fossę exsiccari possint. Loco præterea tam necessario & oppor-
B tuno, ut nulla alia per regiones illas uia, ex Hungaria in Germaniam, nisi sub arcis conspectu, imò adeò sub ipsis portis, pateat: si quod iam à præfecto Stampa institutum est, uia per paludes, solis incolis & rusticis nota, præpediatur. cuius rei uariæ rationes ab illo sunt excogitatæ. Principiò præfodit solitas uias, ac pontes instituit, quos cum necesse erit dejciet, & tabulas secunda aqua apud arcem excipiet. Deinde sperat restagnatione fluminis Lithæ efficere, ut palus illa adeò inundetur, ut nusquam uia pateat. quod & mihi uidetur, si certis locis illa ipsa uia crebris fossis incidatur. Nam de restagnatione quod dictum est, non tantam habet uim, quod hostes, si loca aliàs plana & dura essent, multum impedirentur. Fluuius enim Litha, postquam in plana illa eregione Altemburgi fluere cœpit, planè tardus efficitur, & uelut dormitabundus incedit. Hinc uastæ illæ paludes, & dubius cursus, quo se potissimum loco Danubio insinuare uelit. Scindit se igitur non procul ab ipsa arce, primùm in duos alueos: unus ad arcem, etiam bipartito fluens, eam, uti suprà dixi, in insula constituit. Alter ille, uix scias an fluat, an immobilis in paludem sit conuersus. In summa, longe lateq; expansus, tandem cum Rhabitza coniunctus, etiam Danubio sub laurino miscetur. neq; per eam partem temerè est uiam ullam inuenire, nisi illam, quam suprà dixi, sub conspectu huius arcis. Quòd si iam alueum hunc, quo ad arcem bipartitò fluit, quispiam restagnauerit, superficies eius spacij, quod medium est à prima diuisione fluminis, poterit restagnatione exæquari: cuius tamen altitudo tres pedes non excedet, cùm nec terræ superficies ibidem multo editior uideatur: quod ipsum tamen exiguum existimandum non est. Fossæ enim & loca alia iam decliuia, & natura sua palustria, præter solitum aquis aucta, nulla neq; arte neq; labore poterunt uadari. Siquidem nantibus præter latitudinem, obstabunt etiam cannæ & herbæ: euntes impedient fossæ & lacunę. Qua autem arte ista restagnanda sint, iam dispicia-

mus. Tres aluei, ex hac palude, siue fluuio in Danubium patent. Primus est A
post ipsum uicum, uersus Hungariam in orientem: secundum propugnacu
lum quoddam terreum, ibidem olim excitatum. Exitus iste, nunc trabibus
& lignis obstruitur, atque ad reliquæ ibidem regionis altitudinem terra &
fimo exaggeratur. Alter est alueus Lithæ, uersus Ratzendorff spectans,
inter septentrionem & occasum, qui simili opere etiã erit obstruendus. Me-
dius inter arcem & uicum, molas ante portam arcis subigit. Hoc loco, quẽ
propter uicinitatẽ semper in potestate habere possumus, solitis instrumen-
tis, quibus molitores aquam sistunt, aqua uel augẽda uel imminuenda erit.
neq; duobus alijs locis quicquam præterea necessarium uidetur, quàm ut
obiecta mole, illac nullus aquis exitus in Danubium detur. nisi fortè in al-
ueo illo altero Lithæ uelis ostium relinquere, quo, si maior uis aquæ incu-
buerit, ea emittatur, aut etiam cursus ille antiquus aquæ retineatur: ne si re-
stagnata contra naturam suam aqua, id pati nolit, & uis fluminis aliò, scili-
cet Rhabitzam uersus, auertatur. Ostiorum uerò huiusmodi non est ubiq;
eadem ratio: unam supra retulimus communem & molitoribus usitatam, a-
liã habẽt Gandẽses. Hi oblongas trabes, per trãsuersum contra postes hinc
atq; illinc dispositos, leui negotio, secunda aqua demittunt, quæ ad æqua-
bilitatẽ dolatæ, uelut obices uim fluminis retardant. In Italia aliud solitũ est:
ibi enim ex una parte aluei, suspenduntur de firmis cardinibus, ingentes
ualuæ, quæ sine ullo labore, impetu ruentis aquæ & secundi fluminis, clau-
duntur contra postes, ex altera parte aluei obiectos. aperiuntur uerò cate-
nis & uinculis retrorsum retractæ. Gandensium autem & molitorum ratio-
nes, mihi inutiles uidentur, in locis quæ non semper in potestate habere
possis. Quod uerò ad ipsam arcem pertinet, aut ad uicum (sine quo, uti no-
stra ipsorum uictoria testimonio est) arcis difficilis esset retentio, alia mihi ui
detur esse consultandi ratio, ubi facultas est, eorum quæ consulta sunt, matu-
re exequendi: alia, ubi tenuitas ærarij consilia interturbat. Ego tamen ut po- B
tero, me temporibus accommodabo. Ac primùm de uico, si quis munire ue
lit, necesse habet, ut eius ambitum faciat minorem, redigatq; in formam pro
pe triangularem. frontem igitur sibi constituat, eam molem terreã, siue pro-
pugnaculum illud rotundum, uersus orientem, apud quod suprà diximus
aquam cœptam esse restagnari. Hinc rectis lineis ducat ad dexteram, qua
Danubius alluit, usq; ad illum locum ubi Lithæ coniũgitur: à sinistra uerò,
item recta linea, præscindat atque amputet totum illum tractum, ubi est
præstructa & occlusa porta, qui propter orbicularem formam & inutilis
defensioni, & in operibus est deformis. Vbi hoc loco ad punctum perue-
nerit, unde rursus recta linea ad arcem, sine magna demolitione, aut iactu-
ra domuum duci potest, tametsi alibi præsentem fossam transgrediatur, re-
cta fossam cauet, terram intus in uallum satis amplum & altum exaggeret.
Sic uicum propter latitudinem duarum fossarum ab oriente (à qua parte so-
la aut oppugnari aut obsideri copijs terrestribus potest) à meridie propter
fossam & paludem: inter septentrionem & orientem, propter Danubium,
qui contra naues raris trabibus & catenis obstruetur, ualde firmum con-
stituet: si uerò addantur & propugnacula qualia conuenit, etiam inexpu-
gnabilem. Duo enim propugnacula, aut ad summum tria his angulis (nam
circa confluentem Danubij & Lithæ tertiũ non esset inutile, imò propè ne-
cessariũ, contra impetus nauales) & arx, omnia latera ipsius uici tutarentur.
Porta autem siue ingressus in ipsum uicum, eodem loco, pro ratione tamen
lineæ superius ductæ, ubi & nunc est, mihi uidetur relinquendus, sed alio
instítutus modo. Mola illa quæ ante arcem est, utilius aliò transferretur. Da
nubius enim frequenter auctior, impedit casum aquæ. Quod si hæc mola,

item

A itẽ porta uici, noua ad hoc ædificata domo, extruerentur, unis impensis dua bus difficultatibus consuleretur. Diximus adhæc suprà multa de restagnatione, quæ hoc loco cõmodissimè instituerẽtur. Vellem ego præterea hanc portam prorsus à uallo uici seiunctam, ex illo aggere pendere, qui nunc medius est inter Litham & fossam ipsius arcis. quæ duplici ostio intrinsecus & extrinsecus communita, tota in potestate arcis esset. Huc adde, quod eadem opera ita extrui posset, ut etiam pro ingressu in ipsam arcem seruiret: usque adeò, ut alio supra Litham ponte non esset opus. Verùm ut esset hæc structura ualde utilis, ita omnino nollem illam inchoari, nisi animus esset etiam reliqua opera perficiendi, ne magnæ impensæ fierent, in rem quam deserere, si hostes ingruerẽt, oporteret. Quòd si uicum ad eum modum quo nunc est reliqueris, propter rotunditatem, nunquam exactè munies, etiam si plura propugnacula erigantur. terram deinde in uallum, aliunde maiori impensa cõgerere oportebit: quæ nunc, adaucta fossa, superabit. Si in præsentia opus illud adgredi non placeret, prouidentiæ tamen esset, totum illum locum qui futuris mœnibus directis lineis deputaretur, proximis mensibus arboribus conseri, quę tempestiuè succrescentes, latenter futuris munimentis incomparabile robur prępararẽt. De arce hoc unũ habeo dicere, me ualde mirari, cur, cum ipsa uetus structura quadrata sit, eandẽ non obseruarint, qui uallũ extrinsecus & fossam circundederunt. nunc sanè neq; orbicularis, neq; quadrata, neq; trigonalis, neq; ulla elegans forma est obseruata, sed informis quędã in circuitu congesta terra. neque turres institutę, quę conantem hostem ascendere, à latere deturbent. sed omnes hostium conatus, à fronte excipiendi sunt, & repellendi: quę res quanti laboris & periculi sit, non ego uos debeo docere. Si quis eam & pro dignitate nominis, & loci utilitate instaurare uellet, is eam ad quadratam formam redigeret: ita ut duo illi à fronte anguli, qui quà porta est, apparent, longius excurrerent: sed B ita, ut recta linea uallum exaggeraretur. ab altera parte post sacellum, ubi nunc orbicularis est, præscinderetur: sic hoc loco fossa, quæ nunc angustior est, dilataretur. aliis uerò angulis, cum terra foris adiicetur, robur duplicaretur. in um uallum, muro pedum senũm: supra hunc dumo ex uiua spina circundaretur. denique propugnacula adiicerentur, quæ & à latere & à tergo ascendentem hostem impedirent. Nunc sanè nihil est quod in altitudine aquæ multum fiduciæ collocetur: siccioribus nanque ęstatibus, si non uniuersa, tamen ita deriuaretur, ut etiam uadari non difficulter possit, præsertim cum fundum habeat arenosum & firmum. Quod uerò pro presenti necessitate, & temporis angustia dici potest: laudo ipsius præfecti opus, qui sub uallum, extrinsecus aggerem humiliorem, quàm sit terra quæ arci circumiacet, egerit: quo primus ascensus, si fortè aqua deriuaretur, excipi & impediri posset. in hoc aggere etiam propugnacula, pro operis magnitudine relinquit, quę à lateribus hostem molestent. si tamen fieri posset, uellem hęc opera, quę ex materia instituta sunt, limo induci, incrustariq;, ne ignem tam facilè susciperent. propugnacula etiam à fronte altius suscitari, ut ibi defensores uel oppugnati, tutò permanere, & latera defensare possent. pluteos adhęc, qui in summo uallo, aut iam exaruerunt, aut putruerunt, simili materia & foris & intus circundarem, ac firmius terra consolidarem: tandem hęc limo pastinarem, quo etiam ab igne tutiora redderentur. Vallum superius certis in locis, ita alia adiecta terra reficerem, ne in superficie, una totius ambitus facies uideretur. Sed aliam partem ab alia operibus distinguerem, ne si fortè partem aliquam ab hostibus capi contingeret, eadem opera uniuerso uallo potirentur: sed facilius & ab operibus illis quæ dico, & arce interiori, iaculis & sagittis, loco deturba-

rentur. Ne autem inopia rei pecuniariæ opera hæc negligerentur, posset à A
colonis impetrari, ut cum scirent ista omnia ad illorum tutelam institura es-
se, non grauatim ipsi per uices, labores & partem impensarum subirent. si
itaq; octingentis colonis, qui ad arcem hanc pertinent, hæc opera ex æquis
partibus imponerentur, laborantibus solum uictus ex ærario publico, &
præmia diligentius operam nauantibus proponerẽtur, crederem fieri pos-
se, ut intra breue tempus neq; impensarum neq; industriæ quenquam pœ-
niteret. Cum hæc, Amplissimi uiri, uesti a inductus authoritate scriberem,
uenit mihi in mentem, quàm scite etiam in me dicere possetis, id quod An-
nibal Rhodi in philosophum de re militari disserentem dixit. Quapropter
cum mihi conscius, quàm parum conuenienter professioni meæ, aliquando
militiam secutus sim, & nunc de re militari disserem, metuam in quam par-
tem meum hoc iudicium accipiatur: uos etiam atq; etiam orare cogor, ut
quid oneris non affectanti ipsi imposueritis, consideretis. Et si in hoc, futo-
rem aliquid supra crepidam conatum, iudicio lapsum esse mirum non sit, sa
nè non diffido, quin, quoniam uestra uoluntate impulsus id feci, mihi etiam
condonaturi sitis. Valete, ex ipsa Arce ueteri, siue Altemburgo, VIII. Ca-
lend. August. M. D. XLIII.

DESCRIPTIO ET MVNITIO VRBIS

Viennæ: per Ioannem Martinum Stellam.

CVm hesterno die decretum Amplissimi ord. uestri expecta-
rem, animaduerti ex ijs, quæ cum scriba quodam loquebaris,
tibi etiam curam huius urbis muniendę incumbere. Qua in
re tametsi sciam neque cõsilium ciuitati, neq; tibi prudentiam
deesse: tamen existimaui in meliorem partem accipi oporte-
re, tanquã beneuolentię argumentũ, si quis pro sua uirili parte cuperet pro
desse. Neq; enim omnibus Diogenes ille placuit, qui in bene merita ciuita-
te, dum consilio prodesse poterat, suum duntaxat dolium uersabat. Ac cum
mihi ipsi abunde in eo quod suggerere uolebam, ratio meę consideration is
constaret, ut qui studiose omnes Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, utriusq; Germa-
niæ, nonnullas Hungariæ munitiones ipse uidissem, & cum à peritioribus,
tum à me ipso rationem uel munimentorum, uel cur locus aliquis parum
munitus diceretur, exegissem: adhæc sæpe disputationibus eorum inter-
fuissem, quos Galli & Itali capitaneos ingeniarios uocant: speraui, ut si ali-
ud nihil, tamen tibi studium meum nõ ingratum fore, cùm beneuolentiam
meam erga ciuitatem hanc testatam esse conarer: aut si quid non inutiliter
admonuissem, id faceres quod Ephori Lacedæmoniorum fecisse dicuntur,
cùm sordidus quidam utilissimam Reipublicę sententiam dixisset, metue-
rentq; ne parum ponderis propter hominis utilitatẽ haberet, alium grauem
& ornatum uirum, qui eandem sententiã diceret, induxerunt. Tametsi hoc
me ualde sollicitũ haberet, quod huiusmodi rationes non tam cõmodè ex-
planari, quàm intelligi possent. Veruntamen cùm considerarẽ, quod mihi
ingenio deesset, id tuã humanitatẽ suppleturã: uisum est, ut quantũ eius esse
qui possem, tibi, quæ cogitarẽ, ostendere conarer. Animaduerti igitur loca
alia natura, alia opere, nõnulla utroq; modo munita appellari. Vienna uerò
ex ea parte qua eam Danubius alluit, uidetur propter flumẽ ab hostib. sic sa
tis tuta esse. In reliqua parte, quia cõpluſculo operis indiget, uos uideo plus
laborare. Quæ mihi multo munitissima, paruulo admodũ opere, sic reddi
posse uidetur. Torrens ille, quem urbis nomine Viennã incolæ appellant,
duobus pontibus superatur, locis sic satis angustis. Ego, si quę uis hostiũ in-
grueret, pontes hos obicibus firmarẽ: aut ita saxis & terra exaggerarem, ut
aqua

Aaqua sisteretur. uias hinc inde ducentes, ad pontium altitudinem exæquarem: hoc modò fieret, ut restagnata aqua, omnem eum tractum qui in medio est, inundaret: neq; urbs oppugnari nisi ab arce regia, ad portam quam Scotorum uocant, posset. Nemo enim hostium tam stolidè temerarius foret, qui committeret, ut intra stagnum & fossas conspiceretur. Atqui hoc stagnum non posset ab hostibus, nisi cum difficultate deriuari, etiam nemine repugnante. Deinde posset sine magno negotio illorum conatus impediri, extructis ad exitum põtium duobus castellis ligneis, qualia Germani Catzen uocant. Aut si id periculosum defensoribus uideretur, præsertim in superiori ponte, quia longius à muris abest, posset pons ille atq; agger, sine castello negligi. neq; enim id eo loco tantopere desideraretur. in inferiori tamen ponte, hoc omnino necessarium esset, ut ex uicino, si hostes conarentur perfodere, fossores impedirentur, sine ullo periculo defensorum, propter uicinitatem murorum, & aliarum munitionum. Denicq; si uniuersa uis hostium eò incumberet, ut castellum illud expugnarẽt, posset eo modo extrui, ut momento temporis incendio cõsumeretur, ipsis defensoribus intra urbem receptis, ac hostibus igne necatis: uti Hispani Gallos ludificati sunt, ante annos ni fallor xx. cum omnibus opibus arcem Salsarum (est ea apud Perpinianum in Comitatu Rusinonis, opus Comitis Petri Nauarræ) oppugnarent, ac iam unum ex propugnaculis, uti putabãt, expugnassent. Interea tamen, etiam si hostes stagnum hoc deriuare contingeret, non illud sine multis & difficultatibus & ludificationibus efficere possent. In lucro autem ponendum est, ubicunq; hosti, sine tuo damno incommodare potes. In summa, ego putarẽ huiusmodi restagnatiõe, siue torrẽtis, siue cuiuslibet parui riuuli, hostibus omnia, etiam ad castrametandum, angustiora reddenda esse. Quale etiam hoc esset, si quis riuulum Alsam, incisis aquæductibus sua sponte fineret uagari, qui cum decliuia inibi inundasset, deinde se cum alteri riuulo, apud arcem coniungeret, posset commodè etiam & ibi restagnari, excitato aggere, per quem uia extra urbem in agros duceret: usque adeò, ut omnis potestas hostibus adimeretur, siccis pedibus urbem oppugnandi, etiam si nulla in fossis aqua contineretur. Hic tamen cogitandum esset, si quis noxius halitus ex huiusmodi restagnatione generaretur, ciuibus ne pestilens futurus esset, an solis hostibus, ut qui sub dio & extra umbras agere cogantur. Dominus enim à Lautrech cum obsideret Neapolim, ac putaret se ciues ruptis aquæductibus, siti ad deditionem coacturum, ex graui intra ualles restagnatæ aquę fœtore, & se & exercitum pestilentia perdidit, & res Gallorum miserè afflixit. Nunc ad urbem & ad ipsas fossas propius accedamus. hic in primis laudo, quod fossæ dilatentur, & profundius effodiantur. uerùm terra illa quæ egeritur, cum neque recta linea ducatur, (quod tamen esset utilissimum) neque placeat intra urbem pro uallo deferri, posset utilius, uti mihi uidetur, ac ijsdem impẽsis alio modo collocari. Habes in memoria Magnifice & amplissime uir, cum prima obsidione Turcharum, aliquot cohortes eruptionem infeliciter tentassent, nec sese possent omnes ordinatim recipere, quàm multi se in fossas præcipites dimiserint, qui uel casu ipso obruti sunt, uel in ipsas sociorum cuspides inciderunt. contra huiusmodi casus, primùm in arce illa Mediolanensi prospectum obseruaui. Hoc imitati sunt postmodum Galli in Turinis, & Morini. Veneti deinde in Niort (locus est inter Brixiam & Cremam) postremò etiam ipsi Duces Bauarię, in munitionibus Ingolstadij, quanquam ratione nonnihil diuersa. uerùm non est admodum difficile, aliorum inuentis addere. Fossæ igitur harum urbium, quas suprà dixi, uestris similes sunt, nisi quod rectæ sint, & agger exterior muro distineatur. Neque statim ex

agris

agris aut campis urbi circumiectis, in ipsas fossas præcipitium est: sed relictum est nonnihil spacij, uelut gradus quidam, altitudine pedum senum uel octonum. ita ut si quis recta accurrat, & hostem uitet, demittat se in illum quem dixi gradum, ubi uel tutò stare, uel se ad portas sine incõmodo possit recipere. In locis illis prædictis, hæc ita extructa sunt, ut etiam duo equites commodè uagari possint. Habent præterea & alias commoditates huiusmodi fossæ. Principio si leui prælio est erumpendum, non semper iter secundum ipsas portas instituendum est, quod eas hostes ut plurimum intentius obseruant. Deinde si ex aliqua parte fossæ ab hostibus impleantur, sine incommodo hac uia mederi, & rursus curari possunt. Quinetiam sine magno discrimine, si qui oppugnabunt, hinc à lateribus molestabuntur, denique tota urbs etiam extra munimenta, inuitis hostibus, uel obequitari potest. Et est hęc fossarũ ratio, uobis adhuc tota integra. Præterea animaduerti, alia adhuc propugnacula præparari. Vnũ, uti intelligo, in eo angulo erit, qui est post monasteriũ Dominicanorũ, loco ualde opportuno. sed ego cùm res adhuc integra sit, propugnaculum illud sic institui posse puto, ut in se habeat aliquot molas, quæ semper etiam in obsidione farinam præberent. Quòd si una sola institueretur, uideo postquam altius effossę erunt fossæ, satis fontium fore, ut ex earum scaturigine mola subigatur. sin plures, dixi suprà, ad altitudinẽ pontium uias esse exaggerandas: potest in illo aggere talis ex Vienna aquæductus relinqui, qui etiam pro cuniculo seruiat, ac ducat in castellum illud ligneum, quod ad exitum pontis superius collocaui. Qui aquęductus siue cuniculus, etiam tertiam utilitatem adferret. cùm enim perforatis basibus quæ pontium fornices sustinent, instituetur: erit commoditas, si propter magnum aliquod stratagema, pons ignidejiciendus esset, illius adimplendi. Hoc tamen cauendum, in quo ciues etiam nunc uideo peccare, ne cum aqua turbida est, eam intra fossas reciperent, ne limo aut arena replerentur. Est ad hæc in eodem angulo, murus illealtus chori diruti, exiguo spacio à mœnibus distans: contra hunc murum sensim collis, siue agger terreus fimo & lignis compactus, in multam altitudinem excitari posset: in cuius summo uertice, duæ aut tres bombardæ, possent omnem uicinum agrum, insulas etiam Danubij tutari. quæ res quantam utilitatem allatura esset, nemo opinor ignorat. Certè huiusmodi collibus natura Massiliam muniuit: opere uerò, Ferraria in Italia, Aurelia in Gallia sunt instructę. Ex huiusmodi munimẽto Cęsareani Mediolani obsessi, Iacobum Cabanneum, admiraldum Galliæ, ut uocant, illiusq; exercitum, ita infestarunt, ut obsidionem soluere fuerint coacti. Huiusmodi colliculi complures intra mœnia excitari possent, locis tamen opportunioribus, uti mihi uidetur, hisce: in cœnobio Augustiniẽsium, qui angulus est inter Regiam, & portam quæ ducit in Carinthiam. medio item angulo inter eandem Regiam, ex alio latere, & uicinũ illud propugnaculum, quod est in fundamentis uiciosum. Postremò si quis uellet alium post Scotorum monasterium excitare, multum urbi prospiceret, uel in hoc, quòd hostibus magna ex parte adimeret facultatem, ex anfractibus illis uiarũ, quę ex superioribus locis ad subiecta pascua ducunt, subsidia & auxilia, quæ secundo flumine submitti possent, impediendi, uexandi'ue. Sed his omnibus locis permquàm necessarium est, ut propugnacula aut reficiantur, aut de nouo instituantur. Illud uerò quod uitio fundamentorũ ex parte subsedit, nec inutiliter etiam sic relinqui posset, & muro solum extrinsecus uelut camisia, ut Galli & Itali loquuntur, uestiri. Quo modo castigaretur & alterum uitium. Angustius enim esse uidetur, quàm ut duas bombardas utrinq; eiaculantes cõmodè possit continere. Sic Cæsar Fontem rapidum, & sanctum Sebastianum

anum muniuit: quæ loca sunt omnium quæ ego uidi munitissima, sita in Pyreneis montibus, contra Vascones & Aquitanos. Sic item Veneti Vero nam inexpugnabilem reddiderunt, dum ueteres munitiones, ubi id ratio operum patiebatur, circundederunt nouis muris, magis ijs instar fulcimenti cuiusdam acclíuis, quàm ad perpendiculum directis. Quod fortasis etiam necessarium in illo propugnaculo, quod Regiæ obiectum est, uideretur, si quis hoc omnino à cuniculis tutũ reddere studeret. nam intelligo non nimis altè fundamenta iacta esse: præterquam quòd ea multis in locis terræ natura uideatur, ut etiam si in superficie aquam fossæ habeant, tamen ni si ad altitudinem scaturiginum fontium depressæ fuerint, possit urbi incommodari: non aliter quàm Petrus ille Nauarra, ex cõtinenti in insulam subter mare cuniculo acto, arcem Neapolitanorum subuertit. Huic igitur incommodo si obuiam iretur. aut si temporis angustia impensæq; id in præsentia non paterentur, saltem crebris trabibus circunsepiri conueniret: quæ fistulis tam altè sub terram adigerentur, ut neq; subter, neq; per eas, uia patêret fundamenti tentandi: aut loco motæ, id statim proderent. Excogitatum est & aliud in illo foris adiecto, siue fulcimento siue muro: ut in imo fundamento, quoquò uersus uia opere camerario relinquatur, quà commodè cuniculis obuiam eatur: aut excipiantur, & hostes fumo suffocentur. Noua autem propugnacula quę erigenda sunt locis non aquosis, cuiusmodi est quod regiam tuetur, munitum illud quidem, ut apparet, & firmum, & qualia sanè optanda essent alijs in locis: uerùm putarem adhuc utilius ea construi posse. Primùm Veneti & Genuẽses, fenestras illas collaterales, Germani Streichuer uocant, per quas in fossas bombardæ iaculantur, duplici ordine extruxerunt, subdiuales omnes, propter fumum: frontem uerò illam trigonalem ita ordinauerunt, ut duo laterales anguli sic ante fenestras obijcerentur, ne in illas sagittę immitti possent. Cæsareani nunc Albæ, Astę & Vercellis, ad illa superiora aliud adiecerunt, multo ingeniosius. in angulis enim illis late ralibus, quos dixi fenestris prætensos & obiectos esse, fecerunt gradum & descensum quendam auersum, neque ulli qui extra urbem est conspicuum, per quem in imas ipsas fossas descenditur, ad multa quæ obsessis procuranda sunt ualde necessarium, siue uelis in ipsis fossis manum consere, siue fossam etiam durante obsidione profundius aut latius excauare, siue etiam pecus uelut in stabulis continere, ut faciunt pręsidiarij in arce Salsarum: præsertim dum non semper tanta necessitas urget, ut sit necessarium aquas in fossis habere. Ea enim ut superioribus locis utilis est, ad cuniculos impediendum: ita sanè inutilis, si materiam ab hostibus in fossas inlectam comburere oporteret. & est huius urbis situs talis, ut cum uoles aquas inducere & deducere, nõ difficulter possis. Quę uerò reliqua iam instituta sunt opera, scilicet murus ille qui in imis fossis ex utroq; latere terrã distinet, qualis apud Regiam cœptus est: item alter ille, qui intus aggerem sustinet, quanquam in his spiracula, quibus colantur aquæ pluuiæ, deesse uideantur, multum roboris adderent urbi, si ad finem perducta essent. Verùm non miror eam esse ærarij angustiam, in Republica præsertim iam diu bellis & calamitatibus afflicta, ut difficulter neruos & sumptus suppeditare queat. Huic tamen rei quo commodius mederi possit, narrabo quid in duobus Frisiæ oppidulis factum sit, quæ ante annos XII, Dux Geldriæ per proditionem occupata, solo æquarat: cum iam ciues rursus in unum conuenissent, ac de recuperanda patria consilium inijssent, primùm locum quem futuris muris & mœnibus destinabant, quantus multitudinis capax esset, fossa exigua & humili ex publico circundederunt. Ex hoc aggere, tantum singulis ciuibus attribuerunt, quantum unusquisq; commodè tueri

posse

posse uidebatur, cum iam in mœnibus omnes constituti essent, magistratus A
edixit, ita illum sibi attributum locum munirent, uti putarent sufficere ad
uitam libertatemq; defendendam, quod tam strenuè factitatum est, ut nul-
lis postea neq; copijs neq; opibus, uti tamen sæpe tentatum est, expugnari
potuerint. Cum igitur ego uideam hic publicè egestatē, priuatim magnas
esse diuitias, non iniquum putarem, si hoc pacto priuatorum fortunis Res-
pub. sustineretur: ac cum unusquisq; sciret quo in loco aut cum patria ui-
cturus, aut cum eadem moriturus esset, uideretq; ubi suam ipsius uitam,
coniugis, liberorum, causſam religionis, ac fortunas omnes collocatas ha-
biturus esset, eum locum ita muniret, ut sibi illa chara conseruandaq; puta
ret. Hæc sunt magnifice & amplissime Domine, quæ ex re ipsa in mentem
mihi uenerunt, ut tibi scriberem: non ignarus, quàm parum prudenter fa-
ciam, apud eum cui ista supersunt. Tamen cum humanitatem tuam apud
me cogitarē, uisum est, qualitercunq; ista sese haberent, perscribere: neque
ad alias excusationes aut deprecationes confugere, quàm ut te orarem, ut
si præ magnitudine studij, animi mei declarandi, nimis impudenter, tua hu
manitate abusus, aut nimis stultè mei ipsius oblitus essem, id benignè, ut so-
les, ignoscere, meq; tibi cōmendatum esse uelles. Vale, XV. Calend. Iu-
nias: M. D. XLIII.

IOAN. CHRISTOPHORI CALVETI STELLAE DE APHRODISIO *expugnato Commentarius.*

APhrodisium, quod uulgò Aphricam, Mauri Mahadiam appel. B
lant, in ea Africæ ora positum est, quæ in Tunetense regnum
abijt. Quà aditū habet à terra, directa fronte inter Septentrio-
nes & Austrum ad ducentos passus patet: reliqua mare alluit.
Eius uerò spacij pars quæ ad aditum pertinet, duplici muro,
& altissima fossa inter utrunq; perducta, & turrium altitudine munita, dif-
ficilem habet oppugnationem. Hinc Aphrodisium ipsum paulatim latum
fit, mareq; ab utroq; latere, ueluti in sinum, ad eas usq; turreis admittit, quæ
in occasum solis spectant. Deinde latius factum, rursus ad orientem solem
contrahitur: in tenuemq; cuspidem desinens, linguę speciem refert. A' mari
autem quanquam simplici muro, ne ea quidem crassitudine qua à conti-
nenti, cingitur: tamen eò propius accedere per difficile est, propterea quòd
mare est illic uadosum, & breuibus plenum. Murus & crassitudine, quam
habet, & turrium multitudine, & quòd frequentissimis fibulis reuinctus
distinetur, præcipuè à terra firmissimus est. Nam qui interior est, in latitu-
dinem pedum quindecim: qui uerò pro fossa est, quinq; patet. Porta, qua
ad oppidum est ingressus, altissimis turribus & operis uarietate & firmita-
te est sanè quàm admirabilis: tot sunt in ea inextricabiles anfractus, tot gy-
ri, tot arcuati flexus, suis quisq; æratis postibus utrinq; muniti. Post quos te
studo quædam fornicato opere, longa pedes septuaginta, ingredientes ex-
cipit: adeò angusta & obscura, ut omnium mentes animosq; perturbet, &
quasi cum aliquo numine terreat, speciemq; potius auerni specus, quàm in
gressus ad oppidum præ se ferat. Quo fiebat, ut Mauri, maiestate oppidi &
religione adducti, crederent, nulla ui ipsum expugnari posse. Intus quàad
Septentriones uergit, mōticulus nascitur passus circiter à muro sexcentos:
abestq;, quà in austrum spectat, à nauali & cothone centum, qui & amplitu
dine & operis magnitudine longè alios antecellit. Nam prętereà quàm quòd
muro

a muro continetur, tutissimoq; in loco positus est, multo capacior fieri po
test: aditumq; ita perangustũ habet, ut singulas triremes, sublatis etiam
remis, faucibus, ueluti canali quodã, intrò ægrè admittat: eoq; amplius
quinquaginta se recipere, ibiq; porta præclusa, quæ aggere & turribus
est munita, tranquillè hyemare possint. Fuit hoc oppidum sub imperio
Tunetẽsium, donec pulso Huzanio Cheleuio, qui Ariadenũ Aenobar-
bum summa necessitudine attingebat, quiq; proditione quorundam
ipsum occuparat, sese in libertatem uindicauit. Quam uiribus & multi-
tudine hominũ diu retinere potuisset, nisi eam Dorgutes Turca pirata
insignis, oppidanorũ aliquot perfidia adiutus, eripuisset. Is à Meninge il
la Lotophagorum, quam Gelues hodie uocant, soluẽs (quæ insula in mi
nore Syrti ponte ad promontoriũ Zetham continenti coniungitur) A-
phrodisium uenit, præmissis eo consilio pedestribus Turcarum copijs,
ut simulatq; ipse à mari oppidũ se uelle adoriri simularet, cõcurrentibus
eò oppidanis, illi statim à terra ex insidijs irrumperẽt, ipsumq; caperent:
nec fortuna comprobato hominis cõsilio euentui defuit. Capto Aphro
disio, Dorgutes se Dynastã appellari iubet: Africæ, Mauritaniæq; oram
occupare, imperium protendere, ex Neapoli Siciliaq; prædas agere ani-
mum intendit: creuisset q; præter modum uiribus, nisi eodem anno quo
oppidum captum est, qui fuit quingentesimus quinquagesimus supra
millesimũ, ab Hispanis fuisset repressus. Sed res ipsa exposcere uidetur,
ut pauca de Dorgute præmittam, quò facilius percipi possit, unde Tur-
ca humili perobscuroq; loco natus, ad tantã dignitatẽ peruenerit. Qui
cum aliquãdiu sub Aenobarbo tyranno, Christiani nominis hoste atro-
cissimo, meruisset, piraticam facere cœpit: non ea quidem fortuna ac no
mine, quo Iudæus & Cahis cognomine Diabolus, Halaq;, et alij qui sub
Aenobarbi imperio fuerũt. Sed breui tantum uirtute enituit, ut meritò
ipsum Aenobarbus piratis omnibus præficeret, cum Othomanicæ class-
sis, quæ anno trigesimooctauo coacta fuerat, imperij summam teneret.
Hanc cum ipse Constantinopolim reuersus dimisisset, Dorgutes trede-
cim nauibus longis in Corsicam Genuensium insulam renauigauit ani
mo periniquo, & Christianis infenso. Sed hic conatus ei infeliciter ces-
sit. Nam ad eam insulam, euastatis prius & incensis aliquot Christiano-
rum maritimis locis, cum triremium classe, quæ Cæsaris stipendijs mili-
tabat, confligens, amissis undecim nauibus, in potestatem Ioannis Au-
riæ uenit, qui ei classi præpositus erat: & Andreæ Auriæ Principi Mel-
phitano, & rerum gestarum gloria, & rei naualis scientia atq; usu longè
clarissimo, cum primis charus, maximisq; necessitudinis uinculis cum
illo cõiunctus. Captus Dorgutes nõ animum hoc casu demisit, sed spei
plenus, in triremibus Auriæ multo tempore cathenis cõstrictus, eandẽ
fortunam, quam alios pati coegerat, fortissimè pertulit: de quo si more
maiorũ supplicij sumptum fuisset, non tam infestum mare habuisset, ne-
que tot incommodis Christianos affecisset. Nam paruo pondere auri li-
bertate pristina recepta, ad Meningẽ se contulit, ubi & auctoritate, qua
plurimum apud Barbaros poterat, & amicorum ope uiginti nauiũ lon-
garũ classe cõtracta, in Italiam proficiscitur: totamq; Liguriæ oram de-
populatus, captis aliquot nauibus onerarijs, & triremе una Cigalæ Ge-
nuensis, cum ingenti captiuorum et mercium numero remenso mari ad
Meningem redijt. unde non parum nominis & auctoritatis cùm apud
alios, tum apud Turcas, quorum opera potissimum utebatur, est conse-
cutus. Insequenti uere ex naualibus naueis producit, summa industria
armat, remigiũ supplet, triremes treis adijcit, sagittarijs tormẽtisq; com-

plet: classe sic instructa naueis ex insula educit, oramq; Ligustici maris A
& Iberici percurrens, plus certè cladium, quàm superiore æstate intulit.
Nam præter captiuorum turbam, triremem unam Rhodiam tempestate
ac uentorum ui in Pithecusam, quæ Ischia dicitur, deiectam, qua magna
uis auri & argenti importabatur, cæpit, cum ipse prædādi causa in eam
insulam uenisset: quod herclè fortunæ nimium ei indulgenti tribui po-
test. Vix enim contingit Rhodias uel deprimi, uel capi: tanta est militū
illius ordinis uirtus, & rei naualis exercitatio. Id cum Andreæ Auriæ
maximo Cæsareæ classis præfecto nunciatum esset, maturat ex Genuen
sium portu exire, uiginti triremium numero omnia maria lustrat, prædo
nem quærit, ut cùm eo decertet. Qui tametsi est admodum callidus, &
longo rerum usu præditus, tamen cauere non potuit, quin in conspectū
Cæsareæ classis ueniret: quem conspicatæ triremes nostræ, in eum sese
incitauerunt. sed ille earum impetum metuens, ex alto refugit, interuen
tu beneficioq; noctis euasit, & in Meningem cum omni præda serece-
pit, ibiq; hyemare constituit. Ineunte proximo uere animum ad maiora
adpulit: Aphrodisium, ut suprà demonstratum est, cæpit: ibi aliquādiu
cōmoratus, Cothonem expurgandum curat, aggere & propugnaculis
muniri iubet, trecētos Turcas oppido præsidio relinquit: his præter op-
pidanos adiungit quadringentos Mauros, quos ex agris coegerat, qui
bus omnibus Turcam quendā sororis suæ filium præficit, unà cum Ha-
lete uiro strenuo, qui nomen cum religione mutauerat. His oppidi cu-
stodia commissa, omnibusq; rebus constitutis, nactus peridoneam ad
nauigandum tempestatem, naues Aphrodisio soluit, & in Hispaniam
contendit. Erant numero quadraginta septem, partim Liburnicæ & a- B
ctuariæ, partim biremes & triremes, adiunctis aliquot nauigijs specula-
torijs. Nemini dubium erat, quin hac classe Dorgutes insignem calami-
tatem Christianæ Reipublicæ illaturus esset, his præsertim insulis, & ma
ritimis ciuitatibus, quæ Carolo quinto Cæsari parent: quod, ne acciderit,
ret, cum Auriæ renunciatum esset, quàm celerrimè præcauendum puta-
uit. intelligebat enim, dignitatis suæ esse, hominem ferum & barbarum
comprimere: neq; ferendum esse, in conspectu penè ipsius liberos & cō
iuges in seruitutem abduci, populationes fieri, et uicos oppidaq; incen-
di, naues deprimi, & capi. Videbat etiam maximè periculosum Neapo-
li & Siciliæ fore, piratam finitimū habere: propterea quòd id oppidum,
cuius imperium ipse obtineret, contra Siciliam est: in quod, si qua uis ur
geret, tanquam in tutissimum portum se recipere posset. His rebus Au-
ria adductus, triremes ex naualibus educi, cohortes Hispanorum, quo-
rum opera superiore æstate usus fuerat, ex Insubria euocari, et omnes ad
Spediam, quod oppidū est Liguriæ, in sinu Ericis, Specia uulgò dictum,
conuenire iussit. Erant hi milites, quos Didacus Ferdinandus Morere-
la, Rodericus Paganus & Amadorius Nauarrus in Hispania Betica cō
scripserant. Quos etiam Philippus Princeps, cum ex Hispania in Gal-
liam Belgicam contenderet, triremibus conuexerat: eosq; ut præsidio ei
tractui essent, quem Malamspinam uocant, reliquerat. Vnde militari Hi
spanorum more nomen illis à Malaspina inditum, qui ex præsidijs & sta
tionibus cohortibus nomen imponere solet. Omnibus rebus ad nauigā
dum paratis, Auria ex Genuensium portu uiginti triremiū classe Spe-
diam delatus, milites, quos euocari iusserat, inuenit: eorū ordines hi du
cebant, quos paulo antè recensui, sub Ferdinando Lupo Lusitano mili-
tum tribuno. His omnibus triremes conscendere iussis, nono Cal. Maij
Spedia profectus, tribusq; ad Liburnum Thusciæ portum adiunctis tri-
remibus

Ayemibus Cosmi Medicis Florentinorum Principis, quatuorq; Iulij III. Pontificis Max. ad Pyrgos ueteres, in quas nulli milites extra ordinem impositi fuerãt, Neapolim pridie Nonas peruenit. Ibi Garsias Toletus & Antonius Auria unà cum Neapolitana classe, quæ Cæsaris stipendijs merebat, se illi adiungunt: quingentis Hispanis, quos ex Neapolitano præsidio eduxerant, in tredecim triremes impositis. Neapoli biduum Auria moratus, Panhormum septimo Idus Maij adpulit: auctoq; triremium numero decem Siculis, quibus Berengarius Requesentius præfectus erat, & quatuor Rhodijs: cum intelligeret Dorgutem re frumentaria & commeatibus premi, statuit eò cursum dirigere, quò ratione etiã cogẽte ipsum, recurrere erat necesse. Itaq; Panhormo soluens quinquaginta quatuor triremium instructissima classe maria circuit, nihil intactum, quò prædoni occurat, relinquit. Sed neq; in his locis, ad quæ fama erat ipsum attigisse, inquirendo Auria reperire potuit. Hinc in Mauritaniam transit, oramq; Africæ præterlegens perspecto Aphrodisij situ, in Monasterium renauigat, quod oppidum firmissimo Turcarum & Maurorum præsidio tenebatur. Id enim Dorgutes operam dare, ad id incumbere, totisq; uiribus contendere, ut oram illam Africę occuparet, imperium protraheret, Aphrodisium arcem regni caputq; constitueret. Eò cùm Cæsarea classis appulsa fuisset, & Turcæ nostros aquatione prohibuissent, Auria & Toletus expositis militibus monasterium oppugnare cœperunt: atq; strenuè se defendentibus Turcis tormenta educi, muros quati, irruptiones fieri iusserunt: acriter utrinq; pugnatum est, quoad Hispanorum impetum oppidanis non ferentibus, oppidum captum est, & militibus prædæ datum. Cæsi sunt ex hostibus circiter trecenti, captí mille & ducenti, ex nostris centum quinquaginta partim interfecti, partim uulnerati: in his Morerela graue uulnus accepit. Hoc detrimentum nostris illatum est, quòd à principio oppugnationẽ parui duxerãt, tormentaq; expediri neglexerant: ex quibus aliquot diruptis magnum incommodum acceptum est, nonnullæq; triremes afflictæ, ac primaria Caroli Aragonij Terræ nouæ Marchionis depressa, nihilq; ex ea præter remiges & tormenta reliqui factum. Capto Monasterio, Auria Aphrodisium oppugnare statuit: sed antequam id tentaret, dignum duxit ea de re Ioannem Vegam proregem certiorem facere: qui ex legatione, qua apud summum Pontificem non minore gratia quàm auctoritate Cæsaris nomine perfunctus fuerat, Siciliam cum imperio obtinebat: cuius singularis prudentia magno rerum usu perspecta, animiq; magnitudo nemini nõ erat cognita. Dum hæc in Africa geruntur, Dorgutes totam ferè oram Iberici maris percurrens, & oppidum, cui nomen est Sancto Ioanni, non procul ab Alicanto, quod pleriq; Illicen, nonnullis Alon esse uidetur: & Culleram, quam docti Sucronem putant, in Valentinorum littore diripuerat, paruumq; hominum numerum, cum imprudenteis, inopinanteisq; inuasisset, in seruitutem abstraxerat. Inde ad Ebusum, & Baleares insulas deflectens, cum Polentiam maioris insulæ urbem de improuiso sub quartam uigiliam adortus esset, insulani seminudi, correptis armis, maiorum uirtutis non immemores, fortissimè Turcas repulerunt: recuperataq; præda, multis etiam interfectis, eos ad naueis usque insecuti, tantum cladis Dorguti intulerunt, ut reliqui piratę, qui id temporis sub ipso prædabantur, animo consternati, alius aliò discedere, relictoq; eo in sua se quisq; recipere decreuerint: quòd plus iacturæ quàm lucri se fecisse intelligerent. At Dorgutes nullis casibus fractus, decem & septem nauibus (reliquæ enim iam abierant) Neapolim,

Siciliamq; præteruectus, cum Aphrodisium deferri non posset, propterea quòd à nostris hoc tempore obsidebatur, ex alto prospectabat, si quâ ex onerarijs nauibus, quibus ex Sicilia frumentum exportabatur, impetu facto interciperet, quo eius diei detrimentum sarciret. Dum ad hæc animum intendit, conspicatus quinque triremes, quæ Aphrodisio Neapolim transibant, atque existimans eas reliquas Cæsareę classis anteire, in Meningem profugit. Interea Auria capto Monasterio, & Aphrodisij situ diligenter perspecto, animum induxerat oppidũ obsidere: ac nonnisi expugnato ipso, abire. Videbat enim malum indies ingrauescere, Dorguti uires crescere, potentiã augeri, neque è re Cæsaris & Christianorum esse, illic prædonem Imperij sedem habere. Ob eas causas ut ad Guletam eius oræ munitissimam arcem classe uenit, quam Cæsar, cum primum in Africam traiecisset, pulso fugatoq; Aenobarbo, expugnauerat, captoq; Tunete Mulæium Hazenium in regnum restituerat, conuocatis Præfectis, & Centurionibus, atque in his Ludouico Perezio Varga, clarissimo ac fortissimo uiro, qui arci præerat, sententiam suam exposuit, multaq; in eam dixit plena consilij & prudentiæ: qui, cum ei plerique assentirent, paucis contrà sentientibus, concilium dimisit. At Garsias Toletus, Petri Neapolitanorum Proregis filius, qui in Auriæ sententiam ierat, ipsum adit: hortatur, ut in sententia perstet: pollicetur se Reipublicæ non defuturum: quinetiam si uigintiquinq; triremes sibi attribuantur, Neapoli supplementum Hispanorum, commeatum, & omnia quæ ad oppugnationem necessaria essent, transportaturum. Propterea quòd id, de quo Auria ad omnes retulisset, non ita difficile factu esse inquirendo reperiret: ad hæc intelligeret non parui Cæsaris referre, Prædonem coerceri: neque decere mare clausum esse: ad portus & insulas aditum non patere: delendam esse Christiano populo hanc maculam, totis oppidis direptis atque exustis susceptam: dandam operam, ne plus detrimenti Respublica caperet: id fieri non posse, nisi Aphrodisio expugnato, ne eò Dorgutes se recipere posset. Toleti sententiam Auria probat: quod offert, libentissimè amplectitur, eumq; dignissimis, ut par erat, laudibus ornat, fidem, integritatem, animiq; magnitudinẽ iam usque à maioribus partam, & cum maximo rerum usu coniunctam pro concione collaudat. Ad hæc Ferdinandum Vegam Ioannis filium, ornatissimum Equitem, qui unà cum Aluaro fratre insigne uirtutis specimen ad Monasterium dederat, accersiri iubet. Quid Toletus promiserit, exponit: hortatur, ut in Siciliã ad Ioannem Vegam patrẽ literas perferat, eumq; commonefaciat, ut pro dignitate sua Reipublicæ hoc tempore deesse nolit: rem perfacilem factu esse, neque se ambigere, si huic expeditioni ipse adsit, quin prosperũ successum sit habitura. Præterea uideret, quantum Cæsaris & Christianæ Reipublicæ interesset, oppidum illud pulso Prædone expugnari: quod si ita faciendum decerneret, ea iam tum comparare inciperet, quæ ad tantam rem usui fore cognosceret. nihil dum enim comparatum esse, Vegamq;, ut huius consilij ignarum, summa apparatus omnium rerum inopia laborare, Auria sciebat: propterea quòd, cum ipse classe Panhormum præterueheretur, certiorem eum fecerat, nihil magis sibi in animo esse, nihil antiquius ducere, quàm eo anno Dorgutem bello persequi, atque ei occurrere, ac cum ipso decertare. Cum his mandatis Ferdinãdum dimittit. is in Siciliam trajicit. Ex literis, quid in animo Auria haberet, Vega percipit: & quid fieri oporteret, à Ferdinando filio admonetur. Quibus rebus Vega adductus, Ioannem Osorium Quignonium custodiæ suæ præfectum, ad Auriam

Auriam mittit, ut ex eo, quid fieri uellet, certius cognoſceret. Ille ad Larunellas inſulas, quas Cunicularias uocant, paſſuum uiginti millia ab Aphrodiſio ipſi occurrit, quid in mãdatis à Vega haberet, exponit. Auria eadem, quæ Ferdinando Vegæ dixerat, repetit. His adiungit, ſe quàm auidiſsimè aduentum eius expectare: tantiq; facere, ut ſibi perſuaſerit omnia, ſi modò ipſe interſit, ex ſententia ſucceſſura. Poſtremò orare, ne tantæ rei occaſionem abire ſineret: futurum ut conſpectu, auctoritateq; tanti uiri omnes incitarentur, & militum animi confirmarentur. Hæc cum in mandatis Oſorio dediſſet, ſtatuit uiginti ſeptẽ triremibus, quas tantummodo habebat, in Siciliam trãſmittere, ut præſens hac de re cum Vega ageret, quæ res multum incommodi noſtris attulit. Nam hoc tempore onerariæ tres naues ab Alexandria uſq; cum magno propugnatorum & commeatuum numero Aphrodiſium ingreſſæ, fecerunt ut non tam facile oppidum ab Hiſpanis expugnari poſſet. Auria ſimulatq; Drepanum applicuit, ſtatim Marcum centurionem cum tribus et uiginti triremibus Panhormum miſit, ut & commeatus hac claſſe ſupportaret, & Ioannẽ Vegam dum ipſe uellet, deduceret. Qui cùm intelligeret, quanti referret, ne Aphrodiſium in poteſtate Dorgutis eſſet, non amplius ſibi cunctandum exiſtimauit, quin confeſtim omnia ad profectionem compararet. Itaq; duabus nauibus re frumentaria & commeatibus onuſtis, & Ferdinando filio Siciliæ proprætore relicto, cui mandauit, ut magnum numerum eius panis quo nautæ uti ſolent ad uſus diuturnitatem excocti, & puluerís tormentarij, & aliarum rerum quas noſtris uſui futuras intelligeret, conficiendum curaret, ut ſi res urgeret, omnium copia ſuppeteret: triremes conſcendit, & ad quintum Cal. Iulij Drepanum ꝓuectus, Auriam ſimul & Toletum inuenit. Qui eo die Neapoli reuerſus, ſeptem Hiſpanorum cohortes, præter tormenta, puluerem, plumbum, materiam, & id genus alia aduexerat. Erant hi milites ueterani, quorum opera & uirtus multis uarijsq; bellis Cæſari explorata erat: quibus ſub Ferdinando Toleto militum tribuno præpoſiti erant Ioannes Mendocia, Bernardinus Corduba, Melchior Zumarraga Segouienſis, Alphonſus Pimentellus, Belcazar & Brizenius: his accedebant, qui ſub Ferdinando Lupo tribuno ſtipendijs merebant. Aluarus Vega & Bernardus Solerius duabus cohortibus præerant, quæ etiam ex Siciliæ præſidijs deductæ ad Monaſterium pugnauerant: quibus adiunctæ erant aliæ duæ, quas Vega ex his militibus conſcribi curauerat, qui plenis in Inſubria & Neapoli cohortibus, in Siciliam, ut ſtipendia facerent, tranſierant: hos Ferdinandus Sylua & Petrus Acunia ducebant. His quindecim Hiſpanorum cohortibus adiecta fuerat centuria una Græcorum, quos eius gentis Centurio quidam uir fortis, permittente Vega, delectu habito conſcripſerat. Erant extra ordinem ducenti milites ordinis Hieroſolymitani, partim Germani & Hiſpani, partim Itali & Galli: neque alij ſunt admiſsi, his exceptis qui in triremibus merere ſolent. Omnibus rebus ad expeditionem conſtitutis, nacti ſecundum uentum triremes conſcendunt, quarum numerus erat quinquaginta trium. His nonnullæ liburnicæ & actuariæ cum tribus onerarijs accеſſerãt, ex quibus una uino onuſta ex portu educta fuerat. Hac claſſe in Aethuſam, quæ nunc Fauiana appellatur, delati Aphrodiſium die tertio, is fuit ad ſext. Cal. Iul. quo Drepano ſoluerant, peruenerunt: conueniteq; inter omneis, ut poſtridie eius diei Vega milites in terram exponeret, duplicique acie inſtructa in oppidum contenderet, locumq; caſtris idoneũ deligeret: Auria uerò rebus maritimis præeſſet, easq; adminiſtra-

ret. Postero die Vega, qui summã imperij pedestriũ copiarũ tenebat, mi- A
lites exponit, aciem instruit, & in oppidum contendit: dextrum cornu
Toletus tenebat, id ex ueteranis erat, quos ex Neapolitano præsidio e-
duxerat. Sinistrum, cui Vega præerat, ex his cohortibus erat, quæ ex In-
subria fuerant euocatæ, atque ex Siciliæ præsidijs deductæ: claudebant
agmen Hierosolymitani milites excellenti uirtute. Vbi paulùm proces-
sum esset, Vega aciem consistere, milites eum locum uallo fossaq; muni-
re iussit, in quem frumentum, commeatus, & res bellicæ omnes ex clas-
se educi, tutoq; reponi possent. Quod opus summa militum alacritate
ac studio quatuor horarum interuallo perfectum est. Hîc Bernardo So-
lerio cum una cohorte, ut ei munitioni præsidio esset, relicto, rursus a-
cies progredi, ac monticulum qui ex aduerso erat, petere cœpit. Interea
ex oppido ingens hostium manus sese porta, de qua dictum est, ut Hi-
spanos munitione prohiberet, effuderat. Hi cum militibus tormenta-
rijs, qui primum agmen præibant, occurrerent, leuia prælia cum eis
facere cœperũt. Nostri nihilo secius pugnando pergere, dum in monti-
culum uenirent, qui aberat ab eo loco, quo ex triremibus egressi erant,
paulo minus octingentis passibus: cui, cum ad iactum manualis tor-
menti appropinquarent, Vega, qui pedes simul cum Rhodiæ classis
præfecto in primam aciem processerat, uidens prælium redintegrari,
oppidanos magno concursu eò contendere, ipsisq; animos adaugeri,
Morerelæ & Osorio imperat, ut cum ducentis tormentarijs, quos ex ea-
dem acie eduxerat, ad monticulum properè accurrerent, locumq; cape-
rent. Quo illi nullo negotio potiti sunt, propterea quòd hostes magno
impetu occurrentibus nostris, sese intra oppidum receperunt. Occupa-
to monticulo, ab his quos Vega præmiserat, sine ullo impedimento eò B
peruentum est: ibiq; castris positis, Toletus cum suis eam partem te-
nuit, quæ quàm maximè fieri potuit, oppido proxima erat: reliquum
mõtis Vega hominibus armatis compleuit. id oppidani muralibus tor-
mentis prohibere conati, parum incõmodi nostris intulerunt. Insequen
ti die milites castra munire, uallo fossaq; cingere, frumentum, commea-
tus, tormentaq; & impedimenta ipsa, omnemq; bellicum apparatum ex
triremibus educere magno studio curant. Triduò in ea re consumpto,
quarto die Ludouicus Perezius Vargas, cum ea trireme quam Auria
ad Guletam reliquerat, Aphrodisium uenit: qui statim ut descendit, op-
pidum explorare, locumq; deligere ubi tormenta bellica collocarentur,
constituit. Dum hæc diligenter perspicit, eruptione ab oppidanis facta,
parum abfuit quin telo missili transfigeretur. Sed Vega & Toleto, qui
non longè aberant, suppetias ferentibus, incolumis in castra reuertitur,
nonnullis tamen ex nostris sauciatis. in his Belcazare centurione glo-
bulo tormẽtario, qui ex uulnere paucis pòst diebus interijt. Postero die
Vega sub noctem bellica tormenta duplici ordine collocari iubet: alte-
ro, decem & nouem ingentia in editiore loco, qui aberat à muro circi-
ter quadringentos passus: altero, octo minora, passibus paulo minus
trecentis. Laudandum fuit hoc tempore singulare militum studium,
qui cum perpaucos haberent calones & seruos, ijs perinde ac uicarijs suc
cedebant, eorumq; parteis ita suscipiebãt, ut nec interdiu nec noctu ab
opere cessarent: tantumq; labore & industria sua efficerent, ut perfectis
munitionibus, milites non plus centum passibus à muro commodè tu-
toq; in stationibus essent: nihilq; à manualibus tormentis, quorum ma-
gna uis in oppido erat, timerent. Dum hæc ab Hispanis fiunt, hostes ex
oppido erumpunt: & ad munitiones usque progressi, coniectis telis,
perpaucos

perpaucos ex his qui operi erant destinati, uulnerant, seq; ad suos reci-
piunt: rursus breui interiecto spacio, magno concursu irruũt: sed fortissi
mè à nostris propulsi, multis eorum interfectis & saucijs, in his quodam
Turca, qui & uirtutis & generis summa nobilitate cæteris præstabat, se
aliquot dies oppido continent. Eodem die, quod memoriæ prodere di-
gnissimum est uisum, miles quidam Hispanus insignem laudem retu-
lit: qui soluto tormento, quo manu utebatur, unde milites tormentarios
uocamus, Turcarum insolentiam & audaciam non ferens, districto gla-
dio, sportula sinistra manu pro clypeo arrepta, ex munitionib. desiluit:
atq; in eam partem, quæ confertissima uisa est, irrupit, tantoq; impetu
hostes inuasit, ut terga uertere, compluribusq; uulneratis, ipsos regre-
di, quà exierant, compulerit: incolumisq;, altero tamen fœmore leui-
ter saucio, in castra reuersus, à Vega est collaudatus, duplicique stipen-
dio, aureisq; donis amplissimè donatus. Interea dum hæc leuia certami
na fierent, complures globi in murum conijciebantur, partim his tor-
mentis, quæ in editiore loco, partim alijs, quæ propius ab oppido dispo-
sita erant. Quin Hispani milites, cùm in agros excurrerent, quotidianis
penè prælijs cum Arabibus decertabant: neq; ea intermiserunt, donec
de ineunda societate cum Cidiarfe agi cœptũ est. Cuius pater, cùm quæ-
dam de Machometana secta, siue potius impia fraude immutasset, non-
nullaq; inuenisset, atq; in ea instituisset, regnum in ciuitate sua occupa-
rat: omninoq; à Tunetensibus, sub quorum erat imperio, defecerat. At
Cidiarfes, defuncto iam patre, potentior factus, ut sunt mortalium res,
seeius ciuitatis, quæ Carruanum dicitur, Regem appellauit, habuitq;
tunc sub signis, cum Aphrodisium obsideretur, ad quindecim Arabum
millia. Neq; parum momenti ad eam rem, ut is cum nostris fœdus percu
teret, Mulæi Hazenij Tunetensium Regis aduentus fuit, qui à filio ef-
fossis oculis, regno pulsus, in Germaniam ad Cæsarem confugerat, atq;
inde in Siciliam ad Vegam missus, cum eo Aphrodisium uenerat. Var-
gas etiam Hametum Hazeniũ, Regis filium, & Xarifum Maurum spe-
ctatæ inter suos fidei, & summæ auctoritatis hominem, ex Guletana ar-
ce adduxerat. Qui cum Cidiarfe ita prudenter egit, ut magno nostris e-
molumento fuerit. Nam octauo die, quo Cæsarea classis Aphrodisium
appulsa est, circiter bis mille & quingenti Arabes Tunetis, & Carruani
regum socij in castra uenerunt, pecoreq; et alijs commeatibus nostros iu
uerunt, quorum præfectis Vega magnam copiam frumẽti, ut inter suos
distribueretur, metiri iussit. Qui, cum id esset anni tempus, quo frumen-
tum conquirere, coemereq; solent, & quòd natura leues, fideq; parum
integra sunt, decem dies in castris commorati, ne ulla quidem sui reddi
ta ratione, discesserũt. Interim Mauri qui erãt in agris, cum nostris, quo-
ties lignatum irent, leuibus prælijs cõtendebant: sed parum, nisi nautis
& calonibus, officiebãt, atq; adeò his qui temerè castris excedebant. Fie
bat autem lignatio ex uetere oliueto crebris arboribus condenso, quod
à castris paulò plus mille passuũ aberat. Sub idem tempus Mulæius Ha-
zenius Tunetensiũ rex in grauem incidẽs morbũ decessit: cuius corpus
poscente ad sepulturã Cidiarfe, Carruanũ à Vega missum, regia põpa e-
latũ est, atq; in fano ex ritu patrio repositũ. Quinq; etiã triremes, quas su
prà cõmemoraui, Neapoli reuersæ, tantum cohortẽ unam Hispanorum,
cui præfectus erat Orihela Valentinus, & ea quæ ad conficiendum tor-
mentariũ puluerem erãt necessaria, transuexerunt. Cigala uerò Genuen
sis, qui sub Cæsare merebat, ex Guletana arce, ad quã cum duabus tri-
remibus missus fuerat, tormenta quatuor bellica, & magnũ numerũ tor-

mentarij pulueris, & globorum supportarat. His rebus effectum est, ut A
oppugnatio redintegraretur, longeq; maior globorum uis in murum
emitteretur. Sed nec ita res ex sententia successit, etiam si nostri conti-
nuos octo dies à concutiendis muris nunquam destitissent, eo quòd fir-
miores essent, quàm ab initio oppugnationis arbitrati fuerant, ita cal-
ce ac cæmētis, aliaq; peruetere materia extructi, ut dictu haud facile sit,
quàm laboriosa difficilisq; eorum demolitio esset. Erat magno nostris
impedimento murus, qui altitudine duodecim pedum, quinque & ui-
ginti passus in longitudinem ab altero aberat, quem interiorem dixera-
mus. Hoc autem spacij, quod ab uno ad alterum murum pertinebat, di-
ligentissimè à Turcis asseruabatur, maximeq; communiebatur, perdu-
cta inter utrunq; ut suprà demonstratum est, altissima fossa, adiectis e-
tiam à lateribus propugnaculis: quo fiebat, ut arduus ascensus esset, ne-
minique ad irrumpendum, nisi summo cum uitæ discrimine pateret. Dum
hæc utrobiq; geruntur, ex duobus perfugis, quorum alter ex Gouleta
metu Vargæ profugerat, ne perfidiæ, quòd à Christiana religione defe-
cerat, pœnas lueret, cognitum est, oppidanos sedulò operam dare, to-
toq; animo, totisq; uiribus adniti, ut murum, qui bellicis tormentis di-
scutiebatur, aggeribus fossisq; introrsus munirent: omnem ætatem, om
nem sexum laborare, ad id incumbere: quicquid interdiu deijceretur,
de nocte expurgare, ac reficere: nullum à labore tempus intermittere,
quo paratiores, firmioresq; in hosteis essent. Postremò centum & quin-
quaginta Turcas & Mauros in ipso pomœrio, occlusa oppidi porta in
armis excubare. Hoc cum Vegæ renunciatum esset, conuocato consi-
lio, quid ex perfugis comperisset, proponit. Nonnulli, quorum prouden-
tia, reiq; bellicæ usus erat singularis, irrumpendum non esse existima- B
bant, quòd ea pars, qua nõnihil muri deiectum erat, difficili arduoq; a-
scensu esset: neque decere, nisi summa uis adigeret, milites periculis of-
ferri, neq; eorum sanguine abuti debere, qui maxima cum laude tot bel-
la Cæsari confecissent: satius securiusq; esse sexcentos milites in pomœ-
rium irruptionem facere, ac si fieri posset, ad internecionem excubito-
res cædere, scalisq; muro admotis, eam turrim, quæ à latere siniſtro in oc
cidentem solem spectat, occupare: cuius bona pars frequẽtibus tormen-
tis diruta iam esset, uidereturq; omnino ab oppidanis destituta, quòd
nulli tormentarij globi ex illa, sicuti ex alijs in castra emitterent, neq; ul
li in ea propugnatores, ut antea, apparerent. Quòd etsi magna ex parte
his assensum est, tamen non defuerũt, qui sentirent, nõ esse hæc simul ag-
grediẽda: eos magnum discrimẽ subituros, qui occisis pomœrij custo-
dibus, demolitionem etiam muri perspicerent: periculum esse, ne si irru-
ptio noctu fieret, pessimè nostris cederet. At Vargas, qui sciẽtia militari
longo bellorũ usu parta clarissimus habebatur, censuit sub quartam uigi-
liam irruendum esse, idq; multo tutius commodiusq; fore, multis ma-
gnisq; argumentis persuasit. In cuius sentẽtiam, cum ab omnibus itum
esset, Vega statuit, ut tres signiferi cum trecẽtis militibus absq; signis po
mœrium irrumperent, excubitoresq; iugulandos curarẽt, & Zumarra-
ga uir manu promptus, cum quinquaginta ex suis murũ, qui globis tor-
mentarijs concussus fuerat, interim exploraret: Pimentellus uerò cum
ea cohorte, quam ducebat, simul cum illis impetu facto, scalis muro ad-
motis, eam turrim, de qua paulo antè dictũ est, caperet. sed hæc res à no-
stris fruſtrà tẽtata, infœlicẽ exitũ habuit. Nam ab his qui in statione erãt,
fortissimè sunt repulsi, quinq; ex nostris interfectis. in his Brizenij cen-
turionis signifero, & uno aut altero capto: longeq; maius incõmodũ ac-
ceptum

A ceptum fuisset, nisi milites, signo recipiẽdi dato, constitissent, seq; in castra contulissent: usque eò fossa & propugnaculis intra pomœrium Turcæ communiti erant, ut nulla ui perrumpi possent. Qui abscisis hostium capitibus, & in hastis suffixis, super muro, ut è castris conspicerentur, trophæum ex eis statuerunt. Posteaquam Vega murum adeò munitum, ascensuq; perdifficilem esse uidit, neq; oportere eò irruptionem facere, ac nihil earum rerum superare, quæ ex Neapoli Siciliaq; & Gouleta ad discutienda demoliendaq; mœnia deportatę fuerant, constituit, ut sine mora Antonius Auria, uir & consilij magni & auctoritatis, in Siciliam cum decem triremibus traijceret: diligenterq; operam daret, ut ex edicto, quod ipse iam præmiserat, magnum numerum commeatus, & bellicarum rerum ex ciuitatibus, oppidis arcibusq; munitissimis cogeret: atque his in unum locum contractis, & in triremes impositis, quàm celerrimè Aphrodisium renauigaret. Quod ab eo non minore cura ac diligentia, quàm prudentia præstitum est. Nam præter id quod ipsi impositum fuerat, cohortem etiam unam Hispanorum adduxit, quam Ioannes Guzmannus ex Ferdinandi Vegæ Proprætoris sententia conscripserat. Marcus etiam centurio, cum alijs decem triremibus ab Auria Genuam est missus, ut ex Insubria supplementum, pulueres, glandes tormentarias asportaret. Id cum ex Auriæ literis intellexisset Ferdinandus Gonzaga princeps Molphetanus, rerum gestarum gloria & generis splendore illustris, & maximus Insubrum præfectus, quiq; in reliqua Italia summam imperij militaris tenebat, iussit tres Hispanorum cohortes, quibus Hieronymus Manricus, Solizius & Antonius Morenus præpositi erant, triremes conscendere, adiuncta etiam ea B cohorte, quam postea Vega Gaspari Guzmanno ducendam dedit. A' Genua & Luca, itemq; Florentia ingens pulueris tormentarij, ac reliqui apparatus bellici uis aduecta est. Interim ex Sicilia commeatus, ligna, & cætera materia, quarum rerum usus nostris plurimum contulit, cùm in muniendis castris, tum in machinis faciẽdis solo præsertim sabuloso, nauibus onerarijs supportabatur. Antonio Auria & Centurione profectis, Vega à Cidiarfe certior factus, Dorgutẽ pedestribus copijs oppidanis subsidio uenire, castra cõtrahit, multoq; angustiora facit, uallis & aggeribus communit, campestria tormenta in his disponit, perducta ab ea parte fossa, quæ sub monte in occidentẽ solem spectat, quam etiam ipse obtinebat, patebatq; in latitudinẽ sexcẽtos passus: frons uerò, quæ eregionè oppidi erat, paulò plus ducentos: totidem utrunq; latus, quod mare cõplectebat, in longitudinẽ habebat. Toletus id loci, quem ipse cũ suis in planitie tenebat, quiq; à frõtis uallo, ubi milites in statione erant, nõ amplius quadraginta passus aberat, intra quem etiam tormẽta bellica, quibus globi in murũ emittebant, suis quæq; cratibus & loricis collocata erant, tribus ex partib. uallo fossa in spiræ speciẽ circũduxerat: reliqua uerò pars à mari, quę ad meridiẽ uergit, patebat. Erat oliuetũ, ut suprà demõstrauimus, ex quo lignatio fiebat, & magnũ usum ad eas munitiones cõficiendas nostris suppeditabat, nõ procul à castris: sed nihilo minus leuia prælia inter lignandũ conserebant, quòd Mauri lignatione Hispanos prohibere conarent. Quibus undiq; cõcurrẽtibus, & nostris ad undecimũ Cal. Aug. lignationẽ facientibus, acrius utrinq; quàm superioribus diebus pugnatum est. In eo prælio Aluarus Vega, cum ab acie simul cum aliquot tormentarijs militibus cupidius hostes insecutus aliquantũ processisset, in summũ discrimen uenit: in quem si frequentes hostes irruissent, ne subueniri quidem ei ab his, qui in primo agmine erant,

rant, nedum ab alijs potuisset. Quod ægrè ferēs Vega pater, grauiterq; a
filio succensens, statuit primo quoq; tempore unà cum militibus ligna-
tum ire. Is dies erat Iacobo apostolo Hispanorū præsidi sacer, quo ne-
cesse erat aggeris petendi causa in oliuetum ire, quo etiam die multo ma
ior numerus peditatus & equitatus hostiū in agris, quàm proximis die-
bus, fuerat uisus. Id cùm Vegæ nunciatum esset, tres cohortes ex castris
producit: & quia admodum erant diminutæ, quòd uulneribus & mor-
bo complures impedirentur, ex alijs supplendas sibi existimauit. Erant
milites numero circiter octingenti, his adiungit calones, & ad septua-
ginta Siculos, qui extra ordinem militabant, eos Vega conuenire iusse-
rat, ut castris, cum res posceret, usui essent. His constitutis Garsiam To-
letum cum reliquis cohortibus præsidio castris relinquit, acieq; instru-
cta, & Siculis, ut calones subleuarent, sine armis subsequi iussis, in oli-
uetum contendit. Claudebant aciem ab utroq; latere aliquot tormenta-
riorum manipuli. Ac cùm iam in conspectum oliueti cohortes leniter
uenirent, hostes se ostendere, sub primum agmen succedere, nostrosq;
prælio lacessere cœperunt. Vega milites cohortatus, ut hostium impe-
tum fortiter sustinerent, pugnandoq; iter facerent, committendi præli
signum dedit. Mauri paulatim cedere, nostros q; eò, ubi collocatæ erant
insidiæ, ut circumuentos aggrederentur, elicere ac protrahere. Et cum
nō longius ab oliueto, quàm quo telum adiici posset, abessent, Vargas,
qui eo die dextro cornui præerat, cupiditate Mauros insequēdi ductus
cum tormentarijs, qui in eo erant latere, plus quàm oportuit, processit.
Sed illi identidem in oliuetum ad suos se recipere, & rursus in nostros
impetum facere. Cum eò peruentū esset, ingressis nostris ac calonibus,
& Siculis ramos succidere, & ab opere ne in ipsa quidem pugna desiste
re à Vega iussis, subitò hostes ex ualle, quæ ab oliueto centum quinqua
ginta passus aberat, ubi abditi latebant, omnibus copijs prouolarunt ad
numerū quinquies mille Turcarū & Maurorum: ex quibus, ut ex Rhu-
spensibus postea cōpertum est, octingenti erant tormentarij, ac sagitta-
rij, & equites ducenti, qui cōfertissimo agmine nostros ab utroq; latere
aggressi, cum primùm cōtinenti glandiū emissione excepti fuissent, pau
lum constiterunt: deinde unà cum equitatu aperto latere magis magisq;
instare, ac cohortes circumuenire cœperunt. Et quamuis fortissimè no-
stri hostibus resisterent, impetumq; sustinerēt, tamen quòd ea pars ijs tor
mentarijs esset nudata, quos Vargas eduxerat, maximè premebant. At
hi quorū uirtutis opinio erat singularis, aduersis hostibus occurrebant,
suisq; præsidio erant, ac fortissimè cadebant. Vega cùm à sinistro cornu
milites esset cohortatus, ad dextrū incredibili celeritate decurrit. Illice,
nim milites urgeri, penè circumuentos teneri, cursu ac lassitudine ferè
exanimatos, uulneribusq; cōfectos: & Palomariū Ferdinandi Lupi tri,
buni signiferū cum alijs septē fortissimis uiris interfectū, remq; propè
conclamatā esse audierat. Ibi ut uidit hostes eo acrius instare, ac cōcurre,
re, quòd quasi partam iam & exploratā uictoriā putarent, cum ea arma-
torum manu, quam custodiæ causa ducebat, ita Turcarū uim repressit,
ut milites sese colligere, ac pro se quisq; in cōspectu ducis, redintegrato
animo strenuè operam nauare, impetumq; hostium non solum sustine,
re, sed retardare etiam, signaq; inferre cœperint. His receptis atq; animo
confirmatis, dextroq; in latere collocatis, Vega rursus in sinistrum cum
suis aduolat, id compluribus tormentarijs communit, hostes pellit: mul-
tis q; concisis, aggerem, quem ipsi fecerant, capit. Ibi nōnullos tormenta
rios disponit, ut tutius in hosteis tela cōijcerēt, reliquos in prima acie col
locat,

locat. Ac prælio sic renouato, tanta utrinq; tormentariorum & sagitta-
riorum contentione pugnatum est, ut ad interuallum unius horæ ab e-
mittendis ultro citroq; glandibus nunquam sit cessatum. Eodem tempo
re Vargas, qui tormentariorum opera impetum hostium à læuo cornu
repressserat, propterea quòd nostros maximè urgebant, dum eis ad de-
xtrum laborantibus subsidio uenire accelerat, sinistro latere tormenta-
ria glande traiecto cecidit: receptusq; à suis, atq; in castra delatus, uni-
uersum exercitum multo mœrore affecit, magnumq; sui desiderium re-
liquit. Fuit certè maximo nostris incommodo tanti uiri, & quidem for
tissimi, ac rei militaris peritissimi amissio. Interim dum pugnabatur, ca-
lones & Siculi magnam materiæ copiam succiderant. neque enim hac rè
ab hostibus prohiberi unquam potuerunt, tanta fuit & ducis uirtus, at-
que animi præsentia, & militum robur, ut eodem tempore simul pugna
rent, & lignationem tutò fieri curarent. Interea oppidani non eorũ igna
ri quæ ad oliuetũ gerebantur, ex oppido erumpunt, in castra prouolant,
ad munitiones accedunt, & tela in nostros conijciunt. Toletus milites
ad arma concurrere, uallum conscendere, ac complures globos bellicis
tormẽtis in hostes emitti iubet: qui celeriter in oppidum reiecti, tantum
detrimenti acceperunt, ut ab eo die nullis unquam postea copijs eruptio
nem in castra facere tentarint. Vega, interfecto ab hostibus Varga, qui
strenuè ipsi operam nauarat, magnoq; auxilio fuerat, nulla in re deesse,
omnia obire, & quid quoque loco faciendum esset, prouidere, & ducis
in cohortandis militibus, & in pugnãdo militis officia præstare, nullum
tempus intermittere, ut communi omniũ saluti prospiceret: præmissisq;
calonibus & Siculis cum ea materia, quæ, cum dimicaretur, succisa fue-
B rat, acie instructa, nouissimoq; agmine tormentarijs communito, atque
pro his quibus tormentarius puluis & glandes deerant, alijs suppletis,
in castra reuerti cœpit. Hostes uerò insolentius audaciusq; concurrere,
nostros ex nouissimo agmine premere, sublatisq; clamoribus insequi.
At Vega à prælio milites cõtinere, ac satis habere, Turcis Maurisq; resi
stere, assiduaq; glandium emissione impetum eorum ferociamq; com-
primere. Interea Toletus cum ex calonibus et Siculis, qui materiam sup-
portauerãt, cognouisset, quo in loco res esset, quantoq; in periculo & co
hortes & dux uersaretur, nihil ad celeritatem sibi reliqui faciendum du-
xit: sed cum expedita armatorum manu ad medium iter militibus occur
rens, non parum eos subleuauit, eo quòd tunc ab hostibus maximè pre
merentur. Et quanquã eius aduentu subsistere, ac se recipere hostes uisi
sunt, nihilo tamẽ secius, quòd perpauci essent milites, qui iam tormẽtis
uti possent, cum tormẽtarius puluis & glandes omnino deficerent, rur-
sus instare, atq; eos qui in nouissimo agmine erant, urgere, cum his de-
certare, magnisq; uociferationibus ad uallum usq; procurrere. Sed à tor
mentarijs propulsi, qui præsidio castris erant relicti, pedẽ retulerũt: atq;
illò unde egressi fuerant, magno cum detrimento reuerterunt. Ei prælio
Dorgutẽ interfuisse, ac cum duobus præfectis septuaginta Turcas cir-
citer ducentis uulneratis amisisse, atq; in Meningem se cõtulisse, ex his
cognitũ est, qui triduo, quo prælium est commissum, Carruano uenerũt.
quæ ciuitas est in mediterraneis posita, ac totius Africæ longè maxima,
opulentissimaq;, præter Tuneta eius prouinciæ principẽ, abestq; ab A-
phrodisio millia fermè passuũ triginta sex. Tum etiam illi nostris nuncia
uerunt, equũ Dorgutis fuisse in pugna uulneratũ, sarcinasq; & impedi-
mẽta ab ijs in itinere direpta, quos ipse à Rhuspis, quas nunc Alfaques
appellãt, in auxiliũ euocarat. Eo die ex nostris non minus triginta sau-
ciati,

ciati, & quatuordecim occisi sunt. Vega etiã, cuius singularis opera, pru A
dentia, & excellens uirtus, itemq; rei militaris scientia cùm in alijs, tum
hoc potissimùm prælio enituit, nostrisq; subsidio ac saluti fuit, leue uul-
nus in altero pede accepit. Quo duce Hispani milites, suprà quàm dici
potest, si unquam aliàs, eo die depugnauerunt, exiguisq; copijs ingen-
tem hostiũ numerum non modò fortissimè sustinuerunt, sed compluri-
bus etiam concisis propulerunt: factaq; lignatione, paucis ex suis desi-
deratis, incolumes in castra redierũt. Hoc prælio facto, Dorgutes magnã
iacturam dignitatis & honoris fecit: multũ etiam de existimatione sua,
qua plurimùm cùm apud alios, tum maximè apud Cidiarfem regẽ ua-
lebat, deperdidit. Qui statim ut resciuit ipsum ab Hispanis fortissimè a-
cerrimeq;, magnis etiam illatis detrimentis, reiectum fuisse, nihil anti-
quius habuit, quàm ut per legatos fœdus cum eis iceret. Qua re facilè
impetrata, sedulò operam dedit, ut pecore atq; alijs cibarijs exercitus a-
bundaret, atq; ex uicis finitimis & agris, quibus ipse imperabat (latè e-
nim iam illo tempore non solum in ciuitate sua, sed etiã in Byzacio, quã
regionem tenuerunt olim Libyphœnices, dominabatur) meleagrides,
oua, caryotides, & id genus alia in castra deportarentur: quam rem Mau
ri summa cum celeritate exequebantur. Nam præterquam quòd ex ani-
mi sententia omnia illis dependebantur, nonnihil etiam eius panis quo
nautæ utuntur, ut famem, qua tunc ea prouincia maximè laborabat, to-
lerare possent, reportabant. Quæres cogebat magnam barbarorum tur-
bam, ut aliquid à nostris extorquerent, in castra confluere. Interea Vega
dum triremes expectat, nihil non mouet, omnia tentat, cuniculos ui-
neasq;, ut pomœrio Turcas depellat, agi præcipit. Sed cum Ferramoli-
nus, architectus & machinator excellens, cuniculos iam prope pomœ, B
rium egisset, tormentaria glande secundũ frontem ictus, fecit, scaturiẽ-
te etiam in aperiendis cuniculis magna aquarum ui, ne longius proce-
deretur. Itaq; cùm cuniculi eo interfecto minus succederent, & in con-
cutiẽdis mœnibus à cõtinenti parum proficerẽt, quòd ibi muri essent q;
munitissimi, uisum est Vegæ, eam rem à mari tentare ac periclitari. Id
etiamsi Auria & Toletus probarent, tamen perdifficile factu eis uideba
tur, præcipuè cum triremes ad eum locum constitui non possent, unde
commodè in murum globi emitterentur, quòd illic mare breuibus esset
impeditum: quòd si id fieri posset, tamen tormentis muralibus multum
incommodi nostris illatum iri: quorum tantus, postquàm pomœrium ir
ruperant, timor incesserat, ut ea studiosè diligenterq; uitarent. Præterea
in hanc sententiam omnes uenerant, ut existimarent perquàm difficile,
parumq; firmum fore, murum ex triremibus tormentis concuti, neq; id
posse commodum aditum ad irruptionem facere. In tanta rerum difficul
tate Toleto ea machina in mentem uenit, qua olim ad Messanam in ludi
cro certamine nauali usus fuerat. Itaq; nõ amplius sibi cunctandum du-
xit, quin euestigiò periculum faceret. Huius machinationis hæc fuit ra-
tio. duplices triremes, malis & armamentis remotis, à lateribus coniun-
gebat, & eregionè muri collocabat, quaternisq; anchoris ex angulis, ne
fluctibus mouerentur, distinebat. Eas firmo ac perualido tabulato cõte-
gi iubet, ut octo bellica tormenta maiora sustinere cõmodè possent. Hęc
ad latus quod contra murum erat, disponit, cratesq; & pluteos à puppi
ad prorã inter aggeres sic addit, ut è tormentarijs feneſtris, quas instruen
do reliquerat, tuto globi tormentis ipsis conijcerentur, & triremes simul
cum machinatione facilè agi, eoq; appropinquare quò ipse uellet, pos-
sent. Quod herclè opus nostri meritò admirati, ac summis laudibus, ut

par erat,

A par erat, prosecuti, in maximam certissimamq; oppidi capiendi spem uene runt. Qua in re Garsias Toletus, ut in cæteris quæ in expugnando Aphro disio acciderunt, incredibili celeritate usus demonstrauit, quantum dexteritate & animi magnitudine, atq; rei bellicæ scientia polleret. Per idem ferè tempus Antonius Auria ex Sicilia reuersus, tãtam commeatuum & bellicarum rerum copiam triremibus conuexit, ut continuò Vega globos in murum tormẽtis mitti animum induxerit. Itaq; omnibus rebus interuallo sex dierũ, quæ ad oppugnationẽ usui erant, cõparatis, duo & uiginti tormenta maiora circiter ducentos passus à muro, atq; alia paulo longius ad deturbandos hosteis ex propugnaculis collocat. His sic dispositis, Andronicum Spinosam, qui multo usu & peritia rei tormentariæ cæteris antecellebat, quem etiam ex Sicilia euocauerat, præficit. huic Franciscũ Biuerum adiungit, qui quatiendis antea mœnibus operã nauarat. Ac quinto Cal. Septem. eã turrim, quę à mari ad portam erat, quæq; in occasum solis & austrũ spectat, atque alteram à terra huic proximã tanta tormẽtorum ui quati iubet, ut eo die utraque turris cum muro deturbari uiderentur. Sed ea firmitudine erant, ut parum his noceri potuerit, quamuis continẽter undecim dies tormentis concussæ fuerint, atque in eam tantummodo turrim, quam ad occasum solis & austrum positam diximus, quatuor millia & octingenti globi emissi: in alias uerò ac mœnia, donec oppidum captũ fuit, ad septies mille. Verùm ea oppidanorum cura erat, ut quantũ nostri foris concuterent ac deiicerent, tantum illi introrsus fulcirent & reficerent. Quo fiebat, ut nullus irruptioni locus esset, & oppidani ex muro nostros irridere, ac contumelijs probris' que uexare non desinerent. Tertio die, quo tormentis globi in murum cõijciebãtur, Marcus centurio cũ triremibus ab Liguria reuersus, maxima nostros lætitia affecit, propterea quòd Alphõsum Cueuam, nobilissimum & fortissimum equitem, qui in locum Vargæ suffectus erat,
B cum mille Hispanis militibus, & quidem electissimis, ac magno commeatuum & aliarũ rerũ numero quæ ad bellũ usui esse solent, supportauit. Inter ea milites, dum mœnia quaterentur, lignationis & munitionis causa in oliuetum ibant, crebris' que prælijs cum Mauris, qui erant in agris, decertabant. Sed nihil ad id, quod octauo Cal. Aug. fuerat summa contentione cum Dorgute factum. Erat inter Mauros quidam ex his præfectis, qui finnes Aphrodisij contingunt, homo singularis audaciæ ac uirtutis: is equo albo, iuba & cauda uersicolore aduehebatur, eum' que triginta pedites, & octo equites sequebantur: cum his nostros, dum in oliuetum irẽt, leuibus certaminibus crebrò lacessebat, nec deerat illi fortunę successus. Accidit autem, ut Iordanus Vrsinus, Florentinarum triremium præfectus, qui in castris apud Toletũ erat, expeditus in equo, cum alijs quatuor equitibus Florentinis, euntes in oliuetum, nostros subsequeretur. Hi lignatione facta in castra redeunt, & cùm paulùm ab oliueto progrederentur, Maurus, qui in insidijs erat, Vrsinum aucupio intentum aggreditur, lanceaq; infesta medium eius brachium magnis uiribus traijcit: idq; tãta celeritate, ut manuali tormẽto uti ille nequiret: ac priusquam sui ei opem ferrẽt, equo decideret, equumq; amitteret, quem postea Mauri suffossum reliquerũt. Hęc memoriæ prodere uisum est, ut externi homines intelligant, nõ cum ignaua gente bellum esse gestum. alit enim Africa uiros, & quidẽ fortissimos. Vbi nouem diebus tãtum muri deiectum esset, quantum ad irrumpẽdum satis esse uideretur: Toletus triremes, quæ machinationem sustinebant, promoueri, ibiq; constitui iubet, unde tormentis globi, quàm proximè in eã partem muri iacerentur, quæ pridie eius diei à continente fuerat deturbata. Cum enim militibus eò irrumpẽdum esset, quà bellicis tormẽtis murus &

turres erant aliquantum dirutæ: necesse erat alterum alteri auxilio esse, mu A
tuoq; inter se omnes iuuare. Postero die oppidani non nescij quantum pe
riculi ex nauali machinatione, unde tormentis discuti muri cœperant, im
mineret, uehementer contenderũt, ut eam muralibus tormẽtis perrumpe
rent ac disturbarẽt: quod certè ex sententia succesisset, nisi Vega & Tole
tus quàm celerrimè triremes in breuia agi, carinasq; figi uadis curassent.
Ex quo effectũ est, ne eo die amplius quatuor tormentis muri concuteren
tur, reliquis ab oppidanis continenti muralium tormẽtorum coniectione
deturbatis, nonnullisq; nautis occisis, ac cæteris tanto timore perculsis, ut
non modò rem tormentariam nemo gerere, sed ne ad ipsa quidẽ tormenta
propius accedere auderet, quinetiam cuncti ea deserere, atq; omnem con
cutiendi muri curam abijcere omnino uellent. Id repentino accepto incom
modo accidere, cum Vegam non fugeret, Orihelã Valentinum cum quin
quaginta militibus tormẽtarijs eò misit, ut perterritos nautas animo confir
maret, ne susceptum officium desererent. Qui ea nocte ita perrupta refici, ac
bellica tormenta disponi curauit, ut in sequenti die quinq; maioribus tor
mẽtis è machinatione, ac tribus ex ora maris tantũ muri illi demoliti sunt,
quantum irruptioni sufficere uisum est. Cum uerò una esset omnium sen
tentia, ut eueſtigiò irruptio fieret, solus Vega eã in posterum diem differen
dam censuit: cuius consilium postea euentus comprobauit. Ex classe autem
perquàm difficilis & incerta erat globorum coniectio. Nam cum triremes
longius propter breuia à muro constitutæ essent, tormentarij globi oppi
dum transuolabant, & triremes ipsæ uehementer afflictabãtur. Ex quibus
una Toleti, & quidem primaria, itemq; altera Cigalæ Genuensis penè sup
pressæ, ac nonnulli ex nautis uulnerati atque interfecti sunt. Postridie eius
diei manè Auria conuocatis triremiũ præfectis, quid fieri uellet, ostendit:
monuitq;, ne quem ex classe in terrã exponi permitterent, atque ut dato ex
triremè prætoria signo, quàm celeri motu oppidum eo die triremibus cin B
gerent. Is dies erat ad quart. Id. Septembr. nostris longè gratissimus. Quo
item die Vega cohortes ex castris educit, atq; eas hoc ordine ad irrumpen
dum instruit. Ferdinandũ Toletũ tribunum cum tribus ex Neapolitano
præsidio cohortibus, totidemq; ex ijs quas Didacus Ferdinãdus Morere
la, Antonius Morenus & Aluarus Vega ducebant, in eam partem muri,
quæ proximis diebus à continenti deiecta fuerat, irrumpere iubet. A mari
uerò Ferdinandum Lupũ tribunũ simul cum militibus ex Malęspinę præ
sidio in id impetum facere, quod è nauali machinatione pridie fuerat detur
batum. His adiungit cohortes duas, quibus Solizius & Hieronymus Man
ricus præerant, totidemq; euocatorum ex Neapolitano pręsidio. Reliquas
ex his duas, pariter & eas quarum ordines Gaspar Guzmannus & Ama
dorius ducebant, in eam turrim irruptionẽ facere imperat, quæ à sinistro la
tere ad portam erat, cuius pars quædam diruta fuerat, cùm primum Aphro
disium bellicis tormentis quati cœpisset. Hierosolymitanis militibus per
missum est, ut quò uellent, eò signum inferrent, atque impetum facerent.
Cohortes autem, quibus Ferdinandus Sylua, Rodericus Paganus, & Pe
trus Acunia præpositi erant, in omnes casus paratas, atque tormentis belli
cis præsidio esse uoluit: his Siculos, de quibus suprà dictum est, adiecit. Por
stremò Ioannem Guzmãnum & Solerium cum duabus cohortibus præsi
dio castris reliquit, adiuncta etiam Grecorũ centuria. Aluaro Vegę præce
pit, ut dispositis speculatoribus diligẽter curaret, ne quid oppidanis subsi
dij ex agris mitteretur. Ac si qua hostium manus aduentare, adesseq; uide
retur, ne qua eius aduẽtus significatio fieret, aut ullum signũ tuba dari, aut
ad arma conclamari permitteret, sed per nuncios ea de re se certiorẽ quàm
celerrimè

celerrimè faceret: atq; in eo aggere, qui pro castris erat, quinquaginta tormẽtarios milites ex his qui præsidio castris erãt relicti, collocaret. Et ut singulis bellicis tormentis binos milites, qui rei tormentariæ essent periti, præponeret, ut si qui hostes irruerent, facilè ab his propellerentur. Rebus sic constitutis, atque omnibus quæ ad irruptionem pertinerent, administratis, cùm iam meridies appropinquare uideretur, Vega milites cohortatus, hunc esse diem, quo maximè contendi conueniret, ut aliquãdo pro tantis laborib. fructũ uictoriæ perciperent, signum tuba dari iubet. Hoc etiam ex prætoria trireme Auria facit: quo exaudito, triremes simulatione inuadendi oppidi, ut hostes, qui murum compleuerant, dissiparentur, sese circunfuderunt. Milites uerò ea celeritate, atq; eo impetu euolarunt, ut omnino uiderentur murũ, turres, propugnacula, & quicquid esset impedimenti, facilè superaturi. Verùm adeò difficilis & arduus ascensus utrinq; à continenti erat, & introrsus fossa, aggeribus & propugnaculis murus communitus, ut neq; ascendere, neq; desilire quis, nisi manifesto cum discrimine uitæ, posset. Sed hoc tanto periculo contempto, primus Ferdinandus Toletus tribunus, excellenti animo ac uirtute uir, murũ ascẽdit, inuẽtaq; casu trabe, qua Mauris à propugnaculis ad murum erat transmissus, in oppidum cum septem ex his militibus qui se ducem sequebantur, graui iam accepto uulnere desiluit. Gaspar etiam Guzmannus & Amadorius cum paucis in murum, qui ad sinistram turrim erat, irruperunt. Ibi Guzmannus alterum ferè brachium amisit, cecidit q; signifer Richelmus, fortissimus uir. Alij uerò conuersis signis, quà aditus ad mare patebat, continenti impetu irruerunt: breuia, uadosumq; mare, etiamsi ab aqua tantum humeris ac summo pectore extarent, superauerunt. Hos Hierosolymitani milites, bellicosissimi uiri, sequuntur. At Turcæ & præfecti, quibus oppidi custodia à Dorgute commissa fuerat, toto se undiq; muro circũfundere, armatos disponere, nostris resistere, defessis recentes succedere contendunt. Oppidani etiam magno concursu aduolant, complures que milites pertinaciter ascendentes uulnerant, atque interficiunt. Hispani, tametsi periculoso genere prælij, loco q; alieno premebantur, quippe qui in fluctibus consisterent, neque manualibus tormentis commodè uti possent, quòd aquis tormentarius puluis corruptus esset, tamen omnia fortissimo animo sustinebant. Alij alios propellere, recessum primis ultimi non dare, sed acriter incensi districtis gladijs comínus rem gerere, ac tanto impetu murum ascendere, ut interuallo unius horæ hostes mœnibus, turribus, propugnaculis q; deijcerent, pomœrium q; duo millia Hispanorum occuparent. Hic rursus hostes se colligere, ac prælium redintegrare cœperunt. Alij cum tormentariorum manipulis, nudatis etiam pectoribus manus conserere: alij, cum cętera tela deficerent, lapides conijcere. Hispani mutuò inter se cohortati, hostes ex pomœrio pellunt, multos concîdunt, cedentes loco insequuntur, neque sui colligendi dant facultatem. Illi in foro ac locis patentioribus cuneatim consistunt, confertissimo q; peditum & equitum agmine prælium renouant. Atque ita acriter pugnauerunt, tantam q; uirtutem præstiterunt, quãta à uiris fortibus in extrema spe salutis præstari potuit. Nam quem quisq; pugnando locum cæperat, eum non nisi cum uita relinquebat: quòd uiderent omnem spem salutis in una uirtute positam esse. At milites Hispani pristinæ uirtutis memores, ferro uiam aperiunt, nullum q; consistendi locum hostibus relinquunt: magna fit utrinque cædes, magno constat uictoria, nihil oppidanis ad uirtutem defuit. nemo enim nisi forti inuicta q; manu hoste interfecto, lõgius progredi poterat. Tum centurio Melchior Zumarraga Segouiensis, fortissimè pugnans, tormẽtaria glande secundũ aurẽ traiectus,

ctus, in ipso oppidi sinu occiditur. Interim etiam accidit, quod dignum memoria uisum, prætermittendum non duxi. Centurione Morerela ab hostibus interfecto, signifer eius à latere ictu tormenti transfixus cecidit: hunc iacentem ut uidit frater, qui proximè aderat, arrepto signo interficitur: cui tertius frater natu minimus succedit, puncto; temporis illo munere fungitur, tormentario globulo traiectus, arripit signũ miles quidam uir strenuus. is similiter ab hostibus occisus, quasi per manus signũ aliis manipularibus tradidit. Itaq; uexillum illud trium fratrum, & alius militis summi animi & uirtutis funere constitit: quod reliqui inferre non destiterunt, usq; dum ea parte hostes submouerentur. Quorum alij magno clamore ac fremitu, qui etiam utrinq; sublatus per totum oppidum exaudiebatur, aditus platearum occupare, ibiq; fortissimè occidere. Alij repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, oppidi direptione perterriti, in aliam partem ferri. Matres familias flentes cum liberis deorum ira perculsæ, repentè in publicum prosilire, ad cœlum manus tendere, ad Machometi fana procurrere, eò sere cipere, ibiq; proiectæ uictoriam ab eo exposcere, omnibusq; precibus à suis petere, ne se & communes liberos hostibus, in perpetuam seruitutem aut supplicium derent. Quo fiebat, ut Turcæ & Mauri audacius subsisterent, ac nostris intrepidè occurrerent: atq; eo animo depugnarent, ut uel saluti subsidioq; suis essent, uel fortiter occumberent. Qui etsi nulla ui nostris se obsistere sperabant, tamen eos sic inuadebant, ut quàm plurimos loco depellerent, nonnullosq; interficerent. In his Pimẽtelli signifer fuit, unà cum aliis tribus militibus, qui inferiores ordines ducebant. Tum Alphonsus Pimentellus & Orihela centuriones, & signiferi Aluari Vegæ & Solizij uulnerantur. Multi etiam de Hierosolymitanis militibus cæduntur. Quo nostri acrius incitati, præsertim cum in conspectu Vegæ & Toleti, quinetiam Auriæ, atque adeò omniũ qui in castris & classe erant, rem geri, nihilq; strenuè aut ignauè factũ posse celari uiderent: tanta animorum & uirtutis contentione in hosteis impetũ fecerunt, ut ex uijs ac foro eos pellerent, persequerentur, & cæderent: omnesq; uictoriæ potius quàm prædæ studerent, nullumq; pugnandi finem facerent: quoad omni parte summotis hostibus omnes ad unum aut capti, aut occisi essent. Pugnatum est à meridie prope ad occasum solis, uariè acriterq;: ac tanta omnium contentione, ut nemo serè eorum fuerit, quin uulneraretur, atq; ex his fortissimus quisq; interfieretur: inter quos fuit Hales, alter Turcarum præfectus, qui à Christiana Re pub. desciuerat. Alter uerò, quem sororis Dorgutis filium esse dixeramus, simul & trecenti Turcæ ac Mauri, continenti impetu ultimas oppidi partes petiuerunt. Verùm cum nullus esset fugæ locus, occupatis duabus turribus, ubi paulùm repugnassent, se Vegæ tradiderunt. Ex quibus septuaginta ijs militibus, qui uulnerati, & præsidio castris relicti erant, concessit. Cigalæ Genuensi præfectum donauit, ut eo filium, qui apud Dorgutem in uinculis erat, redimeret. Reliquos prædæ nomine ijs militibus distribuit, quorum uirtute oppidum eo die expugnatum est, nemine omnino ex his sibi retento, quòd existimaret famam uirtutis Principi uiro abundè præmiũ fore. Quę res cùm Vegã omni laude dignum, tum etiam multo charioré admirabiliorem q; militibus fecit. Expugnato oppido, deprehensæ sunt in cotho ne naues illę, quę Alexãdria milites, frumentũ & cõmeatus deportauerãt. Inuenta sunt etiã quatuordecim ærea tormẽta ingentia, præter alia nõ pauca ex ferrea materia. Ad hęc multa atq; lauta supellex, & magnũ pondus argenti & auri. His accedebat non parua copia frumenti, cõmeatuum, cæterarumq; rerũ quæ ad bellicũ usum erant congestæ. Captiuorũ numerus ad Vegem relatus fuit miliũ septem. Nec nostris ea uictoria incruenta fuit, amplius

A plius ducẽtis occisis, alijsq; quamplurimis uulneratis, ex quib. multi postea ex uulneribus, quòd tela ueneno illita fuisse crederẽtur, interierunt: atq; in his Ferdinandus Toletus, & Ferdinandus Lupus Lusitanus, militum tribuni: occubuissentq; multo plures, nisi quàm primùm Vega saucios in Siciliam deportandos curasset. Ex Hierosolymitanis militibus, qui eo die, ut solent, fortissimè pugnauerunt, tum in pugna, tum etiam non multo pòst ex uulneribus, quæ in ea pro Christiana Repub. acceperant, paulo plus triginta mortem oppetiuerunt. Postero die Vega primùm purgato oppido, fanum, quod ibi erat maximum, expiandum, dedicandumq; Deo opt. max. curat: inibiq; facta re diuina, occisos sepeliri præcipit: deinde oppidum muniri, deiecta bellicis tormẽtis refici, fossas expurgari, frumentum, commeatusque in oppidum comportari iubet. Dum hæc Aphrodisij geruntur, captiui quidam Græci, qui ex Meninge profugerant, Auriæ nunciant, Othomanum cęcum ab altero eius insulæ prefecto interfectum, quòd impensè Turcis studeret, omnibusq; officijs Dorgutem prosequeretur: cui etiam ipse plurimum tribueret, seq; illi uni committeret: eoq; interfecto insulanis interdictum, ne quis Turcas exciperet, aut ulla re iuuaret. Dorgutem uerò re intellecta, cum liberis & uxoribus, sarcinis atq; impedimentis se in naues recepisse, huc atq; illuc deerrare, neq; alium receptum habere, in quo tutò hyemare posset. Hoc nuncio accepto, Auria communicatis cum Vega & Toleto consilijs, inita quarta uigilia cum uiginti triremibus in Meningem proficiscitur, quem statim Vega cum reliqua classe subsequitur. Cum iam Rhuspas præterueherentur, paulòq; plus triginta milibus passuum à Cercina abessent, in quam insulam pirata se contulerat, tanta subitò tempestas B coorta est, ut nulla earum triremium cursum tenere posset. sed eódem, unde erant profectæ, referrentur, Auriaq; & Vega incœpto conatuq; desistere rent. Qui postea ex Mauris compererunt, piratam ex Meninge expulsum, tota illa ora uagari, nauibusq; receptaculum quærere ac petere, quo in hybernis tutius esset, quòd Meningintanis se committere non auderet: Vega omnibus rebus, quas fieri iusserat, perfectis, mille & ducentos Hispanos cum magno tormentorum, cæterarumq; rerum bellicarum, & frumenti ac commeatuum numero, oppido præsidio relinquit. His Aluarum Vegam filium, usq; dum aliud Cæsar imperaret, præficit: eiq; mandat, ut oppidum muniendum curet: caueatq;, ne quid detrimenti ex hostibus accipiat. His prudenter constitutis, omnibusq; rebus ad nauigationem comparatis, octauo Cal. Octob. omnes cum captiuis, & præda quæ cuique obuenerat, Aphrodisio soluunt. Verùm cùm triremes tempestate quatuor dies continenter afflictarentur, neq; ulla earum Laruneſias capere posset, coacti sunt eódem, unde egressi erant, reuerti. Rursus paucis pòst diebus ex portu exeunt, & quanquam nonnullæ triremes grauiter afflictę, ac uento dispersæ fuerunt, tamen omnes ad unam incolumes Drepanum peruenerunt. Ibi Ioanne Vega Prorege, magno Siculorum concursu ac gaudio excepto, Andreas Auria & Garsias Toletus profecti, hic Neapolim, ille Genuam pridie Id. Nouemb. incolumis est reuersus. Hac Hispanorum uictoria nunciata, magnus repentè terror uniuersam Africam inuasit, propterea quòd id oppidum, in quo omnem spem cuncti reposuerant, à nostris expugnatum uiderent: & quo amisso, totam etiam prouinciam armis subigendam crederent, ipsam que tãdem in Christianorum potestatem deuenturam constanter affirmarent. Quod ita euenturum multi Mauri, præcipuè ij qui ipsorum lingua Alfachij, Latina Sapientes appellantur, se ex sortibus & uaticinationibus prænouisse testabantur. Quo factum est, ut complures captiui à Machometo desciscerent: atque eo magis, ut id

facerent, adducti sunt, quod oppidum illud ab aliis frustra tentatum acce-
pissent. Nam, ut cæteros omittam, Alphonsus Aragonius Neapolitanorũ
clarissimus & fortissimus rex, cum Tunetensium regem prælio ad Me-
ningem superatum uectigalem fecisset, Aphrodisiumq; obsidere statuisset,
perspecto eius situ, de expugnatione desperauit: nauibusq;, quas ibi extra
Cothonem deprehenderat, incensis, ne tẽtata quidem re, Neapolim se rece-
pit. At Hispani milites nullis auxiliis adiuti, nullis externis militibus, præ-
ter ducentos Hierosolymitanos, ac totidem propè Græcos & Siculos, ad-
missis, bellica uirtute Neapolim, Siciliam, Sardiniam, aliasq; maris conclu-
si Christianorum insulas & ciuitates maritimas, liberas à Dorgute, im-
manissimo prædone fecerunt, auspiciisque Caroli Quinti Cæsaris A-
phrodisium expugnauerunt: quod, ut olim Barbarorum, sic nunc
Christianæ Reipublicæ munitissimum est
propugnaculum.

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINIS LUDO-
VICI LVCII ET MICHAELIS MARTINI
Stellæ, Anno Salutis humanæ M. D. LVI.
Mense Martio.